NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
M 8
36 M
14

CATECHISMVS CATHOLICVS
REVERENDISS. QVONDAM DN.

MICHAELIS
EPISCOPI MERSPVRGENSIS, IN CONCIONES LXXXIIII. SANE PIAS ET ERVDITAS PVLCHRE DISTRIBVTVS, CONTINENS

Explicationem
Symboli Apoſtolici,
Orationis Dominicæ,
Salutationis Angelicæ,
Decalogi,
Septem Sacramentorum:

Nunc primùm Latinitate donatus per Tilmannum Bredembachium Embricenſem.

Adiectæ ſunt eiuſdem Episcopi egregiæ Conciones XV. de auguſtiſſimo Missae Sacrificio, & ſeorsìm Vna de Sacroſancta Euchariſtia, Interprete F. Laurentio Surio Carthuſiano.



COLONIAE
Apud hæredes Iohannis Quentel, & Geruuinum Calenium, Anno 1562.
Cum gratia & priuil. FERDINANDI Cæſaris Auguſti in decennium.

IN REVERENDISS. P. D. MICHAELIS EPISCOPI, DVM VIXIT, MERSPVRGENSIS effigiem ad viuum depictam, Tilmanni Bredembachij Elegia.



QVAM tenui, Lector, ſpectas in imagine formam,
Hæc eſt eximij Præſulis effigies.
Sic oculos geſſit, frontem, ſic ora Michaël,
Qui Merſpurgiaca Præſul in vrbe fuit.
Felices fuimus dum non ſimulacra, ſed ipſum
Vidimus ore ſacro dogmata ſacra dare.
Quod quoniam nobis mors inuidioſa negauit,
Has dedit effigies ingenioſa manus.
Eloquium, mentisq́ pia venerabile numen,
Non pictura tibi, ſed liber iſte refert.
Non poterit tua fama mori clariſſime Præſul,
Vt nunquàm poterunt hæc tua ſcripta mori.
Fata quidem tantis virtutibus inuida, corpus
Et ſpeciem terris abripuêre tuam:
Parte tamen meliore tuî ſuper alta perennis
Aſtra meas, illam nulla ſepulcra tenent.
Quamq́ tibi peperit virtus & gratia famam,
Nunc per terrarum climata cuncta volat.
Hanc neq́ liuentes Momi, nec fata, nec ignes,
Nec fortuna furens obtenebrare poteſt.
Hoc quoq́ ſi noſtrum nunquàm mortale futurum eſt
Carmen, in ore frequens poſteritatis eris.

Eiuſdem.

Mens habitat cælos, retinent ſimulacra tabella,
Fama viget, nudum terra cadauer habes.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTVS ROMAnorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgũdiæ &c. Marchio Morauiæ &c. Comes Tirolis &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod cùm nobis à doctis, probis et honeſtis viris haud vulgari teſtimonio commendata fuerit ſingularis fides, integritas, & diligentia, qua noſtri & ſacri Imperij fideles dilecti hæredes quondàm Iohãnis Quentel typographi & ciuis Colonienſis vtuntur in excudendis optimis & probatiſsimis quibuſque authoribus, maximè verò ijs operibus, quæ indiès à Catholicis et eruditis viris cùm doctè, tum piè pro Catholicæ & Orthodoxæ religionis noſtræ conſeruatione & augmento, ad laudem ac gloriam Diuini nominis & Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem eduntur, ità quòd eorundem ſupplicantiũ nomine nobis facta ſit ampliſsima ſpes, illos eandem curam & ſtudium deincèps quoq; adhibituros, dummodò illis firmiſsimo priuilegio noſtro contra æmulorum artes, à quibus ſe aliâs debito fructu ac emolumento defraudatum iri verentur, clementer conſulatur: Qua de re perquàm humiliter etiam nobis ſupplicatum fiat, vt illorum indemnitati in hac parte clementer conſulere dignaremur. Nos ſanè benigna ratione habita ingentis vtilitatis, quæ ex iſta dictorum ſupplicantium diligentia et ſedulitate ad Rempublicam Chriſtianam redire ſolet, tam præclaros illorum conatus non ſolùm clementer probauimus, verùm etiam authoritate noſtra Cæſarea omninò promouendos duximus. Itaque ſcienter animoq́; bene deliberato & ex Cæſarea authoritate noſtra diſertè vetamus ac interdicimus omnibus ijs, qui in ſacro Romano Imperio ac regnis prouincijsq́; noſtris hæreditarijs, vel imprimendis vel vendendis libris, ſeu quacunque alia ratione librariam negociationem exercẽt, nè quis eorum præmemorata omnia opera, tam Græca quàm Latina, aut alia quauis lingua, quæcunque dictorum hæredum quondàm Iohãnis Quentel ſtudio & diligentia, (præcedente tamen facultatis Theologicæ Colonienſis aut Louanienſis approbatione) in manus hominum prodire contigerit, per totum decennium ab editionis abſolutæ die numerandum, intra ſacri Romani Imperij ac omnium regnorũ & prouinciarum noſtrarum fines, eodem vel alio charactere recudere, aut vbicunquè recudenda dare, aut alibì impreſſa adducere, vendere vel diſtrahere palàm vel occultè auſit. Quiſquis verò aliter fecerit, & interdictum hoc noſtrum neglexerit, ſpreueritve, is debebit non ſolùm eiuſmodi libris impreſsis, quos nimirùm præfati hæredes quondàm Iohannis Quentel, ſeu mandatum habentes ab eis, auxilio magiſtratûs eius loci, aut ſua quoq; authoritate appræhendere, et ſibi vendicare poterunt, priuari: verũ etiam decem marchis auri puri noſtro Cæſareo fiſco fraudis vindici & dictis hæredibus quondàm Iohannis Quentel ex æquo ſoluendis mulctari, dummodò tamen cuiuſq; editionis approbationem obtinuerint à facultate Theologica Colonienſi vel Loua-

nienſis, ac inſuper ex ſingulis editionibus ad minimum duo exemplaria ad Imperialem noſtram Cancellariam Latinã quamprimùm ſuis ſumptibus tranſmiſerint: quod ſi neglexerint, hac noſtra gratia & priuilegio neutiquàm vti aut gaudere poſſint, ſed eo priuati & exuti cenſeantur. Proindè mandamus vniuerſis & ſingulis noſtris ac ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, cuiuſcunque gradûs, ordinis, ſtatûs, conditionis & dignitatis extiterint, præſertim verò ijs qui in magiſtratu conſtituti ſunt, vel ſuperiorum ſuorum, vel ſuo ipſius nomine ac loco iuris & iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, nè quenquam hoc priuilegium ſeu interdictum noſtrum impunè violare, ſpernere vel negligere patiantur: ſed ſi quos contumaces compererint, præſcripta pœna plecti, & quibuſcunque rectè fieri poteſt modis coërceri curet, præfatisq́; hæredibus quondàm Iohannis Quentel vel mandatum ab eis habituris, omnem fauorem & opem exhibeant, quatenùs & ipſi grauiſſimam indignationem noſtram ac eandem mulctam incurrere noluerint. Quòd autem hæc rata & firma ſint, hiſce noſtris literis teſtari collibuit, quas dedimus manûs noſtræ ſubſcriptione, & ſigilli noſtri appenſione munitas in noſtra ciuitate Vienna, die XXVII. Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, Regnorum noſtrorum Romani trigeſimo, aliorum verò trigeſimo quarto.

FERDINANDVS.

Vice ac nomine Reuerendiſſ. Domini
Archicancellarij Moguntini;

V. Seld.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ
Maieſtat. proprium.

M. Singkhmoſer ſſt.

REVE-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC

Domino, D. ROBERTO à Bergis, Epiſcopo Leodienſi, Duci Bullonenſi, Comiti Loſſenſi, Principi ac Patrono ſuo Clementiſſimo.

CVM *ſuperiori anno parentis mei Mathiæ Bredembachij piæ memoriæ lucubrationes in D. Matthæi Euangelium, clariſſimi nominis tui auſpicijs in communem ſtudioſorum gratiam vnà cum Commentarijs in aliquãmultos Pſalmos Dauidicos publicarem, ac tuæ amplitudini offerrem, Reuerendiſſime Præſul et Princeps Illuſtriſſime, magnifico ſane argumento tuum erga literarum ſtudia affectum declaraſti. Nam & ſumma clementia ac humanitate leuidẽſæ munuſculum excepiſti, et deincèps tanquàm vnicus patronus, nè dicam parens, ſummam mihi orphano pietatẽ & munificentiã exhibuiſti. Quo tam amplo viri principis patrocinio fretus, non potui non ſummè gaudere, & ad ardens literarum ſtudiũ extimulari. Nã ſi inter externa bona maxima ſunt amici, teſte Philoſophò, & Scytharum populi, quantũlibèt duri et feroces, ſummo ſtudio curabant, vt iuuenes Ephebi plurimos ſibi amicos compararent, velut firmiſſimà vitæ præſidia: et Sapiens amicum fidelem dicit protectionem fortem, et qui inuenit illum, inuenire theſaurũ: optimo ſanè iure plurimùm mihi gratulabar, quòd non in vulgaris cuiuſpiam viri amicitiam, ſed in ampliſſimam optimi principis clientelam receptus eſſem, qui nõ copijs vt Xerxes, nõ opibus vt Crœſus, ſed doctrinà vt Alexander, anteire geſtiat. Eiuſmodi enim fortunæ adminicula, nè quidem in bonis cenſere voluerunt Stoici. Vndè M. Tullius in lib. de finibus iuxtà Stoicorum conſuetudinem, æſtimabilia duntaxat, non autem bonã appellat: & Auguſtinus in eandem ſententiam ſcribit, Stoicos illà externa non voluiſſe appellare bona, ſed commoda. Cum quo conuenit Euſtràtius Epiſcopus Nyſſenus, appellans ea forenſia, quia foris ſint, & ab animæ & corporis ſubſtántia aliena, demonſtrans, nè quidem requiri illa ad vitæ huius felicitatem. Quocircà cùm nupèr quidam boni viri de Republ. Chriſtiana non malè meriti, offerrent mihi inſigne quoddam volumen Catechiſticarum concionũ olim ab ampliſſimo præſule D. Michaële Epiſcopo Merſpurgenſi Germanico idiomate conſcriptum, referentes ſe percupere id in gratiã totius Eccleſiæ Catholicæ in Latinam linguam eſſe translatum, idq́; à me fieri deſiderarent, èquidem non potui non reluctari, & prouinciam tam arduam, viriculasq́; meas longè præponderantem, auerſari. Illi verò cùm pro ſuo in me iure multis rationibus inſtarent, vt ſi nõ ad extremam vſque coronidem, ſaltem aliquandiù in hac palæſtra vires meas experirer, tandèm victus in illorum ſententiã conceſſi: hac tamẽ conditione,*

9. Ethic. cap. 9.
Alexan. ab Alex. lib. 2. capit. 25.
Eccleſ. 6.
Augu. li. 9. de ciuitate Dei cap. 4.
Euſtratius in cõment. in libr. 1. Ethic. ca. 8.

vt aliorum quorundam doctorum virorum de mea opella iudicium priùs audirem. Cum igitur hoc magni potius cuiuſdam Atlantis opus in meos, heu quàm non herculeos humeros translatum eſſet, omni quo potui ſtudio in hoc incubui, vt tanti viri tam inſigne ac præclarũ opus, qua poſſem fide ac diligentia pro ingenioli mei tenuitate Latinè redderem, vt non tantum Germania, ſed & reliquæ orbis natiões hoc tanto bono communiter nobiſcum ad Dei gloriam ſuarumq́; animarum ſalutem frui poſſent. Et quia non ignorabam, quàm non ſolùm turpe, ſed & periculoſum eſſet, in eiuſmodi negocio hallucinari, illius gratiam quotidianis precibus implorabam, ſine quo non poſſumus quicquam, & qui ſcientiam habet vocis, atq; Apoſtolos idiotas & ἀναλφαβήτους docuit omnem veritatem, variaq́; idiomata ſonare. Attamen poſt hæc omnia eruditis quibuſdam hunc meum fœtum qualitercunq; iam formatum exhibui, atque ità, vrgente iam editionem Typographo, mutatis nonnullis, et accuratiori lima examinatis, prælo excudendum cõmiſi. In quo ſi fortaſſis quiſpiam temeritatem meam redarguat, & exemplo vrſæ diù lambendo, atq; exactè formando fœtum producendum exiſtimet, nec citra rationem dixiſſe Flaccum, Nonumq́; prematur in annum: equidem lubèns agnouero, eruditos poſſe emunctiora poſtulare, quæ demorſos ſapiant vngues. Cæterùm et hi non grauatim mecum agnoſcent, præſentem Eccleſiæ neceſſitatem præſentibus indigere auxilijs, in qua non eodem conſilio vtendum eſt, quo in vrbibus aut propugnaculis expugnandis: illic enim, vt placuit Scipioni, locum habet cunctatio: hic verò illud
Virg. lib. 4. Aene.d. *Mercurij ad Aeneam, Eià agè rumpe moras. Nam quid hac tam calamitoſa tempeſtate, qua implacabilibus pugnantium opinionum procellis horribiliter cõcutitur orbis vniuerſus, quid inquam magis neceſſarium foret, quàm populum erudiri in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis, vt ſcirent, quid Catholicum, quid hæreticum foret, quid credere, quid ſperare, quid diligere, quales ſe erga Deum, quales erga proximum præbere deberent? Si populus Iſraeliticus hyacinthini coloris inſignia cum cocco per ſingulas veſtimentorum fimbrias geſtare iubebatur, quo ſcilicet huc illucq́; reſpicientibus, mandatorum cæleſtium memoria colorum varietate ſemper oboriretur: quid obſecro hac tempeſtate magis neceſſarium eſſe poteſt, quàm Catechiſtica inſtitutione animos ſimplicium imbuere, & omiſſis anilibus fabulis ac deliramentis, (quæ non raró imperiti paſtores ſermonibus publicis adſpergere ſolent, vt concionem tranſigant, nec omninò nihil dicere videantur,) hæc prima Chriſtianæ Religionis ſemina rudibus adhuc & incultis animis inſtillare? Et ſanè deplorandum eſt, plurimos hodiè in concionibus abſurda, multos vtilia, paucos neceſſaria docere. In omnibus autem diſciplinis neceſſariò diſcenda ſunt rudimẽta. Grammatici à literis, Dialectici à terminis, Arithmetici à numeris, Geometræ à figuris terminis et circulis ſuarum diſciplinarum capiunt exordia: & ad Euangelicam doctrinam paſſim & ſinè delectu admittentur omnes, qui prima eius rudimenta nedùm à limine quidem ſalutârint? Paulus vndiq; ſe vertit & veluti Chamæleonta quempiam agens, nunc lacte paſcit infirmos, nunc ſolidum cibum præbet adultis, vt aliquid lucrifaciat Chriſto: & nos omnia omnibus proponere volumus, eundemque calceum omnibus omnium pedibus conuenire putabimus? Nihil abſurdius. Præcipuum profectò Eccleſiaſtarum foret ſtudium, vt inprimis illis Chriſtianæ religionis progymnaſmatis (quod citra Euangelicæ explicationis diſpendiũ fieri poſſet)*

poſſet) ſuos parochianos aſſiduè inſtruerent. Quæ tametſi multorum Catechiſmis iam olim tradita ſint & explicata, tamen vel Scholaſticæ ἀκροάσει, vel priuatæ lectioni videntur magis accommoda, & requirunt induſtriam ac ſtudiũ, quo aptè et eleganter per conciones populo tradantur. In hoc verò opere vniuerſa doctrinæ Chriſtianæ ſumma in conciones appoſitiſſimè digeſta eſt, tali Minerua, quæ publicis concionibus & ſimplicium captui ſit accõmodatiſſima. Quocircà dubium nõ eſt, quin magna Reipub. Chriſtianæ fraude ſolis Germanis hic tantus theſaurus, nõ etiam cæteris gentibus hactenùs fuerit communis. Quo enim bonum aliquod eſt præſtantius, eo communius eſſe debet. Neq; verò citra rationem inſigne hoc præſtantiſſimi Præſulis opus videor mihi inter bona commemorare, vtpotè qui ſanctam doctrinam ſanctæ & inculpatæ vitæ exemplo ſic exornârit, vt ſumma viri virtus, non ſolùm veneranda canicie, ſed & multa prudentia & grauitate conſpicua, non vulgo duntaxat, ſed & principibus, Regibus & Imperatoribus, atq; adeò vniuerſo orbi fuerit admirationi. Quid enim hîc attinet referre, quanto ſtudio ac dexteritate, Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Moguntinenſis (cuius multis annis vicarius fuit) prouinciam adminiſtrârit? quam eius induſtriam, ſi non infinita alia argumenta, ſanè hic labor, quem ibidèm deſudauit, euidentiſſimè coarguit. Quo factum eſt, vt ad Epiſcopatûs faſtigium communibus omnium ſuffragijs, & lætiſſimo piorum hominum applauſu ſit euectus. Et quoniã velut vmbra corpus, itá ſponte ſequitur virtutem gloria, nec vnquàm Stygias fertur ad vmbras inclyta virtus, vt inquit Seneca, tandèm à D. Carolo ſacræ memoriæ Imperatore Auguſto, ſummus Imperialis Cameræ præſes eſt deſignatus, vt ex diuino illo ſuo pectore oĩs iuſtitiæ & virtutis domicilio tanquàm iuris & iuſtitiæ ſacerdos, vt ait Vlpianus, ſacra legũ & iuris oracula vniuerſo orbi exemplo Samuelis iudicis & prophetæ depromeret. In qua tam ardua functione iudex ἀδέκαστος veluti in ſublimi aliqua ſpecula conſtitutus, cùm aliquot iam annorum ſpatijs euolutis, ad ſacrum Oecumenicum Conciliũ Tridentinum ſuperiori anno vocaretur, tandèm morbo in ipſo itinere contracto, eheu magno totius Reipubl. Chriſtianæ luctu, Viennæ Auſtriæ ſpiritum cælitùs acceptum Deo reddidit. Cuius tam pij & Reuerendiſſ. patris paternũ erga Eccleſiam Catholicã affectum, linguam præterea, in qua non illa gentiũ Pytho flexanima, ſed cæleſtis ille ſpiritus reſidebat, & pectus planè diuinum, in quo pulcherrimus omnium virtutum & gratiarum lubentiarumq; chorus conſpiciebatur, non ſolùm omnes Catholici, ſed & diuerſæ fidei permulti ſumma cum veneratione perpetuò ſunt exoſculati: quod non obſcurè vel vnicum illud diſtichon in Colloquio Vuormatienſi in laudem huius clariſſimi principis incerto authore conſcriptum teſtatur: Anno 1541.

Quandò tuum moderatum adeò conſidero pectus,
Diſperеam, tacitè ſi tibi non faueo.

Quæ cùm ità ſint, & longè ampliorem eius virtutum panegyrin hîc recenſere poſſem, non parùm profectò miratus ſum, quòd cùm nunquàm ferientur Typographorũ præla, eorum tamen neminem hactenùs extitiſſe, qui hunc tam illuſtrem & præclarum Eccleſiæ theſaurum ex Germanicæ linguæ latomijs effoſſum, ad Latinũ aliquẽ latomum pertulerit.

Porrò

Porrò quicquid hìc laboris à me præſtitum eſt, tuæ Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſit. Præſul & Patrone ampliſſime, dedicatum & conſecratum offero, ſuppliciter orans & obſecrans, vt has ingenioli mei primitias à clientulo tuo pro innata benignitate & clementia ſuſcipere non dedigneris. Si Maro ludicrum de culice carmen Octauio Auguſto Imperatori, et poëma de Cyri, (quam auiculam nonnulli eſſe arbitrantur) Meſſalæ duci & oratori non ignobili dedicare non erubuit, putarem certè indignè me facere, ſi hos qualeſcunq; fœtus ingenij noſtri, quod vt literis diligentiùs excoleretur, tuo patrocinio factum eſt, tuæ Celſit. non conſecrarē, meorumq́ πρωτογεννημάτων manipulos offerrem, vt eorum quæ ſerere dignatus es, beneficiorū aliquam gratiam demetas. Nam & plurimùm me tuæ amplitudini debere, & ſingulari quadam pietate tuã clementiam literarum & virtutis ſtudioſos cōplecti agnoſco: quo tam pio affectu declaras, te à plurimis laudatiſſimis principibus in nullo degenerare, qui literatos & eruditos non modò fouere, ſed & penès ſe ad intima conſiliorum ſuorum ſecreta admittere, illosq́ dignitatibus & fortunis omnigenis prouehere conſueuerunt. Ezechias rex Eſaîam, Dauid Nathan & Gad, Ptolemæus Philadelphus ſeptuaginta Biblicæ hiſtoriæ interpretes, Philippus & huius filius Alexander magnus Ariſtotelem, Auguſtus Imperator Vergilium & Horatium, Traianus Plinium iuniorem, Iuſtinianus Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum. Tranſeo interim alios reges & principes, & inter ipſos inprimis Titum Veſpaſianum & Theodoſium, Principes verè clementiſſimos et optimos, quorum ille vſq; adeò bonos et eruditos viros amauit, et amando dignitatibus et honoribus augere ſtuduit, vt ex eis nulli potuerit quicquā negare. Rogatus igitur à quodam familiariter, Ecquid putarétne imperium tanti eſſe, vt omnia quæ promitteret, præſtare poſſet? Tantùm dixiſſe ferūt, non oportere quenquā à principis conſpectu triſtem abire: hic verò, videlicet Theodoſius, tam impensè doctis et eruditis fauit, vt ægerrimè ferret, qui literas ſcirent, ad ſe non accedere: quiq́ de eo qui ſeipſum neglexerat, dicere ſolebat, ſibi humilitatem et tenebras ſuas imputet iacens virtus, quæ non obtulit ſe probandam. Quibus ſanè laudatiſſimis principibus non potes non eſſe ſimillimus, vtpotè qui tibi à conſilijs habeas viros varia doctrina et multijuga rerum experientia præſtantiſſimos. Nec tamen quiſquam mirabitur tuam amplitudinem eiuſmodi virorum ſodalitio plurimùm delectari. Nam cùm ipſe clariſſimo ſtemmati clariſſimas virtutes et diſciplinas copulâris, quid mirū, ſi tales tibi à conſilijs et ſecretis adſciſcas, qui tui ſint quàm maximè ſimiles, hoc eſt, virtutibus omnigenaq́ doctrina inſignes? Quamobrem ſi Plato tum demùm felices fore Reſpubl. exiſtimauit, ſi vel Philoſophi illis præeſſent, vel Philoſophorum conſilijs regerentur, quis veſtrã Rempublicam nō iudicet longè feliciſſimam, cui non horum alterum, ſed vtrunq; contigit, cuius princeps philoſophus, hoc eſt, omnibus doctrinæ virtutumq́ generibus excultus, cum viris Philoſophis ſua confert conſilia? Tum demùm verè florent Reſpubl. cùm Principes non purpura ſolùm et diademate, ſed et ſcientia virtutibusq́ ſunt conſpicui. Nec alia fuit ratio, quòd me planè ignotum tam benignè in tuam clientelam ſuſceperis, quàm quòd ſi non magnam eruditionem, (hanc enim mihi vendicare neutiquàm poſſum) ſaltem animum non planè à ſtudijs abhorrentem in me perſpexeris. In quo tuam amplitudinem non omninò falli, hanc meam opellam Reipubl. Chriſtianæ cauſa ſuſceptam comproba-

probaturam ſpero. Quam nõ aliter tuæ Illuſtr. Celſit: offerendam duxi, quàm olim faciebant Gymnoſophiſtæ, apud quos, vt refert Alexander ab Alexand. paratis nſtr ctisq́ menſis antequàm dapes apponebantur, adoleſcentes ſinguli, qui ad epulum conueniebant, quid generi humano lucrifeciſſent, quidve ſapienter dictum factúmve fuiſſet, illa luce coram ſenioribus exprimere cogebantur. Et qui deſes aut remiſſus, nihil frugi in medium adferebat, impranſus manebat, & foràs extrudebatur: quibus diſciplinis illos ad virtutem acuebant. Ad horum exemplum ampliſſime Præſul & Mæcenas, meos quoq; labores tuæ potiſſimùm Celſit. exhibendos putaui, vt τῶ ἐν τῷ ἔργῳ πάρεργον etiam rationem habeas, quidq́ in ſtudiorum meorum negocijs ocia mea protulerint, euidens videas argumentum, certiſſimumq́ pignus reuerentis & obſeruantis clientuli. Hanc igitur fabricam in ingenij mei officina multis vigilijs & laboribus elaboratam, & à quibuſdam doctis & eruditis viris probatam & receptam, ſi tuo iuſtiſſimo calculo approbaueris, facilè diros quorundam ſycophantarum & Zoilorum aculeos clariſſimi nominis tui clypeo auertet. Dominus Ieſus R. & I. T. C. ſtudiorũ & Reipubl. Chriſtianæ commodis quàm diutiſſimè florentem & incolumem conſeruet. Datum Coloniæ Agrippinæ Calendis Auguſti, Anno ſalutis M. D. LXII.

Alex. Genial. die. libr. 5. cap. 12.

Reuerendiſſ. & Illuſt. Celſit. Tuæ
ſubiectiſſimus cliens,

Tilmannus Bredembachius Embricenſis.

CANDIDO LECTORI TILMAN. BREDEMB. S.

QVI *in vna ciuitate aſſcripti, cõmunibus legibus viuunt, amice Lector, eorum quotquot ſunt ſynceri & publicæ vtilitatis ſtudioſi municipes, eò omnem vitæ ſuæ rationẽ tranſmittunt, vt de Republica, in qua ſanctiſſimum illud Patriæ nomen continetur, benè mereantur. Præclara autem & ampla ciuitas eſt Eccleſia Dei, crebrò tum à Prophetis, tum ab Apoſtolis deſcripta et prædicata, in qua omnes aſſcripti cẽſentur, quotquot ex aqua & Spirituſancto renati, Chriſto nomen dederunt. In hanc tam illuſtrem ac planè diuinam ciuitatem ſe receptũ agnoſcens ſpectabilis & iuxtà conſultiſſimus vir Geruinus Calenius LL. Licentiatus, cùm pro ſuo in Rempub. Chriſtianam ſtudio, ſedulò meditaretur, quibus potiſſimùm modis hanc pro ſua conditione plurimùm iuuare, & incœpto ſemel operoſiſſimæ typographiæ ſtadio maximo cum Eccleſiæ Catholicæ fructu pergere poſſet, inter alias præclaras doctiſſimorum quorumcunq; theologorum lucubrationes, quas admirabili dexteritate iuxtà ac fertilitate laudabilis et vetuſta officina Quenteliana, in quam ſucceſſit, quotidiè producit, tandèm has Reuerendiſſimi Patris et principis D. Michaëlis Epiſcopi, dùm viueret, Merſpurgenſis, Catechiſticas conciones, Germanico idiomate conſcriptas ex grammatophylacijs deprompſit. Quas*

*cùm iam ſemèl atque iterùm excuſas perſpectum haberet, omniaq́ exemplaria propter
inſignem optimi Præſulis doctrinam ſumma cum pietate coniunctam, magna empturi-
entium alacritate ac deſiderio, paßim & vbiq; diſtrahi, ſimulq́ animaduerteret, ex-
teras Gentes auidißimè ſuſcipere, ſi quid Germania germanæ pietatis pariat: eas autē
hoc tam eximio theſauro in hodiernum vſque diē fraudari: cœpit diſpicere, ecquid ali-
qua ratio inueniri poſſet, qua tam inſigne bonum vniuerſo orbi communicaret. Et quia
tales Mercurios (quos tamen paucos, qui quidem ſe in hoc ſcribendi genere exerceant,
habet Colonia) eiuſmodi ſacris & arduis occupationibus intentos videbat, tandèm
mihi cæterorum minimo (ſi modò in eorum numerum ſim referendus, vtpotè antehàc
nunquàm in hac palæſtra exercitatus) hanc prouinciam obtulit, & quid hac in arena
præſtare poſſem, vt experirer, rogauit. Cui cùm neutiquàm me parem animaduerterē,
& quàm curta mihi doctrinæ & Latini ſermonis eſſet ſupellex, agnoſcerem, attamen
quia ſyncerum optimi viri candorem, partìm ex familiari Colloquio, partìm ex mutua
ſtudiorum conuerſatione plurimis iam argumentis exploratum habebam: tandèm pa-
ri candore reſpondi, me quidem pro ingenioli mei viriculis rem vt nouam & inuſita-
tam, ità & arduam ac laborioſam ſuſcepturū, hac tamen lege, vt meū hoc progymna-
ſma doctiorum & exercitatiorum calculo probaretur & examinaretur, eorumq́ ar-
bitrio ſtaret & caderet. Quod dùm aggrederer, multa ſanè frequenter & cateruatìm
occurrebant, quæ animum diuersè trahebāt, dum nunc rei ſuſceptæ magnitudinē, ſum-
mo cum fidei ac famæ periculo coniunctam, nunc ampliſſimi authoris excellentiam,
atq; è diuerſo meam ætatem, tenuemq́ ingenioli mei riuulum penitiùs conſiderabā: Et,
vt quod res eſt, ingenuè fatear, ſæpè puſillanimem diutini eiuſdemq́ intentati laboris
tædium inuaſit, vt ſubindè cogitarem, ſatiùs eſſe hanc Camerinam nunquàm tetigiſſe.
Sed extimulabat me, quòd docti quidam hoc meum qualecunque tyrocinium, nō omni-
nò improbabant, nullumq́ue eſſe laborem tam arduum, quem non leuaret vſus et exer-
citatio. Conſiderabam præterea pulchritudinem cum difficultate eſſe coniunctam,
plurimosq́ magno & excellenti ingenio viros in rebus non adeò magnis inueſtigan-
dis, ad extremam vſque ſenectam, indefatigabili ſtudio immenſos ſudorès, vigilias &
moleſtias, easq́ nō rarò cum vitæ diſpendio exantlâſſe. Dioſcorides totam vitam in
peregrinatiōe conſumpſit, vt plantas cognoſceret. Quin et negociatores per mare, per
terras ad extremos vſque Indos & Sauromatas iactantur, vt gemmas, aurum & ſi-
milia congregent, quæ cùm ad vnius tantùm hominis, & quid duo hominis, corporis
duntaxat qualemcunq; ornatum ſpectent, non potui non ad diligentē huius ampliſſimi
vtiliſſimiq́ operis translationem extimulari, quod non auratis monilibus aut gemmis
externam vnius alicuius corporis ſuperficiem decoret, ſed vniuerſas omnium hominū
animas, præceptis, conſilijs, chrijs & gnomis cæleſtibus totas pulchras efficiat,
Cant. 4. omnemq́ ex eis maculam eluat, ſi modò culturæ patientem aurem accommodare ſuſti-
neant. Atque huiuſmodi cæleſtia κειμήλια tantum auro, gemmisq́ et reliquis fortunæ do-
tibus præſtant, quantum externa corporeis cedunt, & hæc rurſus animæ bonis infe-
riora ſunt. Quòd ſi ex effectibus cauſarum vis & energia non obſcurè cognoſcitur, vi-
deamus vnum Ariſtotelem quantumuis Ethnicum, et ex aduerſo ſpectemus Alexan-
drum, quorum hic ex vniuerſa bonorum Iliade, & ſummo imperij faſtigio nihil præter*

nudam

nudam ac ſimpliciſſimam nominis & geſtorum reliquit memoriam: ille verò totus viuit in monumentis, vmbram duntaxat veræ ſapientiæ aſſecutus. Hic porrò noſter author, non vmbram ſapientiæ, ſed ipſam cæleſtem, veram atq; orthodoxam doctrinam in ſacratiſſimo pectoris ſui ſcrinio reconditam habuit, eamq́ non nudam ac ſoliuagam, ſed pulcherrimis virtutum ac pietatis ornamentis decoratam. Tradunt Phyſiologi, rebus pleriſque etiam ſensûs expertibus, occultam quandam ineſſe amicitiam, ſeu, vt vocant, συμπάθειαν, alteramq́ alterius vicinia frequenter habere meliùs. Siquidē ruta creditur lætiſſimè prouenire apud ficum ſata: gaudet coniūgi vitibus vlmus, neque opus eſt plura eius generis enumeremus. Ad eundem ſanè modum videtur & doctrinæ hic eſſe genius, vt ſuccreſcat feliciùs, viuidiorq́ & efficacior euadat, quandò in hominem incidit pium, atque cum pietate ſuauem nanciſcitur conſuetudinem. Siquidem pietas quaſi fulcrum ac ſuſtentaculum eſt eruditionis: ſicut ex aduerſo pietatis præſidio, potiſſimùm munitur eruditio augeturq́. Quinimò vera pietas ſæpenumerò eruditionem auget, facundiam ſuggerit, & ſponte ſua ſequentem ducit auditorem virtus, ex præclari viri corpore velutì per vitrum aut ſuccina iucundiſſimè pellucens: fitq́ neſcio quo pacto, vt interna ſpecies animi migret in hominem exteriorem, totumq́ ad ſuam transfiguret imaginem, non aliter quàm ſanguinis ac inteſtinorum occulta vitia ſeſe proferunt externo corporis habitu. Pallent hepatici, nigreſcunt aut flaueſcunt icterici, contrahuntur podagrici, tremunt ſpaſmatici. Neque minùs certa ſunt peritorum medicorū indicia ex oculis, vultu, totiusq́ corporis ſpecie, quàm ex lotio pulsúve. Si tantum valent habitus humani, vt totum hominem velut in aliam ſpeciem transforment, vitium aut morbum latentem non obſcurè repræſentent: quantò magis Chriſti ſpiritus inhabitans cor hominis, totam illius imaginem componet, ſynceramq́ eius mentem & pium omnibus opitulandi recteq́ conſulendi deſiderium teſtabitur? In hoc igitur noſtro Catechiſta, quandoquidem literaturam piam, et pietatem literatam enitere conſpicimus, atque hinc quidem eruditionem, indè verò pietatem paribus paſſibus magno cum applauſu incedere, maiori cum efficacia rationes & conſilia ſua coniungere, maximo cū fructu operas in commune conferre: eo alacriori animo ad hunc laborē accinctus ſum, quòd arbitrarer tam præcellentis viri doctrinam, ſanctæ & inculpatæ vitæ exemplo vndiq; ſic exornatam, non poſſe nō omnibus pijs eſſe expectatiſſimam, eoq́ præclariori frequentioriq́ æternitatis præconio in totius orbis, immò ſeculorum omnium theatrum meritò producendam. Nam ſicutì opus commendat artificem, ità & artifex ipſum opus: & latè patet parabola Euangelica, Non poteſt arbor bona fructus malos facere. In hac arbore, id eſt, in hoc noſtro Præſule, perpetuò ſingularis quædam erga Deum religio & erga huius Eccleſiam pietas cum admirabili doctrina ſemper enituit: nam reliquæ virtutes velutì membra quædam ſunt egregij formoſiſſimiq́ corporis. Religio verò corporis huius eſt caput, ex qua ſi ſerena ſit, incredibili quadam cum intuentium delectatione cæterarum omnium gratia relucet. Quòd ſi tollas caput, ilicò concident vniuerſæ, concidet totum illud quantumuìs egregium & ſpecioſum corpus. Si faciem auertas, nemo reliquum corpus agnoſcet. Hic indefeſſus Eccleſiæ Catholicæ palæſtrites hoc caput aliquot retrò annis ità exercuit, et faciem hanc ità illuſtrauit, vt velutì lucidiſſimum quoddam iubar mundo huic appareret, ad diſcutiendum profligandumq́

 denſiſſimas

*denſiſſimas illas teterrimasq́ tenebras, quas ille Tartareus tenebrarum Princeps
diabolus, per ſuas furias infernales in hunc mundum inuexit, quãdò excitatis authori-
bus falſæ doctrinæ, pacem Eccleſiæ diſſidiorum odijs implacabilibus diſturbauit. Ad
diſcutiẽdum has tenebras, hic fortiſſimus Eccleſiæ propugnator velut ſplendidiſſima
lampas, vnà cum multis alijs laudatiſſimis principibus, & clariſſimis Eccleſiæ D E I
luminibus, multis annis nunquàm deſtitit radios ſuos exerere: ſed tanta fuit harum te-
nebrarum denſitas, craſſiſſimis quibuſdam nubibus radios illorum luminum interci-
pientibus, vt mundo huic nondùm potuerit redire clara ſerenitas. In ipſis quidem lumi-
nibus nihil deſideratum eſt. Hæc tanquàm Sol perpetuò luxerunt, ſed nubes à nobis
prohibuerunt radios, & factum eſt tale quiddam, quale de exortu maximi illius iuſti-
tiæ ſolis Iohannes Euangeliſta ſcribit: Et lux, inquit, in tenebris lucet, & tenebræ eã
non compræhenderunt. Qui de virtute ſiderum ſcribunt, docent non per vnum ſolem
fieri, vt nunc ſerenum ſit, nunc nubilum, nunc frigus, nunc æſtus: ſed minorum etiam
ſtellarum vim huc accedere: quarum aliæ nubes inducunt et pluuias, aliæ ſerenum fa-
ciunt & ſiccum: aliæ ventos & tempeſtates excitant, aliæ eadem ſedant atque com-
ponunt. Vt ſolis natura temperando intelligitur anno, inquit Plinius, ſic reliquorum
quoquè ſiderum propria eſt quibuſq; vis, & ad ſuam cuique naturam fertilis. Vide-
mus nanque hyadas non ſinè pluuia, Arcturi ſidus non ferè ſinè procelloſa grandine
exoriri, caniculæ quoq; exortu ſolis vapores accendi, feruere maria, fluctuare in cellis
vina, moueri ſtagna, canes in rabiem concitari. Ad eundem planè modum in homini-
bus habet. Quemadmodùm enim in his totius moderationis gubernationisq́ ſumma
eſt penès Regem aut Imperatorem, cum quo veluti Sole ſtellarum omnium principe,
tametſi multi fideles Eccleſiæ Præſules tanquàm proſpera & auſpicata ſidera ſere-
num ſuum adſpectum coniungere, & pluuias ac tempeſtates auertere conantur, maxi-
mi tamen interim grauiſſimiq́ motus excitantur ab alijs minoribus ſideribus, ab homi-
nibus alioquì obſcuris, quibus ſedandis & componendis, ipſorũ etiam Imperatorum,
Regum & Principum potentia vix interdùm ſufficiat, immò ne ſufficiat quidẽ. Quos
motus olim excitauit in populo Iſraëlitico ſeruus etiam fugitiuus Ieroboam? Hos ne
vllius quidem Regis potentia potuit componere, donec Deus tandèm ipſum horum au-
thorem, cũ ſeditioſa & impia multitudine de ſuperficie terræ deleuit. Quæ diſſidia ex-
citauit Imperatoris Conſtantini temporibus vnus Arrius? Nongentos quadraginta
annos iam & vltra apud Chronographos ſupputamus, quòd moueri cœpit tempeſtas
ſectæ Mahumetanæ. Atquì hanc excitauit Mahumetes captiuus et emptitius ſeruus,
inſtigante Sergio Apoſtata, fugitiuoq́ monacho. Quadrageſimus quartus nunc agitur
annus, quòd noui quidã præcones Euangelici parùm Euangelico ſpiritu nouã tempe-
ſtatem excitârunt, quæ vſq; in hodiernũ diẽ tanto cũ terrore nos oẽs iactat atq; contur-
bat. Quæ tempeſtas inprimìs D. Carolum V. Imperatorem Maximum non quidẽ vi-
cit, per oĩa Inuictiſſimum, attamẽ fatigauit: eius verò fratrẽ D. Ferdinandum Regem
potentiſſimũ & Imperatorẽ deſignatũ, cũ multis alijs Catholicis principibus etiãnùm
grauiter exercet. Sed væ generi humano, niſi optimus ille luminũ pater, Deus illis no-
bis tã infeſtis ſideribꝰ ſemper opponeret ſtellas ſalutares, quæ rabidos illorũ adſpectus,
ab electis Dei depellant, vt neminẽ ſuis peſtiferis radijs ferire poſſint, niſi ſi qui cõtra*

Dei

Dei præceptum egreſsi domo, vltrò ſe illis feriendos ſubiecerint. Nullus veſtrûm egre Exod. 12.
diatur oſtium domûs ſuæ vſq; manè, inquit. Quotquot intra domum Eccleſiæ ſe conti-
nent, tuti ſunt, quemadmodùm & illi tuti erant, qui graſſante per Aegyptum angelo
illo percuſſore, tuti erant, quotquot ſe intra domum agni ſanguine ſignatam contine-
bant. Et illorum nemo peryt, qui ſe continebant intra arcam Noë, cæteris omnibus di-
luuio abſorptis. Quamobrem malitioſus ille percuſſor, ille ſerpens antiquus, cui nomen
diabolus, nihil tam ſatagit, quàm vt eos qui in domo ſunt, eliciat foràs. Quoſcunq; enim
extra domũ pellexerit, hos ilicò compræhẽſos iugulat. Ad hoc miris artibus & impo-
ſturis abutitur, excitãs etiã in ipſa domo tumultus ac ſeditiões, irarũ odiorumq́; cõten-
tiones, vt illi qui imprudẽtiores ſunt, vel ſolo illorũ qui intùs remanẽt odio, eyciãt ſeſe
foràs, ac hoſti trucidãdos offerãt et exponãt. Atq; hæ ſunt illæ tempeſtates, cũ quibus
Imperatoribus, Regibus & Principibus tam grauis iam tanto tẽpore ſuſcipitur lucta.
Hæ ſunt illæ nubiũ denſitates, quæ nobis illorũ clariſsimorũ luminũ ſalutares radios
eripiunt, quo minùs has tenebras diſcutere valeant. Excitauit eas ſpiritus ille diſsidio-
rum ac vertiginis per malos & infauſtos Planetas, quos etiam ſanctus ille Apoſtolus
Iudas in Epiſtola ſua rectè appellat ſidera errantia, quibus procella tenebrarũ ſeruata
eſt, inquit, in æternum. Eiuſmodi peſtiferi Planetæ et à Cæcia vento contractæ nubes,
cùm ſuperioribus annis Germaniã penè vniuerſam, et aliquot finitima regna infeſta-
re inciperent, & pientiſsimus Imperator D. Carolus pro ſua erga Deũ religione ac pa-
riter Eccleſiam eius pietate, tanquàm vnicus Sol illorũ errantium ſiderum perniciem
omni conatu & ſtudio auertere moliretur, nec tamẽ mitiſsimis ſuæ clemẽtiæ radijs hoc
à factioſis ſpiritibus impetrare poſſet, imò illi conſcriptis vndiq; copijs ingentẽ belli ap-
paratum multis annis inſtruerẽt, quo ſic caliginis denſitate atq; adeò Cimmerijs tene-
bris hunc ſolem offuſcarent, vel etiã è mundo tollerent & extinguerent, atq; intereà
optimus Imperator tale nihil ſuſpicans, dũ paucis ſtipatoribus comitatus, turbidũ illud
& tẽpeſtuoſum ſuperioris Germaniæ pelagus tranſiret, impetuoſis illis ventis et tem-
peſtatibus in ipſum ruentibus, extrema neceſsitatis machina cogente, vix puſillum
tandem exercitũ ſubitò collegit, atq; ità inſtructis vtcunq; copijs, partim ſui defenſio-
nem, partim Eccleſiæ cauſam agere compulſus eſt, atq; ſic quod lenitate & manſuetu-
dine conſequi non poterat, exigua manu miraculosè obtinuit. Hocq́; pacto ſerenitate
nonnihil reſtituta, ac pace quoàd licuit compoſita, Auguſtam (quæ eorundẽ pernicio-
ſorum ſiderũ, cõtagionẽ ſenſerat) cũ Electoribus alijsq́; plurimis principibus venit, vbi
cùm nõ modicã tempeſtatem videret, neq; idoneos naucleros Eccleſiarũ gubernaculis
admotos perſpiceret, huic noſtro Antiſtiti D. Michaeli, id temporis adhuc Moguntini
Archiepiſcopi vicario, tanquàm proſpero et auſpicato ſideri, docẽdi munus ibidèm de-
legauit, quod ille vt ſalutis oĩm ſitientiſsimus, ità nõ inuitus ſuſcepit. Arduum ſanè &
verè heroicum facinus, quod tametſi Sleidanus attingat, vixdùm tamen vt pluri-
mùm præclara Catholicorum facinora obitèr exponit: cùm hoc loco ſummam viri vir-
tutem ſi non magno verborum apparatu, (quod illi difficile non erat) ſaltem breuibus
humaniter commendare potuiſſet. Quàm enim fuit animi excelſi, quàm inuictæ vir-
tutis, quàm ſolidæ conſtantiæ in tali vrbe, in tantis tamq; terribilibus motibus, homi-
nem peregrinum, eumque ſolum & inermem, de ſumma quidem ac Sacroſancta,

*ſed ibidèm id temporis ab omnibus penè exibilata & exploſa materia, de Miſſæ ſacri-
ficio, ſinè minimo timoris ſolicitudinisve argumento, conſtanter et intrepidè palàm et
publicè, in primaria Eccleſia, circunfremẽtibus vndiq; turbis, conſcenſo ſuggeſtu, cla-
ra voce concionari, & tantis tamq; præſentibus caput obiectare periclis? Sed perſpe-
ctum habuit vir magnanimus, Apoſtolos in tanto mundi fremitu vixiſſe, et ad iuſtam
ſenectutem perueniſſe. Quin & opes contempſit Crates Thebanus, Socrates Atheni-
enſis, Diogenes Sinopenſis, & plerique alij: mortẽ Phocion, Hippodamus, Tectame-
nes, Callicratidas, quod tamen non niſi in excellentiſſimis animis inuentum eſt apud
Ethnicos, ſolam gloriam & applauſum popularem aucupantibus, vt vel in foro ænei
ſaxeíve conſiſterent, aut, quam illi dijs proximam gloriam ducebãt, curru triumphali
miniata facie ad Capitolium veherentur. Equidem non putârim tam arduam fuiſſe
Herculi luctam cum excetra & cancro, quàm huic noſtro Eccleſiaſtæ cum illis furijs
infernalibus, in ſpecie humana totum orbem concutientibus. Strenuè quidem lucta-
tus eſt cum illis D. Carolus V. Auguſtus armato clypeatoq; exercitu: ſed quia non
minùs arduum eſt colluctari aduerſus principes & poteſtates tenebrarum et ſpiritua-
les nequitias, quàm aduerſùs carnem & ſanguinem: non minùs profectò ſtrenuè cum
illis colluctatus eſt hic noſter hyperaſpiſtes, non ferratis arietum cornibus, non ingen-
tibus baliſtarum machinis, non immanibus bombardarum tormentorumq; tonitruis,*
Ephes. 6. *ſed ſuccinctus lumbos balteo veritatis, indutus loricam iuſtitiæ, calceatus pedes in
præparationem Euangelij pacis, in omnibus ſumens ſcutum fidei, galeam ſalutis, &
ancipitem illum verbi Dei gladium. Ille gladio ciuili eiuſmodi ſpiritualium nequitiarũ
organa, ab ipſis Tartareis ſpiritibus in angelos lucis transformatis, miſerè decepta,
animo inuicto & planè Herculeo armatis legionibus inuaſit, vicit & ſubiugauit. Hic
verò ipſiſſimas illas furias non alio ſymmacho aut protectore fretus, quàm ipſo huius
militiæ Imperatore & agonotheta Deo adortus eſt, non armis Vulcanijs confiſus, non
aſſumens illud Aiacis* σάκος ἑπταβόειον, *non illum Achillis Clypeum, vaſti cælatum
imagine mundi, ſed gladio ſpiritûs, & ſola Euangelica panoplia, animoq; magno &
nihil ſibi conſcio inſtructus. Eadem animi conſtantia, & flagrantiſſimo erga Catho-
licam religionem zelo Epiſcopatum Merſpurgenſem adminiſtrauit, & velutì murus
quidam ahenens, licèt inter medias hæreticorum phalanges & quotidiana vitæ diſcri-
mina conſtitutus, Catholicam doctrinam viua voce docuit, & ſtylo publicauit, vt red-
diturus rationem adminiſtratæ villicationis, quàm ampliſſimam Chriſto Domino pa-
ſtorum principi meſſem referre poſſet. In qua honorifica quidem, ſed et ſummè oneroſa
functione verſari arduũ ſanè eſt, ſi penitiùs introſpiciatur: ſed quantæ putas eſſe Philo-
ſophiæ, nec dignitate muneris attolli, nec difficultate deprimi, vllisve minis aut terro-
ribus percelli? Quam difficultatem ſi hunc ampliſſimum Præſulem perſenſiſſe quiſquã
ambigat, nè ille ignorat, quid vel ſimplicis alicuius paſtoris, nedũ Epiſcopi cura requi-
rat. In hac aũt cura, quæ vel quẽuis Achillẽ aĩo cõſternare potuiſſet, talẽ ſe ꝓbuit Præ-*
1.Tim.3. *ſul moderatiſſimus, tã ſobrium, modeſtũ, benè moratũ, pudicum, hoſpitalem, vt ne mo-
mus quidem ipſe in eo repræhendere poſſet quicquam, eſſetq; non pijs duntaxat &
Catholicis, ſed & diuerſæ fidei hominibus venerabilis & gratioſus, admirandaq;*

eius

eius induſtria ſtudium ac gubernãdi dexteritas per totum orbem Chriſtianum ſummis præconijs celebraretur. Atq; hîc relucet eximiæ virtutis admirabilis energia rapiendi mentes hõium in amorẽ & admirationem ſui. Hac Baſilius Modeſtũ Cæſaris præfectum impunè contẽpſit, nec impunè tantùm, ſed hõiem ferocẽ rapuit in admirationẽ Chriſtianæ fortitudinis. Hac Balaã impius propheta inductus, ab impio propoſito deſtitit, Numer. 24. Hæc Pilato timorem incuſſit, vt quoàd poſſet, Chriſti tutaretur innocentiam, toto vultu relucentem. Hæc Theodoſium ſeniorem impulit, vt Ambroſio à templo ipſum excludenti, paréret. Sed vt aliquandò ad calcem noſtra dirigatur oratio, tuum eſt amice lector, hunc noſtrum laborem, quo tam præclari viri tam illuſtre ac præclarum opus in Latinam Phraſin qualitercunquè traduximus, boni conſulere ac hilari fronte ſuſcipere: certus, nos hîc nihil aliud ſpectare, quàm Dei gloriã, & Reipublicæ Chriſtianæ (cui omnia ſtudia noſtra deſeruire debent) profectum. Neq; adductus eſſem ad tam præproperam huius lucubrationis editionem, niſi cauſæ, quarum ſuprà nonnullas recenſui, perpuliſſent, & præſentem Eccleſiæ neceſſitatem nihil pótiùs efflagitare perſpexiſſem, quàm vt ſimplices in doctrinæ Chriſtianæ rudimentis inſtituantur. Cui inſtitutioni cùm hoc ampliſſimi viri et principis opus longè ſit accommodatiſſimum, conſolatur me illud Anaxarchi dictum: Qui, inquit, cantilenam muſicam quantumuis doctam intempeſtiuè canunt, non approbantur, ſed ſtultitiæ notam ſubeunt: vndè ſperauero me, etiamſi paulò indoctiùs, tempeſtiuè tamen, vtì opinor, canentem, non omninò eſſe explodendum: ac ſi quid hîc cæcutiui, veniam à Reipublicæ ſtudioſis me non difficulter impetraturum exiſtimauero, quandoquidem & Fabiùs admonet Rhetores, vt ſaluti alienæ potiùs, quàm ſuæ laudi deſeruiant, cùm ait aduocatum induſtrium pro Rei ſalute breuem repræhenſionem non pertimeſcere: nec ſpero humanitatis amatores omnes Lælios aut Cicerones deſiderare, vt ſi non ornate & eleganter, ſaltem Latinè tranſtulerimus, & ſi fortè nec hoc per omnia ſim aſſecutus, quid mirum? cùm & Chriſtianus ille Cicero Lactantius ab huiuſmodi næuis non excuſetur, & D. Auguſtinus indicat in M. Tullij libris ab eruditis depræ- Lact. m. de opfic. Dei cap. 1.
henſos fuiſſe manifeſtos ſolœciſmos. Deindè & rei materia ſæpè à Ciceronianis ad pariùm Latinas dictiones conuolare iuſſit, quod adeò vitioſum non eſt, vt ob hoc ipſum, idem Lactantius à nonnullis videatur repræhendi, quòd pro Chriſtianorum vocibus affectet Rhetorum vocabula. Accedit huc fidès quæ in interprete requiritur, quæ tã anguſtis limitibus me concluſit, vt nuſquàm excurrere, nuſquàm expatiari licuerit, et pleraq;, quæ animi feruore impellẽte exciderãt, expingere coëgerit. Poſtremò idioma Germanicũ, quod dum in peregrinã linguam transfunditur, ſæpè horridũ quiddam et ſtridulũ repræſentat, in quam ſententiam rectè à D. Auguſtino dictũ eſt, libr. de vera religiõe ca. 50. Habet õis lingua, inquit, ſua quædã propria genera locutionũ, quæ cùm in aliã linguã transfundũtur, videntur abſurda. Et Hieron. Difficile eſt, inquit, alienas lineas inſequentẽ, non alicubì excidere: et arduũ, vt quæ in alia lingua benè dicta De opt. inter. gen. inter.
ſunt, eundẽ decorẽ in tranſlatiõe conſeruẽt. Vndè optimè monet Horat. Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres &c. Si tamen intereà mihi eueniat, quod cũctis in arte poë.
vulgi cenſurã ſubeũtibus euenire neceſſũ eſt, vt non omnibus hic noſter labor probetur, abundè ſatis erit, ſi eruditi et beneuoli lectores meũ conatũ non omninò ĩprobauerint.

Anti-

Antimachus clariſſimus poëta cùm aduocatis auditoribus ſuũ poëma recitaret, & oẽs recitãtem illum præter Platonem reliquiſſent: Recitabo, ait, nihilominùs, nam vnus Plato eſt mihi inſtàr omnium. & Horatius:

Contentus paucis lectoribus, an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina mâuis?
Non ego: nam ſatìs eſt equitem mihi plaudere &c.

Scio quid Plinius ille Nouocomenſis ad Celerẽ ſcribat. Cogito, inquit, quàm ſit magnũ dare aliquid in manus hominum neq; perſuadere mihi poſſum, non et cũ multis et ſæpè tractandũ, quod placere et ſemper et omnibus cupias. Et Origenes iã ſenex noluit permittere, vt quæ ex tẽpore in Eccleſijs diſſereret, à pijs Scribis exciperẽtur, timens nè non digna ſatìs eſſent quæ publicarentur. Noui prætereà, quot Momos, quot Zoilos et naſutulos hoc habeat ſeculum, qui nihil nõ vellicant, nihil non carpunt, licèt ipſi pauca aut nulla rectiùs faciant, ſtrenuè declarãtes ſe aliorum conatus citiùs poſſe μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι*. Sed horum calumnias nihil moror, modò aliquam ex meo labore Reſpublica (cuius commodis & ſaluti omnia ſunt poſthabenda) vtilitatem capere queat. Siquidẽ ſatìs mihi videbor felix, ſi cum poſtremis Myſijs collocabor aut Gabaonitis illis in miniſterio Iſraelitico adiũgar. In donaria Dei offert quiſq; quod poteſt, litantq́ mola, qui thus non habent, quam olim offerentibus, non minùs propitios, immò placatiores fuiſſe*
Plin. lib. 12, cap. 18. *Deos teſtis eſt Plinius. & vidua duo minuta in Gazophylacium inijciẽs, plùs obtuliſſe cenſetur reliquis omnibus. In arca Domini nõ ſolùm requirebãtur gemmæ, aurum et purpura, ſed et pili caprarum & pelles arietum rubricatæ, vt cùm illa ad ornatum magnificentiamq́ ſpectarent, hæc pluuiæ, grandinis et ventorum iniurias propellerent. Quocircà ſi alij velut lucidæ gemmæ Eccleſiam præclaris ſtudiorùm ſuorum monumẽtis illuſtrant, ſpero tamen et illos hanc noſtram opellam, quantumuis exiguam, nõ improbaturos, qui præclaras laudatiſſimi præſulis lucubrationes etiam ad exteras gentes propagare conamur, et clariſſimũ iubar hactenùs non quidem planè ſub modio occultatum, attamẽ anguſtis ſolius Germaniæ limitibus concluſum, nunc eminẽtiori candelabro impoſitum, vniuerſo orbi ſpectandum proferimus. In quo quicquid à nobis ſudatum eſt, tuî, ô Chriſtiane lector, et Eccleſiæ cauſa ſuſcepimus, petentes, vt quemadmodùm Ariſtoteles pro inuentis à ſe repoſcebat gratiam, veniam verò pro omiſſis, ità voluntatem et ſtudium noſtrum boni conſulas, et ad næuos, ſicubi depræhenderis, amanter conniueas. Vale, et hoc noſtro labore benignè vtere et fruere.*

CHRISTIANA, CATHOLICA ET ORTHODOXA INSTITVTIO PRAECIPVORVM CAPITVM SACROSANCTAE RELIGIONIS noſtrę Chriſtianę, in aliquàmultas Conciones eleganter digeſta.

CONCIO I. HABITA *Dominica Lætare, Anno* 1542.

DE CATECHISMI CATHOLICI VTILITATE ET VSV.

TEMPVS IAM ADEST, AVDITORES IN CHRIſto chariſſimi, vt meæ promiſſioni pariter & veſtræ expectationi ſatiſfaciens, nunc aperiã, quid vobis in poſterum pro ſolita mea concione Dominicali ſim expoſiturus. De meipſo quidẽ nihil admodùm dicam: nam ſpero vos eam de me habere fiduciam, (reuerà coram Deo & in Conſcientia mea hoc ego fruor teſtimonio) quòd in hoc meo inſtituto veſtram ſalutem & vtilitatem meæ commoditati longè antepoſuerim: & poſt multam maturamq́; deliberationem, ex alijs pluribus hanc de qua vobis dicturus ſum, materiam delegerim: non idcircò quòd ea res fortè commoditati meę priuatìm ſeruire poſſit, ſed quòd exiſtimârim & etiamnùm exiſtimem, me hac potiſsimùm ratione veſtræ ſaluti & vtilitati quàm maximè conſulturum. Decreui autem vobis (per Dei gratiam) aliquãdiù Chriſtianum & Catholicum Catechiſmum exponere, hoc eſt, veram & orthodoxam inſtitutionem & explanationem præcipuorum maximeq́; neceſſariorum articulorum ſacroſanctæ fidei Chriſtianæ. Initio verò non abs re fore exiſtimaui, pauca quędam de Catholico Catechiſmo prędfari, vndè videlicet hæc inſtitutio in Eccleſiam Chriſti introducta ſit, quibus modis vſitata, & quo pacto ea apud vos vti cõſtituerim. Ex quibus demùm abundè percipietis, quòd neq; meipſum, neq; cõmodum vel gloriã meam, ſed veſtrã hîc ſalutem & vtilitatem reſpiciam: ſimulq́; cognoſcetis hanc cionãdi rationem, adeò vtilem eſſe & neceſſariam, vt in Repub. Chriſtiana meritò nunquàm interſilere aut intermitti debeat.

Cùm Eccleſia Chriſti & religio Chriſtiana, primùm per doctrinã Apoſtolorum, ac deinceps per eorundem diſcipulos & ſucceſſores cœpiſſet orbi innoteſcere, populi etiam ac nationes, plurimæ indiès ad Chriſtianam fidem conuolarent: ea tum conſuetudo orta eſt, vt cùm Ethnicus aut Iudęus aliquis iam adultus fidem Chriſtianam vellet amplecti, non cõtinuò baptizaretur, poſtquàm diceret ſe percupere fidei Chriſtianę myſterijs initiari: ſed committebatur priùs alicui Eccleſiæ miniſtro aliquandiù in Religione Chriſtiana erudiendus, vt quandò accederet ad Sacerdotem, Bapti-

ſimum poſtulatur, reſpõdere poſſet, quid eſſet Religio Chriſtiana & quid Chriſtiani nominis profeſſio requireret. Qui itaque nouitios huiſmodi Chriſtianos ante Baptiſmũ hoc pacto examinabat,& in primarijs Religionis Chriſtianæ capitibus inſtituebat, Catechiſta appellabať, hoc eſt, Inſtitutor: qui inſtituebantur, Catechumeni dicebãtur, fide quidẽ Chriſtiani, nõdùm aũt baptizati,atq; etiãnũ fidei Chriſtianæ tyrones ac diſcipuli. Porrò oĩs hęc præcipuorũ noſtræ religiõis capitũ explicatio ac inſtitutio nũcupabatur Catechiſmus. In huiuſmodi inſtitutione deincèps noſtra Dominicalis concio verſabitur: quam ſi quis Cathechiſmũ appellare nequeat, doctrinam vel inſtitutionem fidei Chriſtianæ appellet, & nõ errauerit.

Neceſſum autem eſt, vt alia ratione in hac inſtitutione apud vos procedam, quàm more antiquitùs in Eccleſiæ initijs obſeruato. Nunc enim proh dolor Eccleſia cura inſtituendi adultos, qui ex paganiſmo aut Iudaiſmo ad Chriſtianam fidem ſe transferre velint, non indiget. Iudæi Turcæ, & reliqui omnes qui circùm nos ſunt infideles, non adeo adſpirant ad ꝓfeſſionem Chriſtianam, atque hoc (vt certò mihi perſuaſum habeo) ob vitam noſtram in omne vitiorum genus proiectiſſimam, atque inſignẽ mo-
Rom.2. rum noſtrorum prauitatem. Nos illi ſumus, per quos nomẽ Dei blaſphematur inter Gentes: ſcelerumq; noſtrorum turpitudine ac fœditate polluimus & prophanamus ſacroſanctam Religionem Chriſtianam, eamq; apud infideles in contemptum & odium adducimus: ſitq; hac ratione, vt impuris flagitijs noſtris non ſolùm nosipſos reddamus dãnationi obnoxios, ſed & alijs ſimus lœtalis ſcandali lœtifera petra, eosque in illorum incredulitate, & quæ indè conſecutura eſt, condemnatione detineamus.

Quoniam ergò illi planè fidei expertes manẽt, & bona pars eorum, qui etiamnùm adulti Chriſtianam Religionem profitẽtur, ſatis miſerè & perditè ſeſe gerunt, eo maior ac iuſtior militantem adhuc in terris Dei Eccleſiam vrget occaſio, vt Catechiſmo & inſtitutione fidei Chriſtianæ paruulos ſuos accuratiùs imbuat, vt rectè intelligere diſcant, quid Chriſtiani nominis profeſſio expoſcat, quid Deo promiſerint, & qua ratiõe nomini ac profeſſioni ſuæ reſpondere, verosque ſe non titulò & externa ſpecie tantùm, ſed & re ipſa Chriſtianos declarare queant, vt eiuſmodi inſtitutionis freti adminiculo, æternam capeſſant beatitudinem. Neque verò minùs, immò longè etiam magìs eos qui iam Chriſtianę fidei charactere cõſignati, atque adeò ab infantia Chriſtiani fuêre, ſcire neceſſum eſt, quid huius fidei profeſſio repoſcat, quàm illos qui primùm in album Chriſtianorum recipi deſiderant. Olim quandò adulta ætate ad Religionem Chriſtianam accedebant, (aut ſi etiamnùm hodiéque infideles iam adulti ad nos ſeſe adiungere velint) ſua quadam libertate modis omnibus fruebatur Eccleſia: Si enim veniebant ac rogabant Baptiſmum, gratum id erat: ſed requirebatur, vt priùs perdiſcerent ea quæ ad Chriſtianum pertinent: quod ſi accura-
Luc.8. tè facerent, eademq; in corde bono & optimo audientes retinerẽt, id erat

è re

è re ipſorum. Si quis autem fictè & prauo animo accedebat, & illam diſcē- dis ijs quę fidei ſunt, operã impēdere recuſabat, hunc facilè poterat dimittere Eccleſia, quòd necdùm illius cauſa ſeſe obſtrinxiſſet, nec fidei ſignaculum ei communicâſſet, aut etiam Deo illius nomine quicquam ſpopōdiſſet.

Longè verò alia ratio eſt hodiè in repub. Chriſtiana, cùm infantes etiam habeant impreſſum ſibi fidei characterem, parētes, ſuſceptores, adeoq; ipſa Eccleſia eorũ nomine Deo fideiuſſerint, & per hanc fideiuſſionē iam recepti ſint in ſocietatem Chriſtianam. Quamobrem nō ſinè enormi peccato, dedecore, atque adeò graui ipſius Dei contumelia eos hac inſtitutione Catechiſtica fraudauerimus. Quàm enim turpe, quàm blaſphemum & ignominioſum eſt cùm Deo, tum ſanctiſsimæ fidei noſtræ, quempiam fidem Chriſtianam profiteri, & neſcire tamen aut ſcire nolle, quid ipſa profeſſio & fides Chriſtiana poſtulet? Deſideret quidem venerãdis Religiōis Chriſtianæ Sacramentis vti, at eam nolit virtutem & gratiam cognoſcere, quam Deus pro ſua benignitate ſuis fidelibus per hęc tam ſalutifera Sacramenta impertitur? Non poſſet horribilius magiſque abominandum idolum in templo DEI conſiſtere, quàm eiuſmodi inanis & pſeudochriſtianus in Eccleſia Dei. Audiamus quantoperè Deus abominetur eos, qui in populo illius numerati, legem & voluntatem eius audire & cognitam habere nolunt. Hiere. 11. Maledictus, inquit, vir qui non audierit verba pacti huius, quod præcepi patribus veſtris. & Oſeæ 4. Cōticuit populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, nè ſacerdotio fungaris mihi. Noluit DEVS in veteri teſtamēto quenquam pręceptorum ſuorum ignarum perpeti, cùm tamē Lex illa Moſaica, eiuſdemque Sacramenta, vmbra ſolùm ac typus & figura eſſent Chriſtianæ Religionis.

Quàm grauiter ergò Deus modò indignabitur, ſi Chriſtianã fidem profitentes, ſacram noui Euangelij legem recuſent cognoſcere, & non iam Moſaicis, ſed Chriſtianis Sacramentis, craſſa adeoque execranda ignorãtia caligantes, fruantur, immò ea polluant, dedecorent & contaminent? Hìc omninò locum haberet illud Hebręor. 10. Irritam quis faciens legem Moſis, ſinè vlla commiſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? D. Paulus idcircò Deum in Corinthios animaduertere minitabundus affirmat, quòd vno corporis & ſanguinis 1. Cor. 11.
Dominici Sacramento negligenter vterentur. Apud nos propemodùm omnia Sacramenta, per noſtram ipſorum deteſtandam ignorantiã in ſummum contemptũ & abuſum deuenerunt: vndè certò mihi perſuadeo, hãc eſſe veram cauſam, cur diuina vltio tanta cum indignatione in nos deſæuiat, neque ceſſaturã antè, quàm tollatur contemptus & abuſus erga ſancta

ſua. Si mihi coràm contuendum foret, vt canes in altaria irruerent, & diuina Sacramenta deuorarent, ſuesq; in ijs volutarentur, diſrumperer equidem ob eiuſmodi irreuerentiam ac profanationem. Nunc autem in Chriſti Eccleſia magno animorum noſtrorum dolore ſpectare cogimur, veneranda Sacramenta non multò reuerentiùs ab hominibus tractari, quàm ſi canibus in os ingerantur, aut porcis conculcanda proijciantur. Et hæc irreuerentia ſola ex ignorantia naſcitur, quòd neſciant homines, quantam gratiam, ſanctimoniam & virtutem ſeu ἐνέργειαν ſanctiſſimis Sacramētis cōtulerit Deus, & per eadem adhuc paratus ſit nobis elargiri. Vniuerſam hāc calamitatē noſtræ acceptā feremus inſcitiæ. Poſt baptiſmū enim non ſolū non admonētur nouitij Chriſtiani eorū, quę erga illos geſta ſunt in baptiſmo, ſed & porrò adoleſcere ità ſinuntur, atque in eadem ignorantia ad reliquorum Sacramentorum vſum admittuntur, vt ea iam ex conſuetudine percipiant, quòd ætatem ijs ſumendis idoneam adepti videantur potiùs, quàm quòd ſint in illis eruditi, quæ de his ſcitu ſunt neceſſaria.

Huic impiæ in Deum contumeliæ vt aliquandò poſſit occurri & anteuerti, & ęquum ſanè & neceſſarium foret, quàm diù Sacramentorum vſus in vnaqualibet vigebit Chriſtiana concione ſiue Eccleſia, (qui tamen perpetuò durare debebit) vt Catechiſmus quoquè nunquàm interſileſceret, & vnà cum ipſo Sacramentorū vſu in ſingulis Eccleſijs etiam aſſiduò erudiretur populus, ſcire vt poſſent tam iuniores quàm prouectiores, quomodò Sacramenta ad gloriam Dei, ſuamque ipſorum ſalutē percipere deberent, & qua ratione vitam omnem moresque ſuos ità inſtituerēt, vt iuxta votum quod ſemèl Deo in Baptiſmo nuncupârunt, probos, integros ac inculpatos illi ſe Chriſtianos exhibere, atq; ità tandèm promiſſam à Deo regni cæleſtis hæreditatem adire poſſent. Quoniam itaque in hac Eccleſia Moguntina animarum cura (non quidē quòd dignus & idoneus ego ſim, ſed quòd ſancto iuſtoque Dei arbitrio ſic viſum ſit) mihi delegata eſt, id quod muneris & prouinciæ meæ eſt, in ijs inprimìs experiar, quæ præcipuè neceſſaria, vtiliſſimaque videbuntur, & Deo fauente, deincèps Chriſtianum Catechiſmum pro concione explicaturus ſum, hoc eſt, breuem, luculētam, verā & ſolidam eorum omniū articulorū, quos hominē Chriſtianū neceſſariò ac præcipuè nôſſe oporteat, exegeſin ac inſtitutionem.

Exordiar autem idipſum à ſymbolo Apoſtolorum, ſingulosq; articulos ſingulatìm declarabo, quomodò debeant intelligi, & quandò eos corpore, animo & actione rectè legitimeque obſeruemus. Eodem pacto indè proſequar orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam: poſteà Decalogum, & poſtremò Sacramenta omnia noſtræ Religionis Chriſtianæ.

Huiuſmodi Catechiſmo & inſtitutione equidem per gratiam Dei ſpero me omnium veſtrûm ſaluti & vtilitati vel maximè cōſulturum. Tametſi enim verba quidem iam olim recenſere noueritis, non tamen exiſtimabitis nihil prætereà ex ſymbolo fidei, aut oratiōe Dominica, vel Decē præ-

ceptis

ceptis ſupereſſe diſcendum. Nanque horum interpretatio & intellectus potiſſima ſunt maximeque neceſſaria. Neque enim illi credere, aut orare cenſendi ſunt, qui labiorum ſtrepitu verba reſonant: ſed quandò animus intelligit & ſentit, quod verbis compræhenditur, hoc demùm eſt orare, & fidem profiteri. Sic proculdubiò multi nõrũt recitare verba Decalogi: nequeunt tamen ſpeciatìm diſcernere, quibus in rebus præcepta Dei vel violemus, vel obſeruemus. Quamobrem nè vos harum concionum tædeat, & vt hactenùs, ità deincèps, patientes aures mihi præbeatis obſecro: equidem ſpero, per gratiam Dei vos aliquem fructum & emolumentũ ex hac inſtitutione relaturos. Scio ego Catechiſmum pueriliscuiuſdam concionis loco haberi. Sed quid ſi plerique ignorent grandæui, quæ pueros non neſcire oporteat? Etſi maximè ſciant, nihil tamen obfuerit horum admoneri. Atque vtinàm faxit Deus omnes ea ſitis eruditione pręditi, atque vſque eò in fide Christiana exercitati, vt hic meæ inſtitutionis labor ſit ſuperuacaneꝰ. Quin & alia ratio eſt, quòd hęc doctrina ſiue cõcio ad omnes tam adultos quàm pueros pertineat. Puerorum quidem eſt, hanc inſtitutionem ediſcere: veſtri autem (quicunque prouectiores eſtis) officij eſt, pueros docere. Quid igitur incommodare poſſit, vobis qui parentes & patresfamiliàs eſtis, ſi vnà cum liberis & familia huc accedatis, percipiatiſque vti eos rectè ac commodè inſtituere debeatis? Hoc igitur negociũ ad vniuerſos pertinet Chriſtianos. Vos pueri cùm primùm baptiſmũ pcepiſtis, ſanctificati & ſalute donati eſtis à Deo, per eius virtutem ſacramẽti, vt iam tum ſancti & abſoluti Chriſtiani fueritis, in ea etiam ætate quæ ratione & iudicio caret, quemadmodùm olim Iſaac & cæteri octiduani infantes ſynceri ac integri erant Iudæi, propter fœdus Dei & circunciſionem. Siquidẽ & ad illos etiam in diebus infantiæ eorum illud referendum eſt, cùm diceret Dominus, Ero illorum Deus. Sic hucuſquè per virtutẽ baptiſmi & fidẽ Eccleſiæ, vobis etiam idipſum non intelligentibus, nouum illud Domini fœdus in vobis durauit, dum inquit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Mar. vlt. & Tit. 3. Nunc autem deinceps opùs eſt, vt exercere ſeſe incipiat fides veſtra, vt quod alij pro vobis ſpoponderunt, ipſi præſtetis, ſi modò gratiam velitis conſeruare, quã Deus in regenerationis lauacro vobis donauit. Quamobrem veſtri hoc neceſſariò muneris eſt, pueri, vt hanc Chriſtianæ fidei inſtitutionẽ diligẽter perdiſcatis. Vos autẽ parẽtes liberis veſtris baptiſmũ poſtulâſtis. Vos deniq; Suſceptores eos ad baptiſmũ promouiſtis, fidẽ etiã veſtrã interpoſuiſtis, quamobrẽ etiã vos quodã eſtis debito obligati. Nè putetis muneribus quibuſdam & comeſſationibus, quę à puerperio ſolent fieri, veſtro vos officio feciſſe ſatis: fideiuſſio veſtra iam olim ſignata eſt in conſpectu Dei, & Deus ſanguinem infantum de manibus veſtris requiret, ſi per veſtram oſcitantiam non diſcant nec præſtẽt ea, quæ pro eis ſpopõdiſtis. Vos quoq; patres & matresfamiliâs corã Deo obligati eſtis in eã curã incũbere, familię veſtrę vt catholicè erudiãtur in illis,

Gene. 17. Leui. 26. 2. Cor. 6.

quæ in noſtra religiõe pręcipua ſunt & cumprimìs neceſſaria. De hac erũ
1.Tim.5. cura Diuus Paulus etiam loquitur, dum inquit: Si quis ſuorum & maximè domeſticorũ curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Atq; ideò patrisfamiliâs eſt proſpicere, nè talem habeat familiam, (neque enim hanc ſinè DEI contumelia ac graui peccato aluerit) quæ vel ignoret, vel diſcere recuſet neceſſarium Chriſtianæ religionis catechiſmum. Quandò igitur liberos & familiam veſtram ad hanc diſciplinã extimulare, ipſiq́; eos hac imbuere tenemini, certè meritò gratiam apud vos initurus ſum, quòd veſtrum hunc laborem partìm in me tranſtulerim. Liberos itaq; ac familiã huc vt accedãt, perurgete, cùm & verni temporis & diurnæ lucis opportunitatem habeatis, & non niſi diebus feſtis hæc fiat inſtitutio, quandò neq; domi quicquã negligunt, & hîc de argento veſtro mercedis nomine nihil impenditis. Mihi docendi laborandiq́; prouínciam delegate, vt liberos ac domeſticos veſtros erudiam, quod alioquì vobis ipſis incumberet: fieri ſanè poteſt, vt fideliùs hęc memorię cõmendent percepta ab extraneo, & in concione publica, ad quam & vos vnà cum illis accedite. Ità enim has catechiſticas conciones moderaturus ſum, vt & pueris faciles intellectu, & ꝓuectioribus non minùs vtiles ſint futurę. Quas qui tenaci memoria complexus erit, parùm ſanè in illo deſiderabitur eorum omniũ, quæ ex cunctis noui & veteris inſtrumẽnti paginis pro habenda Chriſtiana inſtitutione queat perdiſcere. Proxima itaq; cõcione (Deo volente) primum Symboli Chriſtiani articulum auſpicabor. Dominus DEVS ſuam nobis omnibus largiatur gratiam, ſanctumq́ue ſpiritum ſuum, vt diuinam eius volũtatem & hîc in terris diſcamus ac faciamus, & tandèm largiſſimas eius promiſſiones adipiſcamur, eisq́ue æternùm fruamur, Amen.

EXPLICATIO SYMBOLI CHRISTIANI. CONCIO II. HABITA

Dominica Iudica, Anno 1542.

TEMPVS hodiernum expoſtulat, Auditores, in Chriſto chariſſimi, vt hunc noſtrum Chriſtianę inſtitutionis Catechiſmum (quẽ Deo auxiliãte vobis explicare decreuimus) iam exordiamur. Quoniam autem hæc erit ſcientia ſalutis, ex qua non humanam diſcemus prudentiam, neque temporarium aliquod emolumentum aucupaturi ſumus, ſed Deum ipſum & vitam perpetuam inquirimus, viamq́; regiã & λεωφόρον attingere deſideramus, quæ nos ad Deum perducat, æquiſſimum ſanè fuerit, vt inprimìs oſtium ipſum obſeruemus, & per illud ad Deum ingrediamur: alioquì per deuia itinera & diuerticula facilè defatigãdi, atque ità porrò neque Deum cõtuituri, neque regni eius participes futuri, dum (quod dici ſolet) ab oſtio aberramus. Ipſiſſimum autem oſtium, per quod ad Deum ingredimur, vera & integra fides eſt, prout teſtatur Diuus Paulus Heb.

II.

11. Credere, inquit, oportet accedentem ad Deum. Et Rom. 5. Per Chriſtum habemus acceſſum, per fidem in gratiam iſtam in qua ſtamus. Et iterùm Hebr. 11. Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo. Eſaias quoquè Propheta 7. cap. omnia noſtræ religionis myſteria in fide includit. Quiſquis enim non credit, & ſubijpſi diuina myſteria non reſerat per fidem, ea certè conſpicere non poteſt. Sinè fidei adminiculo omninò fruſtrà laborabit cùm in hac, tum quauis alia, quę erga ipſum ſuſcipitur, fidei Chriſtianę traditione ſiue inſtitutione. Et ſi non credideritis, (inquit Propheta) neque intelligetis. Cùm itaque fides ianua ſit & aditus ad omnem cognitionem Dei & ſalutem, hanc quoquè Chriſtianam inſtitutionem noſtram in Dei nomine primùm à fide auſpicabimur: ac principiò quidem Symbolum tractandum ſumemus, id eſt, communem ſiue vulgarem fidei noſtræ confeſſionē, quam in Chriſti Eccleſia omnes & nouimus, & retinemus. Huius principium eſt tale: Eſa. 7. iuxta verſio nem LXX.

PRIMVS ARTICVLVS SACROSANCTAE FIDEI NOSTRAE CHRISTIANAE, DE MVNDI CREATIONE.

Credo in Deum patrem, &c.



TESTOR nunc denuò, ſicut & anteà hanc non eſſe fidem, quam lingua & labijs pronunciamus, neque illum fidē callere, qui Symboli verba ordine nouerit enarrare: iam enim vt huc accederetis non foret neceſſum, nec mea requireretur inſtitutio. Enimuerò nihil addubito, omnes vos tam iuniores quàm prouectiores, verba duodecim Articulorum fidei edidiciſſe: ſed aliud prætereà eſt, quod exigitur. Qui verborum ſenſum & quid ea cōtineant intelligit, & corde id ipſum ſentit &
Rom. 10. credit, quod verbis enunciat, ille fidem callet, quemadmodùm Chriſtianus eam callere debet.

Quantùm itaque ad verborum mentem & intellectum attinet, vtì perſpectum habere queatis, quid ſub vno quolibet Articulo comprahendatur, in hoc vobis (aſſiſtente mihi Deo) labor meus deſeruiet, & pro gratia mihi diuinitùs adſpiranda, ſolidum, abſolutum, genuinum & orthodoxum cuiuſlibet articuli ſenſum ex ſacris ſcripturis colligam, vobiſque pro concione proponam. Vt autem hic ſenſus in veſtros penetret animos, eumque immobili & inconcuſſa fide comprahendatis, hoc equidem vobis largiri non poſſum, hoc mearum non eſt facultatum, neq; operis mei: ſed neceſſarium eſt, iſthuc per gratiam diuinam, & illuſtrationem Spiritûs ſancti cordibus veſtris inſtillari. Fides enim Dei donū eſt, (vt inquit Apo-
Epheſ. 2. ſtolus) & non ex nobis, vt nè quis glorietur. Solius Dei eſt animos inſtruere, & fide viua imbuere, vt corde credamus ad iuſtitiam, ſicut ore confitemur ad ſalutem. Non tamen interìm externa hæc de fide concio mea erit fruſtranea, verùm neceſſariò adhibenda eſt, tanquàm vas quoddam aut infundibulum, per quod Deus poteſt fidem ſuam in animos veſtros demittere. Nam vndè cognoſcetis, ecquidnam de Deo credere, quídve ſentire debeatis, ſi non audiatis ex verbo Dei? Quomodò autem audietis ſinè præ-
Rom. 10. dicante? Fides enim ex auditu eſt, auditus autē per verbum Chriſti. Quamobrem vtile eſt vobis, vt animos veſtros huc accōmodetis, permittatiſq; verum fidei intellectum ex verbo Dei cordibus veſtris inſeri. Nihil tamen externa iſthæc ſatio mea profuerit, niſi Deus per gratiam ſuam dederit incrementum.

Hæc neceſſariò admonere & præfari viſum eſt, quandoquidem auditis, ſalutis noſtræ fundamentum fidei inniti, ſolùm autem Deum veram & frugiferam fidem, verbi ſui prædicatione veſtris poſſe animis adſpirare & irradiare per Spiritum ſanctum. Itaq; & nunc & perpetuò mentem ad Deum in cælum erigamus, & ab eo Spiritum ſanctū poſtulemus, qui præſens ſit noſtro cœtui, & opera noſtra dirigat, linguā meam regat ac moderetur, orique meo ſalutiferum, beneſonantem & verum ſermonem largiatur, vt eum ipſum fidei ſenſum, quem ille requirit, vobis inſerere queam. Idem ille diuinus Spiritus animos veſtros ità præparare dignetur per gratiam ſuam, vt verā & ſalutarem, frugiferamq; fidem efficaciter apprahendatis, vt
Ioan. 17. oēs pariter & verè cognoſcere & credere poſſimus, te verū Deum patrem cæle-

cęleſtem,& Ieſum Chriſtum,quem miſiſti:& tandèm huius fidei fructum conſequamur,ſalutẽ animarum noſtrarũ & vitam æternam,Amen. Nunc primum agè articulun audiamus. 1. Pet. 1.

Credo in Deum,patrem omnipotentem,creatorem cæli & terræ.

HVN C articulum,itemq́ue reliquos omnes,quandò res poſtulare videbitur, hac ratione tractaturus ſum, vt priùs verba ſingulatìm excutiam & declarem: deindè genuinum & ſufficientem eorundem intellectum proponam. Primum itaque huius Symboli verbum eſt, CREDO. Et rectè ſanè & meritò hoc verbo Symbolum auſpicamur. Credere enim oportet accedentem ad Deum, Hebr. 11. Sinè fide quoquè impoſſibile eſt placere Deo, & quicquam illi gratum offerre: quia quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt, & nullius precij apud Deum, Roma. 14. Et quicquid deniquè ad ſalutem nobis neceſſarium eſt,idipſum à Deo per fidem capeſſamus oportet.

Alterum verbum eſt, IN DEVM. Quid ſit Deus,neque ſenſibus compræhendere,neq; verbis effari poſſumus. Nos Germani appellamus creatorem cęli & terrę GOT,ac ſi pro noſtro idiomate dicamus, Gůt, id eſt, Bonum,cùm Deus ſummum & ſingulare ſit bonum,& bonum omne ad nos à ſolo Deo deſcendat & proficiſcatur, Iacob. 1. quãquàm per abuſum hominum, vniuſcuiuſque deus appelletur illud,cui plurimùm innititur, quod maximè diligit, in quo potiſſimùm ſpem & fiduciã collocat ſuam. Quemadmodùm auari loco Dei ſuum colunt Mammona, diuitias & pecunias,Matth. 6. Lurconum & helluonum,qui ſibi perſuaſum habent,ſe ea cauſa huic mundo editos,& mundũ in hunc finẽ ipſis à Deo conditum, vt gulæ & crapulæ dediti ſint,carniſq́; voluptatibus indulgeant, deus venter eſt, Philip. 3. Plurimiſque de cauſis cæca & ſtulta gentilitas varios deos & idola ſibi conſtituit. Sed quoſcunque deos ſibi confingat mundus,nos tamen qui Chriſtiani ſumus,credimus,confitemur & nouimus vnum ſolum eſſentia & veritate Deum,qui cælum & terrã creauit. Hic Deus rectè in hoc noſtræ fidei Symbolo Pater appellatur: Principiò quidem, ob diſcernendã eius in ſacroſancta diuinitate perſonam: Deindè quòd & verè pater ſit omnium noſtrûm,Matth. 6. charitate & beneficentia erga nos filios ſuos omnem naturalium parentum amorem & affectum longè lateq́; ſuperans,Matt. 7. quemadmodũ & Eſaias teſtatur: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt nõ miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit,ego tamen non obliuiſcar tuî,dicit Dñs. Eſt prętereà omnipotens, vt facile poſſit opitulari,meritoq́; eius fidendum eſt promiſſionibus: cùm enim ſit omnipotens,nihil eum remoratur quo minùs eas pręſtare poſſit. At interim tamen etiam comminationes eius metuendæ ſunt. Si quandò eñi punire inſtituat,nemo certè manus eius effugerit,qa omnipotens eſt. Eſaiæ 49.

Hic

Hic idem Deus cæli quoquè & terræ creator appellatur, non ideò ſolùm, quòd ſemèl omnia condiderit, ſed quia adhuc continēter cuncta conſeruat, dirigit & moderatur, vnumquodq; in ſua eſſentia, qua ſemèl illud creauit, quēadmodùm hoc pſalmographus præclarè de Deo profitetur: Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: auertente autem te faciem, turbabuntur: Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuū reuertentur. Cùm autem eum confitemur cæli & terræ creatorem, cælū intelligimus & omnia quę in eo ſunt, itemq́; terrā, & quicquid ſup & ſubter vel intra & circùm eā eſt. hęc em̄ omnia Deus finxit: ille hoc corpuſculum noſtrum cōdidit: ille victum, amictū, domicilia, amicos vel neceſſitudines & deniquè quicquid habemus: terram cum cunctis illius frugibus & fructibus, in vitæ huius temporariæ ſubſidium: ipſos cæleſtes ſpiritus, in tutelam & cuſtodiam noſtrì à cunctis dæmonibus: cælū, quò tandèm abſoluta hac peregrinatione ceu ad patriam migremus: atq; eodem modo reliquas creaturas vniuerſas, quas vel corporeis oculis contemplari, vel mēte & cogitatione compræhendere poſſumus, creauit ad vtilitatem noſtram, ità vt iam in eo, & ex eo, & per eum habeamus & capiamus omnia, quæ ad corporis & animi ſalutem pertinēt: prorſuſque illud Pſalmi nobis dicendum ſit: Scitote (ô filij hominum) quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos: Nos autem populus eius & oues paſcuę eius.

Pſal. 103.

Pſal. 99.

Iam ſi omnia primi huius articuli verba ſimul expendamus, quēadmodùm nūc ſuccinctè declarata ſunt, quàm ea pręclarā & locupletē in pectore Chriſtiano fidē excitāt? Adeò nimirùm Deū animis noſtris inſigūt ac imprimūt, vt iā intelligamus, quid ſit erga nos Deus eſſentia, opere & voluntate. Hoc articulo ab homine Chriſtiano probè cōſiderato, quēadmodùm ille nobis pertractatus eſt, optarē equidem audire eius profeſſionem, libèretq́; ex eo percontari: Quandoquidem ô Chriſtiane fili tam multiformis fides in mundo eſt, & cæcutientes populi in ſua cæcitate, alij hunc, alij aliū colunt deum: dic, quęſo, quem tu deum veneraris? quæ eſt tua fides? Iam veram ille abſolutamque de Deo fidē ex ſuperiori declaratione poterit enūciare, ità dicendo: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cęli & terræ. Et hoc pacto credo in Deum, non ſolùm vt talem quempiam Deum eſſe credam, (hoc enim & ipſi cacodęmones & credunt, & contremiſcunt) neque ſic tantùm, vt exiſtimem omnes tam promſiiones, quàm comminationes illius eſſe veras, omniaq́; eius verba eſſe certiſſima: nam neque hoc dæmones ignorant, omneſque impij re ipſa comperiūt, Deū veracem & fidelem eſſe in omnibus verbis ſuis. Itaque non ea tantùm ratione in Deum credo, verùm & hoc modo, vt animum, ſpem, fiduciamq́; in eo collocem, eiuſque tutelæ omnia mea committam, corpus, animam, vitam deniquè tum temporariam, tum ſempiternam. Scio enim illū clemēti erga me eſſe animo, neque paſſurum quicquam eorum mihi deeſſe,

Iacob. 2.

Pſal. 144.

quæ vel ad temporariam, vel æternam vitam pertineant. Cùm enim meus ille ſit pater & conditor, nihil addubito quin omnem meam poſſit leuare inopiam, omneq́ue illud largiri, quod ad corporis & animę ſalutem requiritur. Nam & omnipotens eſt, & totus mundus, cęlum, terra, & omnis plenitudo eorum, illius ſunt: ipſe creauit vniuerſa, idq́ue in rem & vtilitatem meam: Terram cum ſuis creaturis, in huius corporis vſus: angelos, in tutamentum ac defenſionem: cælos, qui me demùm poſt hanc peregrinationem excipiant, & ſint perpetuum æternæ vitæ meæ domicilium. Quãobrem ſpe bona fretus, innitor Deo meo, omnemq́ue ægritudinem & vitioſam ſolicitudinẽ ex animo remoueo, neceſſitates deniquè omnes, qualeſcunque demùm eæ ſint, in Deum reijcio, quoniã ſcio eum cunctas vias meas dirigere, & indigentiæ meæ poſſe & velle mederi ac opitulari. Pſal.23.

Rectè nimirùm per omnia Chriſtiane fili, quantùm ad primum hunc articulum ſpectat, profiteris veram & efficacem fidem: Sed vide, obſecro, vt animo ſentias idem, quod ore confiteris. Nè ceſſes à Deo poſtulare ſanctum illius ſpiritum, donec toto pectore hanc fidem cõplexus ſis: quæ vbi in cor influxerit tuũ, tum demùm in omnibꝰ actionibus & vijs tuis efficaciter ſeſe declarabit & exeret. Neq; erñ actio tua fidei tuę debet repugnare.

Principiò ſi ex animo agnoſcis Deum tam amantẽ tuî eſſe patrem, iam toto corde eum redamabis, & hoc amore ità accenſus, illius exequẽdæ voluntatis cumprimìs ſtudioſus eris, dabisq́ue operã, nè prętermittas ea quæ Deo placita ſint, nec etiam ea committas, propter quę ira Dei ſolet euenire in filios diffidentię. Deindè vbi certò tibi perſuaſeris, Deum eſſe omnipotentẽ, lubens ac penitùs voluntatẽ & intellectũ tuum diuinę ſubmittes voluntati, omnemq; diffidentiã ac hæſitationẽ è tuo pectorę remouebis. Non rimaberis curioſiùs magna illa Dei myſteria, ſed ea fide potiùs appręhendes, ipſiq; Deo hunc habebis honorẽ, quòd in omnibus verbis & ꝓmiſſis ſuis verax ſit & fidelis, & in cũctis operibus ſuis ſanctus & admirabilis. Porrò contra dubia oĩa, quæ tuo poſſint animo incidere, perpẽdes Dei omnipotentiam, omnemq́ue hæſitationem hac ratione facilè retundes, Quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Poſtremò, vbi iam animus tuus ſenſerit, & crediderit, Deum eſſe Dominum & creatorem rerum omnium: facilè & illud intelliges, omnia dona ſiue tẽporalium, ſiue æternorum bonorum, illi accepta eſſe ferenda, nec in aliquo gloriandum, quaſi illud à Deo non acceperis. Agnoſces prætereà non vtendũ eſſe creaturis ad noſtrã libidinem, ſed iuxta mandata Dei, eiusq́ue voluntatem. Deniquè perſpectũ habebis, Deum tum in te, tum in cæteris creaturis omnibus viuere & eſſe, illarumq; nullam tuis poſſe inſeruire cõmodis, niſi Dei fauore & beneuolentia. Quamobrẽ nec tibi, nec vllis labentibus creaturis innitêris, ſed Deo duntaxat: illum precaberis, vt greſſus tuos dirigat, tuisq; conſilijs & ſtudijs feliciter adſpiret. Neque erñ à creaturis vllum expectari poteſt auxilium, tam in fluxis his rebus, quàm illis ęternis, niſi quantùm illi

Ephe.5. Pſal.144. Luc.1. 1.Cor.4.

illi præpotenti,ęterno & munifico Deo,omnium creaturarum Domino, viſum eſt per creaturas & in creaturis nobis prodeſſe & opitulari. Et hæc de primo articulo dicta ſint ſatis.

CONCIO III. HABITA
Dominica Quaſimodò, Anno 1542.

IN primo noſtræ ſacroſanctæ fidei Chriſtianæ articulo, Auditores in Chriſto chariſſimi,Dei omnipotentiam,eiusq́ue æternã eſſentiam pariter & ſapientiam profeſſi ſumus, cùm ſentimus & credimus eum omnipotẽtem creatorẽ cæli & terrę.Benignitatem etiam ac miſericordiam illius,qua erga nos affectus eſt,prędicamus, dum Patrem eum noſtrum appellare non dubitamus.Ille ſiquidem eſt,cui omnia noſtra curæ ſunt:ille ex nihilo nos creauit,ille tuetur corpus & animã,quæ nobis donauit. Ille poteſt & vult nobis auxiliari, ille cęlum & terram & creaturas omnes in huius noſtræ momentaneę & illius æternę vitę ſubſidiũ produxit:& ſi neceſſum ſit,plura quotidiè condere poteſt, vt nos filij eius largiſſima benignitate & miſericordia ipſius amantiſſimi patris noſtri,omnium rerum ſufficienti copia abundemus. Sequitur nunc ſecũdus noſtrę fidei articulus,quo multò clariùs,ſignificãtiùs,& quãtùm maximè fieri poteſt,flagrãtiſſima Dei erga nos charitas prędicatur & declaratur. Nam hic articulus munificentiſſimũ & ampliſſimũ illud opus redemptionis humanæ commemorat,quod Deus in hoc mundo per vnigenitũ filiũ ſuum effecit.Illud hac verborum formula profitemur:

ALTERA PARS NOSTRAE SACROSANCTAE FIDEI CHRISTIANAE, DE HVMANI GENERIS REDEMPTIONE:
Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum,Dominum noſtrum.

INgens profectò Dei beneficiũ eſt,quòd nos creauit cùm nihil eſſem⁹: verùm longè illud maius eſt,quòd per peccatum perditos & perpetuæ damnationi addictos redemit:Prę̃ſtiterat ſiquidem nunquàm creatos eſſe, quàm creatis nihil præter æternum ſupereſſe ſupplicium. Vt autem penitus cognoſcatis,quid vtilitatis redemptio hęc per filiũ Dei impetrata vobis attulerit,neceſſum erit paulò altiùs generis humani originẽ repetere. Magnæ quidem imbecillitati & miſeriæ nunc obnoxius eſt homo, hebetis etiam naturę & ingenij ad perſpicienda diuina,& ea quę ad Deum pertinent,in varia quoque vitiorũ genera ex ſeipſo procliuis,ſed ab initio nõ eſt ità factus à Deo.Principiò enim Deus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem ſuam effinxit,omnibus tum corporis,tum animi viribus rectum atque perfectum,tantaq́ue iuſtitia præditum,vt animo & pectore Deo adhærere,& ab omni malo facilè immunis eſſe poſſet:eaq́; humanę eſſet naturę puritas, ſanitas & integritas,vt neque in vitia propenſionem vllam, neque

neque concupiſcentiam, neq; impugnationem vitioſam in ſeipſa ſentiret: atq; hanc primam naturæ rectitudinē & integritatem, quæ originalis appellatur iuſtitia, primus ille protoplaſtes etiam in vniuerſam tranſmiſiſſet poſteritatem. Atquì hanc tantam naturæ humanæ dignitatē, honorem & iuſtitiam inuidens homini Satan, vtpotè vndè ille iam olim exciderat, calliditate ſua id effecit, vt primus ille noſter parens in peccatum & inobedientiam erga Deum, pelliceretur. Quo factum eſt, vt grauiſſima Dei ira & animaduerſione plexus, imaginem illam Dei & ſimilitudinem in ſe ſenſerit corruptam ac deprauatam. Poſt peccatum em̄, tam animi quàm corporis viribus peiùs habere cœpit, originali iuſtitia deſtitutus ac nudatus eſt: & praua concupiſcentia, atq; in omne genus vitiorum propenſio, in natura illius increuerūt, & ipſe deniq; intellectus illius obſcuratus eſt. Et cùm Deus imaginem ſuam in homine per peccatū tam miſerè perditam & deſtructam videret, indignatus, pro ſua iuſtitia id ſupplicij in eum cōſtituit, vt in vita quidē infinitis ærumnis & calamitatibus eſſet obnoxius, tandèm verò ipſam mortē & pœnas æternas perferret. Hanc verò tàm infauſtam hæreditatem primi parentes vniuerſæ ſuæ poſteritati reliquerunt: adeò vt ab ipſo lapſu illorū mortales oēs, quotquot ab ipſis originem trahunt, à natura rerum Diuinarū ſint rudes ac inſcij, & iam indè ab infantia ad malū procliues. Hoc tam corrupto humanę naturæ ſtatu fretus diabolus, (prout adhuc eo fruitur in filijs diffidentiæ & incredulis) in omne genus actualium, vt vocant, peccatorum miſeros præcipitauit, ità vt Dei ira in homines magìs ac magìs incandeſceret, donec tandèm penitùs in imam vſq; dānationis voraginē & Satanę poteſtatē redigerentur, vt iam indè à tēporibus Adami nulli vnquā mortaliū fuerit poſſibile, ꝓpria virtute ex peccato, Dei ira & damnatiōe ſeſe extrahere ac vindicare, ſed natura vocamur & ſumus oēs filij iræ. Cæterùm Deus in hac ſua erga hominē immorigerū dedignatione & ira, ſuę miſericordię perpetìm memor fuit, atq; vt benignus pater noluit illud perire in finē, quod creauerat: itaq; iam indè ab initio humanum genus ſpe venturi ſaluatoris continenter cōſolatus eſt, qui è cælo deſcendens, diaboli fraudē & perfidiam, qua in homines eſſet vſus, vindicaret, miſeroſq; mortales, corruptam iam ac deperditā Dei creaturam, à peccatorum ſordibus mundaret, & ex captiuitate Satanæ aſſertam Deo creatori, Domino, ac Patri illius reconciliaret. Hoc Deus multis Scripturæ locis ꝓmiſerat, Gene. 3. 23. Pſal. 131. vbi iam veniſſet tempus à Deo pręfinitum, miſit vnigenitū Filium ſuum in mundū, vt hoc humanę liberationis opus perficeret, & quo cōmodiùs is inter Deum & homines mediator exiſteret, Diuinæ naturæ quam ab æterno habebat, humanam quoq; coniunxit, factuſq; eſt verus hominis Filius, quemadmodū & ex omni æternitate verus Dei filius erat, atq; hoc modo hominē cum Deo patre in gratiam reſtituit. Habetis breuiter ex Sacris literis deductum, quid nobis cōtulerit incarnatio filij Dei, & quamobrē hæc redemptio extremè nobis fuerit neceſſaria.

b Subindè

Subindè iam Articulum hunc excutiendũ ſumemus, vt ex verborum eius contextu percipiamus, quid de Chriſto ſentiendum ſit, & quid ab eo expectandum. Principiò, quemadmodùm credimus in Deum Patrem, eodem modo credimus & in Ieſum Chriſtũ Filium eius vnicum, Dñm noſtrum. Quoniam aũt fides non niſi vni vero Deo cõpetit, profitemur hoc ſecundo Articulo, Ieſum Chriſtum, verum, æternum & vnicum eſſe Deum, eiuſdem cũ Patre ſubſtantiæ, virtutis, voluntatis & æternitatis, & quicquid de Deo ſentiendum & credendum eſt, idipſum ſentimus, ſperamus & credimus de Ieſu Chriſto Filio eius vnico, Dño noſtro. Nimirùm luculenta de Diuinitate Chriſti teſtimonia inueniuntur Eſa. 9. Baruch 3. Pſalm. 109. & plurimis alijs in locis. Secundò teſtantur nõia eius longè ſuauiſſima, quid ab eo debeamus expectare. Propriè & peculiariter appellatur IESVS, quod tranſlatum, idem eſt quod ſeruator, ſaluator, & redemptor. Hoc nominis impoſuit illi Deus per angelum, vt ſciret Mundus apud hunc ſolũ Diuinitùs miſſum redemptorẽ, ſalutem & beatitatem inquirendã eſſe ac poſſe reperiri. Rectè quidem ac meritò vocatur IESVS, i. Redemptor & Seruator. Sic enĩ Deo viſum eſt ab æterno, vt per ſanctũ Filium ipſius Ieſum vniuerſus Mundus ſalutẽ & beatitudinẽ conſequeretur, quemadmodũ hoc teſtatur
Mich. 5. apud Micheã: Ex te (Bethleem) mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſra-
Matth. 2. el, & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. Itemq; alibi: Parùm eſt, vt
Eſaiæ 49. ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael cõuertendas: Dedi te in lucẽ gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremũ terræ. Apud Lucam quoq; loquitur Angelus de ſempiterno Dei filio, ac recèns iam tum nato
Lucæ 2. homine Ieſu: Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodiè Saluator. Et Ioan. 1. Eccè (inquit) agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. Deniq; Actor. 4. ſic habes: Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Chriſtus nomen eſt officij ſui, quod nobis vnctum ſignificat. Duo aũt hominũ genera ſecundùm legẽ vnguntur, nimirùm ſacerdotes & reges. Ieſus vtrunq; officiũ in ſe cõplexus eſt, quamobrẽ excellenter Chriſtus, hoc
Hebr. 5. eſt, vnctus, appellatur. Sacerdotis, vtpotè pro hominib' cõſtituti in ijs, quæ ſunt ad Deum, munus eſt, vt offerat dona (preces) & ſacrificia pro peccatis.
Ibidèm. Ieſus in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesque ad Deum cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia: neq; preces tantùm, ſed & ſeipſum, proprium corpus & ſanguinem ſuum pro
Pſal. 109. noſtris peccatis expiandis obtulit. Appellatur itaque Chriſtus, i. Vnctus, cùm ſacerdos fuerit & maneat in æternum, qui adhuc perpetuò aduocatus noſter eſt apud Deum & propiciatio pro peccatis noſtris. Regij muneris
1. Ioan. 2. eſt, ſubditos ab inimicorum iniurijs aſſerere, tueri, defendere, protegere,
Matt. 28. conſeruare, ducere ac dirigere. Et noſtro Ieſu data eſt poſt reſurrectionem omnis poteſtas in cælo & in terra, illiusque eſt ſuper nos imperium: vndè audituri ſumus, vbi ad eam dictionẽ ventum erit, qua illum Dñm noſtrum

confi-

conſitemur. Iam porrò fatemur Ieſum Chriſtum vnicum Filium Dei. Ille enim ſolus ex ſubſtantia & natura Diuina, æternus eſt Dei Filius. Quòd autē & nos appellamur filij Dei, & Chriſti fratres, id ex natura minimè habemus, ſed ex gratia. Neq; enim ex natura filij Dei ſumus, ſed ex gratia adoptati in filios. Hinc Chriſtus vnicus Dei filius nuncupatur, quòd ex natura Diuina ab omni æternitate ſit filius Dei. Atq; hunc ipſum filium Dei vocamus Dñm noſtrum. Nimirùm quandò Chriſtus potentia Deo patri coęqualis eſt, ſequitur eum eſſe Dñm, non hominū tantùm, ſed & creaturarū omnium quæ in cælo ſunt & terra. Sed peculiariter Dñs noſter appellatur, Dominus inquā omnium è religione Chriſtianorū atq; credentium, idq; plurimis iuſtiſſimisq; de cauſis. Eramus anteà in poteſtatē Satanę per peccatum redacti, ille ſuam tyrannidē in vniuerſum genus humanum exercebat, quippe omnibus iam hominib⁹ ab ipſa natura peccato obnoxijs. Atqui Ieſus Chriſtus, quem Deus miſit aſſertorem generis humani, potenter nos vindicauit ex regno Satanæ, & in ſuum regnū tranſtulit, & in preciū redemptionis noſtræ impendens ſeipſum, ſacratiſſimo ſanguine ſuo nos redemit. Meritò ergò ſumus illius, meritò illum Dñm noſtrū agnoſcimus. Magnum enim, immò maximū fuit preciū, quo nos ex imperio Satanæ redemptos ſibi aſſeruit. Et hoc gaudiū pectus Chriſtianū vix poteſt capere, quàm plenū ſit conſolationis, quòd Chriſtus Dei filius factus eſt Dñs noſter, in priori illa ſeruitute, dominante adhuc nobis Satana: atq; vbicunq; adhuc dominatur ille, nihil eſt niſi iniquitas, terror, mors & æterna dānatio. Vbi aūt Chriſtus dominiū obtinet, ibi iuſtitia & ſanctificatio, conſcientiæ cōſolatio & tranquillitas, vita deniq; & beatitudo ſempiterna. Hæc ſuffecerint pro explicatione verborum huius ſecundi articuli. Hîc rurſus ex Chriſtiano quopiam, qui iam audierit, quid verba contineant, luberet hunc in modum ſciſcitari: Chriſtiane fili, quid intelligis per hæc verba, quandò pronuncias, Et in Ieſum Chriſtum? Reſponderet ille: Hæc verba egregiè, nec abſq; ingenti conſolatione mihi declarant, quid de Chriſto ſentire, quid ab illo expectare & ſperare debeam. Sentio eū ab omni æternitate ſempiternum eſſe Dei filium, & verū Deum ex Deo vero: Spem fiduciamq; meam in eo tanquā in Ieſu redemptore & ſeruatore meo colloco. Habeo eum pro Chriſto Deo, quem Deus iam olim promiſit: planeque contradico incredulę & pertinaci Iudęorum veſanię, qui alium Chriſtum & Meſſiam expectant. Exiſtimo eum verum ſacerdotē, qui efficaciter ſemetipſum obtulerit ꝓ peccatis noſtris. Regem etiam, qui ſuos electos ſua ſapientia, iuſtitia, & potentia gubernet, conſeruet, defendat & tueatur ab hoſtibus, à Satana & angelis illius atq; à dānatione perpetua: qui ab omni nocumento ſuorū corpora & animas ſeruet, adeò vt ipſo inuito ne pilus quidem ab eorum capitibus cadat in terram. Sentio eum eſſe Dñm meum, qui me damnatū ac perditum ſuo ſanguine ex dura Satanę ſeruitute redemerit, vt iam deinceps totus ſim illius, eiuſque ſub imperio & patrocinio

viuam hîc & in perpetuum. Hæc eſt huius articuli vis & ſententia: horum oportet vos ſubindè meminiſſe, & cauere, nè oris veſtri cõfeſſio à vita & actionibus veſtris diſcrepet. Si tuo in pectore ô Chriſtiane, Chriſtũ Ieſum ſentis & agnoſcis redemptorem & Dominum tuum, facilè potes tecum ipſe perpendere, quam redemptori tuo gratitudinem, quam Domino tuo obedientiam pręſtare debeas.

CONCIO IIII. HABITA

Dominica Miſericordia Domini, Anno 1542.

IN altero fidei noſtræ articulo, Auditores chariſſimi, de quo proximà concione audiſtis, credimus & confitemur Ieſum Chriſtum vnicum Dei filium, & ęqualem ex omni ęternitate cum patre Deum, eſſe Dominum noſtrum: hoc eſt, quòd noſtra cauſâ de cælis deſcẽderit, aſſerturus & ſeruaturus quod per peccatum perierat, noſque ex graui Satanæ & tartari ſeruitute ac dominio vindicârit, & in regnũ gratiæ ſuæ tranſtulerit, vt deincèps illius in cultu ac famulatu & ſub illius patrocinio viuamus & maneamus tam in hac temporaria, quàm illa vita ſempiterna. Hîc ergò fatemur redemptionem nobis per Chriſtum obtigiſſe. Qua ratione autem hoc factum ſit, & per quæ media Chriſtus Ieſus Dominus Deus noſter redemptionem humani generis confecerit, quinque ſequentibus articulis indicatur, qui breuibus verbis totam redemptionis noſtrę hiſtoriam complectuntur. Sunt autem huiuſmodi:

I. *Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine.*
II. *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.*
III. *Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis.*
IIII. *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*
V. *Indè venturus eſt iudicare viuos & mortuos.*

IN his verbis, dilectiſſimi, præclariſſimum illud Dei opus, videlicet redẽptionis humanę, eiusq; modum compręhenſum habemus. verba quidẽ breuia ſunt & ſuccincta, ſed eorũ ſententia auguſtiſſima & locupletiſſima eſt, ac latè patet: atq; huc ſcripta omnia & Eccleſiaſticæ conciones dirigũtur, vt hoc redemptionis noſtræ opificium rectè intelligamus. Quamobrẽ in præſentiarùm à me non expectabitis neceſſariam & exactam horum articulorum tractationem, cùm per vniuerſum anni circulũ diſtributi ſint, & ſinguli deſtinato ad hoc tempore, in fidelium congregationibus ità vt res poſtulat, pertractentur. Conceptio Chriſti proprium & peculiare feſtũ obtinet. Itidèm natiuitas ſuas habet ferias natalicias. Paſſio quadrageſimã, & ſic deincèps. Eò vos nunc remitto chariſſimi, vt ſingulas quaſque redẽptionis noſtrę partes ſeu articulos ſuis temporibus abſolutè & integrè diſcatis. Nihilominùs interìm etiam hoc loco, ſingulorum articulorũ breuẽ explicationem adferemus. Principiò, vt filius Dei inter Deum & hominẽ ſequeſter & mediator exiſteret, noſtrę redemptiõis id exigebat modus,

vt idem ipſe quoq; humanam naturam reuerà aſſumeret. Et vt hominem à peccatorum vinculis poſſet abſoluere & expedire, neceſſum fuit ipſum ab omni peccato prorſus eſſe immunem.

Atquì nulla ex virili ſemine conceptio fieri poteſt abſque peccato, non quòd impurũ aut malum ſeu vitioſum ſit coniugium, ſed quòd quicquid ex humano ſemine naſcitur, corruptam illam Adami naturam attrahat, adeoquè in vtero materno per peccatum originale ilicò contaminetur, Pſalm. 50. Epheſ. 2.

Vt ergò Chriſtus Dei filius verus fieret homo, & tamen immunis à peccato, eius conceptio non carnalis, ſed ſpiritualis fuit, non ex voluntate carnis, aut ex voluntate viri, ſed ex Spiritusſanĉti efficientia. Itaque conceptionem Chriſti ſentimus omnium puriſſimam, ſanctiſſimam & cumprimìs admirandam, intra ſanctam & integerrimam virginem ſinè vlla viri cooperatione factam. Si quæris, qua ratione fieri potuerit, vt virgo virum neſciens, filium conciperet? Reſpondeo cum Angelo Gabriele, Lucæ 1. Spiritusſanctus ſuperuenit in eam, & virtus altiſſimi obumbrauit illi, atq; hoc in illa opus effecit. Quid ergò præpotenti illi Deo putabimus impoſſibile, qui cælum & terram & vniuerſas creaturas condidit, eaſdemque etiamnùm conſeruat? Tum verò extant ipſius Spiritusſancti teſtimonia, iam olim ante aliquot annorum millia, hanc longè puriſſimam filij Dei conceptionem in virgine futuram. Et hæc omnia fidem mihi adferunt certiſſimam, Domini & Dei noſtri Chriſti conceptionem ſpiritualem fuiſſe & diuinam. Eſai. 7. Ezec. 44.

Natiuitatem porrò illius ſentio & credo verè naturalem & humanam ex virgine Maria, de qua reuerà carnem ſuam aſſumpſit, ità vt humanitas illius non minùs vera fuerit, quàm noſtra, omni naturali affectioni & imbecillitati ſeu defectui ſubiecta ſicut noſtra, dépto ſemper peccato, & quicquid cum peccato ità communicat, vt plenitudinem illam gratiæ vel impedire, vel imminuere queat. Hæc enim omnia in hoc diuino homine prorſus non fuerunt. Erat nanque in illo omnis gratiæ plenitudo. Peccatum autem & dolus in eo non ſunt inuenta. Hæc itaque vera fides eſt de Ieſu Chriſto, vt in eius perſona duas naturas, diuinam pariter & humanam, verè & ſubſtantialiter credamus & confiteamur. Quòd ad diuinitatem attinet, fatemur & credimus in Chriſto perfectam cum Deo patre æqualitatem, parem potentiam, æqualem ſapientiam, indiſſimilem æternitatem. Quòd autem ad humanitatem attinet, confitemur & credimus in Chriſto eandem eſſe naturam cum noſtra, excepto peccato, & quicquid cum peccato communicat: alioquì omnes noſtræ naturæ affectiones in eo extiterunt: famem, ſitim, frigus, æſtum, & fatigationem in ſuo corpore ceu verus homo ſenſit. Miſericors fuit non aliter àc homo: triſtitia & ægritudo in eum cadere potuerunt, tanquàm in hominem: quemadmodùm & verus erat homo ex virgine Maria. Hæc vobis dilectiſſimi, diligenter ſunt Iohan. 1. 1. Pet. 2.

b 3 memo-

memorię commendanda, idque duabus de cauſis. Primò quidé, vt omnes Chriſti actiones, quæ nonnunquàm prorſus diuerſæ eſſe videntur, tantò meliùs compræhendatis, quandò vtranque in eo naturã agnoſcitis & credītis. Deindè, vt grati ſitis, expendendo apud vosipſos magnificam illam Dei & ſeruatoris noſtri bonitatem, quòd noſtræ ſalutis ergô nõ detrectauerit de cælo deſcendere, ſeq; in omnem humanam miſeriam demittere, vt per ſeipſum noſtræ miſeriæ & calamitati opitularetur. Neque in hoc tamen opus redemptionis noſtrę deſiuit, quòd Chriſtus propter nos homo factus eſt.

Paſſus eſt etiam pro nobis, crucifixus, mortuus, & ſepultus, noſtrę ſalutis cauſa. In quo rurſus eximiam erga nos Dei benignitatem vt perpendatis volo. Per peccatum quidem corrueramus in mortẽ. Dominus autem voluntariè ſe humiliauit vſque ad mortem, vt nos ad vitam reduceret. Quantùm nos peccata in miſeriarũ lacum præcipitauerant, tantùm Chriſtus ſuã erga nos charitatẽ in miſerias & calamitates demiſit, vt nobis adferret opẽ. Paſſus, crucifixus & mortuus eſt, vt eius innocentia noſtra peccata diluerentur, & eius morte ab æterna morte liberaremur.

Hinc iã quilibet è religiõe Chriſtianus, facilè animaduertit omninò decere, vt & ipſi animas noſtras pro Chriſto Dño ponamꝰ, ſi diuinꝰ eius honor id expoſcat, aut minimùm illiꝰ cauſa peccato & impijs huiꝰ mũdi ſtudijs moriamur, viuamusq; ad arbitriũ illiꝰ, qui (quãtùm quidẽ in ipſo fuit) nos acerbiſſima paſſione, ſanguinis profuſione, ipſa deniq; morte ſua à peccato, ſatanę poteſtate & dãnatione ſempiterna vindicauit & redemit. Meritoque deincèps ab omnibus ijs abſtinere debebimus, propter quæ Chriſtum pati, & mortẽ pro nobis oppetere oportuit.

Porrò etiam in noſtræ redemptionis opere hoc cõtigit, quòd Chriſtus poſt mortẽ ad inferos deſcẽdit, non vt ibì tanquã debito obnoxius aliquid pateretur, ſed vt alios ex ſupplicijs eriperet: perindè vt princeps aliquis, cuius ciues ab hoſtibus capti & in vincula coniecti ſint, ilicò ingẽtes apparat copias, ducit exercitum ad hoſtium arcem vel munitionem, eamq; diruit, & ingreſſus carcerem, ciuium vincula reſoluit. Eodẽ modo Chriſtus cùm morte ſua corporali hominem cum DEO patre in gratiam reſtituiſſet, eò profectus eſt, vbì ciues eius iam ab ipſo redempti, captiui detinebãtur: ingreditur inferos, euertit regnum Satanę, iugulat mortẽ ęternam, ciuesq; ſuos iã ſolutos educit ex vinculis. Hic eius ad inferos deſcẽſus fuit, idemq; eſt conſolationis pleniſſimus, de quo Pſal. 61. Ionæ 2. Ephe. 4. 1. Pet. 3.

Hanc ergò tam ſalutiferam Domini noſtri mortem, eiusq; deſcenſum ad inferos, magna cum gratiarum actione prædicemus. Nam per mortem illius nos vitam adipiſcimur: & per eius deſcẽſum, Satanæ & tartari & mortis ſempiternę aduersùm nos vires fractę & eliſæ ſunt, modò nos haud fallaciter per veram orthodoxamq; fidem & ſanctam cõuerſationem in Chriſto maneamus. Tunc penſata ſiue repenſa eſt diaboli fraus, qua vſus erat ad ſem-

ſempiternam humani generis perniciē. Et accidit quidem illi, quod piſci vſu venire ſolet, qui eſcæ inhians, & hamum non pręſentiens, cùm capturum aliquid ſeſperat, ipſe capitur. Voluit diabolus Chriſtum in mortem & inferos pertrahere, tanquàm hominem: ſed non perpēdit in illius humanitate diuinitatem, omnemq́; innocentiā latére. Porrò ſimulatquè infernus & mors hunc hamum deglutiērunt, nimirùm innocentiſſimum Dei filium, iam ijdē ipſi facti ſunt prædę, Coloſſ. 2. Deo gratias, qui dedit nobis talem victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ex reſurrectione Chriſti ſūmmam animis noſtris percipimus conſolationē. Hinc eīn intelligimus Chriſtum iam pro nobis aduersùs peccatum & damnationē æternā victoria potitū. Quamobrem certi ſumus, quēadmodùm Chriſtus à morte reſurrexit, ſic & nos poſt mortem hanc temporariā reſurrecturos in vitam quandā ſempiternam. Quòd autem credimus & cōfitemur Chriſti ad cælos aſſcenſum, in eo ipſo via nobis indicatur, quò tandèm migrare debeamus, & vbì æternùm manſuri ſimus. 1. Cor. 15. Ioan. 14.

Per Chriſtum, qui iam olim aſſcendit in cælum, nobis paratus eſt locus in cælo. Neq; enim perēnis hęreditas noſtra eſt hîc in terris in bonis fluxis & temporarijs, ſed in cælis in bonis ęternis & nunquàm perituris. An alibì erimus ſerui & membra, quàm vbì caput noſtrum & Dominus eſt in cęlis? Verùm enimuerò qui ęternam illam cum Chriſto ſocietatem habere deſiderant, & cum illo abſq; vllo fine viuere in regno cæleſti, hos nūc oportet mentem ab omnibus vitę huius voluptatibus & oblectamentis auocatam, ſurſùm erigere, eaq́; quæ ſurſùm ſunt ſapere, vbì Chriſt⁹ eſt in dextera Dei ſedens: peccata & probra omnia abijcere, vitamq́; cęleſtem & ſanctā aſſumere. Auaritia, impudicitia, ebrietas & oīne vitiorū genus non poſſunt eò ſubſequi, quò Chriſtus aſſcendit. Cęlū enim caſtis, humilib⁹ & probis paratum eſt. Hi cum Chriſto in regno ſuo habitabunt: foris autem iniqui & peccatores omnes, Apocal. vlt. Col. 2. 3.

Porrò quòd confitemur Chriſtū ſedere ad dexteram Dei, non eo modo intelligimus, quaſi Deus habeat manus, pedes & corpus. Scimus Deū eſſe ſpiritum, & proindè non habere corpus inſtàr hominis. Quòd igitur dicimus, Chriſtus ſedet ad dexteram Dei, intelligimus Chriſtū in cælo æqualis eſſe gloriæ, dignitatis & potentiæ cum Deo. Et hoc itidèm magnæ nobis eſt conſolationi, dum cōſideramus nos tam potentē & fidelē apud Deum habere aduocatum. Sedet ad dexteram Dei patris

Indè venturus eſt, &c.

POſtremum quod de CHRISTO confitemur, meritò [illegible] & perpetuam animis noſtris ingeret admonitionem. Scimus Chriſtum in cęlis ad dexterā Dei ſedentem, omnia quę à nobis in terris geruntur, intueri. Opera, verba & cogitationes noſtrę momentis omnibus illi perſpicua & aperta ſunt. Itaque venturus eſt, & mortalium omnium actiones, verba & cogitationes iudicaturus.

Hic ergò articulus ſit inſtàr perpetuæ cuiuſdam præmonitionis cordibus veſtris affixus, omnesq́ue actiones, verba & cogitationes veſtras ità dirigite, tanquàm quæ reuera fiant ſub oculis Dei cuncta cernentis, & vndè aliquandò ſitis Domino Deo rationem reddituri. Non cadit in eum obliuio vllius vel actionis, vel dicti, vel cogitationis. Conſcientiæ noſtræ nos actionum & cogitationum noſtrarum omnium reos agent, & peragent atque conuincent coram Deo. Horum itaque recordemur, & minùs peccabimus, Eccleſ. 7.

CONCIO V. HABITA

Dominica Pentecoſtes, Anno 1542.

IN fidei noſtræ Symbolo, auditores, duodecim diſtinctos Articulos recenſemus, tametſi tres tantùm ſint præcipuæ partes totius Symboli, quarum ſingulæ ſingulis in Deitate perſonis attribuuntur, ipſasq́ue perſonas & earum peculiarem operationem exprimunt, ſimulq́ue indicant ſummam illam & intimam conſolationem, maximumq́ue beneficium, quibus Deus vnquàm affecerit, atque etiamnùm afficiat quotidiè genus humanum. In prima parte confitemur Deum Patrem, ceu cęli & terræ creatorem, eoq́ue admonemur Deum eſſe illum, à quo acceperimus & adhuc accipiamus corpus & animam, alimenta, tegumenta corporis, honores, facultates, neceſſitudines & amicitias, & quicquid in mundo charum & iucundum ſiue delectabile nobis eſt. Idemq; quemadmodùm nos & neceſſaria corporis noſtri ſubſidia creauit, ità & conſeruare nos non deſinit. Pater enim noſter eſt, qui nos curat, diligit, protegit, & cælum ſuum interìm præſtolari nos iubet, quod eo nomine creauit, vt nobis tandèm domicilij loco ſit, quandò hęc vita diutiùs tenere nos non poterit. In altera parte confitemur ſecundam in Diuinitate perſonam, nempe filium Dei Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, atque in memoriam redimus benigniſſimæ munificentiſſimæq; redemptionis generis humani. Nam cùm per lapſum primorum parentum in Dei iram incidiſſemus, eorundemq́ue peccatum naturam noſtram ità corrupiſſet, vt & ipſi iam in peccatum proni & procliues eſſemus, & hoc modo corrupta per peccatū natura, iure poteſtati Satanæ ac damnationi dedita eſſet & ſubiecta: alterum hoc longè maximum & arduum opus erga nos declarauit Deus, & per vnicum Filium ſuū nos ex damnatione redemit, quos antè condiderat. Porrò ſecundum hoc redemptionis noſtræ opus, ſeptem articulis in Symbolo compræhenſum eſt, vti iam audiuimus. Reliqua nunc eſt tertia noſtræ fidei pars, quæ de Spirituſancto tertia in diuinitate perſona agit. Annexi autem ſunt huic parti quatuor articuli, qui operationē Spirituſſancti ſingulari quadam ſuauitate & conſolatione nobis demonſtrant, quemadmodùm paulò pòſt, Deo volente, ſumus audituri. Præcipuum Spirituſſancti opus

opus eſt, vt nos ſanctificet gratia & virtute ſua, atque in eadem vitæ ſanctimonia conſeruet. Quibus autem medijs iſtud fiat, hîc quatuor articulis cõmemoratur. Habemus itaq; tres duntaxat in noſtræ fidei Symbolo partes de tribus perſonis ſacroſanctæ Diuinitatis, cum totidẽ cõſolatione & gratia pleniſſimis operationibus. Habemus, inquam, Patrem, Filium & Spiritumſanctum, quorũ operationes ſunt, creatio, redemptio & Sanctificatio noſtra. Hoc itaq; modo fides noſtra Chriſtiana integra fuerit & abſoluta, ſi itá confiteamur:

TERTIA PARS SYMBOLI VEL FIDEI CHRISTIANAE, DE SANCTIFICATIONE.

Credo in Deum Patrem, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum. Et in Spiritumſanctum.

IN his tribus partibus vniuerſa fides noſtra compræhenſa eſt: vt autem vnicuique perſonę propria ſua operatio, ſignificanter & dilucidè attribuatur, his tribus capitalibus articulis, plerique alij, aliaq; inſupèr nõ pauca verba annexa ſunt, quæ munificentiſſimam ſacroſanctæ diuinitatis operationẽ clariùs adhuc & euidentiùs proponunt, dum id nobis indicát, quomodò à Patre creati, à Filio redempti, & à Spiritusancto ſanctificati ſimus, & etiamnùm ſanctificemur. Vnum hîc neceſſariò admonẽdi eſtis. Quandò tres auditis in Deitate perſonas nominari, non exiſtimabitis tres eſſe Deos. Nanque hæ tres perſonę, vnus ſunt Deus in ſubſtantia, æqualis potentiæ, eiuſdem gloriæ, indiſſimilis ſapientiæ, paris poteſtatis, & indiſcretæ vnitatis. Porrò cùm auditis peculiares ac proprias actiones ſingulis Deitatis perſonis tribui, vt patri creationẽ, filio redẽptionẽ, ſpirituiſancto ſanctificationem: ſentire & credere debetis, vnum verum Deum, Patrem, Filium & Spiritumſanctũ, tale opus inſeparabiliter perfeciſſe: itá vt filius & ſpiritusſanctus in creatione non excludantur, ſed quòd Deus pater vniuerſa per Filium cũ Spiritusancto creauerit: In redemptione quoquè Spiritusſanctus & Pater non excludátur, ſed trina Deitas redemptionem noſtram executa ſit. Itidèm in noſtri ſanctificatione quam efficit Spiritusſanctus, & pater & filius cooperẽtur, vt verum ſit, Deum nos ſanctificare. Sic ſanè oportet fidem noſtram eſſe conſtitutam, quanuis tres perſonas confiteamur, & ſingulis proprias operationes áſſignemus, vnum tamen eſſe Deum, à quo & per quem ſint omnia, vt ait Apoſtolus: ipſi gloria in ſecula ſeculorũ, Amen. Atq; hîc neceſſum eſt, fidem procedere, & intellectũ cedere: quippe qui iſthuc nequeat cõpræhendere. Neq; refert tamẽ, nos intellectu aſſequi non poſſe, vt tres ſint perſonæ, & non niſi vnus Deus: vt peculiares operationes vnicuique perſonæ attribuantur, & tamen tota Trinitas ſimul omnia in nobis operetur. Sufficit nos itá hæc fide complecti, quẽadmodùm ea ſcriptura depromit & exprimit. At nihilo minùs, vt etiã intellectui nonnihil indulgeamus & obſecũdemus, naturale quoddã exem- Rom. 11.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

exemplum illi adferemus, vbi tria nomina & totidem operationes in vna eademq́; ſubſtantia comperiat: nè nimis abſurdum aut inſolens illi videatur, ſi audiat vnum eſſe Deum, & tres perſonas, ſingulisq́; perſonis ſingulas nonnunquàm adſcribi operationes, & tamen non niſi vnam Diuinitatem hęc omnia certò efficere: quanquàm nullum ſumi poteſt exemplum ex vniuerſo illo omnium creaturarũ aceruo, quod Diuinã eſſentiam propriè referre ac repræſentare queat. Deus enim eſt incompræhenſibilis, & omnes creaturæ ab eius incompręhenſa eſſentia longiſſimo diſtant interuallo. Quin & oro eandem Diuinam Maieſtatem, veniam mihi concedat, quòd ſacroſanctam & incompręhenſibilem Deitatem exemplo à natura deſumpto conor declarare. Teſtor autem coram Deo, de quo inpræſentiarùm ſermo nobis eſt, perindè vt etiam D. Auguſtino quodam loco, me non temeritate adductum iſthuc facere, ſed cauſa promouendę ſalutis noſtræ, vt imbecillitati intellectûs noſtri hac ſimilitudine aliquantulùm ſuccurratur, vtì intellectus ipſe ſiue ratio fidem noſtrã minimè infeſtet, miſſamq́ue eam faciat, vbi paululùm ex quodam ab ipſa natura petito exemplo didicerit, quemadmodùm in inſeparabili & vnica Diuinitate tres perſonæ ſint, itemq́; peculiares ac proprię ſingularum perſonarum actiones, quæ tamen tota ſimul efficiat Trinitas, commemorentur.

Auguſt. de Symbolo fidei ad catechum. lib. 3. cap. 9.

EXEMPLVM.

Ignis.

Ignis quædam ſubſtantia eſt, & nihilo ſeciùs tria in ſe continet, nimirùm flammam, ſplendorem & calorem, quæ tamen vnus ſunt ignis, tresq́; diſtincti effectus horum trium exprimuntur, licèt ignis hos omnes ſimul exerat ac operetur. Dicimus ſplendorem lucere, calorem calefacere: nemo autem dixerit ſe à ſplendore aduri, aut à calore lucem percipere, cùm interìm tamen ignis in ſua ſubſtantia vnicum quid ſit, quod pariter & ardet, & lucet, & calefacit. Ad eundem modum diſcite vnum credere Deum, licèt tres in eo perſonas confiteamini. Patrem qui nos creauit, Filium qui redemit, Spiritumſanctum qui ſanctificauit, atque has perſonas vnum nihilominùs eſſe Deum, qui creauit, redemit & ſanctificauit. Hæc itaquè de trium in Deitate perſonarum differentia dixiſſe ſufficiat. Nunc ad poſtremam Symboli partem noſtra proficiſcitur oratio, nimirùm ad tertiam perſonam Spiritumſanctum, primum (volente Deo) articulum inpræſentiarùm breuiter perſtrictura. Verba articuli ſic habent:

Vide Auguſti. ſermone. de verbis Apoſtoli.

Credo in Spiritumſanctum.

AB initio vos admonui, Credere, hîc nõ tantùm ſignificare, certum & indubitatũ habere, ſed & fiduciam ſalutis in eo, in quod credis, collocare. Itaque qui dicit, Credo in Deum, non ſolùm hoc dicit, Sentio indubitanter Deum eſſe, eundemq́ue æternum, potentẽ & iuſtum atque veracem eſſe, ſed hoc potiùs vult intelligi: Credo in Deum, id eſt, omnem ſpem meam in illo conſtituo, illi corpus, animam, honores, & faculta-



cultates, concredo atque permitto, certus quòd ab illo inprimis & à nullo alio & expectare ſiue ſperare debeam, & poſſim obtinere ſalutẽ ſempiternam. Quandò igitur dicimus, Credo in Spiritumſanctum, his ipſis verbis veram illi Diuinitatem tribuimus, cùm in eum ſperemus & credamus, & rectè quidem. Sic enim & Chriſtus nos docuit baptizari debere in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti: vbì ſanè Spirituiſancto omnia æqualiter tribuuntur cum Patre & Filio. Illud itaq; primum eſt, quod in hoc articulo confitemur, nempe Spiritumſanctum natura & ſubſtantia Diuina Patri & Filio coæqualem, & cum Patre & Filio verum, æternum, omnipotentem, iuſtum & conſeruantem ſaluosq; nos facientem eſſe Deum, Gen. 1. Pſalm. 50. Eſaiæ 63. Matth. 3.24. Ioan. 7.20. 1. Ioh. 5. Epheſ. 1. Matt. 28.

Secundò diſcernendum eſt nomen eius ab aliorum ſpirituum nominibus, quorum etiam fit mentio in ſcripturis. Multos quidẽ alios ſcriptura ſpiritus commemorat, cùm bonos, tum malos: verùm hæc Deitatis perſona peculiariter id ſibi nominis vendicat, vt vocetur Spirituſſanctus. Et quanquàm plures alij ſpiritus etiam ſancti ſint, veluti Angeli, diuerſa tamen eſt illorum ſanctitas. Angeli quippe appellantur ſancti, quoniam à Deo ſanctificati ſunt. Spirituſſanctus verò idcircò dicitur ſanctus, quòd natura & in ſeipſo ſanctus ſit, & cætera omnia ſanctificet, & ſinè illo nihil Nomen.

fit

ſit purum aut ſanctum in creaturis omnibus tam in cælo, quàm in terra.

Sanctificatio. Ex hoc igitur Spirituſancto donum illud & gratia in nos proficiſcitur atque promanat, vt & nos ſancti ſimus. Qua autem ratione hanc ſanctificationem in nobis efficiat & conſeruet, id ex ſubſequentibus articulis diſcemus. Eſt enim opus quoddam Spirituſſancti, quòd in ſanctam Catholicam Eccleſiam recipimur: quòd in communione Sanctorum numeramur: in eadem verbum Dei audimus, remiſſionem peccatorum conſequimur, veneranda Sacramenta participamus, per quæ ad ſupremam beatitudinem & vitam æternam præparamur, quemadmodùm audituri ſumus. Nunc in genere nonnulla de Spirituſſancti operationibus dicemus, vtì is ſanctificationem in nobis & efficiat, & conſeruet.

Primam eius ſanctificationem haurimus in Baptiſmo, vbì ille nobis infunditur, conferens nobis virtute & gratia ſua remiſſionem peccatorum omnium, quæ ante Baptiſmum commiſſa ſint, atque ex veteris & perditi Adami filijs, nouos, puros & ſanctos Dei filios, ex damnatis peccatoribus, hæredes efficiens regni cæleſtis, vt eſt videre ad Tit. 3. 1. Cor. 6. Rom. 8. Deindè cùm in Baptiſmo pernicioſus & peſtilens ille naturæ noſtrę morbus nondùm planè extinguatur & curetur, ſed vigeat adhuc in nobis propenſio in peccatum, perpetuò ac peculiariter hoc agit Spiritus ſanctus, vt cordibus noſtris charitatem infundat, & per illam improbas reprimat cogitationes & corrigat voluntatem, vt deincèps ad bonum prompti & voluntarij reddamur. Neque ſolùm bonam præſtat voluntatem, ſed virtutem quoquè & facultatem eam in opus conferendi. Cuius virtutis multis in locis meminit D. Paulus. Vbì autem huiuſmodi gratia & operatio Spirituſſancti abeſt ab homine, fieri non poteſt, vt religioſam & ſanctam agat vitam. De quo Rom. 5. 8. Galat. 5.

Tertiò, cùm vitio deprauatæ noſtræ naturæ, expertes ſimus veræ cognitionis Dei, hoc quoque munus eſt Spirituſſancti in qualibet Chriſti Eccleſia, vt præpoſitis & prælatis veram verbi Dei annunciationem inſpiret, & audientium animos præparet, verbiq́ue capaces efficiat, atque veritati verbi Diuini intùs in auditorum animis efficaciter adſtipuletur & ferat teſtimonium vt credant. Sinè hac Spirituſſancti illuſtratione, impoſſibile eſt, vt verbum Dei vel veraciter annuncietur, vel piè vereq́ue credatur, Iohannis 14. 15.

Quartò, ſi quidem in fidelibus, poſt omnem gratiam illis diuinitùs collatam nonnihil deſideretur, nec planè adhuc abſtineant à peccatis poſt Baptiſmum, hæc Spirituſſancti in illis eſt ſanctificatio, vt poſtquàm in peccata reciderint, dolorē & pœnitentiam in cordibus eorum exuſcitet. Atque hoc eſt fidelium & impiorum diſcrimen. Impij quidem peccant, ſed maleficiorum ſuorum illos non pœnitet, & perſeuerant in peccatis vſq; in finem. Fidelis autem vbì lapſus eſt in peccatum, dolet, & per pœnitentiam confugit ad Deum, impetratq́ue remiſſionem peccati. Hic dolor, &

hæc

hęc pœnitentia non aliundè ꝓuenit, quàm ex Spirituſancto. Nam quandò ſpiritus humanus per peccatum quodámodò enectus & ſuffocatus eſt, non poteſt ſuis viribus ſub tanta peccati mole reſurgere, & ad pœnitentiã inflammari, niſi diuinus ille ſpiritus hominis imbecillitatem adiuuet, frigidumque illius pectus igne gratiæ ſuæ inflammet ad pœnitentiam. Qua de re fuſiùs in ſequentibus articulis audiemus.

Prętereà Spirituſſanctus animis noſtris ſuggerit, quicqd vtiliter à Deo petimus, & impellit nos ad precandum, efficitque vt precatio noſtra exaudiatur. Neque vllas Deus admittit vel exaudit preces, quæ non ſint mouẽte Spirituſancto fuſę, Rom. 6. 8. Largitur etiam Spirituſſanctus plenã conſolationis fiduciam in cordibus noſtris, vt certò nobis bona polliceamur de DEO, & fidenti animo ad eum clamemus, Abba (pater.) Ad hęc Spirituſſanctus efficit, vt futura illa bona cæleſtia nobis adlubeſcant. Ipſe enim eſt pignus hęreditatis noſtrę, in redemptionem acquiſitionis, qui & teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, reuerà id nos nobis polliceri poſſe, quòd futuri ſimus hæredes Dei in illo regno ſempiterno, Rom. 8.

Atq; hanc fiduciam vſqueadeò confirmat & certam efficit in veris fidelibus, vt hac ſpe & expectatione fulti, omnem temporariam afflictionem facilè contemnant. Quantunuìs malè cum eis agatur in hoc mundo, affatìm tamen hoc illos conſolatur, quòd ſciant ſibi ſempiternam beatitudinem illic certò paratam: hinc etiam appellatur Paracletus, hoc eſt, conſolator. Poſtremò omnibus ſuis donis & operationibus ità comparat & adaptat corpora fidelium Spiritusſanctus, vt munda & ſancta Dei templa fiant, quæ Deum inhabitare delectet. 1. cor. 3. 6. Ità nunc audiuiſtis dilectiſſimi, quamobrem diuinus ille Spiritus, ſanctus appelletur, nempè non ob id ſolùm, quòd ſanctus ſit, ſed quòd & nos ſanctificet: Nam ab illo procedit ſanctificatio in omne illud, quod vel in cælo, vel in terra ſanctum appellatur. Si ergò gratia Spirituſſancti illuſtrati, quemadmodùm ſpero, hanc explicationem retinuiſtis: equidẽ iam ſciſcitor à vobis, quomodò hæc verba CREDO IN SPIRITVM SANCTVM, intelligatis? Ad hoc iam quilibet veſtrûm rectè in hunc modum reſpõderit: Ea ratione credo in Spiritum ſanctum, vt abſque vlla hæſitatione ſentiam & ſciam, Spiritumſanctum verum eſſe Deum, quique ſaluum faciat, eũdemque cum Patre & Filio conſempiternum ac præpotẽtem eſſe Deum, qui ſua bonitate, miſericordia & illuſtratione, omnem in me ſanctitudinem operetur. Si cõtingat mihi peccatorum remiſſio, & purget à ſordibus immunditiæ, huiuſmodi purgationem non niſi à Spirituſancto obtineo, non autem ex meipſo, aut viribus meis. Si qua eſt in me rerum diuinarũ ſiue fides, ſiue cognitio, eam Spirituſſancti illuſtrationi acceptam fero. Si qua deuotio, vel pia affectio, vel ſanctum propoſitum, aut bona volũtas exoritur in animo meo, id omne à Spirituſancto proficiſcitur. Quòd ſi his donis me deſtitutũ comperiam, ſcio me non aliundè hæc vel conſequi poſſe, vel præcipuè petere debere, quàm à

Spiritufanćto, vnico omnis ſanćtitatis largitore. Et vt ſemel dicam, quòd hîc in omni pietate & ſanćtimonia viuimus,& poſteà ſempiterna beatitudine perfruimur,muneris eſt & benignitatis Spiritusſanćti,Amen.

CONCIO VI. HABITA
Dominica ſanćtæ Trinitatis, Anno 1542.

EX præcedentibus Symboli articulis,Auditores,didicimus,in quem credere debeamus,nimirùm in vnum,æternum & omnipotentem Deum,Patrem, Filium,& Spiritumſanćtum:ſequitur nunc de confitenda Eccleſia Dei & populo peculiariter à Deo elećto,qualem ab initio ſemper habuit in terris,& etiamnùm habet.Sic ergò dicimus:

Credo Sanćtam Eccleſiam Catholicam,Sanćtorum communionem.

HVius articuli non minùs,quàm præcedentium vera & ſeria confeſſio, ſaluti noſtrę neceſſaria eſt.Nam ſi de Deo quis credat aut ſentiat,quicquid ſentiendum & credendum eſt, de ſanćta autem Eccleſia Catholica, & de ijs,quæ in ea geruntur & aćtitâtur,non ità,vt meritò debet,credat aut ſentiat,hic longè à veritate pariter & fide aberrat,& cum omni ſua ſcientia & fide,in æternæ damnationis abyſſum pręcipitabitur,ipſiusq́ue Dei cóſpećtu,quantunuìs eum in alijs articulis rećtè ac probè confeſſus ſit,priuabitur.Hæc eſt illa Dei Eccleſia,domicilium elećtorum & ciuitas,in quam præpotens Deus omnes ſuos congregat & conſcribit.Quid ergò profuerit Dei cognitio,ſi Eccleſię membra non ſimus,neque ille ſit Deus noſter? Si quis alicuius ciuitatis explorata habeat ſtatuta, & conſuetudines vniuerſas,optimum quoquè illius nôrit magiſtratũ,quantaq; ſub illo pace & trãquillitate fruantur ciues:quid,obſecro,hæc ſcire profuerit,niſi ius illius ciuitatis habeat,vel niſi in eam receptus ſit?Eadem ratione ſi credam & ſciã Deum populi ſui & patrem & ſeruatorem eſſe velle,quorſum hæc profuerit fides,ſi non in illius Repub.ſim portio quædam populi eius,atque eorum ex numero vnus,quibus ſuam ille impartiatur gratiam,quosq́ue velit ſaluos facere?Quemadmodùm itaq; ab illa ſempiterna beatitate excludar, ſi in Deum beatitudinis largitorem non credam:ità ſalutem nullo modo conſequar,ſi Eccleſiam & quæ in ea geruntur,non credam,intra cuius limites duntaxat ſaluos & beatos efficit Deus, extra quam nihil negocij habet.Nam in illos,qui extra Eccleſiam degunt, viuifica ſua chariſmata vel gratiam viuificantẽ,non magìs effundit,quàm in bruta animãtia. Quamobrem dilećtiſſimi animos ad hunc articulum aduertite:equidem implorato diuini numinis auxilio,ſimpliciter ac perſpicuè vobis proponam ea omnia, quæ circa illum ad ſalutem credere ac ſentire debeatis. Deus optimus maximus gratiam ſuam vtriſque adſpirare dignetur.

Prin-

Principiò aduertendum eſt,loquēdi modum hîc mutari. Neque enim dicimus,Credo in ſanctam Eccleſiam Catholicā, quemadmodùm ſuprà diximus,Credo in Deum: ſed,Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam:quę quidē ingēs eſt & notabilis diuerſitas.Credimus in Deum, animos, ſpem & fiduciam noſtram in eo collocamus,tanquàm in creatore, redēptore & ſanctificatore noſtro,qui ſolus corpus & animam noſtram protegere,cōſeruare, veraq; beatitudine donare poſſit. Non autem credimus in Eccleſiam aut ſanctorum communionem:neque enim ea ſalutem nobis donare poteſt:ſed inſtrumēta nobis adhibet & erga nos vſurpat,per quæ Deus ſalutem nobis impertit.Credimus autem ſanctam Eccleſiam Catholicam eſſe,in qua(vt poſtmodùm audiemus)media quædam conſequendæ beatitudinis aſſeruentur & vſurpētur,qualia ſunt,verbum Dei, Sacramenta, & quicquid eluendis animarum noſtrarum ſordibus deſeruire poteſt, cui Deus, tanquàm vnicę ſuæ ſponſæ,loco precioſę magnificęque dotis,chariſmatum donorumque ſuorum theſaurum largitus eſt,cuius nulla ſponſa adulterina aut ſecta particeps eſſe poterit.

Deindè & hoc ſimpliciores animaduertant, quid vocabulum Kyrch/ ſibi velit. Germani enim ſic Eccleſiam vocant,& id nominis à Gręcis mutuati ſunt:nam hi templa appellant κυριακά, ſicut & Latini Dominica. Porrò quandò in noſtrę fidei ſymbolo Eccleſiam confitemur,non intelligimus conſecratas Baſilicas vel ędes ſacras,ſed populum in ijſdem congregatum, quemadmodùm ſi dicamus,totam ciuitatem rem quampiam in ore habere,non quidem ciuitatem,ſed ciuitatis incolas ſignificamus. Sic Eccleſia collectam fidelium multitudinem & cōcionem ſignificat,non vnius alicuius loci,ſed omnium vbiquè gentium, quotquot in Dei populo numerantur,& ſunt è religione Chriſtiani:atque hæc propriè vocatur Eccleſia, hoc eſt,multitudinis vndiquè euocatę cœtus & cōcio: Atq; hęc eſt Eccleſia ſanctorū,qui ex peccatis ad iuſtitiā,ex damnatione ad ſalutem, ex tenebris & erroribus ad lumē veritatis & veram Dei cognitionem ſunt acciti & vocati.Huiuſmodi Eccleſiam aut cœtum peculiarium quorundam hominum ſemper habuit Deus iam indè ab ipſo mūdi exordio in terris, qui ex gratiæ diuinæ illuſtratione & promiſſis Dei cognoſcebant & credebāt Chriſtū ſeruatorē venturū,vtì nos eum iam veniſſe nouimus & credimus. Et quemadmodùm nos hodiè ſumus Eccleſia Dei,ſic illi tunc erāt populus Dei,cui per charitatem in fide,veritate & iuſtitia adhærebant.

Sed poſt Chriſti demùm natiuitatem beata illa ſocietas vehemēter adaucta eſt,& veluti recēns orta atque vbiquè terrarum cognita eſt & peruulgata.Sic ergò per Eccleſiam, intelligetis vniuerſum ſanctorum omnium cœtum & concionem, quam Spirituſſanctus per gratiam ſuam,& cōformem vnius fidei conſonantiam conglutinauit,& Chriſto tanquàm capiti annexuit, cum quo ceu ſtructura vna vel ędificiū & vnum ſunt corpus, alter autem alterius membrum,Chriſtus verò caput omnium.Sub hac Ec-

clesia etiam ſpiritus angelici & electi omnes in cælis compræhenduntur, qui vna nobiſcum appellantur Ecclesia, & ſancta concio, hoc tamen diſcrimine adhibito, quòd illi triumphantis, nos militantis Ecclesiæ nomine censemur: vtpotè qui etiamnùm laborando, certando atque dimicando id obtinere nitamur, quod illi fratres noſtri, à iuſto, munifico, clementiſſimoque DEO huius certaminis agonothete, iam adepti ſunt & poſſident. De hac itaque militante in terris Eccleſia dicemus, quidnam Deus in ea operetur, quid in ea geratur, quæ eius ſint functiones & officia, eaq; ipſa quantoperè ſaluti noſtræ ſubſeruiant & ſint neceſſaria, adeoque vt abſque interuentu, ope & ſuffragio Eccleſiæ, nulla ratione ſalutem ſempiternam poſſimus adipiſci. Audiuimus paulò antè, per Eccleſiam, intelligi cœtum vel concionem Chriſtianorum, non vnius loci, ſed totius orbis. Hæc quanuìs pro ratione locorum diſperſa ſit, Spirituſſanctus tamen illam ſua gratia coadunat, & eadem fide ac indiſſimili ſacramentorũ vſu conglutinat, ità vt mutua quadam ſpiritûs communione, concordia & amicitia connexi ſint, licèt corporibus nunquàm coniungantur. Vno enim Baptiſmate expiat eos Spirituſſanctus, & vni Chriſto concorporat, eſtque inter eos vnio illa, de qua loquitur Apoſtolus Epheſ. 4. Vnus Dominus, vna fides.

In hac communione, vna & æquali omnes ſumus conditione ad promerendam gratiam diuinam, per quam Deo ſumus accepti, quaque Deus nos ſaluos vult facere: omnes enim quotquot Chriſtum profitemur, idoneam omnibus in locis & ſtatibus ſalutis comparandæ facultatem habemus: Germanus æquè àc Italus, opilio non minùs quàm rex, Laicus haud ſecùs àc ſacerdos: Deus omnes nos ex æquo diligit, & ſalutem paratus eſt conferre, cuiuſcunq; demùm fuerimus vel nationis vel conditionis, perindè vt homo omnia corporis ſui membra pari amore complectitur, nulliuſq; dolorem aut perniciem libens patitur. De hac æqualitate accipiendum eſt, quod Actor. 10. refert Petrus, non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum. Et illud Pauli ad Galatas: Non eſt Iudæus neq; Græcus, &c. Verumenimuerò vt vnius corporis membra non eundem habent actum & officium, vniuſcuiuſque tamen membri functio, corporis commodis & vtilitati ſubſeruit: ità & Spiritus ſanctus diuerſa tum dona, tum officia diſtribuit in Eccleſia, ità tamen, vt hæc munera nõ ad vtilitatem priuatam duntaxat illius, cui collata ſunt, ſed ad publicũ bonũ ſiue vſum conuertantur, nec minùs illi proſint, qui ea habet, quàm qui ijs per eum fruuntur vel vtuntur. De hac donorum inæqualitate munerumq; differentia loquitur Paulus 1. Cor. 12. Diuiſiões verò gratiarum ſunt, idem aũt ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationũ ſunt, idem autem Dñs: Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; aũt datur manifeſtatio ſpiritûs ad vtilitatẽ. Et Eph. 4. diſtinguit Apoſtolus officia & munia in Eccleſia Dei, inquiens: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſ-

1. Tim. 2.

quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.

Hinc patet, vti Chriſtus varijs donis & officijs Eccleſiam ſuam inſtruxerit, quoſdam dederit Apoſtolos, non omnes, &c. Eodē modo vni plùs ſapientiæ, ſcientię & intelligentię ſacrarum ſcripturarū largitus eſt, quàm alteri: Verùm hac ratione, vt vnuſquiſque dona ſibi collata non in priuatum commodum vel gloriam, ſed ad cōmunem totius Chriſtianæ Reip. vtilitatem & ædificationem conuertat. Neq; enim ſibi ea dona vendicare poteſt, cùm ſint Eccleſiæ Chriſti. Nec eſt quòd exiſtiment illi, qui huiuſmodi dona acceperunt, ſe propterea potioris eſſe conditionis ad obtinendum felicitatem, quàm ſimpliciores homines, qui illis ſint deſtituti. Deus enim & diligit, & ſaluos facit homines, non ſecundùm dona vel ſtatū, quem in Eccleſia obtinent, ſed quatenùs in donis acceptis & in ſuo ſtatu, quamlibèt ille humilis ſit, benè, religioſè & iuſtè viuunt ac conuerſantur, & pro ſua virili Eccleſię vtilitatibus inſeruiunt, ſtatumq; ſuum & munia ſibi concredita, verè ac iuſtè coram Deo obeunt. Quamobrem autem Deus per Spiritum ſanctum in Eccleſia ſua inæqualiter dona & munia diſtribuat, neque æqualem doctrinam, aut eaſdem functiones omnibus committat, eius inſignem & notabilem videre eſt rationem apud Apoſtolum Ephe. 4. Nimirùm vt in Eccleſia Dei tum munerum, tum doctrinæ ordo conſeruetur. Si cuilibet in Republica Chriſtiana magiſtratum & adminiſtrationem abſque legitima vocatione ſibi vendicare concederetur, fieri non poſſet, quin diſſonantia magna in officiorū ſiue functionum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem & in doctrinam incideret, nec plebeius aliquis facilè diſcernere poſſet, quem audire, cuius doctrinæ, exhortationi & correptioni obtēperare præ cæteris deberet, ſed quouis nouæ illorum doctrinæ vel opinionis vento dubius huc illucque iactaretur. Huic incommodo vt occurratur, ordinem quendam conſtituit Deus functionum in Eccleſia, per quem etiam certitudo quædā doctrinæ retineatur, quemadmodùm ea de re ſuo loco dicemus.

Sic D. Paulus cùm miniſtrationum differentias recenſuiſſet, quòd Deus quoſdam quidem, at non omnes dediſſet Apoſtolos, ſubijcit eius rei rationem his verbis: Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circunuentionem erroris. His functionibus quas Deus in Republica ſua conſtituit & ordinauit, plurima eademque ardua miniſteria ſiue mandata, & dona annexa ſunt, omnia tamen in vtilitatem & ſalutem totius Eccleſię Dei. Quos Chriſtus dedit Apoſtolos, eiſdem etiam contulit poteſtatem peccata hominum ligandi & ſoluendi. Illi, quos malefactorum ſuorum pœnitet, & mœſtis animis ac corde contrito peccata ſua confitentur, & per pœnitentiam confugiunt ad Deum, poſſunt & debent per miniſteria Eccle- Epheſ. 4.

ſiaſtica, virtute verbi Dei, à peccatis abſolui. Quos verò ſcelerum ſuorum prorſus non pœnitet, quique magnis criminibus irretiti ſunt, præſertim verò ſi peccatorum ſuorum improbitate & impudentia vniuerſæ Dei Eccleſiæ ſint offendiculo, horum peccata ſunt liganda, & per anathemata & excommunicationes abſtineri & arceri debent à communione fidelium, vt hac ratione id quod malum eſt, per miniſterium Eccleſiaſticum prohibeatur, puniatur, & ex Republica Chriſtiana auferatur ac exterminetur. Inſtitutionem huius miniſterij vel functionis habemus Iohan. 20. Vſum & praxim eiuſdem legimus 1. Corinth. 5. Eſt etiam Eccleſiaſticis functionibus annexa Sacramentorum diſpenſatio in vtilitatem & ędificationem vniuerſæ Eccleſiæ Dei, & peculiariter vniuſcuiuſque membri. Hoc eſt quod ait Paulus 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Huc verò conferunt Sacramenta in Eccleſia Dei, vt ex ijs virtutem hauriamus, & veluti antidotum quoddam aduerſus ea quæ in poſterum accidere poſſint, peccata. Aut ſi in peccata prolapſi ſimus, vt per virtutem Sacramentorum ex peccatis émergamus, & ijs nos exoneremus, vt Dei Eccleſia, per hæc ſacroſancta myſteria in omni gratia & virtute Diuina ſit robuſta, vegeta & integra. Prætereà in functionibus, quas Chriſtus in Eccleſia ſua inſtituit, etiam locum ſuum habent parochi, & quibus eſt animarum cura demandata, atque ad verbi miniſterium rectè & ordine vocati. Actor. 13. Tit. 3. Hebr. 5. Facultas quoquè & authoritas leges præſcribendi ſeu conſtitutiones ſanciendi in Eccleſia Dei pro ratione locorum & temporum, Actor. 15. 1. Corinth. 11. Ità tamen, vt eiuſmodi conſtitutiones ad amouenda ſcandala & mala omnia, & ad Chriſtianæ diſciplinæ totiusque pietatis ædificationem faciant: id quod in ſuis conſtitutionibus ſiue ſanctionibus miniſtri Eccleſiæ accuratè curare debebunt, vt qui omnem poteſtatem in ædificationem, & non in deſtructionem à Domino acceperint, 2. Corinth. 13. Ex his iam memoriæ mandandum vobis erit: Primò, nomine Eccleſiæ, accipi omnem ſiue totum amicorum Dei cœtum, in fide & iuſtitia ambulantium coram Deo: atque huiuſmodi cœtum vel Eccleſiam ab ipſo mundi exordio duráſſe. Semper enim fuerunt, qui Deo fiderent ac inhærerent, eumque crederent Chriſtum Meſſiam omnium hominum ſeruatorem miſſurum, quemadmodùm nos eum miſiſſe iam credimus & confitemur. Prætereà verò & Angelos & Sanctos omnes ijs verbis comprœhendi, quibus profitemur & dicimus: Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam.

Secundò, in Eccleſia Dei quandam eſſe æqualitatem in omnibus nationibus & ſtatibus, quantùm quidem ad promerendam gratiam illam attinet, quam gratumfacientem vocant, & quæ nos Deo reddit acceptos, & iuxta quam ille nobis æternam ſalutem collaturus eſt. Porrò inæqualitatem eſſe in eadem Eccleſia ſecundùm functiones & dona, quæ non priuatæ alicuius vtilitati deſeruiunt, aut vnius tantùm ſaluti procurandę ac promouen-

mouendæ conferunt. Hæc enim dona alijs largiùs, alijs parciùs collata ſunt, omnia tamen in vtilitatem publicam. Sic quidam duntaxat, non autem omnes, ad Eccleſiaſticas functiones obeundas vocati ſunt, ad ſalutem tamen & ædificationē totius corporis Chriſti, quæ eſt illius ſancta Eccleſia.

CONCIO VII. HABITA

Dominica II. poſt Trinitatis, Anno 1542.

SVPERIORI concione, auditores, decimum noſtræ fidei Chriſtianæ articulum explicandum ſumpſimus, qui ſic habet:

Credo ſanctam Catholicam Eccleſiam, Sanctorum communionem.

IN huius articuli explanatione didicimus, ad hanc eccleſiam omnes Dei angelos pertinere, itemque amicos & electos eius omnes qui à mundi exordio veri Dei notione imbuti, eidem fide & charitate adhæſêre, atque in veritate & iuſtitia ſeruiêrunt. Præterea quotquot hodieque in mundo degunt in Chriſtum credentes, vbicunque tandem aut quibuſcunque terrarum in oris morentur, in hac Republica cenſeri, vnumq; corpus nobiſcum in Chriſto eſſe per eiuſdem fidei profeſſionem & indiſſimilem Sacramentorum vſum, atque conſonum Diuini verbi intellectum. Tum quoque in hac Eccleſia quandam eſſe æqualitatem, ità vt quòd ad gratiam, quam gratumfacientem vocant, attinet, non ſit acceptio perſonarum apud Deum, ſed quiſquis credit in DEVM, & timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus ſit illi, cuiuſcunque demùm vel gentis ſit, vel ordinis ſiue ſtatûs.

Interìm nihilo ſeciùs etiam eſſe inæqualitatem in Eccleſia ſecundùm miniſteria, vel officia & dona illa, quę non ad vnius alicuius tantùm priuatam ſalutem, verùm ad ædificationē totius corporis Chriſti ſpectant, qualia ſunt ſapientia, eruditio, ſiue ſcientia, intellectus & interpretatio Scripturarum, atque huiuſmodi donorum in hac vita vni plura, alij pauciora conferri, prout ea Deus ſingulis quibuſque diſtribuit pro ſua voluntate vel beneplacito, ad vtilitatem, profectum, & ædificationem Eccleſiæ ſuæ. Quemadmodùm etiam idemipſe in Eccleſia diuerſa inſtituit miniſteria, & dat quoſdam quidē Apoſtolos, &c. perindè vt in naturali corpore oculus quidem non eſt manus, neque manus pes eſt, ſed diſtincta & diuerſa habent officia: at tamen omnia vnum ſunt corpus, & quancunq; vnumquodq; membrum habeat functionem, eam habet in commodum & vtilitatem reliquorum membrorum, pro totius corporis ſalute & integritate. 1.Pet.4. Hucuſq; proximè peruentū erat in elucidatione decimi articuli. Nunc porrò de Militante Eccleſia dicemus, de ijs videlicet, qui adhuc in terris verſantes, ob fidei Chriſtianæ profeſſionem ſunt & appellantur Chriſtiani, docebimusque quo pacto hæc Eccleſia ſancta poſſit nuncupari, cùm tamen nonnulli intra eam perditè ſatis & impiè viuant. Primò itaque audiemus, quis & quomodò in hac Eccleſia eſſe cenſeatur.

Principiò inuenire eſt quoſdam in hac Repub.vel Eccleſia,qui Dei gra-
2.Cor.6. tiam non in vacuum receperint,ſed primam ſanctificationem, quam De-
us Spiritusſanctus in illis operatus eſt in Baptiſmo, illius freti gratia & vir-
tute Diuina conſeruent,ſanctéque vitam ſuam tranſigentes,ſint tanquàm
ſancta & amœna templa Dei, habitantis & manentis in illis. Hi ſunt ger-
mana Dei Eccleſia,Deoq; inprimìs chara,& populus acceptabilis,in qui-
1.Cor.3. bus delectatur,ipſiq; benè complacitum eſt. In his nihil deſideratur,quo
minùs meritò ſancti ſint appellandi. Tametſi enim aliquandò fuerint pec
catores & immundi ſicut cæteri:at nunc abluti ſunt,ſanctificati ſunt,iuſti-
1.Cor.6. ficati ſunt,in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri:
Vndè non immeritò vocantur ſancti. Hac autem appellatione non eo-
rum præcedentia merita & virtutes,ſed Dei gratia & miſericordia prædica-
tur,qui eos per Spiritum ſanctum ſanctificauit, cùm adhuc peccatis eſſent
Epheſ.5. irretiti. Hi verè nominantur Eccleſia illa Chriſti, quæ rugam & maculam
Cant.6. non habet, &, vt Salomon inquit in Canticis Canticorum, tota pulchra
eſt. Tales enim filij Dei à lœthalibus peccatis abſtinent, & licèt venialia ex
humana imbecillitate committant,non tamen illis ad mortem imputan-
tur propter Chriſtum, cui tanquã viua membra ſunt incorporati, & hanc
Mat.6. fragilitatem quotidiana expiant precatione,qua ad Deum clamant: Pater,
dimitte nobis debita noſtra,&c. Deindè ſunt alij in hac ſanctorum Eccle-
ſia,eorundemq; (proh dolor) magnus eſt prouentus & numerus hoc no-
ſtro tam deplorato & calamitoſo ſeculo, qui poſt acceptam in Baptiſmo
ſanctificationem,denuò ſe peccatis contaminant haud aliter àc ſus lota in
2.Pet.2. volutabro luti,& canis reuerſus ad ſuum vomitum,vt ait ſcriptura: nec ſo-
lùm labuntur in quotidiana illa venialia peccata, ſinè quibus hæc vita vix
tranſmitti poteſt, ſed impijs facinoribus & barbaris criminibus Chriſtia-
num nomen prophanant,eiuſmodi,in quam,peccatis,de quibus pronun
Galat.5. ciat Apoſtolus,quòd qui talia agunt, regnũ Dei non conſequentur. Hoc
genus improborum Chriſtianorũ nihil cum alijs illis Dei filijs habet com
mune,quòd ad dilectionem attinet,& ſpiritum Chriſti, & eam,quam vo-
cant gratumfacientẽ gratiam,quam Deus Eccleſiæ ſuæ largitur: ſed quan-
tiſpèr in eiuſmodi peccatis iacent, æternæ damnationi obnoxij ſunt, ne-
que vllam in Chriſto & ſalutiferis meritis eius partem obtinent. Interim
tamen, quandoquidem eandem cum integris & germanè Chriſtianis fi-
dem profitentur,& in vnam cum eis ſocietatem coëunt,ijſdemque vtun-
tur ſacramentis, pacemque & vnitatem ſeruant cum viuis illis membris,
in omnibus quæ fidem, doctrinam & Sacramenta concernunt, ob com-
munem fidei Chriſtianæ profeſſionem, & indiſſimilem Sacramentorum
vſum in Eccleſia eſſe cenſentur. Vt enim in naturali corpore aridum aut
emortuum membrum corpori quidem etiamnùm cohæret, ſed ſpiritus
vitalis, qui reliqua totius corporis membra vegetat & mouet, nihil in illo
operatur,ſicut in cæteris, vt quanuìs reliquis membris cõnexum ſit, vigo-
ris ta-

ris tamen & vitæ nullam cum ijs habeat cõmunionem. Eodem modo qui magnis ſunt peccatis inuoluti, cum pijs Chriſtianis ſecundùm gratiam illam quę nos Deo gratos reddit, & ſecundùm Dei ſpiritum minimè communicant vel participant, at manent tamen in Eccleſia per eiuſdem fidei profeſſionem & eundem Sacramentorum vſum. Atq; hi ſanè in Eccleſia tolerandi ſunt, quàm diù ſpes eſt futuræ reſipiſcentiæ ac emendationis.

Porrò ſi nulla ſequatur correctio, & metus ſit nè flagitioſa vita ſua reliquis Eccleſiæ membris intùs quidem offendiculo, foris autem apud barbaros & infideles dedecori & ignominiæ ſint, iam magiſtratus Eccleſiaſticus ſententia excommunicationis in eos lata, à reliquorum fidelium cœtu & cõmunione illos debet præcidere, tradereq; Satanæ in interitum carnis, vt ſaluus ſit ſpiritus in die Domini. Tam diù autem Eccleſia illis erit occluſa & interdicta, donec per idoneam pœnitentiam Deo & Eccleſię humiliter, ſeriò & ex animo reconcilientur. Omnibus etiam Chriſtianis pro viribus diligenter aduigilandũ eſt, vtì, quoàd eius fieri poterit, proximum à peccatis retrahant & auertant, aut in aliquo delicto pręoccupatum in ſpiritu lenitatis inſtruant & erigant, vt peccatis, quantùm fieri poſſit, profligatis, Eccleſia ſanctimonia & pietate capiti ſuo ſeſe conformare nitatur. Quanquàm vſque ad conſummationẽ ſeculi nunquàm tam benè agetur cum Eccleſia, quin ſemper iſtiuſmodi malos habeat admixtos, donec tandèm generalis illa ſeparatio fiat in die Domini, quandò iudicaturus eſt viuos & mortuos, vbi referet vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum, 2. Corinth. 5.

Matt. 18. 1. Cor. 5. Galat. 6. Gal. 6.

Hunc Eccleſiæ ſtatum, quo mali bonis manent admixti vſq; ad ſupremi diem Iudicij, parabolæ illę Euangelicę nobis depingunt, tum de area, in qua cum tritico continentur etiam paleæ: tum de ſagena, omnis generis piſces bonos ac malos congregante: tum quoquè de agro, in quo Zizania pariter cum tritico creſcunt & tolerantur vſq; ad meſſem.

Luc. 3. Matth. 3. Mar. 4. Matt. 13.

Quas quidem parabolas Chriſtus Dominus hac tandèm ratione concludit, vt ſignificet Eccleſiam tam malos, quàm bonos coniunctìm habituram, vſq; ad nouiſſimum diem: quo die mittet Angelos ſuos Deus, ijque ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, vbì erit fletus & ſtridor dentium. Intereà verò poſtulat fraterna & Chriſtiana charitas, vtì nè huiuſmodi Zizania, id eſt, homines malos ab Eccleſia Dei pręproperè abſcindamus: cuius cauſa hęc eſt, quòd qui hodiè Zizanium eſt, poteſt cràs in bonũ purumq; triticum transformari: & qui nunc peccatis deditus eſt, poteſt per gratiam Dei reſipiſcere, & in poſterum ab ijs abſtinere, & purgari per Sacramenta: ſicq; illis quibus iam ſubditus eſt, peccatis nuncio remiſſo, & malis immundiſque ſpiritibus ex domo ſua profligatis, ſanctum & mundũ Dei templum fieri poteſt: quemadmodùm Paulus ex blaſphemo & Eccleſię perſecutore, in purum Dei organum mutatus fuit, in ſuam multorumq; aliorum ſalutẽ ſempiternam. Quàm verò

multis

multis alijs ijſdemque præclariſſimis membris careret Eccleſia Dei, ſi non interim peccatores toleraret ob reſipiſcentiam? Vbi, quæſo, forent Dauid, Petrus, Magdalena? Immò quàm multi ex ſanctis omnibus non aliquãdò ſimiles fuêre ijs, qui iam miſerè peccatis ſunt impliciti? Verùm vbi Deus
Rom. 9. ſuſtinuit eos in multa patientia, tandèm per gratiam illius ad bonam fru-
Gal. 6. gem ſeſe receperunt. Ità ergò hodieq; illi, qui fortè in aliquo delicto præoccupantur, in Eccleſia patienter ferendi ſunt ob futuram pœnitentiam: Neque tamẽ hæc eò dixerim, quòd Magiſtratus non debeat iuſtis ſupplicijs in peccata animaduertere, eaque nè fiant, anteuertere & profligare: neque etiam, vt quilibet vulgaris Chriſtianus proximi peccatis cõniueat, ſuoque ſilentio & diſſimulatione alium in maleficijs confirmet. Non eſt hoc, inquam, mentis meæ. Illud autem & volo, & iuſtum eſſe pronuncio, vt & Magiſtratus legitimis tum conſtituendis tum irrogandis ſupplicijs, & quilibet è plebe fraterna & amica adhortatione ſeu commonitione homines peccatis addictos indè reuocet cohibeatq;. Atquì in præſens ſermo mihi eſt aduerſus Nouatianos & Anabaptiſtas, qui eo nomine Catholicã Eccleſiam deuitant, quòd in ea peccatores conſpiciant, atque ſibijpſis ſuas effingunt ſectas, homines videlicet omninò integri & inculpati, qui nullam omninò aquam perturbent. Puri iſti Satanæ Sancti, non ſuſtinẽt in Eccleſia verſari inter peccatores, ſolis Sanctis & Angelis volunt conuiuere, inter roſas degere, nõ inter ſpinas, in cęlo, non in terris. Sed dic, quęſo, ſi Chriſtus hunc in modum à peccatorum conuictu abſtinuiſſet, quis miſerè perditum & damnatum mundum, ex peccatorum cœno & æterna
Galat. 6. damnatione extraxiſſet? aut quì tandèm in Eccleſia Dei alter alterius onera portabimus, & ſic legem Chriſti adimplebimus, ſi non etiam vitijs obnoxia membra habeat Eccleſia? Si tu ſolos Angelos in tuam ſocietatẽ admittis, cui tandèm remittes, vt & Deus tibi remittat? Matt. 6. Quem in ſpiritu lenitatis inſtructurus es, ſi neminẽ toleres, qui aliquo delicto ſit præoccupatus? Galat. 6 Si ignorantem & errantem perferre nequeas, quem vis erudire, & ab errore conuertere, atque hoc modo ingentem illam gratiam promereri, de qua Chriſtus eiuſque Apoſtolus loquuntur Matt. 18. Iacob. 5?

Quamobrẽ vt ſemèl dicã, quicũque ſibijpſis tãtoperè placẽt, & à membris illis Eccleſię Dei, quæ peccatis obnoxia ſint, abhorrent, eaque fugiũt, ij eo ipſo auellũt ſeſe à corpore Chriſti, cui per charitatem inhærere debebant, declarantque ſe charitatis expertes: quo fit, vt ſalui eſſe nequeant, eti-
1. Cor. 13. amſi omnes alias omnium angelorum virtutes habeant. Neque ſanè eſt, quòd metuat pius, nè peccatis aliorum membrorũ contaminetur: tantùm caueat, nè peccatis eorum communicet, néve eorum malè facta imitetur. Alioquì in eadem cum illis Eccleſia manere, ijſdem Sacramentis vti, nihil id tuam inquinat integritatem: immò verò maiorem exercendæ virtutis & probitatis prębet occaſionem, ſi huiuſmodi fragilibus & infirmis opera chari-

charitatis impedias,& coneris bonis adhortationibus cum omni manſuetudine,iuxta te in peccatum labentes erigere. Sic Noë habitabat inter peccatores ante diluuium,vt eos hortaretur ad reſipiſcētiam: Lot in Sodoma, Moſes in duræ ceruicis & improbo populo,Prophetę ſub impijs regibus, Apoſtoli Chriſti inter gentes idololatras,non ob aliud,quàm vt mali bonorum conſortio ad meliorem frugem perducerentur. Eodem modo tolerat Chriſtus peccatores & infirmos in Eccleſia ſua,vndè & nos eos tolerabimus. Immò qui verę pietatis ſunt ſtudioſi & cupidi,eò properare deberent,vbi homines fragiles & peccatores eſſe ſcirent,non vt ineant cum ijs ſocietatem peccatorum,ſed vt exhortationibus,precibus & inſtructionibus eos à peccatis reuocent,atque ad vitæ emendationem traducant,& ità animas eorum lucrifaciant in vitam æternam,vt illud Pauli ſuam habeat firmitatem in Eccleſia: Alter alterius onera portate,& ſic adimplebitis legem Chriſti. Galat.6.

Verumenimuerò quādò etiam omni ſtudio & induſtria adhibita, necdùm penitùs peccata poſſunt ab Eccleſia arceri & auerti,tolerari debēt mali & fragiles ob ſpem reſipiſcentiæ. Ità nimirùm ſi illos quoquè delicto aliquo præoccupari conſtet,qui ſunt Eccleſię pręfecti & gubernatores,non tamen propterea eorum functiones minori in precio habēdæ ſunt,neque adminiſtratio vitanda. Virtus enim Sacramentorum omnium in Eccleſia non miniſtro innititur,ſed ab ipſo Deo in Sacramenta deriuatur ac proficiſcitur. Quandò Iudas cum reliquis Apoſtolis baptizabat, mundabantur homines officio & miniſterio illius à peccatis,non propterea quòd Iudas baptizaret,ſed quòd Chriſtus ſuum Sacramentum confirmaret, & Spiritus ſanctus per gratiam ſuam eos qui baptizabantur,intùs mundaret à peccatis.

Quamobrem Paulus ſuos Corinthios tanquàm magnæ cuiuſdam inſcitiæ & execrandi erroris redarguit, quòd baptiſmum ex miniſtro baptizante metirētur,& non potiùs ſecundùm Deum,à quo ſolo omnia Sacramenta vim ſuam & efficaciam habēt,& non ex miniſtro. Cuncta enim Sacramenta Dei ſunt opera,inſtituta & efficacia,cui efficaciæ neq; probitas miniſtri quicquam addere,neque malitia demere poteſt. Certior eſt operatio & virtus diuina,quàm vt meritum miniſtri poſſit in ea quippiam immutare. Quamobrem qui his diuinis Sacramētis vtitur in Eccleſia,Dei virtutem in ijs ſpectet & quærat:ab eo ſalutem,non ab hominibus expectet: cùm ſcriptum ſit,Maledictus homo,qui confidit in homine: Et Pſalmographus inquiat, Vana ſalus hominis. & iterùm, Domini eſt ſalus. Et alibì, Bonum eſt confidere in Domino &c. 1.Cor.1. Hiere.17. Pſal.59. 107. Pſal.3. Pſal.17.

CONCIO VIII. HABITA

Dominica III. poſt Trinitatis, Anno 1542.

Hacte-

HActenùs auditores de nomine Eccleſiæ audiuimus, quos compræhendat, & qui in Eccleſia Dei eſſe cenſeantur, nimirùm quicunq; baptizati ſunt, & qui in vna eademque vera & germana fidei confeſſione, & conformi Sacramentorum vſu iuxta ritum & conſuetudinem Apoſtolicam, inter ſe communicant. Ac tametſi inter illos nonnulli aut complures reperiantur, qui fœdis criminibus ſint contaminati: quàm diù tamen cum bonis Chriſtianis pacem & vnitatem in indiſſimili fidei confeſſione, & eodem Sacramentorum vſu retinent, Eccleſiæ vtiquè ſunt annexi & cohęrēt, quemadmodùm membrum aridum corpori: ijque tolerātur ob ſpem reſipiſcentiæ, appellanturque & ſunt membra Eccleſiæ tantiſpèr, donec poteſtate Eccleſiaſtica non ſegregātur, aut ſeipſos ex ea non eijciunt per ſectas & ſchiſmata doctrinę ac fidei, & diſparem Sacramentorum vſum, à conſuetudinę Eccleſię Catholicę abhorrentem. Nūc agè progrediamur, videamusq; qua ratione defendi poſſit, quòd Sanctam appellamus Eccleſiam, cùm tamen magna ex parte, quòd ad membra illius attinet, ſatìs fœda & minimè ſancta videatur. Si Chriſtiani omnes eiuſmodi eſſent, qui in Eccleſia tales permanerent, quales nos Deus ab initio in ea collocauit, & illam conſeruarent puritatem, quam nobis Deus largitur in baptiſmo, non eſſet mirādum, ſi ſancti vocaremur. Quandò verò tot vitia, peccata & defectus in nobis conſpiciuntur, videndum eſt qua ratione coram DEO & hominibus tueri valeamus, quòd noſtrā Rempublicam, ſanctā Eccleſiam & communionem ſanctorum appellare non dubitamus.

Humiliter quidem ac velut grati, libenter agnoſcimus, honorē omnē Deo noſtro, non autem nobis tribuendum. Nanq; cauſa & ratio omnis, quamobrem ſancti vocamur, non tam ex virtute aut merito noſtro, quàm ex gratia Dei proficiſcitur. Si noſmetipſos reſpiciamus, non alios nos prędicamus, quàm infirmos, inopesque ac miſeros peccatores. Sin autem recordemur gratiæ iſtius, quam nobis per Chriſtum donauit Deus, iam quilibet Chriſtianus rectè poteſt & meritò debet ſe nuncupare ſanctū. Iſthuc enim prædicat de ſeipſo tāquàm membro Chriſti, qui Chriſtum induerit in baptiſmo, quemadmodùm inquit Apoſtolus: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtū induiſtis. Quoniam ergò gratiam ſanctificationis & remiſſionem peccatorū in baptiſmo adeptus ſum, & ſacer ac precioſus Chriſti ſanguis coram Deo facit & cedit ad meî expiationem & ſanctificationem, vnumque & indiuiſum cum Chriſto ſum corpus, atque ille meum eſt caput, & ego membrum illius, vtorque Sacramentis illius quotidiè in eius Catholica Eccleſia, quidni ſanctum me appellem? Contumelia certè affecero caput meum Chriſtum, eroque ingratus ſacris illius precioſisq; donis & chariſmatîs, quibus vtor quotidiè in eius ſancta Eccleſia. Si opulentus quiſpiam dominus ingentē pecuniæ vim & opes ampliſſimas mihi largiatur, & promittat ſe nihil mihi paſſurū deeſſe, omnes eius facultates & diuitias mihi cum ipſo fore communes: ego autem nec ſic quidem fateri ve-

Pſal.85.

Gal.3.

ri velim me eſſe diuitem, equidem ingratus ſim, & videbor eius Dñi contemnere benignitatem & liberalitatem. Eodem modo cedit hoc in honorem Dei, eiq́ue noſtram erga illum declaramus gratitudinem, quandò ſanctos nos appellamus. Neque eñ hoc ità dicimus, tanquàm ex nobisjpſis ſancti ſimus, ſed quia in Chriſtum credimus, & in eo baptizati, illiusq́ue membra ſumus, fruimurq́; illius donis & meritis, ſanctos nos pronunciamus, quum Deus nos ſanctos efficiat. Sic & ſcriptura inquit: Peccatores quidem flagitioſi aliquandò fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. 1.Cor.6.

Altera cauſa, propter quam ſancti appellamur, etiam ad Chriſtum pertinet. Regnum Chriſti, vniuerſa Reſpublica Chriſtiana, ipſa ſancta Eccleſia, eſt inſtàr cuiuſdam Scholæ vel Gymnaſij, in quo ſanctimoniam diſcimus & acquirimus. In Eccleſia Deus nos emundat à peccatis, principiò per Baptiſmum, deindè per Sacramentum pœnitentiæ.

Quotieſcunq; pœnitentiam agimus, ſanctificat & mundat nos quotidiè à peccatis in Eccleſia. Quicunq; igitur per fidem & Baptiſmum Eccleſiam, in qua ſanctificamur, ingreditur: hic ſanctus appellatur, etiamſi ea ſanctimonia nō ſit vſquequaq; perfecta & abſoluta. Quemadmodùm ſi quis applicet ſeſe alicui opificio, continuò ab eo nomen ſortitur, verbi gratia, vel architecti, vel medici, vel &c. tametſi artem ipſam nondùm prorſus calleat. Simili modo om̃es illi huncupantur Sancti, qui intra pomœria huius Chriſtianæ ciuitatis continentur, vbì pijs ſtudijs ad ſanctimoniā exercentur. Quãuis eñ ſanctitatem non ſemper operibus cōſeruent, animi tamen propoſito eam conſeruare nituntur, & in ſanctis pijsq́; exercitijs perſeuerant. Sed neq; quàm diù in terris verſabuntur, omni ex parte erunt ſancti, verùm ad abſolutam ſanctitatem demùm pertingent in regno Dei, quandò hoc corruptibile corpus induerit incorruptionem, & mortale hoc per virtutem Diuinam induerit immortalitatem: tunc demùm perfecta erit de peccato victoria. Interìm Eccleſia fidelium Sancta quidē appellatur, & nihilominùs ob varium & multiplicē defectum, quē in membris ſuis comperit, neceſſariò quotidiè Deum precamur: Pater, dimitte nobis debita noſtra. Immò quotidiè eam cum peccatis oportet conflictari, & membra ſua modò aduerſus imminentia peccata cōfirmare, præmunire & tueri, modò in peccata prolapſos erigere per verbum Dei, per virtutem Sacramētorum & operationem Spiritusſancti, quem Deus largitus eſt Eccleſiæ. Quoàd in terris deget Eccleſia, ęrumnis & laboribus implicabitur: eſtq́; ei in hoc enitendum, vt, quatenùs poſſibile erit per gratiam Dei, ſanctitatem Domini ſui referat & imitetur, & ſancta ſit in membris ſuis, donec tandèm integram & abſolutā ſanctificationem conſequatur gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti. 1.Cor.15. Matth.6.

Porrò Eccleſiæ Chriſtianæ, quam ſanctam nuncupamus, aliud pręterea nomen in fidei noſtræ Symbolo attribuimus, eamq́ue appellamus etiam CATHOLICAM. Catholicum aũt propriè ſignificat, quicqd omni-

bus temporibus & locis eſt & perdurat. Hoc epitheton Eccleſiæ Dei attributum eſt ex promiſſione Chriſti. Quòd enim Chriſtus Eccleſiam ſuã nõ angulis aut latibulis incluſur⁹ eſſet, ſed per vniuerſum terrarũ orbẽ, omnibusq; in locis dilataturus, ipſe promiſit Luc. 24. Act. 1. Vos eritis mihi teſtes in Ieruſalem & in omni Iudæa & Samaria, & vſq; ad vltimum terrę. Et quòd Eccleſia nunquàm ſit interitura, ſed perpetuis temporibus cõtinua ſucceſſione duratura vſq; ad finẽ mũdi, idem promiſit diſcipulis ſuis Matt. 28. Eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi. Vndè conſtat, Eccleſiam rectè appellari Catholicam. Hoc enim propriè ac peculiariter obtinet ex promiſſis diuinis, quòd in omnibus terrarũ finibus & vſq; ad conſummationem mundi neceſſariò duratura eſt. Nunc itaq; audiamus, quos in vſus hæc appellatio nobis deſeruiat. Nam procul dubiò non fruſtrà aut fortuitò ſancti Apoſtoli, & qui illos deincèps conſecuti ſunt patres, Chriſtianos docuerunt Eccleſiam appellare Catholicam.

Hìc iam ad animum reuocetis id, quod ſuprà docuimus, vti Chriſtus per aquam & ſpiritum ſanctũ nouos homines in baptiſmo regeneret, mundãs eos à peccatis, & aſſumẽs in populum ſibi acceptum, quibus chariſmata & merita ſua impertiri, quosq; poſt hanc momentaneã vitam, hæredes regnĩ ſui æterni inſtituere velit. Hi, quibuſcunq; demùm terrarum verſentur in oris, dicuntur Eccleſia Chriſti: quã non ſolùm à peccatis Chriſtus vindicauit in baptiſmo, per virtutẽ mortis ſuæ, in qua baptizati ſumus, verumetiã auxit & inſtruxit magnificis, præclaris, vtilibusq; donis, per quæ in poſterũ perpetuò ſanctificationem & peccatorum remiſſionẽ habere poſſit. Chriſtus, inquam, ſuæ Eccleſiæ tum ſanctiſſimum verbum ſuum, tum vſum Sacramentorum contulit, quæ munera tam ſunt efficacia, vt Eccleſia Dei per ea & certam poſſit obtinere ſalutem & felicitatem. Quoniam autẽ diabolus, perpetuus humanæ ſalutis hoſtis, hæc dona Eccleſiæ Dei eripere, eisq; Eccleſiam in vniuerſum priuare nullo modo poteſt, nihilominus tamẽ liuidis ille dolis & impoſturis ſuis in hoc incũbit, vti eadem ipſa ſuo toxico inficiat, corrumpat, nobisq; reddat infrugifera: itaq; ſerit hęreſes, quas iam propè innumeras in religione noſtra, ab aſſcenſu Chriſti in hęc vſq; tempora pertulimus. Huiuſmodi autem angeli Satanę & hæretici, tametſi verbum Dei Eccleſię non prorſus eripiant, contaminant tamẽ & deprauant ſubdola & falſa interpretatione, aduerſus mentem & ſententiam Chriſti.

Rom. 6.

Eodem modo ſe gerunt erga Sacramenta, quorum quędã planè negant, alijs aliam quandam vtendi rationem attribuũt, quàm qua Sacramenta debeant vſurpari: atque hoc pacto illi imponunt ſimplicibus, qui illis credũt & eorum dogmata ſectantur: abducunt enim eos ab eccleſia peſtifera & praua doctrina, illegitimumque & peruerſum illis Sacramẽtorum vſum in eorum perniciem ſempiternam proponunt. Id genus homines vt pro ingenio & natura patris ſui diaboli vani ſunt & mendaces: ità & temerarij ſunt & Thraſonici, planeque perfrictæ frontis, quos dicere non pudeat & gloriari, Hìc eſt CHRISTVS. Non verentur, inquam ſibijpſis vẽdicare

veræ

veræ Eccleſiæ nomen,affirmare apud ipſos eſſe merum & ſyncerum verbum Dei,eiuſdemque genuinum intellectum, germanum quoquè & legitimum Sacramentorum vſum.Eos verò qui doctrinæ eorum aſſentiri nolint,non ſolùm velut erroneos & à vera fide alienos palàm vociferãtur, ſed perſequuntur etiam & affligunt. Quemadmodùm temporibus Arrij, qui veram & incorruptam fidei Chriſtianæ profeſſionem ſectabantur, ab Arrianis hæreticis è ſuis ædibus profligabantur, poſſeſſionibus & facultatibus nudabantur,immò flammis,aqua,ferro,laqueo, omniumque generum cruciatibus & tormentis miſerabiliter enecabantur. Verùm qua tandèm ratione aduerſùs eiuſcemodi hæreſes ſeſe tuebitur Chriſtianus,quãdò Secta aliqua exiſtens,dicit:Nos purum putum Dei verbum ſyncerè & veraciter docemus,apud nos vera eſt Chriſti Eccleſia:nos obſeruamus legitimum & Apoſtolicum Sacramentorum vſum:conanturque hoc pacto Eccleſiam ſuo ſpoliare nomine,illudque ad ſe trãsferre, prout ſemper ſeſe iactitant Sectæ omnes,& quælibet ſibi vendicat Eccleſiam, veritatem verbi diuini,& rectum Sacramẽtorum vſum. Quo inquam indicio ſcire licebit, vbi ſit & maneat vera Chriſti Eccleſia? Nimirùm ex hoc ipſo, quòd CATHOLICA vocatur,vera Chriſti Eccleſia agnoſcitur. Chriſti enim Eccleſia eſt Catholica,ſiue vniuerſalis,hoc eſt,in omnes terrarũ fines ſeſe extendit,vbiquè & ſemper in mundo perdurans. Si qua Secta alicubi oriatur, inquiens ſe eſſe Eccleſiam,ſe habere verbum Dei,& vera Sacramenta:iam aduertendũ erit,an illius doctrina & Sacramẽtorum vſus talis ſit,qualis eſt vbiquè toto orbe Chriſtiano. Si priuatũ & ſingulare aliqd apud eam inueneris,quod in doctrina & Sacramẽtis,reliquis Chriſtianę ditionis Eccleſijs & locis non ſit conforme,dicito, Chriſti Eccleſia appellatur Catholica, eſt vniuerſalis:quamobrẽ nec poſſum, nec volo ab eo deſciſcere, quod Chriſtiana vniuerſitas tradit,docet & obſeruat: illudque amplecti, quod in angulo quopiam peculiari Secta inſtituit ac comminiſcitur. Eodem modo ſi emergat doctrina eiuſmodi,quæ maiorem Chriſtianorum partem occupare incipiat,aut totam penè Chriſtianæ fidei ditionem, aduertas an hæc opinio docta & prædicata ſit ab initio Chriſtianiſmi, vſq; ad præſentia tẽpora. Si videris hanc doctrinam non conſonare cum eo,quod iam indè ab initio in Eccleſia doctum & prædicatum eſt:Reſpondeas, Eccleſia Chriſti nuncupatur Catholica & vniuerſalis:quicquid verè Eccleſiaſticũ eſt,ſemper vt durauerit neceſſum eſt:vndè nec poſſum, nec volo deſerere, quod ab initio hucuſquè ſemper permãſit:nõ poſſum deficere ab eo,quod ſemper à principio in Republica Chriſtiana doctum & traditum eſt:illudque recipere, quod nunc recèns exoritur:atque tametſi vniuerſus id orbis approbet,mihi nihilo ſeciùs manendum eſt in Eccleſia Catholica:illudq; obſeruandum & credendum, quod perpetuò ab initio, & locis omnibus creditum & obſeruatũ eſt. Videlicet hæc eſt ratio, quamobrem Eccleſia appellatur catholica, nè quiſpiam ſe ab vniuerſalitate ſegreget, & in priuatas quaſdam ſectas & factiones vel nouationes, & nouam inauditamq; priùs do-

Vide hæc latiùs & explicatiùs in elegantiſſimo libello Vincentij Lirinẽſis contra nouationes.

ctrinã ſe patiatur abduci: ſed quiſquis veritatem tenere deſiderat, ſciat ſibi cum Catholica & vniuerſali Eccleſia tenendum eſſe, quicquid & ſemper & vbiquè obſeruatum, creditum & traditum eſt.

Hic eſt vnicus ille gladius, quo iam indè ab initio omnes hæreſes diſſipatæ ſunt & profligatæ. Diuus Auguſtinus octogintaocto hæreſes ad ſua vſque tempora recenſet, quarũ vnaquæque iactauit ſe eſſe veram ECCLESIAM, penès ſe eſſe verum DEI verbum & vera Sacramenta: ſed hoc omnibus illis defuit, quòd non potuerunt VNIVERSALITATEM demonſtrare. Fuerunt ergò & permanſerũt factiones & ſectæ, nec vnquàm eò rem deducere potuerunt, vt ipſarum inſtitutum & doctrina appellari poſſet Eccleſia Catholica: & licèt quædam ex ijs non parùm increſcerent, & maiorem Chriſtiani orbis partem in ſua dogmata & opiniones pellicerent, tamen ad extremum hoc illis defuit, quòd docere & planũ facere non poſſent, doctrinã ipſorũ eo modo perpetuò viguiſſe in Eccleſia, quo ipſi docerent. Quamobrem oportuit tandèm hæc illorum priuata dogmata collabaſcere, & veluti hæreſes & errores damnari: porrò Catholicam totius Chriſtianitatis veritatem, palmam referre & obtinere, quemadmodùm hactenùs aduerſùs omnes omnium hæreticorum nouationes ac priuatas opiniones ſemper inuicta permanſit, & vſque in finem eſt permanſura iuxta promiſſionẽ Chriſti, quam fecit Eccleſiæ ſuæ, cùm inquit:
Matt.16. Et portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam. Et, Eccè ego vobiſcũ ſum
Matt.28. omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

Hic igitur memoriæ mãdetis, quorſum vobis prodeſſe ac inſeruire poſſit hic articulus, cùm dicitis: CREDO SANCTAM CATHOLICAM ECCLESIAM. CHRISTVS munera quædam ECCLESIAE ſuę donauit, per quæ nos ſalutem adipiſcimur, nempe annunciationem verbi Diuini, & vſum Sacramentorum ex præſcripto verbi Dei. Quoniam autem verbũ Dei, propter ſublimia & recõdita ſua myſteria, à temerarijs quibuſdam in varios, eoſque prauos ac præpoſteros, ſenſus detorqueri poteſt, quibus deindè ipſa etiam Sacramenta nonnunquàm immutantur, (aliter enim ſcripturã intellexit Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus, aliter Arrius, aliter Pelagius, & ſinguli eorum verum & genuinum intellectum verbi diuini ſibi vindicârunt) neceſſum ſanè eſt ad agnitionem & defenſionem veritatis, inter tam varias & inſolentes prauas intelligentias & opiniones, vt hãc regulam & amuſſim obſeruemus, nihil verum & ſyncerũ eſſe poſſe in Eccleſia Chriſti, quod nõ ſit Catholicum & vniuerſale. Si qua exiſtat contentio de aliquo dogmate, vide quid de illo ipſo ſemper & vbiquè toto orbe Chriſtiano proditum & doctum ſit: ſicq; quid verũ genuinumq; ſit, facilè agnoueris. Si ambiguitas de aliquo Sacramento ſuboriatur, attende qua ratione ſemper & vbiquè in vniuerſo Chriſtiano orbe fuerit obſeruatũ, & protinùs eluceſcet veritas. quo autẽ modo, omni tum loco tũ tẽpore in Chriſtiana Rep. vnumquodq; traditũ & obſeruatũ ſit, ab Aſcẽſu Chriſti ad hæc vſq; tempora, huius rei vera, indubitata & certa habem⁹ teſti-

teſtimonia ex libris eorũ, qui ſingulis temporibus in Eccleſia Chriſti vixêre, præfuêre, & docuêre. Scimus originẽ & ſucceſſionẽ, vtì Apoſtoli poſt Chriſtũ, & poſt Apoſtolos alij ſancti & eruditi patres vixerint, docuerint & obſeruauerint quouis tẽpore in Eccleſia. Hæc nos certò docere & probare poſſumus: quod quidem nobis eſt irrefragabile teſtimoniũ aduerſus nouationes & priuatas opiniones hęreticorum omniũ, atq; ità ſinè omni errore nouimus ſentire cum Eccleſia Catholica.

Deus Opt. Max. eos, qui extra Eccleſiam ſunt, per miſericordiam ſuam viſitare & ſancto ſuo Spiritu illuſtrare, atque in vnitatem ſanctæ Catholicę Eccleſiæ reducere dignetur. Amen.

CONCIO IX. HABITA

Dominica IIII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

IN præcedentibus aliquot cõcionibus cognomina & epitheta Eccleſię audiuimus, quomodò & quamobrem ſancta & Catholica vocetur: actiones prætereà, operationes inſtitutaque eius didicimus. Sed quædam his prætereà adduntur verba, quę nos commonefaciunt, nobiſque id inſinuant, quàm bonum, vtile & iucundum ſit intra Eccleſiam Chriſti ſeſe continere, ciuemque & participem eſſe huius tam beatæ ſocietatis. Et è contrario, quàm periculoſum & execrabile ſit, ab hac Eccleſia deficere, & illius vnitatem ſcindere, conuellere & deſerere. Hęc ergò ſunt reliqua huius articuli verba:

Sanctorum communionem.

AVdite quæſo quid ſit Eccleſia: videlicet communio eſt Sanctorum. Quicunque intra Eccleſiam & eſt & perſeuerat, idemipſe & eſt & manet in communione Sanctorum. Qui Eccleſiam & eius vnitatem deſerit, ſemetipſum eijcit è communione Sanctorum, neq; omnium illorum bonorum vel minimo fruitur, quibus Sancti nunc & æternùm fruituri ſunt.

Quærat aliquis: Qui ſunt ergò hi ſancti, quorum Eccleſia eſt communio? Reſpondeo: Chriſtus omnium eſt ſanctiſſimus, & caput huius ſocietatis. Poſt ipſum omnes Sancti Angeli, tanquàm præclara & pręſtãtia huius myſtici corporis membra. Deindè omnes pij religioſique homines, qui ab exordio mundi Deo vera fide & charitate adhæſerunt, atq; in iuſtitia & ſanctitate coram ipſo ambulauerũt: & ſicubì adhuc eiuſcemodi ſunt in terris, qui in Chriſtum credant, Deum timeant, eiuſque voluntati morem gerãt, hi ſunt viua & ſancta huius Eccleſiæ & ſocietatis mẽbra. Poſtremò huic eidem quoquè annexi ſunt, tametſi velut inutilia membra, quicunque in Chriſtum credunt, & nihilo minùs grauibus peccatis ſeſe contaminant, interim tamen extrinſecùs per veram fidei Chriſtianæ profeſſionem & legitimum Sacramentorum vſum, manent in vnitate Eccleſię. Tales quidem quàm diù in lœtalibus peccatis iacẽt, damnationi ſunt ob-

noxij:nihilo ſeciùs vtile illis eſt,in hac eſſe Eccleſia & ſocietate,in qua verbum Dei audire,& Sacramentis vti poſſunt. Sperari enim poteſt,eos adminiculo & virtute huius ſocietatis & Eccleſię aliquádò à peccatis abductum iri:& ruríùm ceu viua huius myſtici corporis Chriſti membra,ſalutem ſuam tum operaturos, tum conſecuturos. Omnes itaq; hi Sancti, Chriſtus, Angeli,electi in cælis,& fideles in terra, vno Dei Spiritu optima coniunctiſſimaque neceſſitudine copulantur & coniunguntur: & inter illos eſt omnium bonorũ,omnis facultatis,omniſq; auxilij communio, & quodque membrum curam gerit alterius,eidemq; non aliter opitulatur, quàm membra in naturali corpore ſibi mutuò inſeruiunt & opem ferũt. Excellentiſſima precioſiſſimaque Chriſti merita,eiuſdemque iuſtitia bono ſunt & proſunt atque ſuffragantur huic Eccleſiæ, & ſingulatim vnicuiq; huius ſocietatis membro. Omnium prætereà ſanctorum Angelorũ patrocinia,
Epheſ.4. huic Eccleſię ſingulisq; eius mẽbris cõmodo ſunt. Inter fideles ſiue ſint in
Iaco.5. cælo, ſiue in terris, eſt cõmunio bonorũ omniũ,vnius Spiritûs,vnius ba-
Galat.5. ptiſmatis, vni⁹ fidei & vnius Dei. Quin & in fide mutuis orationib⁹ ſeſe iuuant & per charitatẽ ſeruiunt ſibi inuicèm. Et quicquid in tota Eccleſia fit, quod bonũ Deoq; gratum ſit, illius per virtutem huius ſpiritalis communionis vnumquodlibet huius ipſius Eccleſiæ membrũ fit particeps. Quicunque inquam vinculum pacis ſolicitè obſeruat,& hanc Eccleſiæ vnitatem per contentioſos errores,hæreſes aut diſparem Sacramẽtorum vſum minimè ſcindit,& quiſquis in vnitate perſeuerat, is poteſt cũ Pſalmogra-
Pſal.118. pho pronũciare:Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Atqui è contrario extra hanc communionem, etiamſi fieri poſſet,vt quiſpiam omnium Angelorũ virtutes efficeret,nihil tamen illi profuerit ad ſalutem. Ratio huius eſt,quòd ſalus ſempiterna non principaliter in hominis actione conſiſtit,ſed tunc demùm ſalutem æternam acquirimus,ſi in Chriſto bonũ operemur. Ex gratia enim & meritis Chriſti id in noſtras promanat actiones & opera,vt bona ſint & Deo accepta, adeò vt prima & præcipua ſalutis noſtræ cauſa ſint gratia & merita Chriſti. Quicunq; verò non eſt membrum corporis Chriſti,in eum non poſſunt gratia & merita eiuſdẽ influere:perindè vt nec ſpiritus hominis membrũ à corpore reſectum mouere aut vegetare poteſt. Atque hinc breuiter concludi poteſt,non niſi in ſancta Eccleſia Catholica remiſſionem peccatorũ & ſalutem cõſequi licere poſſe. Et quotquot non ſunt, aut perſeuerant in hac Eccleſiæ communione,tametſi quidem donis Dei temporarijs & corporalibus fruantur,(quod & iumentis commune eſt)attamen de ſpiritalibus bonis & chariſmatis,quæ conferunt ad beatitudinem,non magis participant,quàm bruta animantia. Quamobrem poſtquàm Eccleſiam in fidei noſtræ ſymbolo confeſſi ſumus,cõmodo ordine ſubſequitur, vt mox itidèm remiſſionem peccatorum & reſurrectionem carnis in vitam æternam & beatam confiteamur,quæ in Eccleſia duntaxat inueniuntur & obtinen

tinētur, extra illam verò nullo prorſus modo poſſunt acquiri. Priuſquàm autem hos duos articulos aggrediar, breui quadam ἀνακεφαλαίων vobis in memoriam reuocabimus, quorſùm hic articulus de Eccleſia homini Chriſtiano conducere queat. Poſt prolixam huius ipſius decimi articuli de eadem Eccleſia explicationem poſſit Chriſtianus, ſi quandò de mente & ſententia illius interrogetur, hoc modo reſpondere: Credo ſanctam Catholicam Eccleſiam, Sanctorum communionem: Id eſt, Credo & ſentio vnam ſanctam Eccleſiam, eſſe in terris, eamq́; non vno in loco, ſed vbiquè toto orbe terrarum, quem cœtum Spiritusſanctus per ſuam gratiam connectit & coniungit vna eademq́ue fide & ijſdem ſacramentis, facitq́ue eos vniuerſos vnum quiddam & vnam ſocietatē in Chriſto, eádemq́ue varijs donis, vtilibusq́; & prçclaris functionibus inſtruit: interìm nihilo minùs per mutuam charitatem pulcherrima quædam çqualitas, vnitas & concordia permanet in hac Eccleſia, tametſi dona & officia non eadem omnibus nec æqualiter cōtingunt: quemadmodùm & inter mēbra corporis, pax & concordia manet, licèt vnumquodque ſuam peculiarem actionem & miniſterium obtineat. Credo, donec huius Eccleſiç membrū permanſero, omnia bona & merita Chriſti, omniumq́ue Sanctorum & credētium mihi commodo & bono eſſe. Credo, ſpero & ſentio Chriſtū & Angelos ac ſanctos omnes mihi inuigilare, corpus & animam meam protegere, pro ſalute & proſperitate mea eſſe ſolicitos, quemadmodùm in vno eodemq́ue corpore pro ſe inuicèm ſolicita ſunt membra. Contrà autem fateor, ſi ex hac Eccleſia diſcedens, Sectas & factiones amplectar, quòd hoc ipſo omni gratia diuina me deſpoliem, omnemq́ue ſpem ſalutis prorſus amittam. Prætereà diſco hinc Deo ac Domino meo laudes grateſque agere, qui me in hanc communionem accerſiuerit, miſerumque & nihili hominem pro gratia ſua Diuina regibus & principibus fecerit æqualem. In hac enim mea qualicunque conditione, æquè ſum membrum Chriſti, atquè illi: çternam felicitatem non minùs expecto, quàm excellentiſſimus quiſque: quod ego acceptū fero miſericordiç Dei mei, qui hoc honoris mihi tribuit per Chriſtum Dominum & ſeruatorem meum. Hoc enim reuerà eſt, quod Dauid ait, pauperem de ſtercore erigere, & collocare eum cum principibus populi ſui.

1. Cor. 12.

Pſal. 112.

Tum porrò diſco donis & conditione mea contentus viuere, quocunque demùm loco vel ordine me in ſua Eccleſia Deus eſſe voluerit. Si donum aliquod excellens in me comperiam, ſcio in hoc mihi non eſſe gloriandum. A Deo enim illud accepi, non in priuatum dūtaxat commodū, ſed ad vtilitatem & ædificationem totius Reipublicç, cuius ſum membrū. Sin autem magnis iſtiuſmodi donis me prçditum non eſſe cognoſcam, vt non ſim eruditus, non habeam donum interpretandi ſcripturas &c. nimirùm id me conſolatur, quòd in alijs Eccleſiç mēbris eiuſmodi dotes cōſpiciā. Quç enī illis à Deo tributa ſunt, eadē & mihi deſeruiunt, queādmodùm

manus in corpore non conqueritur ſe non videre: cùm enim oculus videat, videt & ipſa. Eodem modo quicunque ſcientia vel facultate aliqua pollet in Republica Chriſtiana, ad me quoq; huius ſcientiæ vel facultatis commodum deuoluitur, ità vt quicqd in me deſidero, id habeã in alijs. Quamobrem lætus & gaudens laudo & gratias ago Domino Deo, ſi quenquam aliquid boni vel habere vel accipere conſpiciam in Republica Chriſtiana. Huius cõmunionis contemplatione, animi per omnia ſum hilaris & tranquilli, ſi fratrẽ & membrum meum in ea videam functione, ad quam ego vocatus non ſum. Scio enim Deum functiones & munia pro Eccleſię vtilitate diſtribuere: certoque mihi perſuaſum habeo, diſtinctionem miniſteriorum & officiorum vehementer vtilem & ſalutarem eſſe in republica Chriſtiana: quippe ſinè qua pax & concordia in noſtro cœtu conſtare non poſſint, ſi vnicuique pro ſuo arbitratu agere liceret, nec alter alteri vellet & deberet obtemperare. Poſtremò admonet me iſthæc communio, præcipuam tum mihi, tum cuilibet Chriſtiano in Eccleſia charitatem & concordiam obſeruandã erga omnia & ſingula illius membra: ſchiſmata & contentiones eſſe vitandas, eamque charitatem erga vnumquemlibet è religione Chriſtianum declarandam, vt doleat mihi, ſi quid triſte & aduerſum illi contingat: læterque & gaudeam, ſi quid ei boni, vtilitatis, honoris eueniat. Cauendum præterea atque auertendum, quicquid illi poſſit eſſe detrimento: omniq; ſtudio & cum corporis tum facultatum viribus procurandum, quod ei conducibile ſit & neceſſarium, haud ſecùs atq; mihi ipſi. Ità demùm huius Eccleſiæ & ſocietatis legitimum genuinumque fuero membrum, cunctaque tum Chriſti tum electorum omnium tam in *cælo*, quàm in terris bona & merita certò mihi conductura ſunt ad lætitiam & ſalutem ſempiternam. Hæc eò dicta ſuffecerint, quo pacto ſanctam Eccleſiam confiteri, eiusq; actiones & inſtituta cognoſcere, atque illis ad vtilitatem noſtram vti debeamus. Deus Opt. Max. per ſuam gratiam nos eò prouehere & in eodem conſeruare dignetur, vt in finem vſque in hac Eccleſia veraciter confiteri, & in veritate adorare poſſimus Deum patrẽ omnipotentem, creatorem cęli & terrę: Et Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, & Mundi ſeruatorem. Et Spiritum ſanctum, purificantem & ſanctificantem omnia: atque vt in confeſſione huius verę fidei perſeueremus, & in Eccleſia Dei ſanctè ambulemus inſtàr filiorũ Dei, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum: & vt virtute Diuina confirmati, in hac militante Eccleſia bonum certamen certemus, felicem curſum conſummemus, & in illa futura vita coronam iuſtitiæ cum omnibus electis adipiſcamur, gratia & miſericordia Dei noſtri, Amen.

CONCIO X. HABITA
Dominica V. poſt Trinitatis, Anno 1542.

DVO

DVO etiamnùm articuli noſtrę fidei Chriſtianæ ſuperſunt, Auditores, exigua quidem totius ſymboli portio, ſi verba ſpectemus: verùm ſi latẽtem energiam conſideremus, ipſa fidei noſtræ baſis, cui vniuerſa fides noſtra innititur, & quò ea omnia diriguntur, quæ hactenùs in Symbolo noſtro profeſſi ſumus & audiuimus. Hi autẽ articuli his conſtant verbis:

Prior. *Credo remiſſionem peccatorum.*
Poſterior. *Credo carnis reſurrectionem, & vitam æternam.*

NImirùm hic eſt totius fidei noſtrę ſcopus, propter quem cętera omnia credimus, & cuius cauſa Deus cuncta illa facit, quæ de eo credimus. In quem enim finem nos creauit? Videlicet vt cõſortes haberet regni ſui cæleſtis, erga quos mirificam ſuam gratiam & benignitatem æternùm declarare poſſet. Alioquì enim fruſtrà fuerit omnipotens & benignus Deus, ſi nemo ſit, in quem omnipotẽtem largiſſimamq́; benignitatem ſuam poſſit conferre. Quandò igitur nos condidit Deus pater, ſempiternam beatitudinem noſtram velutì ſcopum ſibi habuit præfixam. Atque hic eſt finis ſeruitutis noſtræ, quã Deo exhibemus: alioquì longè præſtaret, nunquàm à Deo creatos, ſi beatitudinem eius bonitate conſequi non liceret. Quam verò ob cauſam Ieſus Chriſtus vnicus Dei filius Dominus noſter homo fieri voluit? Cur mortuus eſt? cur ſepultus? &c. Om̃ia certè in hunc finem, vt ſuis meritis ſatisfaceret pro peccatis hominum, qui mali dæmonis malo dolo in trãſgreſſione primorum parentum, peccatis erant contaminati, ex quibus ſemetipſos expedire non poterant: peccandoque amiſerãt aditum ad æternam beatitudinem, cui tamen capeſſendę & obtinẽdę conditi erãt. Oportebat ergò Chriſtum humanitatem induere & pati ob expianda maleficia noſtra, nè impediretur finis ille, cuius cauſa creati eramus, vita ſcilicet æterna. Deniquè cur Spiritusſanctus nobis donatus eſt? Non ob aliud certè, quàm vt nos ſanctificet, nos à peccatis & vitijs repurget & emundet, Chriſto nos incorporet, faciatque nos participes & capaces meritorum Chriſti in remiſſionem præcedentium delictorum, perfundatq́; & irriget corda noſtra chariſmatis ſuis longè efficaciſſimis, vt voluntas noſtra deincèps ad bonum propendeat, & vires ad benè agendum per illum cõfirmẽtur & conualeſcant, & ſic tandèm per internam illius operationem à peccatis liberemur, æternumque cum Deo & electis omnibus regnum poſſideamus, in quod peccatores non introibunt, ſed illi duntaxat, quorũ peccata abolita ſunt ꝑ miſericordiã Dei in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Videtis itaque quæ baſis & quis ſcopus ſit fidei noſtræ, nimirùm vita ęterna, quemadmodùm & D. Petrus inquit: Quia in Ieſum Chriſtũ non videntes creditis, exultabitis lętitia inenarrabili, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.

Apoc. 22.

1. Cor. 6.

1. Pet. 1.

Vtrun-

Vtrunque ergò articulum, veluti fundaméta quædam fidei Chriſtianæ, diligenter attendamus, ingenti proculdubiò conſolatione ac gaudio animos noſtros perfundent.

Credo remiſſionem peccatorum.

MIrificum ſanè & inſigne opus his verbis cõfitemur in noſtra Eccleſia, quod & potentiſſimis quibuſque huius orbis dynaſtis & regibus ſit impoſſibile. Nanque etiamſi omnium huius mundi principum potentia in vnum confletur, impoſſibile tamen illis fuerit efficere, vt vbi ſemèl peccatũ admiſſum eſt, ampliùs peccatum non ſit. Atquì in ſancta Chriſti Eccleſia credimus remiſſionem peccatorum. Et ſi reſpiciamus in artificem, cui hoc tantum opus attribuimus, comperimus eum talem, cui nihil difficile ſit aut impoſſibile: ideoque certò & indubitãter creLuc.1. dimus, eum poſſe nobis remittere peccata.

Solus eſt Deus qui iſtud opus operatur, qui nobis peccata remittit per Rom.3. Ioan.3. Chriſtum IESVM Dominum noſtrum, quem propoſuit Deus propitiatorem, vt ſemetipſum offerret pro peccatis totius mundi. Quandò igitur tam precioſam & excellentem hoſtiam credimus pro peccatis oblatã, quid obſtabit quo minùs credamus omninò ſatisfactũ eſſe pro peccatis, illaque iam abolita eſſe & remiſſa? Si credimus mortuum eſſe CHRISTVM, meritò etiam credemus eſſe peccatorum remiſſionem. Neque enim ſuperuacanea aut inanis poterit eſſe mors Chriſti filij Dei, ſed neceſſum eſt credere eam in remiſſionem peccatorum, id quod & ſcripturæ omnes & Prophetæ teſtantur, Eſa.53. Acto.10. Hanc peccatorum remiſſionem paſſi1.Pet.2. one Chriſti partã, eleganter deſcribit D. Petrus his verbis: Ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Quoniã ergò Chriſtus morte & paſſione ſua ſacrificium obtulit pro delictis noſtris, & ſanguinem fudit in propitiationem pro peccatis hominum, vtiquè neceſſariò erit peccatorum remiſſio in Eccleſia fidelium, quos Chriſtus ſibi tanquàm membra aſſumit, & quibus ſua impertit merita. Atq; in hoc myſtico Chriſti corpore ſacer ei⁹ ſanguis operatur, qui pro peccatis fuſus eſt, deletque & diluit prorſus peccata Tit.2. 1.Ioan.1. credentium. Itaque peccata noſtra, quæ priùs erant vt coccinum, quaſi nix Rom.3. dealbantur, poſteaquàm diluentur ſanguine Chriſti: quæque anteà erant Eſai.1. rubra ſicut vermiculus, velut lana alba fiunt: ſitq; adeò intra hanc ſanctam 1.Cor.6. Eccleſiam, quod Apoſtolus dicit: Et hęc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis &c.

Ex his ergò animaduertamus pręrogatiuam, quam habet Eccleſia Chriſti. Remiſſio peccatorum eſt in hac ipſa Catholica Chriſti Eccleſia, quę aliàs nuſquàm eſſe poteſt in toto terrarũ orbe. Hæc enim Eccleſia, mortem, ſanguinem, merita & ſpiritum Chriſti habet, per quæ peccata remittũtur. Horum nihil quicquam habet mundus: ideò nulla penès ipſum eſt peccatorum remiſſio. At dicet aliquis: Immò & mũdus filijs ſuis conniuere poteſt & veniam dare, quandò delinquunt. Verum eſt id quidem, mundum deli-

delicta poſſe remittere,ſed ità,vt maculę & neui perpetuò remaneant. Qui furtum committit,huic pœnam quidem condonare poteſt:vt autem fur non ſit,pręſtare non poteſt.Non eodem modo Deus:ille enim commiſſa Eſai.1. peccata remittit, eademq́ue penitùs à nobis aufert per meritum Christi, 1.Cor.6. prætereaq́; perfundit animos noſtros gratia & Spiritu ſancto, efficitq́; nos verè probos,puros & ſanctos:neq; modò pœnæ donatę ſpem nobis certã præbet,verum etiam inſtruit pectora noſtra gratia, ſanctitate & virtute, vt deinceps & poſſimus & ſtudeamus bona agere,per quod ſalus noſtra reue- 1.Pet.1. labitur in tempore nouiſſimo.Eiuſmodi planè nos peccatorum remiſſionem credimus in Eccleſia Chriſti, eamq́ue à Deo concedi per Chriſtum Dominum noſtrum & ſanctificationem ſpiritûs eius.

At verò etiam conſideranda ſunt media,per quę Deus peccata remittit: neque enim in toto mundo fit peccatorum remiſſio, ſed illis duntaxat ea Per mun- præſtatur,qui medijs illis vtuntur,quę Deus ad conſequendam peccatorũ dū, intelli remiſſionem inſtituit:Quæ porrò hæc media ſint, paucis in præſentiarùm git alie- explicabimus.Sacramenta omnia,quæ Chriſtus Eccleſiæ ſuæ largitus eſt, nos à fide organa quędam & inſtrumenta ſunt ad conſequendam remiſſionem pec- Chriſti. catorum:aut enim præſcribunt modum,vtì peccatis reſiſtendum ſit, & nè fiant,præcauendum:aut eò conferunt vt peccatis liberemur,vbì nos contigerit ab ijs eſſe præoccupatos.Quia verò in vnaquaque Eccleſia vel concione Chriſtiana vehementer neceſſaria eſt accurata ac ſedula de Sacramẽtis inſtitutio,hanc materiã in præſens pętermittimus,ad finem huius Catechiſmi ſpeciatìm ſingula Sacramenta Deo auxiliante ſtudioſè tractaturi. Nunc porrò audiamus,quo pręcipuè modo Deus in Eccleſia ſua remiſſionem peccatorum operetur.

Principiò Chriſtus ſeipſum hoſtiam obtulit pro peccatis totius mũdi, vt reconciliatio eſſet in ſanguine eius per fidem & peccatorum remiſſio, attamen nunquàm citra contritionem & pœnitentiam. Quiſquis igitur Eccleſiæ Dei nondùm inſertus eſt, & dolet interìm tamen ſe peccaſſe, peccatorumq́ue veniam cupit adipiſci, huic loco medij collatus eſt baptiſmus,vt per aquam & Spiritum ſanctum mundetur à peccatis,Act.2. Luc. 24.Iohan.3.

Hęc expiatio ſiue emundatio & remiſſio peccatorum,diluit omnia antẽacta peccata,tam actualia,quàm ipſum originale,& hęc nõ niſi ſemèl præſtatur. Verùm in ipſo baptiſmo necdùm à vitijs omnibus prorſùs curati ſumus.Quanuìs enim baptiſmus nos ab omni peccato emundet,& perfectã abſolutamq́ue ſanctificationem in nobis efficiat:non aufert tamen omnẽ Heb.6. noſtræ naturæ fragilitatem,ſed remanet adhuc in nobis concupiſcentia, vt propenſionem quandam & peccandi libidinem in nobis retineamus. Aduerſùs hanc libidinem & concupiſcentiam largitur nobis Deus Spiritum ſanctum in baptiſmo,qui reprimit & refrenat malæ concupiſcentiæ Cõcupi- impetum,& voluntatem confortat ad bonum:idq́; adeò, vt ſi quis ductu i ſcentia. Rom.5.

Spiri-

Spiritusſancti ſe totum ſubmittat, immunis poſſit ab omni peccato permanere. Qui verò carnis deſiderijs vult obſequi, hic in tam profundā peccatorum voraginem delabitur, ác ſi nunquàm Baptiſmum Deiq; gratiam ſit aſſecutus. Atq; hoc eſt, quod ait diuus Paulus: Debitores eſtis non carni, vt ſecundùm carnem viuatis. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Sin autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunq; enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.

Rom. 8. Galat. 5.

Hinc ergò diſcamus, quàm deteſtabilis ſit error illorum, qui immanibus obſtricti ſceleribus, infirmitatem carnis prætexunt, dicentes: Homini eſſe impoſſibile à peccatis abſtinere, & præceptis Diuinis obtemperare. Eſt quidem homini impoſſibile, ſi conſideremus vires humanas, verùm homini renato ſeu regenerato, nullo modo eſt impoſſibile. Homini, inquam, Chriſtiano, qui ſpiritum Dei in Baptiſmo accepit, poſſibile eſt, vt prauam carnis concupiſcentiam compeſcat virtute ſpiritûs Diuini, nec carnis opera faciat. Nam ſi ductui Spiritusſancti ſe penitùs dedat, fieri poteſt, immò & pro certo compertoque habendum eſt, accedente eò Diui Pauli teſtimonio, eum opera & deſideria carnis non perficere, neque lœtalibus peccatis præbere conſenſum. Itaq; & poteſt & debet quilibet Chriſtianus à mortiferis peccatis abſtinere virtute fretus Spiritusſancti: atque eamobrem dogma illud, tanquàm abſurdum & impium cum vniuerſa Eccleſia damnabimus, quod non veretur palàm affirmare, Hominem Chriſtianum non poſſe eſſe ſinè peccatis lœtalibus, eique impoſſibile eſſe, vt præcepta Dei obſeruet. Illud tamen concedimus, nunquàm tam feliciter & ſanctè agi cum homine, dum in terris degit, vt venialia quoquè peccata omnia deuitet. Nam cùm noſtræ naturæ infirmitas, & mala concupiſcentia in nobis Spiritum ſemper oppugnent, ac implacabile diſſidium & ἐναν-τίωσις ſit inter Spiritum & carnem: quémadmodùm idipſum & D. Paulus deſcribit, fieri non poteſt, quin aliquandò labatur homo, plúsve minúsve interdùm faciat. Huc refertur illud Iohannis: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Hanc igitur ob cauſam, & propter iſtam fragilitatem neceſſarium eſt, quotidianam eſſe peccatorum remiſſionē in Eccleſia Catholica, cùm nemo tam ſanctè degat in terris, quem non aliqua iſtiuſmodi venialia peccata præoccupent. Sicque fit, vt pœnitentia & remiſſio peccatorum etiam pientiſſimis quibuſque in terris neceſſaria ſit, licèt hæc venialia leuia ſint, & lœtalibus illis neutiquàm comparanda.

Galat. 5. Galat. 5. 1. Iohan. 1.

Atque eadem ipſa tamen ſi contemnantur, nec eorum nos pœniteat, ſicque ea ſinamus ſuccreſcere & coaceruari, tandèm & multa venialia damnauerint non ſecùs àc mortalia. Nam, vt inquit D. Auguſtinus: Quid intereſt ad naufragium, vtrùm vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatìm ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem atque ſubmergat? Eſt ergò & venia-

Auguſt. epiſt. 108. ad Seleucianum.

lium

lium peccatorum Chriſtiano petenda remiſſio, quemadmodùm Chriſtus docuit: Pater, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus &c. Atq; hîc quidem & petere debet veniam, & credere, Deum ipſi hoſce defectus & culpas condonaturũ per miſericordiã ſuam & ſacroſancta merita Chriſti filij ſui. Per huiuſmodi enim orationem & fidem aliaque pietatis exercitia, (in quibus exercere ſe debet Chriſtianns ob eluenda ſua quotidiana venialia peccata) putà eleemoſynas, mutuã ignoſcentiam, &c. certam inueniet peccatorum veniam in Eccleſia Dei, prout in ſymbolo & credit & confitetur, dicens: *Credo remiſſionem peccatorum.* His igitur modis à venialibus illis repurgamur in Eccleſia, nempe per eleemoſynas, iniuriarum cõdonationem, precationem &c. idq; per Chriſtum Dominum noſtrum. Matth. 6.

At verò qui poſt baptiſmum & collatam ſibi gratiam prorſus negligenter ac diſſolutè ſeſe gerunt, nec quicquàm eam in curam incumbunt, vt caueant, nè gratiam Dei acceperint in vacuum, nec ſubmittunt ſe ductui Spiritus ſancti, ſed denuò ſeſe transferũt ad ſectãda carnis deſideria, nouiſq; peccatis ſe contaminant, non quidem, vt iam dictũ eſt, leuioribus illis & quotidianis, (à quibus hęc vita vix poteſt immunis eſſe) ſed grauibus ac mortiferis, de quibus pronunciat Apoſtolus, quòd qui talia agunt, regnum Dei non conſequẽtur: hi nimirùm magnis ſemetipſos exponũt periculis, nec eſt quòd de baptiſmo & nominis Chriſtiani profeſſione, acceptaq; gratia multùm glorientur, vtpotè quæ hac ſua ingratitudine dedecorãt, & contumelia afficiunt. Immò certè non paulò peior & periculoſior eorum eſt cõditio, quàm ſi nunquàm ad baptiſmum acceſſiſſent, & peccatorum remiſſionẽ nunquàm conſecuti forent, Deique gratiam per Chriſtum minimè guſtâſſent, vtì D. Petrus teſtatur: Si refugientes, inquit, coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſùs implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enĩ erat illis, nõ cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionẽ retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mãdato. Contigit enim illis illud veri prouerbij: canis reuerſus ad ſuũ vomitũ: &, Sus lota in volutabro luti. Galat. 5. 2. Pet. 2. Prou. 26.

Sed quęres fortè, an & mortalia iſthęc peccata ſub hoc articulo, *Credo remiſſionem peccatorum*, compræhendantur? Idem certè illud hîc vſu venit in Eccleſia Chriſti, quod ait D. Paulus: Vbì abundauit delictum, ſuperabũdauit & gratia. Diues enim & larga Dei miſericordia, remiſſionẽ peccatorum nobis propoſuit in Eccleſia Catholica per Chriſtũ caput & ſeruatorẽ noſtrum, non ſolùm leuiũ ac veniaiiũ, ſed & grauiũ illorum ac lœtaliũ, de quibus ſcriptum eſt: Qui talia agunt, regnum Dei non conſequẽtur: videlicet qui talia agunt, eaque per pœnitentiam ante mortem non deſerũt & corrigunt, ij regnum Dei non conſequentur, ſed æterna morte peribunt: quod ipſum & Chriſtus grauiter cõminatur: Niſi, inquit, pœnitentiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Atquì per dolorẽ & pœnitentiã, miſer peccator poteſt in Eccleſia Chriſti omnium peccatorum ſuorum tam grauiũ, Rom. 5. Galat. 5. Luc. 13.

quàm leuium, remiſſionē adipiſci, ſecundùm hanc, quam in manibus habemus, fidei noſtræ profeſſionem, Credo remiſſionem peccatorum.

Vnum excipitur peccatum, quod æternùm non remittitur, nimirùm finalis illa, quam vocant, impœnitentia, & obſtinatio in peccatis, & deſperatio, vt quādò peccamus quidem, ſed peccati nullam veniā aut remiſſionem ſperamus, aut petimus à Deo. De hoc peccati genere intelligitur, Matt.12. quòd Christus aſſerit, peccatum in Spiritumſanctum neque hîc, neque in 1. Ioan.5. futuro ſeculo remitti. Eiuſmodi extremam impœnitentiam & deſperationem, neceſſariò tandem ſequitur dānatio. Vbi enim non eſt dolor & pœnitentia, ibi neq; peccatorum remiſſio eſſe poteſt: præterea verò in omnibus tam atrocioribꝰ, quàm leuioribus peccatis, certa & infallibilis eſt fidei noſtræ confeſſio, Credo remiſſionem peccatorum. Aduigilet vnuſquiſq; nè huiuſmodi deſperatio & extrema obſtinatio ac impœnitētia, in animū eius irrepat: præter hanc enim nullum eſt tam atrox & graue crimē in vniuerſo mūdo, quod non remittatur per Christum in Eccleſia, ſi quem illius ex animo pœniteat, agatq; pœnitentiam. Hęc peccatorū remiſſio, multis paſsim ſcripturæ locis & exemplis probatur, Lucæ 24. Ioh.3.20. Act.2.3.5. Ezech.18.33.1. Cor.5. Porrò, quemadmodùm magnæ cuiuſdā & flagitioſæ eſt ingratitudinis, poſt clemētem illam condonationem & liberationem, quam nobis præſtitit Deus in baptiſmo, denuò in immania huiuſmodi & craſſa peccata recidere: ſic neceſſum eſt, id genus lœtalia crimina maiori labore expiari ac dilui, putà dolore, pœnitentia, ſui agnitione, cōfeſſione, & 2.Cor.7. caſtigatione corporis: de quibus latiùs in explicatiōe Sacramēti pœnitētiæ.

Deniquè præſens articulus eò accōmodandus eſt, vt omnibus mœrentibus & corde contritis ſit conſolationi, qui onere criminum ſuorū preſſi, ſui liberationē & abſolutionē ſuſpirant: his enim valet peccatorū remiſſio, quam nemo vnquàm ſinè pœnitentia conſequitur. obſtinati & petulātes et vitijs inhęrētes, nihil de hoc articulo ſibi blandiantur aut promittāt: neq; enim vlla ſcriptura quicquam eis pollicetur, nec propterea peccare debēt, quòd Deus peccata remittat: quanquam verum eſt, ſi ante vitæ exceſſum pœnitentiam egerint, Deum ipſis maleficia omnia condonaturū. Verùm quis illis huius rei cautionem præſtabit, eos in poſterū cōtritionis ſeu pœnitendi gratiam conſecuturos, quā modò reſpuunt ac negligunt? Negari quidem non poteſt, pleroſq; magnis ſceleribus obſtrictos in extrema vitæ periodo pœnitentiam egiſſe: ſed nihilo minùs verum eſt, multos in peccatis ſuis vita functos eſſe. Quamobrem cui animæ ſuę ſalus curæ eſt, is obtē- Eccl.5. peret ſcripturæ ità adhortanti: Non tardes conuerti ad Dominū, & nè differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.

CONCIO XI. HABITA

Dominica VI. poſt Trinitatis, Anno 1542.

IN

IN explanatione Symboli ſacroſanctæ fidei noſtræ iam vltimus ſe nobis offert Articulus, qui his conſtat verbis:

Credo carnis reſurrectionem, & vitam æternam.

HAEC verba dilectiſſimi, meritò & rectè vnico Articulo comprehenduntur, vt hinc diſcamus ſpem, vitę futurę certò in animis noſtris cõcipere, ac indubitanter & diſtinctè cognoſcere, quid ſecundùm veritatem fidei noſtræ Chriſtianæ de vita futura ſentire debeamus, ſecùs atquè hactenùs Ethnici & Hæretici de eius vitæ conditione ſenſère, quę hanc temporariam conſecutura eſt. Neque verò nouum eſt, aut apud nos Chriſtianos demùm inuentum, ſed ab exordio mundi, apud omnes populos hæc fuit perſuaſio, aliam fore poſt hæc tẽpora vitam. Nonnulli quidem, ſed iidem pauciſſimi reperti ſunt, qui putarent animam vnà cum corpore humano emori & euaneſcere inſtàr brutorũ animantium, nec quicquam poſt mortẽ de homine ſupereſſe. Verùm eiuſmodi agreſtes & inſulſi homines ſemper à ſapientibus, tanquàm inſani quidam moriones κεφαλὴν μὲν, ἀλλ' οὐκ ἐγκέφαλον ἔχοντες, repræhenſi, profligati & damnati ſunt etiam apud Ethnicos. Ex proprietatibus enim animi humani, quas quilibet prudens in ſemetipſo comperit, homines illi excultiores & ſapientiores ſemper colligere potuerunt, & abſq; vlla hæſitatione ſtatuerunt & crediderunt, animam humanam eſſe immortalem. Quamobrem cõmunis hæc omnium populorũ ſemper fuit ſententia per vniuerſum orbem, aliam quandam poſt hanc vitam ſubſecuturam: vndè etiam vita functos, ſepulturis, ſacrificijs, alijsque impendendis honoribus magnificentiſſimè ac ſumptuoſiſſimè proſecuti ſunt, hoc ipſo ſignificantes, amicos ipſorum, qui corpore ab illis diſceſſiſſent, alio adhuc in loco eſſe ſuperſtites. Cuiuſmodi autem illa vita futura eſſet, planè ignorauerunt, variasque & incertas hac de re opiniones habuerunt, vtpotè qui lumine veritatis à Deo nondùm eſſent illuſtrati. Sed non fuerit neceſſarium, longiùs his referendis immorari, quidnam Ethnici, Iudæi & Hæretici de vita futura ſentiant. Suffecerit nobis ſi ex hoc Articulo diſcamus, quid de ea nos ſentire & credere debeamus, iuxta veritatẽ illam, quam Deus nobis principiò per ſanctos Prophetas, & nouiſſimè per Filium ſuum Ieſum Chriſtum DOMINŨ noſtrum ſua illuſtratione patefecit & annunciauit: qui idcircò venit in MUNDUM, vt cùm huius rei, tum aliarũ omnium veritatem nos doceret, prout & ipſe eſt veritas, & in eo ſunt omnes theſauri Diuinæ Iohan. 14. ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Iam iamque dixi vobis, & ità ſe veritas ha- Coloſſ. 2. bet, omnes omnium terrarum populos in vniuerſo mundo ſemper crediſſe, poſt naturalem huius vitæ terminum, aliam deindè vitam ſupereſſe, animumq; humanum immortalem eſſe. Huic omnium gentium perſuaſioni hoc ſpeciatìm addit fides Chriſtiana, quòd & ipſa corpora humana ex monumẽtis reſurrectura ſint, & vnà cum animab⁹ perpetuò victura, quod Ethnici omnes nec crediderunt, nec cognouerũt vnquàm. Et hoc nos iis verbis ſignificamus, cùm dicimus: Credo carnis reſurrectionem. Prætereà

Hi chiliaſtæ dicti ſunt, propterea q M. annos introducerẽt poſt reſurrectionem generalẽ.

nè quis exiſtimaret, vt nõnulli hęretici, poſt hanc vitam rurſus aliam quandam futuram temporariam, annexum eſt huic Articulo, ET VITAM AETERNAM, vt ſacroſanctę fidei noſtræ ea apud omnes ſententia ſit, atque in hanc ſententiam Chriſtiani omnes eam profiteantur: Credimus non ſolùm animas noſtras eſſe immortales, ſed & poſt naturalẽ hanc mortem etiam corpora noſtra è terris excitanda virtute prępotentis Dei, & cum animabus denuò coniungenda, atq; ità deincèps corpus & animam abſq; vllo fine æternùm ſimul victura.

In hanc ſententiam nos de mortuorum reſurrectione loquimur. Neque enĩ ea reſurrectio de anima accipienda eſt. Nam cùm anima nunquàm intermoriatur, aut intercidat, nõ poterit certè reuiuiſcere: iam enim viuit. Sic neque poteſt reſurgere, cùm ſemper cõſiſtat, nec vnquàm interciderit. Itaq; de corpore intelligitur, quod emoritur, & in terram decidit: illud ergò reuiuiſcit, & poſt ruinam reſurgit. Porrò animam humanam eſſe immortalem, non fuerit neceſſarium multis argumentis docere: hoc enim omnes totius orbis populi nôrunt, planeq; perſuaſum habent.

Corpora verò reſurrectura, & ad vitã reſuſcitanda eſſe, (quod ab Ethnicis non recipitur) perſpicuis aliquot & luculentis ſcripturarum teſtimonijs iam adſtruemus. D. Paulus 1. Cor. 15. mortuorum reſurrectionem varijs ijsque efficacibus & infallibilibus probat argumentis, & præcipuè reſurrectione Chriſti Domini noſtri. Cùm enim ſinè omni dubio certum verumque ſit, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, qua ratione Chriſtiana religione initiatus de mortuorum reſurrectione poſſit ambigere? Si Chriſtus reſurrexit, ergò & nos reſurgemus. Carnem enim ille circuntulit, ſicut & nos circunferimus, eiuſdem planè naturæ, cuius eſt & caro noſtra. Cùm itaq; caro Chriſti reſurrexerit à mortuis, itidèm Deus virtute ſua noſtram quoquè carnem excitabit, 1. Cor. 6. 2. Cor. 4. 1. Theſſa. 4. Deindè ponit

1. Cor. 15. Apoſtolus reſurrectionem, tanquàm baſin & fundamentum noſtræ fidei Chriſtianæ. Nam ſi quis reſurrectionem non credat, cæterorũ nihil quicquam credere poteſt, aut ſanè inanis erit fides eius de alijs omnibus Religionis Chriſtianæ dogmatis. Fundamentum fidei noſtræ Chriſto innititur, quòd mortuus ſit pro peccatis noſtris, quòd à mortuis reſurrexerit, nobiſque peccatorum veniam & vitam ſempiternam conciliârit. Horum aũt nihil prorſus verũ eſſet, ſi non eſſet reſurrectio carnis. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Sic ergò neque à peccatis nos ſumus liberati, & omnes in Chriſto ante nos defuncti, quicquid ob Chriſtianæ fidei profeſſionem tum fecêre, tum perpeſſi ſunt, id totum nihil eis prodeſſe poteſt, vt qui planè periêrint. Nos itidèm quicquid hîc in terris ſiue facimus, ſiue patimur, tanquàm Chriſtiani, id eſt prorſus ſuperuacaneum & inane, ſi non ſit ſubſecutura mortuorũ reſurrectio. Atqui certum apud nos eſt & indubitatum, quòd ſicut per peccatũ vnius Adami oẽs morimur, ſic per obedientiam vnius hominis, Chriſti Dñi noſtri, oẽs reſurgemus in

vitam ſempiternam, non ſolùm animarum, ſed etiam corporum: neque aliorum ſanè, ſed eorum ipſorum quæ nunc circunferimus, quorum tamen longè alia tunc erit conditio, quàm nunc eſt, quemadmodùm pòſt audiemus.

Huius rei euidentiſſima etiam in veteris teſtamenti ſcripturis extant teſtimonia. Iob 19. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: Et rurſùm circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Huc ſpectat etiam mirabilis illa viſio, diuinitùs exhibita Prophetæ Ezechieli. Et luculentum illud Danielis vaticinium: Multi, inquit, de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternã, alij in opprobrium, vt videant ſemper. Matth. 10. ſententiam quandam Domini Seruatoris legimus, futuram reſurrectionem & perpetuam illam corporum noſtrorum durationem luculentiſſimè aſſerentem. Nolite, ait, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Eccè ſi corpora & animę peccatorum ſimul in gehennam pręcipitabuntur, neceſſarium erit corpora illorum ex terris excitari, & cum animabus rurſùs coniungi, atque hoc pacto ſimul æternùm viuere. Exigit quoquè hoc ipſum iuſtitia Diuina, cùm Deus corpus & animam homini largitus ſit. Corpus quidem illi finxit ex limo terræ, animam autem inſpirauit. Itaq; cùm corpora impiorum etiam peccent in Deum, ſicut & animæ, iurè quidem illa vnà cum animabus damnabuntur.

Ezech. 37
Dan. 12.

Atque è diuerſo quandoquidem hominum piorum corpora in Dei cultu & voluntate exequenda ſuam nauant operam, haud ſecùs àc animæ, repoſcit æqua Dei iuſtitia, vt non minùs eadem ipſa bonorum corpora ſempiternis perfruantur gaudijs, atquè animę. Et hęc interim documenta homini Chriſtiano ſatisfecerint ad credendam corporum humanorum reſurrectionem, quodque eadem cum animabus perenniter victura ſint, bonorum quidem in æternis gaudijs, malorum verò in opprobrijs & ſupplicijs ſempiternis, Iohan. 5. Dan. 12. Porrò ſi quiſpiam hac in re etiam ſuæ velit rationi ſatisfactum, quonam modo fieri queat, vt corpus iam corruptum & in puluerem redactum, denuò reſurgat: Diuus Paulus & alij ſancti Doctores multis probant naturalibus exemplis, non adeò inſolens & abſurdum eſſe, ſi corpus ſemèl putrefactum, rediuiuum reſurgat.

1. Cor. 15.

Granum frumenti proiectum in terram, primùm putreſcit & moritur, deindè reuireſcit. Eadem ratione futura eſt corporum noſtrorum reſurrectio. Fortè accidit, vt hominis demortui ſepulcrum intuearis, nec ibidèm quicquam præter terram & puluerem conſpicias, nullum autẽ carnis humanæ veſtigium, & miraris, dicens: Quomodò terra in carnẽ rurſùs tranſmutabitur, cùm præter terram hîc nihil adſpiciam? Reſpondeo: Neque tu

Iohan. 12.

es ille artifex, qui huius μεταμορφώσεως author eſſe debeas. Itemque ſi ad aliquã metalli venam fortaſsìs accedas, ſolam ibì terrã contueris: peritus aũt quiſpiam μεταλλουργὸς ſiue metallicus facilè in ea terra cernit aurum, argentum, æs, plumbum: calletque artem, qua hæc omnia indè eliciat, vbì tu præter terram nihil contemplaris. Eodem modo Deus Opt. Max. ex terra, ex aquis, omnibusque ex locis demortuorum corpora poteſt reuocare ad vitam, & vnumquenq; hominem ſuo proprio rurſùm veſtire corpore. Optima itaque & propenſiſſima ea probatio eſt, qua ad credendam putrefactorũ corporum reſurrectionem permoueamur, ſi cogitemus Deum, qui ea excitaturus eſt, eſſe omnipotentem. Hanc vnicam rationem vel argumentum, omni ego incredulitati obijcio & oppono, & aduerſùs omnem hæſitanti-
Acto. 26. am, hanc Diui Pauli ſententiam profero: Quid incredibile iudicatur apud vos, ſi DEVS mortuos ſuſcitat?

Hæc affatìm ſuffecerint ad demonſtrandam omnium humanorũ corporum reſurrectionem. Nunc ordinem & modum futuræ reſurrectionis ad noſtram omnium conſolationem ex ſacris literis proferemus. Docent
1. Theſſ. 5. nos ſcripta diuina, quòd dies Domini ſicut fur in nocte ex improuiſò venturus ſit, hominesq; ea tempeſtate viuentes, repentè præoccupaturus cùm non putabunt. Porrò Dominum in tuba, & in voce archangeli deſcenſurum de cælo, & mortuos qui in Chriſto ſunt, primùm reſurrecturos, & ſingulos eadem ipſa corpora ſecum ex monumento producturos, quæ in vita circuntulerunt, ſed non in ea qualitate qua antè, ſed corpora clarificata, quæ nulli neque defectui ſiue vitio, neque corruptioni ampliùs erunt obnoxia, 1. Corinth. 15. Coloſſ. 3. 1. Theſſ. 4. Illos verò qui etiamnùm in terris victuri ſunt, quandò Dominus venturus eſt, tametſi fortaſsìs non ſint morituri eo modo, quo alij mortui ſunt, adimplẽdum tamen in illis, quod
Heb. 9. ait Scriptura: Statutũ eſt homini ſemèl mori. In momento enim & in ictu oculi immutandos, vt iam vlteriùs eorum corpora neque mortalia, neque corruptibilia ſint, ſed à corruptione libera & clarificata. Et ità cum ijs, qui demortui ſint, ſimul rapiendos in nubibus obuiàm Chriſto in aera iudicium inſtituenti. Vndè hi appellantur viui, quòd naturalis eorum mors aut immutatio, ſinè longa temporis mora & abſque ſepultura repentè in ictu oculi continget, 1. Theſ. 4.

Ità iam huius poſtremi Articuli rationes & firmamenta etiam ex diuinis literis protulimus, planumque fecimus, omninò eſſe reſurrectionem, & quo pacto illa ſit futura. Porrò non abs re putauerim, ſi ſimplicioribus cõpendio quodã declarauero, quarum rerũ ex huius recitatione Articuli debeant admoneri, cùm dicunt: Credo carnis reſurrectionẽ, & vitã æternam.

Principiò quicunq; credit reſurrectionem carnis ſecundùm veritatem doctrinę Chriſtianæ, facilè ex hoc ipſo poteſt animaduertere, hanc reſurrectionem tam malis, quàm bonis fore communem. Nam vniuerſi quidem
Dani. 12. homines reſurgent, ſed diuerſa ratione: alij in vitam & gaudium, alij in opprobrium

probrium ſempiternum & ſupplicium: omnes enim manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti,& reddere rationem totius vitę in terris actæ,vbi certè longè diſpar recepturi ſunt præmium,alij ignem æternum,alij requiem ſempiternam. Non eandem ſanè, ſed & longè diuerſiſſimã in eos ſententiam Dominus proferet,alios benignè & comiter inuitabit ad regnum cęleſte, alios ſeuerè & indignabundus in perpetuas gehennæ flammas relegabit. Hæc meritò quilibet Chriſtianus ſeriò ſecum perpendere deberet, quæ eum à multis poſſent peccatis retrahere & reuocare. Secundò, quandò homines pij magnam illam Dei bonitatem expendunt, quòd & ipſorum corpora ad beatitudinem ſit reſuſcitaturus,duplici eodemque ingenti ac abundanti gaudio eorum animi perfunduntur. Hanc propenſionẽ Deus naturę noſtrę indidit,vt quilibet corporis ſui amore teneatur. Indè adeò eſt,quòd animus humanus angore,ſolicitudine & dolore afficitur,vbi animaduertit ſibi ex corpore ſuo emigrandum, atque hæc eſt illa mortis formido. Sed aduerſùs hunc metum & terrorem magnam nobis Deus conſolationem pręſtitit,qua homo fidelis hunc ipſum quem nobis natura ingenerauit, metum & pauorem mitiget,ac ſeipſum conſoletur, nimirùm carnis reſtitutionem & reſurrectionem. Quandò itaque mors hominem è religione Chriſtianum inuadit, corpusque ab animo diuellere inceptat, iam huic Articulo poteſt conſtanter inniti & dicere:Credo reſurrectionem carnis. Itaque ſi iuxta naturam humanam formidabile videtur corpore priuari,at ediuerſò conſolatur me fides,qua certus ſum,Deum hoc idem corpus mihi aliquandò redditurum,conditione longè pręſtantiori & ſplendidiori præditum. Anima ſanè fidelis hac conſolatione ſuum poteſt corpus erigere, quæ in hymno quodam Prudentij legitur, his verbis compellantis membra ſua: Iohan. 5. 2.Cor. 5. Eccl. 7.

Pellite corde metum mea membra, & credite voſmet
Cum Chriſto reditura Deo.

Poteſt,inquam,anima hunc in modum corpus appellare ſuum: Bono eſto animo dulce meum domicilium: Fidelis eſt DEVS, qui te non deſtituet, ſed definito tempore ex ſarcophago reſuſcitabit, & nos ambos rurſùm cõiunget, vita illa ſempiterna ſimul iucundiſſimè perfruituros. Hanc conſolationem quam nobis futura carnis adfert reſurrectio, aduerſùs naturalem illum horrorem & formidinem mortis, eleganter deſcribit Apoſtolus ſecundæ Corinth. 5. Qui ſumus, inquit,in hoc tabernaculo,ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt,à vita,&c. Tertiò, habet ſuas opportunitates & prodeſt huius Articuli conſolatio,nedùm in ipſis mortis angoribus,verùm etiã in omnibus alijs anguſtijs,afflictionibus, & tentationibus, quęcunq; nobis adhuc humi repentibus poſſunt euenire. Si corporis ægritudine,ſi rerũ penuria, aut alia quapiã aduerſitate premamur:ſi perfidus hic mũdus in nos deſęuiat bellis,latrocinijs,infeſtis perſecutionib⁹, atq; in eas nos anguſtias redigat,

vt iam nulla ſpes reſidua ſit in terris,tum huius Articuli recordemur, & ſpẽ noſtram à terrenis ad Deum erigamus, dicentes: Scimus quia Deus & redemptor noſter viuit: itaque licèt mundus enecet corpora noſtra, ille tamen ea excitabit fruitura gaudijs ſempiternis, etiamſi mundus omnibus rebus charis nos ſpoliet, omni nos priuet gaudio, ipſam deniquè auferat vitam temporariam: vitam tamen aliam, & quidem ſempiternam reddet nobis Deus noſter,in qua nulla querimonia, nullæ lachrymæ,nulla miſeria, nec vllus dolor vnquàm erit, ſed eiuſmodi omninò ac perpetim gaudia, quæ nec auris audiuit, nec in cor hominis aſſcenderunt: vtì etiam D. Iob extrema calamitate & ſummis anguſtijs oppreſſus,hac ſe futura carnis
Iob 19. reſurrectione & vita æterna conſolatur, ità dicens: Scio quòd redemptor meus viuit,& in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c. Nunc itaque dilectiſſimi, breuem & ſuccinctam noſtræ fidei Chriſtianæ exegeſin audiuimus, atque in ea didicimus Deum nôſſe, vtì is voluntate & actione erga nos ſit affectus, quatenùs quidem per ſacra Diuini ſpiritûs eloquia nobis voluit innoteſcere. Scimus iam & credimus Deum patrem nos ex nihilo creâſſe, Filium redemiſſe, & Spiritum ſanctum ſanctificâſſe: tum quoquè Patrem etiamnùm quotidianis vitæ ſubſidijs,præſidijs ac rebus neceſſarijs nos conſeruare, & Filium nos indiès adhuc redimere precioſo illo ſacrificio & Sacroſancto ſanguine, cuius virtus & efficacia æternùm permanet: deniquè Spiritumſanctum hodieque perpetuò nos ſanctificare, vt hîc peccatorum veniam, & poſt hanc vitam, vitam poſſimus obtinere ſempiternam. De his omnibus verè quidem & dilucidè,breuiter tamen & ſuccinctè audiuimus. Quilibet Chriſtianus ea quæ toto anno in ſacris diſcit concionibus, cuncta eò debet dirigere, vt ſolidum & abſolutum fidei intellectum conſequatur. Hæc enim eſt illa ſapientia & doctrina,quæ Chriſtianos nos reddit,& ab omnibus mundi populis ſeparat & ſecernit. Quanuìs enim Iudæi & Ethnici in verum Deum credant, ignorant tamen munifica illa opera, quæ Deus per dilectum Filium ſuum & Spiritumſanctum ad generis humani ſalutem operatus eſt. Nos verò cognoſcimus Deum patrem, Filium & Spiritumſanctum, vnum verum Deum, eiusque clementiſſimam & benigniſſimam voluntatem & opera, quæ noſtræ ſalutis cauſa in mundo executus eſt,per CHRISTVM Dominum noſtrum & Spiritum ſanctum.

Deus Opt. Max. gratiam nobis præſtet ſuam per Ieſum Chriſtum & Spiritumſanctum, vt omnes in vera & ſyncera huius Sacroſanctæ fidei Chriſtianę profeſſione in finem vſque perſeueremus,atque in ea ipſa profeſſione bonum certamen certemus, exercitantes nos in omni ſanctimonia & pietate,quò poſt hanc vitam à iuſtiſſimo fideliſſimoque imperatore & agonothete noſtro Deo, coronam iuſtitiæ cum omnibus electis percipiamus,Amen.

CHRI-

CHRISTIANA ET OR-
THODOXA EXPLICATIO ORA- TIONIS DOMINICAE.
CONCIO XII. HABITA
Dominica VII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

HVCuſquè, auditores, ſymboli ſacroſanctæ fidei noſtræ explicationem vobis pro concione propoſui, ſuccinctam illam quidem, ſed vt equidem mihi perſuadeo, veram, perſpicuam, luculentam, atq; etiam pro meo inſtituto prolixam ſatis. Nunquàm eñ in ea fui ſententia, vt tam abſolutam fidei doctrinã vobis hoc in loco traderem, vt nulla præterea concione indigeretis: ſed hac inſtitutione fundamentum quoddam collocare volui, in vſum & gratiam ſimplicium omnibus illis exponendis articulis, quos hominem Chriſtianum inprimis nôſſe oporteat: vt ſimpliciores breui hac & compendiaria neceſſariò cognoſcendarum fidei noſtrę partium explicatione & doctrina percepta ac perſpecta, alijs concionibus magis afficiantur, & quicquid pręterea in ijſdẽ didicerint, huic fundamento ſuperſtruant, donec fidei Chriſtianæ plenum & abſolutum obtineant intellectum. Quod nobis omnibus largiatur Deus per illuſtrationem gratiæ ſuæ & Spiritusſancti, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Poſito igitur fidei fundamento, ipſa ordinis ratio & [illegible] requirit, vt de oratione nonnihil audiamus & perdiſcamus. Poſteaquàm Deum cognoſcere didicimus, vt is voluntate & operibus erga nos ſit affectus: ſcimusq; illum eſſe Patrem noſtrum, qui nos creârit, redemerit, & ſanctificârit: illum eſſe, qui corporis alimenta, tegumenta & omnia huius temporariæ vitæ ſubſidia nobis conferat, qui corpora animasque noſtras protegere ac tueri, æternaque beatitudine donare queat: his, inquam, probè cognitis, quid quæſo iuſtiùs rectiúsve fecerimus, quàm vt ea petamus ab hoc ipſo Deo noſtro, quæ ſuſtentationi & ſaluti corporum & animorum noſtrorum ſint neceſſaria? In nobis ipſis enim extremam comperimus inopiam & egeſtatem: iam autem fide docti ſumus, Deum omnium iſtorum bonorum habere pleniſſimam copiam & affluentiam, quibus ad corporis & animæ ſalutem indigeamus. Habemus præterea ſpem certam & indubitatam in eum, quòd munificus, miſericors & diues ſit in omnes qui inuocant illum, & quicqd boni pręſtare poteſt, id libẽter impartiri velit pr.cantib⁹ ſe. Rom. 10. Ioel. 2.

Cur igitur nos, qui Chriſtiani ſumus, vſqueadeò pigritabimur, aut ſaluti noſtræ tam erimus inuidi, vt precari & petere nolimus? Omnium rerum affluentiam poterimus à Deo obtinere, abſque magnis ſumptibus & impendijs, videlicet verbis duntaxat & precibus. Idcircò rectè vos admonuerim cum Propheta: Venite, emite abſque argento & abſque vlla commutatione, bona plurima: aut quemadmodùm Chriſtus hortatur: Petite, Eſai. 55. Ioan. 16.

Rom. 10.

& accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Cæterùm quàm ſalutaris & vtilis eſt precandi ars & ſcientia, tam quoquè digna eſt quę diſcatur: ideoq; aliquot Conciones huic explicandæ orationi impendemus, quam Dominus ipſe nos docuit.



PRINCIPIVM ORATIONIS DOMINICAE.

Pater noſter.

MVLTAS & varias promiſſiones habemus paſsìm in ſacris ſcripturis, quàm munificus & diues ſit Deus erga omnes qui inuocant ipſum, petentiumque ſe voluntati & votis ſatisfaciat, & preces eorum exaudiat, prout idem Chriſtus quoq; teſtatur his verbis: Quicquid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ad has tam multiplices promiſſiões poſſit fortè quis mirari, cùm Chriſtum tam crebris iteratisq; precibus, tum priuatìm, tum publicè in cõmune pulſemus, quidnam cauſæ ſit, quòd calamitates tamen & miſeriæ noſtræ non imminuantur? Fallúnt ne nos ſcripta diuina, quæ affirmant Deum orantes exaudire? An verò Deus vſqueadeò eſt leuis & inconſtans, vt ea non præſtet, quæ ſemèl in ſcri-

Iohan. 16.

in ſcripturis pollicitus eſt? Certè vanitas, mendacium & impoſtura longiſſimè abſunt à Deo noſtro. Fidelis eſt Dominus in omnib⁹ verbis ſuis, fidelis in omnibus promiſſis ſuis, & precátes certò exaudit, & dat petẽtibus ſe. Pſal.144.

Verùm hac in re culpa omnis hęret, quòd qui inuocant, Deum non inuocant: & qui petunt, malè petũt, nec eo, quo debebant, modo precãtur: & hæc eſt ratio cur non accipiãt, quemadmodùm D. Iacobus ait. Non igitur precari ſatis eſt, ſed rectè ac benè precari, id quod debet, impetrat ac promeretur. Quamobrem priuſquàm huius Dominicę precationis exegeſim exordiamur, nonnullas orationis circunſtantias vobis compendiò indicabo, ex quibus deprehẽdatis, quomodò & quamobrem oratio quandoquè vtilis, quandoquè reddatur inutilis. Iacob.4.

Primum & maximum precationis impedimentum illud eſt, quòd qui inuocant, Deum non inuocant, de quibus ſcriptum eſt: Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Pſal.13. & 52.

Illud vnuſquiſque inuocare putandus eſt, quod vt ſibi contingat, maximè in votis habet, & quò deſiderijs & affectibus plurimùm propẽdet. Quicunque ergò Deum deſiderat, & id quod decet, iuſtitiæque & æquitati cõſentaneum eſt, hic Deum inuocat. Qui verò à Deo diuitias, mũdanos honores, voluptates petit, hic nõ Deum, ſed diuitias, honores, voluptates inuocat, vultq́; Deum malorum deſideriorũ prauarumq́; libidinum ſuarum fieri adminiſtrũ: quibus adeptis, facilè Deum valere iuſſurus ſit. Quid igitur? inquies: Nihil ne bonorum temporalium à Deo petere licebit? Maximè verò & tẽporaria & ęterna ab eo petenda ſunt, ſed inprimìs æterna: tẽporaria verò hac adhibita conditione, modò ea conducant & conferãt ad ęterna. Porrò vbi tẽporaria petimus, omnia debemus diuinæ permittere voluntati, & in illius arbitrio ponere, num vel velit vel nolit ea largiri: meliùs enim ille perſpicit, quid è re noſtra futurũ ſit, quàm nos ipſi: adeoq́ue perſuadere nobis debemus, Deum quãdoquè longè nobis clementiorem & benigniorem eſſe, cùm non præſtet ea quæ petimus, quàm ſi per omnia votis noſtris reſponderet. Sic regius ille pſalmographus de ſeipſo teſtatur, quòd die ac nocte clamauerit ad Deum, nec ipſum exaudiêrit, nec tamẽ ad inſipientiam ipſi, ſed longè potiùs ad ſapientiã: quò diſceret hinc ſæpenumerò cõtingere, vt non expediat nos votorum compotes fieri, ſi mala inutiliaq́; petamus: alioquì conſueuit Deus iratus nonnunquàm perperàm petentibus largiri illud quod poſtulãt, vt eſt videre Pſal.77. & 80. Pſal.21. Pſal.87.

Quiſquis igitur ille eſt, qui à Deo in omnibus, quæ petit, ſe vult exaudiri, hic nimiùm inſulſus & importunus eſt precator, vt qui id iniquitatis Deo præpotenti tribuere videatur, quã ne homini quidẽ honeſto audeat tribuere: Petis tuã aut liberorũ tuorũ vitam ad vltimã vſque ſenectam prorogari. Quid ſi Deus cauſas habeat exploratas, ob quas te aut illos præſtet eſſe vitæ breuis? vtì de quodam ſcriptura ait: Raptus eſt, nè malitia mutaret intellectum eius, aut nè fictio deciperet animam illius. Expetis diuitias. Sap.4.

Verùm

Verùm quid ſi Deo cognitum ſit, eas tibi fore peccandi inſtrumentum, & quas ad perpetuã animæ tuæ damnationem tuumque exitium ſis conuerſurus? Ea omninò de cauſa ſapiens ille parœmiographus noluit habere diuitias, cùm hunc in modum oraret: Domine, diuitias nè dederis mihi, nè forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? Imprecaris aduerſa & infauſta hoſtibus tuis, & mortem alterius exoptas: Sed quid ſi interim inimicus tuus tibi quoquè malè precetur, aut alius aliquis tuam optet necẽ? quàm tu nõ vis Deum hoſtium tuorum preces in tuam admittere perniciem, tam non velle debes, vt Deus tuis morẽ gerat precibus, quãdò alterius res aduerſas, aut mortem etiam ipſam poſtulas.

Prou.30.

Et vt paucis multa complectar, temporaria omnia ſecundùm Deum petenda ſunt, eiuſque voluntati permittenda, vt ea nobis præſtet, noſq; voti cõpotes faciat, niſi diuinę ipſius voluntati id repugnet, & cùm ea petimus, quæ ad noſtram faciant & conducant ſalutem ſempiternam. Vt autem nôrint Chriſtiani, quę à Deo ſint petenda, nè quicquam iniquum aut iniuſtũ petant, Chriſtus ipſe tradidit nobis quandam precandi formulam, ſeptem petitionibus diſtinctã: quibus profectò compræhẽſum eſt, quicquid corpori & animæ neceſſarium eſt: noſq; decet & expedit petere à Deo. Extra hanc orationẽ nihil eſt, quod homini neceſſariũ ſit à Deo poſtulare. Chriſtus enim cùm ſit Dei ſapiẽtia, optimè nouit quem precandi modum nobis deberet præſcribere, & quibus indigeret vita humana. Nec quicquam hîc prætermiſit quod ad corporis & animę ſalutem tum vtile, tum neceſſarium eſſe queat. Neque debet homo Chriſtianus extra hanc orationem, aliud quippiam petere à Deo, ità vt hac poſthabita precatione, quam nos docuit ipſe Dei filius, ſuo quodam priuato orandi modo velit vti, nè in illũ cadat ea Domini obiurgatio: Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Contemnitis mandatum Dei, quod filius Dei vos docuit, & pro veſtra propria voluntate priuatoque iudicio oratis. Verùm hoc ità nolim accipi, quaſi ego dicam aut ſentiam, quòd nefas ſit in precationibus alio verborum vti tenore, quàm in hac oratiõe Dominica continetur. Nam ſi hoc verum eſſet, iam Dauid in ſuis Pſalmis & plurimi alij pij & ſancti malè ac perperàm oràſſent, quorum orationes etiamnùm ſcriptæ conſpiciuntur in ſacris literis. Sed hoc modo extra limites huius orationis Dominicæ tranſiliendum non eſſe cenſeo, nè quicquam à Deo petamus vel deſideremus, quod in ſeptem Dominicę precationis partibus non ſit conceſſum, aut mandatum vt petamus. Nam ſi quas nobis præterea ab hac diſcrepantes priuatas orandi formulas velimus confingere, metuendũ adhuc fuerit an Deo futuræ ſint gratæ & acceptę. In hac autem ne dubitare quidẽ poſſumus, quin Deo placeat & grata ſit, cùm ipſe Dei filius eam confecerit & docuerit. Hanc precandi normam Dauid, omneſque pij obſeruârũt, ad hanc amuſſim orationes ſuas direxerunt. Nam ſi pſalmos omnes, cunctaſque Sanctorũ precationes perluſtremus, comperiemus eos nihil oràſ-

Matt.15.

ſe,

ſe,quod non his ſeptem partibus compræhendatur.Quamobrem & tu, ô Chriſtiane, nihil precaberis,quod in Dominica precatione tibi cõceſſum Matth. 6.
aut præceptum non ſit.Ipſos articulos ſeu partes paulò pòſt audiemus: Nũc plures alias circunſtantias proferemus,cur quãdoque oratio maneat infrugifera,& quomodò ſit inſtituẽda,vt à Deo exaudiaẽ.Eſt igitur aliud quoddam cumprimìs notabile & lõgè pernicioſiſſimum vulgatiſſimumq; orationis impedimentum,quô minùs Deus eam exaudiat,nimirùm quòd cor noſtrum in poteſtate noſtra non habemus,neque illud cuſtodimus, quandò in prece ſumus:non damus operam vt corde collecto ac minimè diſtracto ſimus,ſed huc illucq; diuagari illud patimur,& effluere in varias cogitationes,atq; inter precandũ orationis noſtrę obliuiſcimur,& aliud mente voluimus,quàm ore & verbis pronunciamus.Huiuſmodi oratio ad Deum Ioan.4.
non pertingit. Deus eſt ſpiritus,non audit auribus vt homo:ſed quiſquis eum alloqui aut orare deſiderat, is in ſpiritu, in animo, in veritate & ſerio corde eum vt precetur & adoret oportet. Itaque non eſt in ſolis verbis aut voce ſita precatio,ſed in animo & mẽte orantis.Quiſquis corde ad Deum clamat,hic Deum orat, tametſi lingua ne verbum quidem vllum proferat, 1.Reg.1.Exod.14. Qui verò laxatis cogitationibus habenis,animum inter precandum in res peregrinas & alienas ſinit excurrere,is non precatur Deum,nec exauditur,licèt voce ſua Stentorem aut tubarum clangorem exuperet. His enim loquitur Dominus: Populus hic labijs me honorat: cor Eſai.29
autem eorum longè eſt à me. Sinè cauſa colunt me &c. Matt. 15. Error eſt planè ethnicus,putare orationem ſitam eſſe in ſolis verbis, etiamſi abſque animo & mente proferantur.Ethnici enim perſuaſum habebãt,Deum bonis verbis moueri & induci inſtàr hominis,qui plerunquè verbis commodat fidem,& alienis precibus commouetur, licèt interìm animus petentis aduerſùs illum ſit ſubdolus & hoſtilis. Deus autem non comptis & fucatis verbis,ſed ſyncero & feruenti animi affectu & intentione commouetur. Quandò igitur incœptas orare ,& cogitationes tuæ aliorſùm diuertunt,& ab oratione recedunt,qua ratione huiuſmodi preces Deus admittet & exaudiet?Cùm enim tu teipſum non audias,quo pacto Deum te auditurum ſperas?Tu ipſe precationis tuæ obliuiſceris, quo modo ergò Deus poterit illius meminiſſe?

Haud ità agendum eſt dilectiſſimi:ſatìs ſuperq; multam in nobis inopiam & egeſtatem conſpicimus.Porrò ab oratione ſalus noſtra depẽdet vniuerſa: vigilemus ergò in tam arduo & vtili opere. Qui orare inſtituit, cõtineat animum ſuum apud ſeſe,non ſinat illum dilabi & euagari in alias cogitationes,ſed intra illas ſolas eum cohibeat cogitationes,quas in precãdo iam habet propoſitas. Qui enim labijs orat, & interìm aliud ſpontè verſat animo, hic tantũ abeſt vt oret, vt etiam cõtumelia afficiat & irrideat ſublimem Maieſtatem Diuinam, & maximo ſuo malo irridiculè agat cum Deo, quemadmodùm cum homine aliquo priuato agere pertimeſceret. Si cum

vicino tuo de negocio quopiam ſis locuturus, & ſtatìm ad πάρεργα & à propo ſito aliena deflectas, quo te (oro) vultu ille cótuebitur? An ne mox dicturus eſt: Quid mihi cum tuis ludibrijs? ſi non vis de re propoſita mecum conferre ſermonem, ſine me meum negocium agere: non tantum abs re mea ocij eſt mihi, tuis vt vacet abſurdis & inſolentibus phantaſijs percipiendis operam impendere. Quandò ergò cum Deo colloquium inſtituis, & continuò animi cogitationes transfers ad alia, quomodò Deus iſtiuſmodi irriſione non offendetur? Iam verò etiam illud nobis vſu venire ſolet, vt dum oramus, non ſolùm extraneum aliquid cogitemus, quàm quod petere inſtituimus, ſed & eiuſmodi animo cogitatiões verſemus, quæ Deo maximè ſint inuiſæ & aduerſæ. Sed ſi inutilia & nihil ad rem pertinentia cogitâſſe inter orandum, in Dei cedit contemptum & contumeliam: quantam, quæſo, quamq́; horrendam Dei iram promerebimur, ſi precantes etiam praua & iniqua cogitemus? Quicunq; igitur precatione ſua aliquid apud Deum efficere deſiderat, immò qui vindictam & iram Diuinam in ſe orando nòn vult concitare, ille cordi ſuo cuſtodiendo inuigilet, vanas & infrugiferas cogitationes arceat: ſed longè magis vitioſas & flagitioſas. Hoc nimirùm
Matth. 6. voluit Christus, dum præcepit vt oraturi intremus in cubiculum noſtrum, & oſtium claudamus: Id eſt, rebus negocijsq́ue omnibus excluſis, in ipſa cordis noſtri penetralia nos recipiamus, atque intra ea animum contineamus, oſtiumq́; claudamus, nè vanis & alienis cogitationibus aditus pateat in corda noſtra. Huc ſpectat illud Dauidis 2. Reg. 7. Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te oratione hac: itemq́ue illud Pſalm. 85. Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Conditiones aliæ, quæ orationem bonam, Deo gratam, & frugiferam reddunt, tam ſunt peruulgatæ, tamq́ue obuijs & dilucidis ſcripturę Diuinæ teſtimonijs declarantur, vt ſuperuacaneum exiſtimem, multa de eis hîc cõmemorare. Omnibus enim Chriſtianis perſpectum eſt, quòd conditionibus ijs deficientibus, omnis oratio inefficax, fruſtranea & inutilis ſit. Cuiuſmodi eſt, quòd oratio ante omnia cum fide debet eſſe coniuncta. Quo-
Rom. 10. modò eñ inuocabunt, in quem non crediderunt? inquit Apoſtolus. Non autem hîc nudam illam fidem dico, qua credimus Deum eſſe omnipotentem, &c. ſed veram illã & viuam fidem, quæ Dei donũ eſt, qua ſpe animoq́; Deo innitimur, corpusq́ue & animam ei concredimus & permittimus, & bona oĩa ab eo expectamus. Huiuſmodi fidem ſpe etiã & charitate oportet eſſe ſuffultam. Spe quidẽ, vt qui in Deum credit, bona cum fiducia expectet illud quod petit à Deo, nihil hæſitans aut diffidens, Deum illud ſibi largiturum, ſi ſit in rem ſuam, Matt. 21. Mar. 11. Iac. 1. Hæc fiducia concipitur ex promiſſionibus Diuinis. Quandoquidem eñ nos iuſſit orare, ſeq́; exaudi-
Ioan. 16. turũ pollicitus eſt, facilè nobis id de eo polliceri poſſumus, eum preces noſtras non repudiaturũ. Interìm tamen opùs eſt patientia & longanimitate, nec Deo terminũ nos præfigere debemus, ſed tempus & opportunitatem

præſto-

præſtolari: nouit enim ille, quandò debeat opem ferre. Quòd ſi preces noſtras planè nō exaudiat, exploratas habet cauſas, quamobrem præſtet, non fieri nos compotes votorum noſtrorum, Abac. 2. Iudith. 8. Et ſicut vniuerſa hominis opera frigida ſunt & vana, ſi non habeant adiunctam charitatem: ſic nulla precatio poteſt eſſe expedita, niſi animus vtriuſq; tum Dei, tum proximi charitate flagret. Porrò ſi feruenter orare deſideres, neceſſum eſt vt oculos cordis ad immenſam Dei benignitatem conuertas, quam ille tam varijs modis & medijs erga nos declarat: vt iam ne vllam quidem mundi huius creaturam contueri poſſis, in qua Dei erga te bonitatem non animaduertas. Hoc verò charitatem erga Deum excitat, efficitq; vt tam bonum Deum ardenter preceris & implores. Deindè & proximo neceſſe eſt, vt ex animo benè velis, benè cupias: indè demùm fiet, vt ſeriò petas à Deo & tibi & illi panem quotidianum dari, peccata remitti, tentationem, nè in illam inducamini, auerti, &c. Aliam prætereà eſſe orationis conditionem, eandemque neceſſariam, non eſt vobis incognitum, ſinè qua nulla ad Deum precatio inſtituenda eſt. Cùm ſtabitis, inquit, ad orandum, dimittite, ſi Mar. 11.
quid habetis aduerſùs aliquem: vt & Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Deniquè hoc loco reliquis orationis circunſtantijs etiam illud annectendum eſt, ſiquidem ad id horum temporum nos miſeranda & perdita conditio inuitat, quandò in nouationes & ſingularia quędam plùs nimio ſumus auidi & propenſi, Euangelicosq; animos noſtros nequimus prodere ac declarare euidentiùs, quàm contemnendis illis, quæ alioquì Catholicè & cōmuniter obſeruantur. Quiſquis obſeruat id quod antiquæ & Catholicæ religionis eſt, is nihil ſingulare deſignâſſe videtur. Sed ſi aliquo in precio haberi velis, incunctanter & confidenter contemnas oportet, quod alijs probatur: alioquì nè teruncij quidē æſtimaberis, nec poteris eſſe Euangelicus, niſi nouum & ſingulare quippiam moliaris & ſecteris. Inter alias nouationes etiam hæc circa orationē exorta eſt, qua externa illa precationi deſtinata loca & templa, atq; omnes cęremoniæ externæ exibilantur & contemnuntur, quæ tamen iam olim antiquitùs pro talibus habita ſunt, quæ ad precandum hortentur & extimulent, conducantq; & conferant ad vtiliter precandum. Sed horum breuem explicationem ac inſtitutionē ex ſacris literis promemus, vt pius quiſq; compertum habeat, quid de his ſentire, aut vtì in his iuxta piam, Chriſtianam, ſalutaremq; conſtitutionem & ſanctionem ſeſe gerere debeat. Aduerſùs externa templa hoc ferè obijciunt argumentum: Tu autem cùm oraueris, intra Matth. 6.
in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi, &c. Cui nos ſic reſpondemus: Suprà audiuimus & eſt extra controuerſiam, Chriſtum hîc loqui de cordis noſtri cubiculo, velleq; vt intrò in animos noſtros nos recipiamus, eosq; precationi daturi operam, occludamus, nè aliæ cogitationes ſeſe ingerant & irrepant. Eiuſmodi verò cubiculum quilibet è religione Chriſtianus

etiam in templum vt ſecum adferat, nihil obſiſtit. Nihil te hac in parte remoratur, quiſquis Chriſtianus es, quòd alij multi tecū pariter orant, quorum vnuſquiſque ſuum ingreditur cubiculum, etiam in ipſo templo. Putáſne Apoſtolos Chriſti mandato conuenienter oráſſe? Atqui ij ipſi templum ingreſſi ſunt, vt orarent, vt habes Actor. 3. Nec oraturi ſubterfugerunt templa vel Eccleſiam, ſed longè magìs eam expetiêrunt, Actor. 1. Lucę 2. Viguit & hæc conſuetudo in primitiua Eccleſia, quemadmodùm hoc videre eſt apud Paulum & Tertullianum, 1. Timoth. 2. In Apologia cap. 39. Quin etiam impoſſibile eſt, vllum locū magìs eſſe idoneum ad orandum, quàm publicas ædes ſacras & baſilicas. Ratio huius gemina eſt: prima quidem, quòd illic ad orandum excitemur: altera verò, quòd cōmunis ibi fiat precatio, quæ eſt oratio omnium efficaciſſima. Imus in cœtum & aggregationem, vt ad DEUM quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis D E O grata eſt: Vbi duo vel tres, &c. Si duo ex vobis conſenſerint, &c. Matth. 18. 2. Corinth. 1.

Tertullian' in Apologet. capit. 39.

Atque hîc cōmittere non poſſum, quin fœdum illum abuſum noſtrum reprehendam, quòd à communibus & publicis orationibus tantoperè abhorremus, atq; erga illas tam prorſus incurioſè ac oſcitanter nos gerimus. Quandò vnius horæ ſpatio Concioni interfuimus, cùm primùm ſub finē ventum eſt ad eum locum, quo dici ſolet, Oremus pro neceſſitatibus totius Chriſtianæ Reip. continuò turmatìm ſeſe oēs proripiunt ex Eccleſia, rariſſimusq; eſt numerus eorum, qui ſuſtineant adeſſe cōmunibus illis precibus. Adeó ne exiguam ex ſocietate Chriſtiana vel ex Eccleſia ſenſiſtis vtilitatem, vt graue ſit prò vniuerſis eius neceſſitatibus, vel vnicam ſaltem precationem Dominicam attentis animis dicere? Aut ſi eò ſanctimoniæ, opulentiæ & felicitatis eſtis prouecti, vt vos nulla prece indigeatis, ſaltem putate alios eſſe vitijs obnoxios, multamq; eſſe in Chriſtianitate penuriā, defectum & indigentiam. Itaque vel alijs orationibus veſtris opitulemini, quandoquidem ipſi precibus non egetis. Vnuſquiſq; veſtrûm (inquit APOſtolus) proximo ſuo placeat in bonū ad ædificationem. Equidem ſi illę mihi eſſent fortunæ & facultates, dato etiam precio vos ad publicas oratiōes lubens conducerem: aut ſi eſſet tanta apud me authoritas, etiam inuitos vi compellerem. Sed quia ad neutrum ſufficio, obſecro vos per Chriſtianam charitatē & Dei miſericordiam, vt ad publicas & cōmunes precationes ſedulos vos præbeatis & alacres, & pro cōmunibus totius Reipublicæ Chriſtianæ neceſſitatibus cum alijs pariter ſeriò Deum inuocetis. Porrò de geſtibus illis quibus in graui & ſeria precatione vtendum eſt, ſatis luculenter docent ſcripta DIUINA, eſſe Deo gratum, ſi feruens animi deſideriū eiuſmodi externis ijsq; humilibus geſtibus declaremus. Hypocritas nos criminētur, quicunq; volent. ſanè ſubmiſſi & humiles in oratione geſtus cōmendantur in ſcripturis, & à veris ſerijsque precatoribus quouis tempore ſunt vſurpati & adhibiti, putà, pectoris tunſio, Lucæ 18. genuum flexio, Eph. 3. manuum ad cælos ſublatio vel eleuatio, 1. Timot. 2.

Rom. 15.

CON-

CONCIO XIII. HABITA
Dominica VIII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

AVDIVIMVS iam chariſſimi, ex prima noſtri Catechiſmi ſiue Chriſtianæ inſtitutionis parte, veram & genuinã ſanctę fidei Chriſtianæ profeſſionem, ex eaq́ue Deum nôſſe didicimus, cuiuſmodi ille erga nos ſit voluntate & opere ad noſtrã ſalutem ſempiternam: Nunc ordinis ratio expoſcit, vt à munificentiſſimo ac benigniſſimo Deo, iam à nobis cognito, diſcamus petere ea, quæ animæ & corpori ſint neceſſaria. In præcedenti quidem Concione pauca quædam præmiſimus, vtì animo, mente & corporis geſtu compoſiti eſſe, nosq́ue comparare debeamus ad orandum. Iam porrò ex ordine hîc exigitur, vt diſcamus, quid orandum ſit, quo verborum tenore, & quo ſenſu ſiue mente & intellectu orare debeamus. Vbi profectò amplectitur nos Chriſti ſeruatoris & Dei noſtri immenſa bonitas & ingens miſericordia: dum is nobis viam modumq́ue demonſtrat, vtì Deum precari debeamus. Inter complures alias, longè ſaluberrimas inſtitutiones, quibus Chriſtus nos inſtruit ad ſalutem, inſupèr & precandi formulam præſcribit. Et qui corpus & animã nobis finxit, orandi quoquè modum tradit, & ipſa verba nobis in os ingerit, qua ratiõe à Patre ſuo cæleſti, Deo noſtro, petere & impetrare debeamus, quicquid nobis ad corporis & animæ ſalutem neceſſarium eſt, vt eo minùs preces noſtræ apud ipſum DEVM repulſam patiantur, ſi verbis vnicè dilecti Filij eius, ipſum precemur.

Si apud magnę dignitatis & authoritatis virum nobis agendũ vel conficiendum quippiam ſit, etiamſi ſciamus quid ab illo petere & obtinere velimus, nihilominùs ſolicita nos cura torquet, quibuſnam verbis petitionem noſtram illi exprimamus ac proponamus, quæ eum audire delectet, eiusq́ue nobis beneuolentiam concilient, dicimusq́; apud nos: O ſi compertum haberem, quî ille mihi compellandus ſit. Longè minùs auderemus nos miſeri & vitijs obnoxij homunciones noſtrum creatorẽ ac ſummam Dei maieſtâtem proprijs ſermonibus noſtris appellare. Quem enim non ſolicitum haberet, quomodò cum Deo oporteat colloqui? Cui non dubitationem adferret, num Deus orationem ipſius auditurus & admiſſurus ſit, ſi verbis ſuopte ingenio & iudicio excogitatis ipſum precetur? Nũc autem nulla opùs eſt pręmeditatione aut cura, quo modo cauſam noſtram Deo proponamus, & quibus verbis precationem noſtram ſimus inſtituturi. Eccè Chriſtus noſtra ſalus, & æterna Dei ſapientia, qui probè cognitum habet, quibus potiſſimùm indigeamus, & Diuinã nouit voluntatem, quo pacto Deus orari velit, ipſe hęc verba nobis ſuppeditat & in os immittit, ità dicens: Sic ergò vos orabitis. Matth. 6.

Pater noſter qui es in cælis.

DE hac oratione nullum poteſt oriri dubiũ,an libenter eam audiat Deus. Nam quî tandèm ingratum eſſe queat Deo,quod ipſe docuit? Sanè citra omnem controuerſiam grata & accepta eſt precatio in auribus Dei, & quam ille libenter exaudiat, quandò forma à CHRISTO pręſcripta precando vtimur,quippe qui cum Deo vnius ſubſtãtiæ eſt,& eiuſdem voluntatis. Ait ipſe Chriſtus, Deum patrem omnia daturum nobis, quæcunque in nomine ſuo petiêrimus. Cùm itaque non ſolùm propter Chriſtum,& in Chriſti nomine,ſed & ipſius Chriſti verbis precamur,fieri quî poteſt,vt eiuſmodi precẽ nõn libenter admittat Deus,& pro voto neceſſaria omnia nobis ſubminiſtret? Et quia longè omnium ſapientiſſimus & benigniſſimus eſt Deus,quæſo,quotquot Chriſtiani eſtis, putetis hanc precationem ſupra omnes alios precãdi modos,vtilem & ſalutiferam eſſe, quam ab ipſo Chriſto ſumus edocti. Si quis hac precatiõe apud Deum aut nolit,aut nequeat vti,hunc ego non ſolùm craſſæ cuiuſdam inſcitię,verũ etiam execrabilis peccati inſimulauero. Non quòd in oratione etiam alijs verbis vti non liceat,quàm quibus hæc cõſtat precatio, ſed quòd nihil petendum ſit, quàm quod oratio Dominica nobis & permittit & præcipit vt oremus. Et quanuis omnes ſanctorum preces ad hanc formam compoſitæ ſint,nullam tamẽ precationem vnquàm humana deprompſit lingua, nec vlla quandoquè poterit inueniri,quæ efficacia & vbertate intelligentiæ cum hac ab ipſo Chriſto tradita poſſit comparari. Quamobrem auditores optimi,ſit vobis diligenter commendata & inprimis grata hæc oratio, ſi vobis cordi eſt corporis & animæ ſalus. Nam ſi bono & ſyncero animo, veroque huius orationis intellectu inſtructi apud Deum egeritis,proculdubiò ſecundùm promiſſionem Chriſti,quicquid petiêritis à patre cęleſti, obtinebitis. Quoniam autẽ hęc oratio breuis eſt,& verbis admodùm contracta,ac nihilo minùs ſub ijſdem paucis verbis grandia myſteria & vberes ſenſus cõtinet,neceſſariũ eſt homini Chriſtiano, non ſolùm verba illius, ſed & ſpiritalem,cuius affatìm diues eſt, intelligentiam in ipſa latẽtem cognoſcere,videlicet quid in vnaquaque petitione precemur, quandò Dominicam hanc orationem recitamus: Equidem curabo, nè quicquã in huius precationis explicatione(quantùm quidem diuina fretus gratia dicẽdo conſequi potero)prætermittam, quod ſit ſcitu neceſſarium. Spero & vos quod veſtrarum erit partium,ſingulos præſtituros,& hanc noſtram exegeſin ſedulò auſcultaturos, cupidè appręhenſuros, & fideli memoria cõplexuros: interìm dabo operam, vt omnia breuiter perſtringam: Deus vtriſq; gratiam ſuam dignetur impartiri.

Natura comparatum eſt,vt rogaturi quempiam,priuſquàm petitionẽ proponant,breuem præfatiunculam præmittãt,qua fidutiam ſuam declarent erga eum, quem rogare inſtituunt. Et quandò exiſtimant ſeſe iam in animum illius nonnihil inſinuâſſe,eumq; flexiſſe ac permouiſſe,tunc demùm neceſſitatem exponunt ſuam. Qui ab amico aut vicino aliquid petiturus

curus eſt, non continuò ἄνευ πάθους καὶ προοιμίων inquit, Hoc mihi largire: ſed primùm dicit: Amice, aut vicine chariſſime, equidē neminem habeo, de cuius animo plùs ego mihi pollicear, quàm teipſum: iam autem hęc mihi res accidit: precor, vt mihi opituleris hoc vel illo modo. Eiuſmodi ergò procœmiū etiam in precatione Dominica habemus. Quādò Deū orare decreuimus, ſuū illi priùs titulum tribuimus, quàm aliquid petamus, dicentes: Pater noſter qui es in cœlis. Quem quidē titulum ſi ex verbis metiamur, ſatis quidem tenuis & humilis eſt pro ſumma illa Dei maieſtate. Verùm quis poſſit iuſtos & competentes Deo titulos adhibere, qui pro ſua ſapientia, bonitate, potentia, miſericordia, & planè omni ex parte incomprehēſibilis eſt? At virtute tamen magnificus eſt hic titulus, & ad cauſam nobis propoſitam valdè appoſitus, vtpotè qui animos noſtros mirificè & affatim cōſoletur & erudiat. Ad ſingula itaque verba ſpeciatim id expendemus, quid conſolationis & doctrinæ ex ijs haurire debeamus. Prima dictio, quam in hac precatione pronunciamus, eſt:

Pater.

HAEC vox excitat in nobis fiduciam, & ſpem noſtrā erigit, magnā'q; & certam efficit, vt alacres reddamur ad orandum, & ſinè hæſitatione ſentiamus bona omnia, facilè nos à Deo obtenturos. Quid enim nobis negauerit Deus, qui iam antè id nobis cōceſſit ac impertijt, vt velit nobis eſſe patris loco? Diſcamus ex terrenorum parētum exēplis, quid à Deo nobis ſit expectandum. Quis eſt pater, quem ſi petiērit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petiērit, nunquid ſerpentem porriget ei? Si ergò homines cùm ſint mali, nôrūt bona data dare filijs ſuis: quantò magìs diues ille & benignus pater noſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petētibus ſe? Aduertendum autem eſt, Deum duplici ratione eſſe patrē noſtrum: Primò quidem ſecundùm creationem. Et ſic quoquè eſt pater omnium ethnicorum & infidelium, Malach. 2. Matt. 7. Luc. 11.

Alio autē modo peculiariter & præcipuè noſter eſt pater, qui per Chriſtum in eum credimus, propter redemptionem. Quandò itaq; Deum Patrem noſtrum appellamus, id non ea ſolùm cauſa facimus, quòd nos creārit, cùm necdùm eſſemus, ſed multò magìs eam ob rē, quòd nos redemerit, cùm per peccatū perditi eſſemus, & in æternā damnationē corruiſſemus.

Cùm ergò Deum vocamus Patrem noſtrum, vnà fatemur etiam omnē nos illi honorem & reuerētiam debere, cùm nos creauerit, & nos eius plaſma ſimus & figmētum. Neq; enim opifex vllus ignominia vult affici ab opere, quod ipſe cōfecerit. Vndè ſcriptū eſt: Si pater ego ſum, (inquit Dominus) vbì eſt honor meus? Hic honor Deo exhibendus eſt vera illi pręſtāda obedientia. Neque enim filius patri maiorem habere honorem poteſt, quàm ſi pareat eius voluntati. Quamobrem Apoſtolus, vbì quartum illud Decalogi tractat præceptum de honorandis parentibus, pro honorare, dicit, obedire: & præcipit filijs, parentibus ſuis vt obediant. Mala. 1. Ephe. 6.

Hoc eſt ius patrium, facere ità vt vult & imperat Pater. Cæterùm nos
Chriſtiani, longè magìs tenemur DEO noſtro hanc præſtare obedientiam,
vt qui non modò nos condiderit, ceu filios ſuos, ſed & cùm per peccatum
captiui teneremur ſub imperio & poteſtate ſatanæ, Stygiusque ille tyran-
nus & carnifex carcere ſuo nos detineret, & iam nihil aliud expectaremus,
quàm vt omnes æterna plexos damnatione iugularet: nos in libertatem
vindicârit, non qualitercunquè, ſed per ſanguinem Filij ſui, vt iam à capti-
uitate Satanæ & peccato liberati, & à ſupplicio morteq; ſempiterna erepti
ac eruti ſimus. Non tamen eò libertatis deuenimus, vt planè manumiſ-
ſi, & noſtri iuris effecti ſimus, ſed ſerui ſumus redemptoris noſtri, ſerui fa-
cti ſumus DEI & iuſtitiæ. Deo ergò corpore & animo, & quicquid in no-
bis & circùm nos eſt, ſumma cum obedientia ſeruiemus. Non eſtis veſtri,
1.Cor.6. inquit Apoſtolus: Empti enim eſtis precio magno. Glorificate igitur &
portate Deum in corpore veſtro. Et alibì: Sicut exhibuiſtis membra ve-
Rom.6. ſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete
membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſerui eſſe-
tis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Et 2. Corinth. 5. Chriſtus pro omnibus
mortuus eſt, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mor-
tuus eſt & reſurrexit. Vlteriùs admonemur hoc (Patris) vocabulo, vt caſti-
gationes & flagella Dei patienter toleremus, vtpotè quæ in rem & vtilita-
tem noſtram à Patre noſtro nobis inferantur. Corripere enim omninò
Hebr.12. eſt iuris paterni: Quis enim filius, quem non corripit pater? Inprimìs au-
tem & ante omnia eò nobis inſeruit & commodat hoc (Patris) nomen, vt
quandò nō ſemper nec perpetim largitur Deus quod petimus, ità nobiſcū
cogitemus: Vtiquè eſt Pater noſter, & ſcit quid nobis conducat: proculdu-
biò non negaret petita, ſi intelligeret vergere in vtilitatem noſtram. Bo-
nus ille & benignus Pater eſt: fiat eius voluntas. Prętereà, cùm Deum cæ-
Patrē nolite vocare vobis ſuper terram. Matt.23. leſtem Patrem appellamus, ipſi nobis in memoriam redigimus, iam olim
nos terrenis parentibus renunciâſſe, præſertim quatenùs illi impedimen-
to nobis eſſe queant, quò minùs præſtemus ea, quæ decent filios Dei. Si
terreſtrem habes patrem, debes quidem illi obedientiam, ſed poſt & in-
fra Deum. Si ergò quippiam te remorari velit à cultu & ſeruitio Dei, ſiue
ſit pater, ſiue mater, amicus, mundus, diuitiæ aut quicquid in mundo eſt,
ſic dicito: Verus Pater meus eſt in cælis, huic charitatē & obedientiam prę-
ſtare teneor, huic vt cedat oportet, quicquid charum habeo in terris. Ità ni-
Deut.33. mirùm fit illud, quod ſcriptū eſt: Qui dixerit patri ſuo & matri ſuæ, Neſcio
vos: & fratribus ſuis, Ignoro illos: & neſciêrunt filios ſuos: Hi cuſtodiêrunt
eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Itemque illud CHRI-
Luc.14. STI, Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem,
& filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam: non poteſt me-
ùs eſſe diſcipulus.

ALTE-

ALTERVM VERBVM EST,
Noſter.

QVilibet Chriſtianus hanc in animo ſuo circunfert conſolationem, quòd Deum habeat Patrem. Plena ſanè eſt conſolationis iſthæc præſumptio. Sed hanc magnanimam præſumptionem docet nos ipſe Chriſtus, non quidem vt Chriſtianus quiſpiam Deum ſibi ſoli vendicet Patris loco, & dicat, Pater meus: cùm neutiquàm hoc modo tuus ſit Pater, tanquàm vnius alicuius hominis priuati, ſed vt membri Chriſti & Eccleſiæ. Porrò quemadmodùm tuus eſt Pater, ſic eſt & Pater omnium illorum, qui ex Baptiſmo per aquam & Spiritumſanctum renati ſunt. Iohan. 3. Tit. 3.

Diſcas igitur Chriſtiane, quorum te DOMINUS & MAGISTER tuus CHRISTVS velit admonere hocipſo, quòd noluit te DEVM orare hunc in modum, PATER MI: ſed, PATER NOSTER. Principiò vocabulum NOSTER, admonet nos cuiuſdam (vt ità dicam) fraternitatis cum omnibus hominibus in terra degentibus, vt nos qui CHRISTO nomen dedimus, quantùm in nobis eſt, pacem, charitatem, beneuolentiam erga oēs & cum omnibus hominib⁹ habeamus, Rom. 12. Nullum in nobis odium, nullus cuiuſquā hominis contemptus ſit, ſed vnumquēlibet charitate proſequamur, quippe cùm & illū æquè atquè nos, creauerit DEVS, & ratione creationis frater noſter ſit, vtì ſcriptū eſt Mala. 2. Nunquid non Pater vnus omnium noſtrûm? Nunquid non DEVS vnus creauit nos? Quarè ergò deſpicit vnuſquiſq; noſtrûm fratrem ſuum? Speciatìm verò inuiolabilis eſſe debet iſthæc fraternitas erga domeſticos fidei, hoc eſt, Chriſtianos & verè Catholicos, qui non ſolùm creationē nobiſcum habent cōmunem, ſed & redemptionem, vnum Baptiſma, vnam fidem, vnum DEVM, eandem vitæ futuræ hæreditatem. Hos fratres nobis fecit non modò cōmunis ſecundùm naturam ortus & natiuitas, ſed ſpiritalis quoq; Regeneratio. His nos miſericordes declarare, his condolere, his opem ferre debemus in omnibus: & ſicuti nos omne bonum ſperamus & acquirimus à DEO patre noſtro, ſic etiam benè velle & benignè facere his nos decet haud ſecùs àc fratribus noſtris. Procùl faceſſat omnis ſuperbia, omnisq; deſpicientia aduerſùs proximum, & in mentem nobis veniat, DEVM non minùs infimorum ac pauperum & inopum eſſe Patrem, quàm noſtrum. 1. Tim. 5. Ephe. 4.

Qui in Repub. Chriſtiana, nobilitate generis, opulentia & potentia pollet, non poterit DEVM verè orare & dicere, Pater noſter, niſi priùs animum demittat, ſeipſum humiliet, & vel minimis omniumq; pauperrimis ſe ſimilem agnoſcat. Quiſquis non vult habere quicquam commercij vel rei cum miſeris & pauperibus, tanquàm cum fratribus ſuis, is quoquè partem non poteſt habere cum DEO, tanquàm Patre ſuo. Nè fallaris tu, quiſquis opulentia, ſtemmatibus aut potentia conſpicuus es. Non minùs pauperum ignobiliūq; pater eſt DEVS, atquè tuus. Et certè ſi Chriſtianus eſſe, & DEVM implorare deſideras, neceſſariò dicere debebis: Pater noſter, dimitte nobis

nobis debita noſtra: nec ſecùs pro pauperibus & miſeris orabis, quàm pro
Pſal. 67. temetipſo. Alioquì D E V S, qui inhabitare facit vnius moris in domo, neminem in æternam domum ſuam admittet, qui in cõmunem totius Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem ſubſidia tum orationum, tum fortunarũ ſuarum pro viribus non libenter ſit collaturus. Neque tamen hæc ità accipi velim, quaſi eiuſmodi D E I munera, vt ſunt nobilitas aut poteſtas, nullum extrinſecùs vel in externa conuerſatione diſcrimen ſortiri debeant inter Chriſtianos. Scimus enim nos qui Chriſtiani ſumus, quod etiam facimus haud inuiti, vnumquenque pro ſua conditione honorandum eſſe, quemadmodum ſeriò mandârunt ſancti Apoſtoli, 1. Pet. 2. Rom. 13. Verùm intrinſecùs, in ipſo corde hæc debet ſeruari æqualitas, vt qui in poteſtate & functione aliqua conſtitutus eſt, cogitet eam ſibi à Deo eſſe collatam, eosq; in quos illi data poteſtas eſt, eſſe ſuos fratres: atq; hanc ob rem eo loco eos habeat, tanquàm quibus communis cum ipſo Dominus & Pater in cælis ſit, ſuisque facultatibus & potentia vnuſquiſque ſic vtatur, vt in proximorum honorem & vtilitatem cedant. Ità demùm vnà cum alijs Chriſtianis verè legitimeque D E V M inuocare poterit & dicere: Pater noſter, &c.

Sic etiam quiſquis vel ab vno aliquo proximo ità diſcordat, vt ex animo cum illo pacis & vnitatis iura non ſeruet, atq; ſecundùm charitatem & beneficentiam, pro viribus cum illo commercium vllum vel non velit, vel non poſſit habere, is malè legit precationem Dominicam, meritoque eum procœmiũ illud mox deterreret, cùm dicere cogitur, Pater noſter. Audin'? Deus eum in filium adoptauit, quem tu odiſti. Si aut non potes, aut non vis eum habere fratris loco, non poteris Deum habere Patrem. Fieri enim quî poſſit, vt vterque vnũ habeatis Patrem, ſi non ſitis fratres? De his deinceps plura. Sequitur nunc:

Qui es in cælis.

DEVS quidem vbiquè eſt, omnia complens virtute & Diuinitate ſua, nec vno aliquo in loco ità includitur, vt alibì non ſit. Sed peculiariter tamen eum nos in cælis eſſe dicimus, tanquàm in magnificentiſſimo loco, in quem nos tandèm congregaturus eſt, poſt abſolutum huius vitæ ſtadium: & in cælis Diuinam illius eſſentiam pleno & abſoluto gaudio contemplaturi ſumus. Magnæ inſupèr nobis eſt cõſolationi, Patrem noſtrum eſſe in cælis. Illinc cõtuetur nos & perſpicit vniuerſas neceſſitates noſtras. Illinc demittit ad nos pluuiam, indè Solis radios, indè prouentus & incrementum frugum omnium. Ipſe eſt, qui cælum, & quæ in cęlo, ſupraque & infra cælum ſunt, in ſua habet manu, & affatìm ei vires ſuppetunt, quibus nobis modis omnibus opitulari queat. Interìm nouerimus oportet, quandoquidem Patrem habemus cæleſtem, etiàm non niſi cæleſtia nos ſapere & appetere, nihilque aliud ab eo precari debere, quàm quæ ad cælum nos promoueant prouehantque.

CON-

CONCIO XIIII. HABITA
Dominica IX. poſt Trinitatis, Anno 1542.

PRæcedenti concione, auditores, proœmium noſtrę precatiõis audiuimus, quomodò ex præcepto Chriſti Patrem noſtrũ priùs compellare debeamus, quàm ab eo aliquid petamus, videlicet ità dicendo: Pater noſter qui es in cælis.

Quoniam autem dubium non eſt, quin iſthęc amicabilis compellatio, modò ex ſerio ac feruenti corde procedat, Deum noſtrum commoueat, eumq́; nobis beneuolum reddat: ſupereſt iam, vt ei petitionem & neceſſitatem noſtram expromamus ac enarremus, & quid ab illo nobis vel præſtari, vel conferri velimus. Id verò fit ſeptem ſubſequentibus petitionibus, quibus à Deo bona omnia precamur, & mala oĩa deprecamur. Quas ego petitiones quàm potero breuiſſimè, continenter vobis proponam, vt deincèps ad amplas Decalogi conciones audiendas progrediamur. Prima quidem petitio his conſtat verbis:

PRIMA PETITIO.
Sanctificetur nomen tuum.



NEMO

NEMO noſtrûm ignorat, Deum in ſua eſſentiâ & in ſeipſo nunquàm non ſanctum eſſe, immò verò & fontem ac ſcaturiginem omnis boni & omnis ſanctimoniæ, quiq; ſanctior fieri non poſſit, Leuit. 11. 19, 20. Nos autem hîc petimus, vt nomen DEI inter nos & apud nos in verbis & factis noſtris glorioſum, honorificum & ſanctum habeatur ac declaretur. Petimus, vt DEVS corda, cogitationes & conuerſationem noſtram virtute & gratia ſua Diuina itâ dirigere velit, vt ſanctum illius nomen neque verbis, neque factis vnquàm dehoneſtemus, vel contumelia & ignominia afficiamus. Cùm igitur oramus & petimus, nè Deum verbis noſtris dehoneſtemus, ſed ſanctificemus, iam petimus primò, vt Deus ſancti Spiritûs ſui illuſtratione veram & orthodoxam doctrinã in nobis conſeruet, vt de Deo noſtro in cunctis ſacroſanctæ fidei Articulis, in omnibus Sacramentis, & quæcunque ad Chriſtianam doctrinam pertinent, veraciter, rectè ac ſecundùm ſanam doctrinã ſentire, loqui & confiteri poſſimus. Oramus, vt Deus omne genus prauorũ dogmatum deſtruat & diſturbet, quæ per dulces ſer-

Rom. 16. mones & benedictiones & ſub Diuini verbi prætextu veritatisque iactatione ſeducunt corda innocentium, in Dei quidem contumeliam, in ſuî autem & eorum, qui illis credunt & acquieſcunt, grauiſſimã damnationem. Precamur, vt Deus omnem ſuperſtitionem profliget ex animis noſtris, per quam noſtra in Deum fiducia minuitur, & Dei auxilium & potentia nobis vileſcit, & apud nos parui penditur, id quod ſancto eius nomini magno eſt dehoneſtamento & ignominiæ. Obſecramus vt omnes in Deum contumeliæ & blaſphemiæ, & impia illa execramẽta & imprecationes ceſſent & faceſſant, quibus Dei ſanctiſſimum nomen dedecore & contumelia afficitur. Poſtulamus etiam, vt Deus ora claudat loquentium turpitudinem & ſcurrilitatem, qui nihil verentur Deo, eiusq; ſacratiſſimo verbo ad nugas & iocos, Deique nomine ad res futiles & inanes, immò quandoquè etiam ad fraudes & impoſturas abuti. Omnibus his modis nomen Dei tum cogitationibus, tum verbis contumelia, dehoneſtamento & dedecore affici poteſt. Oramus ergò, vt Deus virtute & gratia ſua cuncta hæc à nobis dignetur auertere, eamq; gratiam largiri, vt ſanctum eius nomen corde & verbis honorabile & glorioſum declarare & ſanctificare queamus.

1. Cor. 6. Secundò hanc habet iſthæc petitio ſententiam, vt Dei nomen ſanctificetur in conuerſatione & operibus noſtris. Hîc ergò precamur, quandoquidem Deus nos in filios ſuos adoptauit, & ab omni immunditia & peccato ſanctificauit in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctificatione Spiritûs ſui, vt ſinè intermiſſione corda noſtra perpetuò nouis perfundat & cõfirmet chariſmatis, vt in accepta ſemel ſanctitate perſiſtamus, vitamq;

Rom. 2. tam caſtè, purè & temperanter ſiue modeſtè tranſigamus, nè Dei nomen propter nos blaſphemetur inter gentes, ſed potiùs honoretur & ſanctificetur. Neque enim apud infideles id magnoperè in Dei cedit gloriam, cùm vitam viuimus tam impuram, ſordidam, beluinã & ſceleroſam. Scitis quid plerun-

plerunq; dicamus, cùm de Ethnicorum moribus legimus, vti illi in ſua ſuperſtitione ſacra & ſacrificia, conuerſationemq́ue ſuam geſſerint, partìm abominandis, partìm probroſis, obſcœnis ac impudicis, iiſdemq́; infandis modis. Dicimus enim: Verus Deus iſthęc idola perdat, pudefaciat atq; confundat, ſub quorum cultu miserę animę tam miſerè in fraudem & errorem inducuntur. Eodem modo quandò aliæ nationes diſſolutam & impuram inter Chriſtianos vitam comperiunt, blaſphemias euomunt in Deum noſtrum, & aiunt: Valeat Deus Chriſtianorum: qualis illa fides & religio, aut quis ille Deus, qui tales habet cultores, inter quos tanta morum corruptio, tanta vitę diſſolutio, tot probra & flagitia exiſtunt? E contrariò autem, ſi honeſtè, pudicè & ſanctè nos viuamus, nomen Dei noſtri magnificant & concelebrant, ità dicentes: Reuerà Chriſtianorum Deus, verus & ſanctus ſit oportet, qui populum habeat tam ſanctum, tamq́; pudicum & modeſtum, Ezech.36. Rom.2. 1. Pet.2. Hęc itaq; eſt ſumma huius primę petitionis, ò cęleſtis Pater, qui vnigeniti Filij tui ſanguine nos lauiſti à peccatis noſtris, & per Spiritum tuum ſanctum mundâſti, & ſanctificâſti in populum tibi peculiarem hîc in terris, quô tibi prę alijs populis à fide alienis, in omni integritate, modeſtia & iuſtitia ſeruiamus: cuſtodi corda & conuerſationem noſtram, vt cogitationibus, verbis & factis ſanctum nomen tuum honoremus, laudemus & prędicemus, vt alię quoquè natiões & populi videant opera noſtra bona, quę tua gratia & auxilio fulti efficimus, & glorificent vnà nobiſcum te Patrem noſtrum, qui es in cęlis, &c. Sed iam alteram agè petitionem videamus.

ALTERA PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

CIrca hanc ſecundam petitionem, qua rogamus, vt Deus regnum ſuum aduenire & auſpicari velit, non ignoramus Deũ iam olim eſſe, & perpetuò fuiſſe regẽ vniuerſæ terrę. Dominaẗ ille populis vniuerſis, omniaq́; ſubiecta ſunt Diuinę eius potentię: nec eſt, qui regnũ eius euertere, aut potentię eius reſiſtere poſſit. Atquì non nos ſoliciti ſumus ꝓ hoc regno temporario, quod Deus pro ſuo gubernat arbitratu, ædificat & deſtruit regna, vt ipſi viſum eſt, inſtituitq́; & deſtituit reges pro ſua voluntate. Neq; enim dubium eſt, quin dominetur excelſus ille Deus in regno hominum, & cuicunq; voluerit, det illud, Dan.4. Quanquàm interim regna externa ꝓpter peccata noſtra ſic plerúquè geri ſinat, tanquàm ipſus domi non ſit, nec illi curę ſit neq; conſideret, quid nos agamus in terris: aut quaſi principi huius mundi ſatanæ om̃es imperij habenas ità cõmiſerit, vt is in mundo ſurſum deorſum miſceat omnia, adeoq́; fœdè & flagitioſè nihil nõ moliatur, fraude & dolo, vanitate & impoſturis, tantaq́; iniquitate, vt idoneam ſatìs & vrgentem habeamus occaſionem Deum orandi, ſatanæ regnum nõnihil labefactare, & iniquam potentium libidinem caſtigare & confringere, ac



ipſe ſceptri & imperij frena ſibi ſumere vt velit. Verùm nos, qui filij Dei ſumus, mundani huius regni incurioſi ſumus, niſi quatenùs impedimento
1.Tim.2. nobis eſſe queat in regno ſpiritali. Itaq; oramus pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & caſtitate.

Matt.3.22 Quòd autem hîc petimus, vt regnum Dei adueniat, id de ſpirituali Dei regno intelligimus, quod initium ſumit in terris, & vſq; ad cælos extendi-
Mar.9. tur, vbì perpetuò duraturum eſt. Regnum Dei in terris, eſt Eccleſia, ſiue
Lucæ 9. Chriſtianitas. Hoc regnum Deus in mundo inſtituit per Chriſtum ſeruatorem, quem idcircò miſit in hunc mundum, vt Satanæ regnum deſtrueret, & homines, qui ſub eius poteſtate captiui detinebantur per peccatum, redimeret ſanguine ſuo, in ijsque nouum auſpicaretur regnum, in quo à peccatis & diaboli tyrannide degerent immunes, Deoq; ſeruirent in omni ſanctitate & iuſtitia. Cęleſte verò Dei regnum, appellatur ęterna beatitudo, in qua omnigena erũt gaudia, nec erit ampliùs peccatũ in nobis, aut praua concupiſcentia. Nulla ibì imbecillitas, nullus dolor, nulla paupertas, nulla anguſtia, nullus luctus, nulla afflictio erit: ſed mala om̃ia fugient procul ab electis Dei. Eos aũt in illud ſuum regnũ poſt hanc vitam ſuſcipiet Deus, qui hîc in terris ſe continuerunt intra limites regni eius. Quiſquis verò in hoc terre-

terreſtri regno Dei non fuerit, non poterit illud cæleſte obtinere. Qui reipublicæ Chriſtianæ iam non inſeritur & incorporatur, non poterit illic ęternę beatitudinis hęreditate potiri. Porrò non eſtis neſcij, qua via hîc in regnũ Dei perueniatur, nimirùm per fidem, quę eſt ex auditu verbi Dei, & Baptiſmum, Iohan.3. Quomodò verò in eodem perſiſtamus & conſeruemur, donec cęleſte illud Regnum adueniat, etiam nôſtis ex totius ſcripturę Diuinæ aſſertionibus, nempe per ſanctã ac piam cõuerſationem & omnigenũm operum bonorum ſtudium & exercitationem, Rom.8. 2. Tim.2. 2. Pet.1. Quandò ergò in hac ſecunda petitione precamur, vt regnum Dei adueniat, id hanc habet ſententiam: Principiò, vt Deus ſanctum regnum ſuum, quod per Chriſtum in nobis auſpicatus eſt, magìs ac magìs in nobis confirmet per gratiam ſuam, vt dignetur corda noſtra ſuo ſpiritu inhabitare & poſſidere, qui prauas omnes in nobis cõcupiſcentias conterat & opprimat, noſque incitet & impellat ad ea, quæ ſancta & Deo placita ſint, nè deincèps carnis ſectandis & exequẽdis deſiderijs, Satanę regnum communiamus, quemadmodùm ij, qui alieni à gratia diuina, omni ſcelerum perpetranda turpitudine diabolo militãt, ſed vt ſpiritu carnis deſideria mortificemus, & vt filij Dei in omnibus operibus bonis ambulemus, Rom.6.8. Gala.5. Tit.2. Tunc ergò regnum Dei verè intra nos eſt, quandò ſyncera & pura conſcientia coram Deo in omni iuſtitia ambulamus. Hinc ità loquitur Paulus Rom.14. Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Tale quidem regnum Dei nos petimus aduenire. Secundò autem rogamus, vt Deus non ſolùm nos in ſancto regno ſuo conſeruet per gratiam ſuam, qui iam in illud recepti ſumus: verumetiam vt gratię ſuę regnum per veram ſancti verbi ſui annũciationem faciat illis quoquè innoteſcere, quibus id necdùm eſt cognitum, vel qui Chriſtianæ religionis obedientiæ ſeſe necdùm tradidêre, eorumq́ue corda dignetur illuſtrare, vt vnà nobiſcũ cognoſcant Deum Patrem & Ieſum Chriſtum, quem miſit, nunciumq́ue remittant ethnicis erroribus impuriſq; ſceleribus, & ſanctę fidei Chriſtianæ veritatem ac ſynceritatem amplectantur, vt ſic tandèm regnum Satanæ (quod in erroribus, peccatis & flagitioſa vita conſiſtit) viribus & vigore ſuo deſtituatur: atque decreſcat in mundo, Chriſti autem regnum vbiquè locorum ſua capiat incrementa. Petimus, vt vniuerſus orbis efficiatur regnum Dei, vt omnes infideles gratia diuina illuſtrati, huic ſeſe adiungant, vnamq; nobiſcum conſtituãt Eccleſiam, confitentes & glorificantes vnà nobiſcum Deum Patrem, & vnicum eius Filium Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cum Spiritu ſancto. Auemus illam videre diem, qua & populus ille Iſraeliticus ſiue Iudaicus (in quo iam ex parte cęcitas contigit) diuina illuminatus gratia agnoſcat ſalutem, quam Deus per Chriſtum offert vniuerſo mundo, vt tandèm vbi plenitudo gentium intrauit, omnis quoquè Iſraël ſaluus fiat, quemadmodùm ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem à Iacob, Eſai.59. Rom.11.

Rom.10.

Regnũ Dei

Tertiò,oramus Deum in hac ſecunda petitione,vt ea omnia propicius auertat,per quæ regnum illius hîc in terris in nobis impediri queat. Nimirùm, vt omnes hæreſes & praua dogmata peſſùm premat, & luce veritatis ſuæ à nobis filijs ſuis procul arceat ac repellat: vt ſectas & factiões diſſipet, & interficiat Spiritu oris ſui ſatanã, qui alioqui in factionibus & ſectis violentia vtitur,& regnum DEI oppugnat,ſub pulchro veritatis & regni Dei prætextu abducens ſimplices in regnũ ſuum Tartareum, in damnationem & exitium, tam falſa docentium, quàm falſis credentium, fallacioſisq́; Sectis adhærentium. Simulq́ue oramus, vt Deus compeſcat & reprimat eos omnes,qui veritatem oppugnant,ac vana peruerſaq́; ferunt dogmata,homines mente corruptos, reprobos circa fidem, vt vltrà non proficiant,ſed vt inſipientia & impoſtura eorũ manifeſta fiat omnibus.Itâ nanq; regnum Dei apud nos proſperrimis poſſit vti ſucceſſibus, ſi omnes hæreſes & falſa dogmata extirpentur. Falſa enim doctrina viret & viget regnũ Satanę,nec quicquam ferè tantam habet opportunitatẽ ad inuehendum mundo Dei regnum,idemq́; in eo conſtituendũ ac tuendum ſiue cõſeruandum,quàm vera,ſyncera,incorrupta verbi Dei prædicatio. Quamobrem dum petimus vt regnum Dei adueniat,id precamur,vt Deus ſectas omẽs & falſa dogmata è Christiana Republica profliget & extirpet: quæ quidẽ precatio hac noſtra tempeſtate apprimè neceſſaria eſt. Itemq́ue precamur,vt Deus omnes illos huius mundi potentes cõprimat & elidat, qui vires ſuas in perniciem & oppreſſionem ſanctæ Eccleſiæ DEI, & exitium ac deſtructionem fidei Chriſtianæ intendunt, eorumq́; arcus conterat & arma confringat, & ſcuta illorum igni comburat, vt eſt in Pſal. 45. Potentiam quoquè labefactet, qua abutuntur ad perturbandam & excindendam Rempublicam Chriſtianam, ſiue Chriſtianitatem. Diſſipet & irrita reddat conſilia eorum, & nobis oſtendat prodigia illa, quæ poſuit ſuper terram, de quibus Pſalmus loquitur: Auferens bella vſque ad finem terræ.

2. Tim. 3.

E contrario oramus pro omnibus bonis & pacificis Magiſtratibus, vt gratiam illis largiatur Deus, vt hoſtium ſublata formidine, quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.

1. Tim. 2.

Hæc itaque prima huius ſecundæ petitionis mens eſt & ſententia, vt Deus regnum ſuum hîc in terris ſanctum & tranquillum inter nos conſeruet,quò quidem & intra noſipſos à vitijs & prauis cupiditatibus ac deſiderijs, & forìs ab omnibus perturbationibus & hoſtilibus incurſibus liberi & ſecuri ſimus, Diuina id nobis præſtante gratia, vt in ſanctitate & pace ei ſeruire queamus. Hoc enim eſt regnum DEI. Porrò initiò diximus, Regnum Dei duobus eſſe in locis,in terris & in cęlis.In terris quidem,licèt in regnum Dei iam ſimus adſciti per fidem & baptiſmum,multùm tamen infirmitatis multusq́ue defectus in nobis hęret,necdùm à malis tẽtationibus,immò nec à peccatis omninò ſumus immunes. Perſentiſcimus etiãnùm infirmitatem,miſeriam & omne malorum genus, & metuẽdum eſt,

nẽ

nè quandoquè ex regno Dei in regnū ſatanæ præcipites proruamus. Itaq; precamur, vt Deus per gratiam ſuam tentationes omnes à nobis auertat, & nos in ſancto regno ſuo hîc in terris, ad ſupremum vſq; ſpiritum conſeruet. Hoc verò vitæ curſu abſoluto, cæleſte illud Dei regnum inchoabitur: vbì nullus defectus, nullum peccatū, nulla ægritudo, nulla miſeria, nec dolor vllus erit in nobis. In hoc regnum qui ſemèl fuerit receptus, perpetua eius poſſeſſione gaudebit. Hoc cęleſte regnum vt nobis prętetur, hac ipſa petitione à Deo contendimus, quandò precamur, Adueniat regnum tuum. Ac tametſi quidem non ſumus neſcij non commiſſurum Deū, vt hoc tempus pro noſtra voluntate adueniat, (id enim totum in ſua poſuit poteſtate & volūtate) at nihilominùs tamen petimus, vt huius vitæ miſerijs Deus finem imponat, exoneretque nos miſero hoc & fragili corpore, & ad ſe trāſferat in illa ſua gaudia ſempiterna, & in illud regnum, vbì nulla iam erit indigentia, nullusque defectus: atque hoc ipſo noſtræ vitæ futuræ deſiderium declaramus, 2. Corinth. 5. Eum diem Chriſtiani hilariter debent deſiderare ac ſuſpirare, dum precantur. Quòd ſi comperiant ſe interdùm quibuſdam peccatis eſſe implicatos, quorum cauſa aduentum Domini reformident, habent confeſtim in hac ipſa oratione ſalutarem peccatorum medicinā, dum dicunt, Dimitte nobis debita noſtra. Quamobrē vos qui Chriſtiani eſtis, fidenter petite, vt Deus ſempiternum & cæleſte regnum ſuum iubeat aduenire: ſi quis tamē peccatis irretitus ſit, conetur is impetrare veniam per pœnitentiam, & ignoſcentiam erga proximum ſuum: atque ità ſecum petere poteritis, Adueniat regnum tuum. Iam ſi Chriſtianus quiſpiā hac percepta explanatiōe requiratur, ecquid petat à Deo, cùm dicit: Adueniat regnum tuum, breuiter in hunc modum poterit reſpondere: Oro patrem noſtrum cæleſtem, vt nobis Chriſtianis & fidelibus ſuis, perpetuò eā gratiam largiatur, vt quemadmodùm in gratię ipſius agnitionem peruenimus, ità per eandem in vera fide ac ſancta conuerſatione in finem vſq; cōſeruemur: Et vt om̄es alias gentes, Iudęos, Turcas & ethnicos ad fidē Chriſtianam pertrahere velit, eaque omnia auertat & profliget, quæ Chriſtianiſmum & Chriſtianam religionem in mundo præpedire queant: eamq; gratiam tum nobis tum cæteris omnibus donet, vt ità nos geramus ac cōparemus, ſicut eſt pietati & iuſtitiæ cōſentaneum, quô ſatanas cum regno ſuo, cum peccatis, flagitijs & malitia omni è mūdo exturbetur ac elimine- tur, & ſolus Deus regnet in nobis in iuſtitia & ſanctitate, & poſt eiuſmodi vitam, largiatur nobis regnum ſuum ſempiternum & cæleſte, Amen.

Phili. 1.
Rom. 7.

CONCIO XV. HABITA
Dominica X. poſt Trinitatis, Anno 1542.

DVas iam priores Dominicæ precationis partes ſeu petitiones explicuimus, auditores, quibus oramus primò, vt nomen Dei in nobis ſanctificetur: id eſt, vt per gratiam diuinam ſermones & actio-

nes noſtras ità in hoc mundo dirigamus ac moderemur, quò alij conuerſationem noſtram cernentes, Deum noſtrum, qui in cælis eſt, glorificent & prædicēt, qui populum tam benè moratum, probum, integrum, ſanctū habeat in terris. Secundò petimus, vt regnum eius adueniat, vt Deus nos in eorum numerū aſſcribat, & in eo conſeruet, qui ipſi placēt & accepti ſunt, quibus larga ſua chariſmata impertire, & in quibus tanquàm filijs ſuis regnare vult. Quin etiam vt mundū vniuerſum ad ſe trahat, ſuoq; nos om̄es ſubdat imperio ac dominio, vt profligata ac extirpata toto orbe iniquitate & malitia, iuſtitia & pietas vbiquè inſeratur & excolatur. Verùm eſt quidam, qui Dei gloriam in terris, eiusq; regnum fert moleſtiſſimè, nimirùm princeps ille huius mūdi ſatan. hic omnem Deo inuidet honorem & gloriam, illi à nobis præſtādam, & nobis gratiā illam & beneficia, quibus tum augemur & donamur, quandò Dei regnum pro eo atquè par eſt, apud nos viget nobisque dominatur. Ille ergò perpetuò in hoc intentus eſt, vt Dei gloriam apud nos obſcuret & opprimat, remque eò deducat, vt Deus tam ex verbis, quàm factis noſtris omnique conuerſatione, contumelia afficiatur, & ità Regnum Dei deſtruatur, quod in virtute & ſanctimonia conſiſtit: porrò è diuerſo ipſius Satanæ regnum in mūdo propagetur, increſcat ac roboretur, id quod turpitudine vitę, omnigenis flagitijs & iniquitate ꝑpetranda efficitur. Ad hoc verò abutitur ille corrupta ac deprauata natura noſtra, quæ ſponte ſua in peccatum procliuis eſt, perfacileque fieri poteſt, vt in voluntatem & regnum hoſtis maligni propēſior ſit, quàm vt pro diuina ſe gerat voluntate, niſi diuinitùs confirmetur & corrigatur. Hic ergò rurſum iam tertia petitione à Patre noſtro cæleſti opem poſcimus, hoc pacto dicentes:

Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.

TERTIA PETITIO.

NON ea eſt huius petitionis mens & intentio, vt DEVS faciat, quæ
Pſal. 134. ipſi collibita ſint: Omnia enim quęcunque voluit Dominus, fecit &
Eſth. 13. facit in cælo & in terra, etiamſi nos id nòn rogemus, atque in ditione eius cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit eius reſiſtere volūtati. Quòd ergò petimus, vt Dei voluntas fiat, ſicut in cælo, & in terra, hanc habet ſententiam: Pater cæleſtis, eam gratiam & vires nobis præſta cælitùs, vt cogitationes, verba & actiones noſtras pro ſanctiſſima voluntate tua dirigamus, vt hîc in terris ſub tuo adſpectu inculpatè ambulemus in ſanctitate & iuſtitia, iuxta beneplacitū tuum, & vt nemo inter nos inueniatur, qui ſecùs ſe gerat, quàm tua ſanctiſſima repoſcit voluntas, quemadmodùm in cęlis om̄es beatiſſimi angelici ſpiritus irrepræhenſum tibi ſumma cum obediētia exhibent famulatum: audiunt & faciunt quicquid præcipis, vti de ijs ſcriptura teſtatur Pſal. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius, potētes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum vocem ſermonum eius. Benedicite Domi-



Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Itemq́ue Apoc. 12. legimus, vt Angeli Dei ſatanam debellauerint, ex cælo expuleriut, vndè perpetua pax & tranquillitas eſt in cælis, quemadmodùm ſcriptum eſt: Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis. Tartareus Apo.12. autem ſatam cælo iam deturbatus & in terram proiectus, in ea commoratur, degitq́ue apud hominem, quem ſemel in fraudem impulit, magnaq́ue ſtimulante inuidia continenter in hoc incumbit, vti eum etiamnum perpetuò ſeducere & perdere poſſit, quemadmodùm aduerſus illius inuidentiam & feritatem Scripturæ nos præmonitos volunt, Apoc. 12. 1. Petri 5. Ephes.6. Atqui verò non priùs ille hanc ſuam ſæuitiam & feritatem in nos exercere, nosq́ue perdere poteſt, quàm nos vltroneos in regnum ſuum pertrahat, vt pro eius libidine in vitijs, flagitijs ac probris viuamus: quod quidem ille machinari non ceſſat. Oramus itaque, vt quemadmodùm olim Deus eundem ſatanam è cœlis deturbauit, & illo eiecto, ibidem perpetua eſt tranquillitas, Deiq́ue voluntatem in cælo ne in minimo quidem deinceps poſſit remorari: ità quoquè DEVS eum virtute ſua conterat ſub pedibus noſtris, nè nos pelliciat in peccatum, ſed vt quandiù in terris degimus, ſanctiſſimam DEI voluntatem in omnibus inculpabiliter faciamus Roma.16.

& obſeruemus, ſicut in cælo angeli per omnia integerrimè ac citra repræhenſionem DEI voluntatem exequuntur. Sunt qui hanc petitionem hac ratione ſanè quàm eleganter exponunt: Homo ex duplici compoſitus eſt ſubſtantia, ſpiritu videlicet & carne. Carnem quidem ex terra, ſpiritum au-
Rom. 7. Galat. 5. tem è cælo accepit. Interior homo, nempe Spiritus conſentit voluntati & legi Diuinæ: ſed caro cum ſuis concupiſcentijs & propenſionibus, Diuinæ voluntati & legi reluctatur, & eſt in peccatū propenſior ac procliuior. Atque hactenùs quidē hic fuerit ſenſus huius petitionis: Clementiſſime Deus, hanc nobis gratiam largire, vt quemadmodùm cæleſtis noſtrī portio, id eſt, ſpiritus, tuæ cōſentit ſanctiſſimæ voluntati, ità & terreſtris pars, nempe caro noſtra, cum ſuis concupiſcentijs ſub iugum ſpiritûs mittatur per gratiam tuam, vt omni ex parte & toti nos tum corpore, tum animo, tuæ legi
Pſalm. 83. & voluntati pareamus, dicentes cum Propheta tuo: Cor meū & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Vtraque tamen hæc expoſitio in eandem ſententiam recidit: videlicet, vt è cælis nobis ſuam Deus adſpiret gratiam, qua freti, hîc in terris illius voluntati conuenienter viuamus. Sed quæras fortaſsis, quæ ſit Dei voluntas? Diui Apoſtoli Petrus & Paulus ſuccinctis quidem verbis reſpondent, quorum tamen verborum vis & efficacia latè patet, ità vt nobis per omnem vitam ad agendum multa ſatìs ſuppeditent.
1. Pet. 2. Petri verba hæc ſunt: Voluntas Dei eſt, vt benè facientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, Pauli verò iſtiuſmodi: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Breuis & bona reſponſio. Dei volun-
1. Theſ. 4. tas eſt, vt omne malum vitemus, & in pijs ſanctisq; operibus nos exerceamus, vt in cogitationibus, verbis & factis mundi & ſancti inueniamur. Eiuſmodi abſolutam ſanctificationem petimus, cùm oramus: Fiat voluntas tua, &c. Hanc ſanctificationē non poſſumus ipſi habere ex nobis ſinè gratia & auxilio Diuino. Nemo enim fortis eſt & robuſtus proprijs viribus, nec probus virtute propria, ſed quemadmodùm dicitur Pſalm. 59. In Deo faciemus virtutem.

Circa hanc tertiam petitionem in iſtiuſmodi cogitationibus verſabitur Chriſtianus, cùm dicit ad Deum: Fiat voluntas tua, &c. Principiò quidem ſic: Omnipotens Deus, non quidem pro meritis noſtris, ſed ſecun-
Tit. 3. dùm miſericordiam tuam liberâſti nos à peccatis per Baptiſmum, & mundâſti nos ſanguine Filij tui, & donis atq; chariſmatis omnibus nos inſtru-
Rom. 8. xiſti ad ſalutem, vt hæredes ſimus regni tui cæleſtis. Hæc autē tua tam ma-
2. Cor. 4. gna & preclara chariſmata circunferimus in vaſis fictilibus, in corporibus noſtris, quæ fragilia ſunt, & ad malum propenſa. Quòd ſi iam porrò à Baptiſmate ſecundùm propriæ voluntatis affectiones, & ſecundùm carnem
Rom. 6. 7 viuere velimus, mori nos neceſsè eſt: fructus enim carnis non niſi mortiferi ſunt, Galat. 5. Cuiuſmodi ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, &c. Qui autem talia agunt, regnū Dei non conſequentur. Quamobrem

obrem indulgentiſſime Pater, ſicut ex gratia tua nos vocâſti in regnũ tuũ, ſic per eandem nos conſerua, eamq́; de ſancto ſpiritu tuo virtutem & gratiam nobis infunde, qua propriæ voluntatis noſtræ affectus & propenſiones frenemus ac edomemus, & ſpiritui conſentiamus, ac ſpiritu ducamur ad omne bonum, atque ità fructus ſpiritûs proferamus, qui ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, tuamque in omnibus, quæ tum agimus, tum omittimus, voluntatem exequamur. Secundò autem precamur hîc, vt in rebus moleſtis & aduerſis patiẽtem nobis animũ præſtet, vt dum vel in corpore, vel facultatibus, vel amicis damna patimur, liberè nos diuinæ poſſimus permittere voluntati, ac dicere: Fiat voluntas tua. Sicut Domino placuit, ità factũ eſt. Iob. 1. Tertiò admonemur, nè temerarij & audaces ſimus in cõſilijs noſtris, ſed omnes actiones, cõſilia, inſtituta & conatus noſtros Luc. 22. ſemper Deo ſubmittamus, vt pro ſua faciat voluntate: minimè verò dicamus, Hoc vel illud die craſtino ſum facturus: ſed hoc modo: Si voluerit Dominus, Iacob. 4.

Quartò admonemur, vt vnuſquiſque ſua ſorte & conditione contẽtus ſit, ad quam à Deo vocatus eſt, cùm Deus ſua diſtribuat dona, non pro priuato cuiuſlibet voto ac deſiderio, ſed pro Eccleſię vtilitate publica & communi. Ad Reip. itaq; tranquillitatem pertinet, vt vnuſquiſque maneat in ſua vocatione, in qua à Deo vocatus eſt, ſtudeatque in eadem Deo placere, 1. Cor. 12. eam in curam intentus, vt vitam illam æternam adipiſcatur, cùm hæc præſens admodùm breuis ſit & momentanea. Eò nos cohortatur Apoſtolus 1. Cor. 7. At nunc quartam filiorum Dei petitionem aggrediemúr.

QVARTA PETITIO.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.

HActenùs in noſtra precatione ea præſtare didicimus, quæ probos ac frugi Dei filios cumprimìs deceat: & primùm quidem gloriam & honorem patris noſtri cæleſtis quæſiuimus: deindè nobis à Deo diuinam gratiam dari petiuimus, qua fulti, honorem, regnum & voluntatem Dei inter nos conſeruare queamus. Nunc ad noſipſos conuerſi, quæ nobis tum vtilia, tum neceſſaria ſint, cogitamus & commemoramus, petimuſque à Deo omnis generis ſpiritalia & corporalia bona, quæ hîc in terris nobis vſui eſſe queant, vt vitam hanc temporariam, ſecundùm beneplacitum Dei ad finem vſq; traducere poſſimus. Prę cęteris autem omnibus petimus à Deo, vt panem noſtrum quotidianum hodiè nobis largiri velit. In hac verò petitione non vnum aliquod, ſed multiplex panis genus, nobis dum in terris degimus neceſſarium, intelligimus & petimus à Deo. Quamobrem ſedulò ad hâc petitionem quæſo animũ & aures aduertite, vt noueritis quid tum penſitandum, tum expetendum ſit, cùm dicitis: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè. Principiò nemo eſt inter Chriſtianos, qui non iuſtum



iuſtum exiſtimet, vt prima præcipuaque cura animæ nobis ſit potiùs quàm corporis. Quamobrem primò illum petimus panem, qui non corpus, ſed animam opimat, confirmat & paſcit in vitam æternam. Hic panis eſt verbum Dei, vero & genuino intellectu appręhenſum & acceptum, & legitimus ac ſalutaris vſus Sacramentorum Dei. Hic eſt verus & ſpiritalis ille cibus, quo anima humana vegetatur & viuit, quemadmodùm ſcriptum eſt:
Matth. 4. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI. Hic panis non eſt minùs nobis quotidiè neceſſarius, quàm panis corporalis & factitius. Nam vt corpus fame & infirmitate afficitur, neceſſumq; eſt vt pane corporali vires recuperet, & ſuſtentetur, ſic & ſpiritus & anima noſtra in quotidianā labitur imbecillitatem, quandiù in huius corporis hęret domicilio, ſicut ſcriptum eſt: Corpus quod corrumpitur, aggra
Galat. 5. uat animam, &c. Sap. 9. Idcircò neceſſarium eſt, animam & ſpiritum no-
Rom. 7. ſtrum ſine intermiſſione hoc verbi Dei pane ſuſtentari & corroborari. Petimus ergò à DEO, vt huius panis ſyncerum, germanum atque Catholicum ſenſum cordibus noſtris Sanctiſpiritûs illuſtratione inſtillet. Neque enim ſalubris & ſalutaris eſt hic panis, quemadmodùm eum Hæretici proferunt. Atque etiamſi externa prædicatio & annunciatio ſyncera ſit & verax, nihl tamen proficiet Eccleſiaſtes, qui voce ſua offert nobis hunc panē, niſi Deus

pecu-

peculiarem quãdam & internam virtutem cordibus noſtris infundat. Vnde petimus, vt Deus ſyncero & orthodoxo ſanctiſſimi verbi ſui ſenſu & intellectu, ac legitimo Sacramentorum ſuorum vſu nos enutriat & ſaginet, donec perfecti reddamur in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Eſt ſecundò etiam alius quidã ſpiritalis ac myſticus panis, qui de altari nobis porrigitur, verum & Sacroſanctum corpus & ſanguis Domini in Sacramẽto. Hic eſt noſter panis, per quem vnum efficimur in Chriſto, & Chriſtus nobiſcũ, atque in eodem pane dona, diuitias & chariſmata Chriſti om̃ia accipimus intra nos, ſi ritè eum ac dignè comedamus. Hunc panem dari nobis quotidiè petimus. Sic enim nobis viuendum eſſet, vt eum quotidiè mereamur accipere. Qui cauere ſibi non poteſt à quotidiana infirmitate & defectu, quotidiè debet medicinam requirere. De hoc pane ſic loquitur Chriſtus: Qui manducauerit hunc panem, viuet in æternum. Ergò è contrario metuendum eſt, quòd qui eum non manducant, mortui ſint ſecundùm animam. Porrò quandò hodiè non viget ea conſuetudo, quæ olim, vt quotidiè hũc panem percipiamus ab altari, hoc ſanè cuilibet Chriſtiano ſedulò conandum foret, vt eò accederet quotidiè, vbi hoc Sacramentum tractatur in altari, magnoque ibidèm affectu ac deſiderio ſpiritualiter eo frueretur, donec opportuno tempore etiam reuerà ac ſubſtãtialiter in eodem Chriſtum perciperet. De hoc aliâs. Iohan.6.

Tertius, idemque maximè vulgaris huius quartę petitionis intellectus eſt, vt ſub nomine panis quotidiani petamus à Deo, quæcunque ad huius temporariæ vitæ ſuſtentationem neceſſariò faciunt. Petimus ergò cõmodum aërem, cæli clementiam, & Dei benedictionem pro frugum incremẽto, ac felici ſucceſſu. Rogamus dari pacem, vt operam noſtram vitę neceſſarijs ſubſidijs parandis queamus impẽdere. Poſtulamus veſtitum & tranquillam rei familiaris adminiſtrationem, atque vt paucis expediam, quęcunque ad vitæ huius conſeruationem requirũtur: itemq́; precamur auerti ea omnia, quę corporis victum & alimoniam remorantur & prępediũt, nempe tẽpeſtates & cęli intemperiem, bella, fœnerationes, iniquas & fraudulentas rerum venditiones, vel fraudulẽta monopolia: ſanè aduerſus huiuſmodi Dei vindictam poſcimus, quãdò precamur, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè, Prou.11. Ad hanc petitionem, quorundam nos breuiter commonefaciemus: Principiò petimus panem noſtrum quotidianum, vt ſignificemus nos corporis victum & alimenta habere ex benedictione diuina potiùs, quàm ex laboribus noſtris. Quamobrem Deo agendæ ſunt gratiæ tam ante, quàm poſt ciborum ſumptionem.

Secundò panem rogamus: auaritia enim & luxus vetita ſunt Chriſtianis, 1. Timoth.6. Prouerb.30. Mendicitatem & diuitias nè dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria.

Tertiò appellamus panem noſtrum, primò, quòd admodùm nobis ſit neceſſarius: ſecundò, quòd iuſta, vel iuſtis rationibus parta alimenta à Deo

 poſca-

poſcamus,orantes vt auxilio nobis eſſe velit,quô labore manuum noſtrarum iuſtè victum nobis paremus,non fraudibus, rapinis,aut furtis: vt pane noſtro victitemus,non ſudoribus & ſanguine fratrum noſtrorum.

Tertiò vocamus panem noſtrum,vt opulentiores intelligant,quicquid ipſis à Deo collatum ſit,non ipſorum eſſe tantùm,ſed & noſtrum,hoc eſt, omnium fame & inopia laborantium.Sacrilegus eſt,qui famelico panem, nudo veſtitum ſubtraxerit,ſi habet ſubſtãtiam huius mundi,vndè hæc illis præſtare queat, 1. Ioh. 3. Eſurientium panis eſt, inquit Ambroſius, quem tu detines:nudorum eſt veſtimentum,quod recludis:Famam ſuam frater, aut pudicitiam ſuam ſoror tua redimeret hac pecunia, quam tu in terram defodis: qui nunc egeſtate compulſi, turpiter agunt,& famæ ſuæ pericula adeunt:ſed ſenties hauddubiò vindicem & vltorem Deum.

Ambroſi⁹. Hęc in Germanico paraphraſticãs habent, nos ipſa Authoris verba aſſcripſim⁹.

Quartò nominamus panem noſtrum quotidianum,id eſt,facilè parabilem qui ſinè magna cura ac ſolicitudine parari poteſt: vbì irridẽtur illi, qui multo labore & anxia ſolicitudine longinquas adeũt regiones,ea ſola cauſa,vt rara quædam habeant fercula,& ſplendidis magnique precij dapibus ventrem ſuffarciant:nec parùm ſanè tum operę tum curę ponunt ea in re, vt excrementa ſua ex præclaris aromatibus & cibis conflent. Intereà egenus & pauper fame enecatur,dum ſic noſtra profundimus & abligurimus, Luc.16.

Poſtremò oramus eum nobis dari hodiè,quo admonemur,nè curã noſtram in longum tempus extendamus. Quid enim affligeris cura venturi temporis,cùm neſcias num victurus ſis?Huiuſmodi ſtultitiam grauiſſimo exemplo redarguit Chriſtus Luc.12.

Iſthæc immoderata futuri temporis cura non ob id duntaxat prohibita eſt, quòd ſtultum ſit eius temporis vrgeri & exedi ſolicitudine,quo te victurum ignores:ſed ea quoquè de cauſa, quòd multorum peccatorum ſit occaſio,1.Timot.6.Matth.6.

CONCIO XVI. HABITA
Dominica XI. poſt Trinitatis, Anno 1542.

IN hac Dominicæ precationis exegeſi, auditores, ordine ſuo ſequitur nunc quinta filiorum Dei petitio,ad patrem noſtrum qui in cælis eſt, qua docet nos Chriſtus ingẽs quoddam ac planè neceſſarium donum petere,videlicet noſtrorum remiſſionem peccatorum. Nemo ſanè eſt inter nos,qui cor ſuum planè conſeruet incontaminatum, & ab omni peccato liberum.Porrò non ignoramus ſtipẽdium peccati eſſe mortem perpetuam,ſi quis in illo ad ſupremum vſque vitę diem perſeueret.Meritò ergò toto pectore ad Deum clamabimus:Pater noſter,qui es in cælis.

QVINTA PETITIO.

Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.



HAEC quinta petitio per ſe luculenta eſt, & facilis intellectu, nec longam quidem interpretationẽ poſtulat: ſeria tamen & accurata admonitio omninò fuerit hîc neceſſaria. Deus noſter, qui diues eſt in miſericordia, munus longè præſtantiſſimũ nobis pollicetur exigua & perfacili con- Epheſ. 2.
ditione. Paratus eſt grauium & immanium peccatorum noſtrorum nobis facere gratiam, quibus iram & animaduerſionem illius, perpetuamq́ue damnationem ſumus commeriti: hac ſolùm lege & conditione, ſi parùm illud condonemus proximis noſtris, quod illi nõnunquàm in nos peccant. Nos autem tam difficulter eò adducimur, vſqueadeò ſumus animo ſegni & torpenti ſpiritu, frigidoq́; & faſtidioſo pectore erga cæleſtia illa & æterna bona, volumusq́ue illos Dei theſauros longè precioſiſſimos, regnumq́; eius ſempiternum non niſi ocio & inertia, & in vtranq; aurem dormientes promereri. Perſuademus nobis Deum etiam ignauis & indignis ad præſtanda promiſſa ſua obligatum, & quicquid pollicitus eſt, neceſſariò quoquè illis præſtare debere, qui ne minimum quidem conatum eò adhibere volunt, vt ſe capaces & idoneos reddant ad eiuſmodi dona percipienda.

Sic gratum quidem nobis foret, Deum nobis remittere peccata, quemadmodùm hac quinta petitione precamur. Quòd autem etiam proximis

Matth.6. Mar.11. Eccle.28. noſtris nos cōdonare debeamus, vt æquè à nobis Deus exigit, id nos prætergredi perquàm vellemus, & interim nihilo minùs illud conſequi, quod nobis vtile & neceſſarium eſt. Sed quæſo nè erretis dilectiſſimi. Debet quidem Deus præſtare promiſſa, ſed non indignis. Paratus ille eſt munera & dona ſua impartiri nobis, & effundere in nos pro ſua miſericordia & benignitate, ſed tamen in ea vaſa, quę munerum & chariſmatum eius ſint capacia: in illos qui ſtudio & induſtria ſe præparant & accommodāt ad hæc dona accipienda, idque conuenienter præceptis & verbo Dei. Inter hæc autē dona Dei, remiſſio peccatorum ſublimem & haud vulgarem locum obtinet, quippe quę eiuſmodi opus ſit, cuius conficiendi gratia Chriſtus è cęlo deſcenderit, vt eius ſanguine non ſemèl tantùm totius mundi expiarentur & diluerētur peccata, ſed vt nos eius membra deinceps quotidiè peccatorū remiſſionem, perpetuamq́; redemptionem in meritis & ſanguine ipſius, à Deo petere & impetrare poſſemus. Porrò non eo modo peccatorum venia & petenda & obtinēda eſt, quo nos fortaſsis vel maximè velimus, ſed quo nos Chriſtus orare iuſſit, & Deus ipſe veniā daturus eſt. Hac de re in quinta hac petitione iam dicturi ſumus. Hic eſt ergò modus, quo Chriſtus nos docuit petere remiſſionē peccatorum. DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, &c. Quinta hæc petitio noſtram nobis imbecillitatem & vitioſitatem ob oculos reuocat, vt quòd peccatores ſimus, nec vllus ex nobis à peccatis & perperàm geſtis per omnia purus ſit & immunis. Iſthuc ipſi de nobis perhibemus teſtimonium, quandò remiſſionem peccatorum à Deo precamur, recipimusque nos itidèm debitoribus noſtris id quod debent, condonaturos. Non autem hìc loquimur de contracto ære alieno, in quo diſſoluendo Chriſtiani ſequi debent leges publicas & in commune decretas, alterq́; ab altero poteſt repetere & exigere debitum ex iuris præſcripto, ſi nequeat remittere: quanquàm hac in parte hoc meritò nos docere debebit fraterna charitas, vt qui abundant & habent ſuperflua, alijs nonnihil de ſuo communicent, & nihil repetant, præſertim ſi creditores non ſint ſoluēdò, Luc. 6. Atquì nos hìc agimus de peccatis: hæc debita noſtra appellamus, quòd per ea Deo ſimus obligati & obſtricti. Eum ſpiritum Deus nobis eſt largitus per Chriſtum, cuius auxilio ſubnixi, facilè bona omnia pręſtare poſſemus, Tit. 2. Rom. 8. Qui bonum non operatur, fit debitor apud Deum: longè autem maiori ſe debito obligant, qui in peccata prolabuntur: qui ſanè grande debitum contrahunt, quod tandèm æternis ſupplicijs cogētur diſſoluere, niſi fuerit condonatum. Cæterùm hìc Deus immenſam ſuam erga nos benignitatem & miſericordiam declarat, quòd & iteratorum peccatorum veniam rogare nobis permittit. Benignum ſiquidem & fidiſſimū erga nos patrem ſeſe exhibere vult, qui filios perditos non ſtatìm abdicat, & à ſe repellit. Vbì immorigeri fuimus, & malè dicto audientes, continuò

Luc.15. vt in noſipſos deſcendimus, & ad nos reuerſi, commiſſorū veniā petimus, miſericordia mouetur, ſuſcipit nos omni cum beneuolentia ac lenitate,

atque

atq; in priſtinum honorem & gratiam, vndè per peccatum excideramus, reſtituit ac reponit. Neq; ſemèl tantùm talem ſe erga nos præbet, nec vnius ſolùm peccati dat veniam, ſed ſemper & pro omnibus peccatis ſe vult prębere exorabilem, quemadmodùm de illo ſcriptura diuina teſtatur, Pſal. 102. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis. qua de re videre eſt apud Matth. 18. cap. Hanc in ſpem adducit nos Chriſtus, cùm nos iubet precari, Dimitte nobis debita noſtra &c. Nec ſanè vt hoc modo rogaremus, mandâſſet, niſi Dei voluntatē perſpectam habuiſſet, quòd is & poſt baptiſmum peccata quotidiana nobis velit remittere. Verumenimuerò quædam huic petitioni annexa eſt cōditio: nempe ſic Deum nobis peccata dimittere debere, quemadmodùm & nos noſtris debitoribus, qui in nos peccauerint, dimittimus. Nemo hîc ſeſe fallat dilectiſſimi: ſinè remiſſione nemo remiſſionem obtinere poteſt: nec quicquam profeceris, etiamſi ad rauim vſque Deum tuis precibus obtūdas. Nónne ridiculum fuerit, petere nos patrem cæleſtem, vt plurima eademq́; immania peccata nobis condonet, & interìm tamen pauca, eaq́; minuta, fratrum peccata nolle nos remittere? Homo homini reſeruat iram, & à Deo quęrit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram, & propiciationem petit à Deo? Eccle. 28. Si nobiſcum expēderemus, quis hanc conditionem nobis offerat, & quàm ea ſit lucroſa nobis, pudore pariter ac horrore afficeremur, quotiès nos ad ignoſcendū proximis lentos ac cunctabundos ſentimus.

Deus certè in neminem peccat, ſed gratificatur ac benignè facit omnibus: at nihilo minùs paratus eſt remittere illis, qui in ipſum peccant, ſi tantùm veniā precentur. Tu verò longè grauiùs Deum offendis, quàm te proximus tuus: quid ergò moraris exiguę culpę gratiā facere, vt tu multò grauiorum peccatorum veniam conſequaris? Deo nec commodare, nec incommodare poteſt, ſiue peccata nobis remittat, ſiue non remittat. Noſtra verò condonatio, qua erga proximos vtimur, ſumma nobis pręmia conciliat, nempe peccatorum noſtrorum remiſſionem, Dei miſericordiam & gaudia ſempiterna: porrò nolle nos remittere proximis, id maxima nobis adfert detrimenta, putà erratorum noſtrorum retentionem vel reſeruationem apud Deum, iram Dei, & æternam damnationem. Illud enim certò perſuaſum habebitis, quicunque proximo recuſat ignoſcere, non habere illum quicquam, quo Deum placare poſſit. Confeſſionem illius non audiet Deus, neque munus quod offert ad altare, erit acceptū, Matt. 5. 6. Etſi diſtribuerit in cibos pauperum omnes facultates ſuas, & tradiderit corpus ſuū ità vt ardeat, at nihilo minùs ira Dei ſempiterna manet ſuper eum, dum fratrem odit, & detrectat illi ignoſcere, 1. Cor. 13. 1. Ioh. 3. Matth. 6. 18. 1. Cor. 13

Hoc de illis dictum ſit, qui de induſtria & ex propoſito rancorem animo retinēt. Si autem quiſpiam ſit, qui ſe depręhēdat non facilè ex animo iram & indignationem abijcere, atque interim dolet, oditq́ue hoc in ſe vitium,

oratq́; Deum, vt hunc defectum atque hoc vitium in ipſo ſua gratia curare, ſuauemq́; & humanam ac amicabilem erga proximum ipſi animum præbere velit, is poterit remiſſionem peccatorum ſuorum à Deo precari, etiãſi odium ſentiat ſuo in pectore necdùm planè ſopitum. Exaudiet Deus feruẽtem & ſeriam eius orationem, & dabit illi peccatorum veniam, ſimulq́; animũ eiuſmodi ipſi largietur, quo proximo ſuo poſſit ignoſcere. Verùm iſthuc ſerijs & ardentibus precibus obtinendũ eſt à Deo. Sciendum etiam eſt circa hanc petitionem, eam nequaquàm ad ius publicum ſiue commune & municipalia ſtatuta pertinere, ità vt iudices & prætores vel magiſtratus, hominibus ſceleratis pœnam remittere teneantur, ſi ſuorum delictorum velint à Deo ſperare veniam. Nulla ratione ità ſentiendũ eſt: ſed vindicanda ac coërcenda ſunt flagitia, & ea quę contra iuſtitiam admittuntur: quamobrem etiam poteſtas à Deo conſtituta eſt, Rom. 13. Qui de maleficijs reorum nomina deferunt, & qui in illa animaduertunt, extra omnem culpam ſunt, ſi rectè atque ordine ſontes puniant. Cauendum autem, nè iſtiuſmodi delatio vel accuſatio aut animaduerſio ex inuidia procedat, ſed ex iuris & iuſtitiæ præſcripto, videlicet ea ſola de cauſa, vt iniquitas & petulantia ac proteruia coërceatur, ſicque quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, 1. Timoth. 2.

Atque hęc de quinta petitione dicta ſufficiant, quà patrem noſtrum cęleſtem admonemus & precamur, (quandoquidem fragiles & multis vitijs obnoxij ſumus, ſanctamq́; eius voluntatem multis modis tranſgredimur) nè ſecundùm peccata noſtra faciat nobis, ſed auferat à nobis iniquitates noſtras per Chriſtum Dominum noſtrum, & pro commeritis ſupplicijs, ex gratia & miſericordia ſua felicitatem perpetuam largiatur, Amẽ. Sequitur iam Sexta petitio.

SEXTA PETITIO.

Et nè nos inducas in tentationem.

SAcræ literæ duplicem tentationem commemorant. Altera bona eſt & vtilis, qua Deus filijs ſuis, ijsq́ue quos diligit, & ad beatitudinem perducturus eſt, quãdoquè temporarias afflictiones immittit, non vt perdat, ſed vt ſanet eos, multumq́ue illis vtilitatis adducat. Nam quandocunquè Deus aduerſis caſibus nos affligit, id vel in pœnam & caſtigatiõem peccatorum noſtrorum facit, vel in maius augmentum perpetuæ noſtræ ſalutis. Et hoc modo tentatio omnis, quæ à DEO proficiſcitur, cedit in rem ac vtilitatẽ noſtram, quandò nos punit & corripit Deus, vt temporario flagello ad frugem corrigamur & perducamur, ſicque effugiamus ſupplicium æternum. Huc pertinet illud Apoſtoli: Cùm iudicamur, à Domino coripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, 1. Corinth. 11. Hebr. 12. Nonnunquàm optimos ac probiſſimos quoſque DEVS flagellat, eoſque tentat rebus duris ac aſperis, vt ſpectatam probatamq́ue reddat eorum tolerantiam, mer-



mercesq́ue eorum longè excellentior & glorioſior exiſtat in regno cęleſti. Hoc pacto Iob tētatus eſt. Hinc & Tobias audiuit: Quia acceptus eras DEO, neceſsè fuit vt tentatio probaret te. In hanc ſententiam plura habentur Eccleſ. 27. & 1. Pet. 1. Hanc tentationem deprecamur quidem, non ità tamen, vt nobis non eueniat, (cur enim hoc deprecemur, quod ex DEI gratia nobis ſaluti ac bono eſſe queat?) ſed hac conditione, vt quandò permittere vult Deus, vt afflictiones, res aduerſæ & tentationes nobis occurrant, virtutem quoquè & gratiam nobis ſubminiſtret, quô patienter eas perferamus. Tob. 12.

Altera tentatio non niſi ad perdendum & in fraudem impellendum hominem ſpectat, atque ea non procedit ex Deo, (Deus enim non eſt tentator malorum, vt inquit D. Iacobus) ſed ex authore Diabolo, qui cognitam & exploratam habens corruptionem naturæ noſtræ, quòd ad voluptatem & peccata propendeamus, & à bono abhorreamus, varijs nequitiarũ ſuarum machinis nos pertentat, quô fragilem naturæ noſtræ ſtructuram expugnet, & in ruinam impellat: modò fucatis voluptatum illecebris, quibus ſi nihil efficiat, aperto Marte & vi rem gerere inceptat, machinasq́ue bellicas & cornutos arietes depromit, externas nimirùm calamitates, quandoquè etiam terrores, quos in hominis animum ingerit, eumq́ue mœrore

perturbatum,in deſperationem adducit.Et vt paucis dicam, inſidiarum & machinarum inſtructiſſimam ille habet panopliam,quibus hominem oppugnet.Huiuſmodi verò noxias & periculoſas tentationes deprecamur à Deo,vti nè nos in illas inducat.Non quòd Deus hominem in huiuſmodi tentationes inducat,ſed quòd facilè eas à nobis queat auertere ac prohibere.Precamur ergò,nè nos in eas patiatur induci.Scimus fortem eſſe Diabolum,eiusque robur perſpectum habemus. Iob 41. Non eſt poteſtas ſuper terram,quæ comparetur ei.Nihil tamen aduerſùm nos moliri poteſt,immò ne pilum quidem capitis inflectere, niſi Deus illi permiſerit. Sed neq; id vnquàm illi permittit Deus,vt tractet nos pro ſua libidine: alioquì breuis admodùm vita noſtra foret in terris:atqui nõnunquàm poteſtas illi fit à Deo tentandi nos,ſed ità tamen,vt conſtituãtur ei limites & modi,quos excedere non poteſt, Iob 1. 2. at nec ſic quidem quenquam ſubuertere aut expugnare poteſt,niſi qui abiecto animo herbam ei porrigat, nec illi reluctari velit. Ille autem ſe tueri hoſtiq; reſiſtere nolle putandus eſt, qui dum tentatur,non humiliat nec ſubmittit ſeſe erga Deum,non ad Deum confugit,eiusque auxilium implorat.Sanè qui eiuſmodi eſt, fieri poteſt vt aliquandò tentationibus ſuperetur,& pereat, quod Deus procùl à nobis abeſſe velit.Circa hanc igitur ſextam petitionem obſeruãdum eſt, Diabolum
Eſai.42. nihil poſſe aduerſùs hominem, niſi quatenùs ei permiſſione diuina conceſſum ſit,vt videre licet 3. Regum 11. Iob 1. Quamobrem omnis noſtra ſpes,metus quoquè & deuotio, in Deum pręcipuè referẽda eſt,ad illumq; clamare debemus:Nè nos inducas in tentationem:quorum verborum iſthęc mens eſt & ſententia:Clementiſſime & inuictiſſime pater,multis iam modis Tartarei illius ac ſæuiſſimi tyranni odium ac inuidentiam nouimus aduerſùm nos filios tuos, vti is omnem moueat lapidem,ſi quandò nos à te queat auellere,& in exitium præcipitare. Quia verò nihil erga nos moliri poteſt abſque tuo permiſſu,ità vt non ille,ſed tu omnem tentationem habeas in manu tua, precamur te mitiſſime pater, nè illi ſanguinario permittas,vt caſus aduerſos & graues moleſtasque tentationes in nos concitet. Sin autem pro tua diuina voluntate omninò nobis eſt cum illo confligendum & tentationes perferendę,rogamus vt vires impertias ponderi malorum irruentium pares: faciasque cum ipſis tentationibus prouentum & exitum, vt eas ſuſtinere poſſimus, gratia freti & miſericordia tua,
1.Cor.10. Amen.Sequitur nunc vltima petitio,quæ reliquas omnes velut in ſumma compræhendit.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

VAria hactenùs à Deo petiuimus,tum quæ ad eius honorem,tum quę ad vitæ præſentis ſubſidia pertineant. Nunc poſtremò nos totos in eiuſ-



eiuſdem fidiſſimi Dei & amantiſſimi Patris noſtri tutelam tradimus, itâ dicentes: Cæleſtis pater, omnipotens Deus, quandoquidem miſerijs & calamitatibus vndiquè circunſepti ſumus, quâdiù in hoc mundo verſamur, qui totus in maligno poſitus eſt, precamur te, vt quemadmodùm ex gratia & miſericordia tua nos in filios adoptâſti, itâ eadem benignitate & omnipotentia tua nos, dum in hoc mundo ſanè quàm maligno ſumus, ab omni malo præſerues. 1. Iohan. 5.

His omnibus ſubiungimus, AMEN. quod Latinè redditum, idem eſt, quod FIAT: quo verbo ſolemus ad aliquid confirmandum vti. Itaque qui AMEN pronunciat, tantundèm dicit, àc ſi rei fidem certam eſſe affirmet: vel certò ſe ſic credere, vel deniquè certò itâ futurum. 2. Corinth. 1. Paulus ait: Quotquot promiſſiones Dei ſunt, in illo Eſt: ideò & per ipſum Amen, &c. hoc eſt, promiſſiones Diuinæ certæ ſunt & indubitatæ, & quę fallere nequeant. Sic ergò & huic noſtræ precationi ſubnectimus, Amen. Certò enim confidimus, DEVM in omnibus precibus, quę vergunt ad ſalutem noſtram, nos exauditurum. Id quod idem ipſe nobis præſtare dignetur.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA SALVTATIONIS ANGELICAE EXPLICATIO.

CONCIO XVII. HABITA *Dominica XII. poſt Trinitatis, Anno* 1542.

POſteaquàm ſuperioribus Concionibus explicationem Articulorum ſacroſanctæ fidei Chriſtianæ & Dominicæ precationis DEI fauore abſoluimus, auditores in Chriſto chariſſimi, reſtat vt promiſſioni meæ reſpondens, Angelicam ſalutationem his ſubiungam, qua Gabriel Angelus caſtiſſimam ſacratiſſimamq́ue virginem Mariam ſalutauit, cùm iam iamq́ue Diuina Spiritusſancti operatione Mater Dei & aptiſſima noſtræ ſalutis officina eſſet futura. Cuius ſalutationis neutiquàm prętermittendæ equidem vrgentes, commodas, vtiles & planè Chriſtianas habeo rationes, modò vos de ijs omnibus inſtituere debeam, quæ Chriſtianos in rem & ſalutem ſuam præcipuè nôſſe oporteat. Nimirùm hanc iam indè ab initio toto orbe in ſancta Catholica Chriſti Eccleſia conſuetudinē fuiſſe cõperio, vt ijs, qui recenter fidei Chriſtianæ myſterijs initiati eſſent, hæc tria coniunctìm ac pariter proponerent, putà Symbolum fidei, Dominicam precationem, & Salutationē Angelicam. Nec diffido, quin & apud vos omnes huius conſuetudinis teſtimonium quoddam obtinere queam, nempe quòd ſinguli tria hæc ceu quędam noſtrę religionis principia, à parentibus veſtris acceperitis & edocti ſitis. Ab hoc inueterato totius orbis Chriſtiani more non putaui mihi recedendum, præſertim quandò comperio, eum vel maximè Chriſtianum, nec minùs etiam vtilē ac ſalutarem. Interim tamen paucis hanc ſalutationem in præſentiarùm abſoluemus, & generali quadam admonitione contenti erimus, præſertim cùm cauſā feſti huius, hac vice incertum ſit concionandi tempus. In hac alijsq́ue id genus rebus, ſcio dilectiſſimi eſſe non nullos, qui vehementer de nobis ſoliciti ſint, (DEVS illis gratias referat, ſi bono id animo faciunt) quandò in Eccleſia Catholica de Sanctis tractamus, laudis eorum aut interceſſionis mentionem facimus: mox enim eos hæc tangit ſolicitudo, nè veneratione Sanctorum in idololatriam transferamus. Hac illi de cauſa, videlicet vitandæ idololatriæ, Salutationem Angelicam in ſuis Catechiſmis loco mouent & omittunt, ac peruetuſtam totius orbis Chriſtiani conſuetudinem deſerunt: cumq; pientiſſimi Maiores noſtri liberos ſuos magno ſtudio docuerint, ſerioq́ue ab ijs exegerint, vt hanc longè ſaluberrimam ſalutationem, vnà cum precatione Dominica coniunctìm recitarent, id iſti noui Chriſtiani negligunt ac omittunt, temeritatē ſuam pulchra ac ſplendida ratione fucantes: velle ſe inquiunt DEO honorem ſuum integrum relinquere,

linquere, nec eum honore virginis matris aliorúmve diuorum obſcurare. Sed curas illi propter nos neutiquàm neceſſarias ſibi inijciunt: quaſi verò nos, veteris & orthodoxæ Eccleſiæ ſectatores, neſciamus quo pacto ſacratiſſimam Virginem alioſq; Sanctos, citra vllam diuini honoris iniuriam, laude ac veneratione afficere debeamus. Non eſt quidem nunc mei inſtituti, hinc quantùm res ipſa poſcere videatur, hoc loco dicere. Vbi autem in ſubſequentibus concionibus, Deo fauente, primi pręcepti explicationem aggreſſus ero, ſolidè & certò ac veriſſimè vos inſtituam, vtì pro recepto veteris Eccleſiæ more, & iuxta ſanam atque ſynceram doctrinam in Eccleſia noſtra ſentiamus & doceamus de interceſſione & veneratiōe Sanctorum, de illorum quoquè reliquijs & imaginibus: in quibus certè nos ea vtimur moderatione, vt merita & functio Chriſti mediatoris, Sanctorum interceſſione nullo vel contemptu vel contumelia afficiantur, quod aduerſarij ἀναιτίως nobis impingunt: vtque Dei honor & gloria cultu & veneratione Sanctorum non ſolùm non obſcuretur, ſed longè magìs illuſtretur & prędicetur. Hanc interìm illi inſtitutionem expectent, nobiſque permittant Angelicam hanc ſalutationem iuxta receptam veteris Eccleſiæ conſuetudinem retinere ac pronunciare: nos quidem eos hac in parte metu vacuos eſſe iubemus, ſperantes fore, (Deo volente) vt nihil temerè geramus. Faxit Deus, vt plerique ex iſtis cùm in ſcriptis, tum verbis & dictis ſuis ab impia erga Sanctos temeritate tam ſeſe continerent, quàm nos iuxta veteris Eccleſiæ conſuetudinē in inuocatione & veneratione Sanctorum, omnem nouimus declinare idololatriam. De hoc latiùs in primo præcepto. Nunc breuem ſolùm paræneſin pro meo inſtituto de ſalutatione Angelica vobis proponam, qua abſoluta, vos Deo cōmendabo. Pauloantè dixi vobis, auditores chariſſimi, in more poſitum fuiſſe inſtitutoq; pijſſimorum Maiorum noſtrorum, idq; ab ipſis primis Chriſtianæ religionis initijs ad noſtra vſque tempora, vt iam recenter albo Chriſtianorum aſſcriptos, & nouitios Chriſtianos hæc tria, putà, Symbolum fidei, precationem Dominicam, & ſalutationem Angelicā, ſimul & coniunctìm docerent, atq; hoc ab eis exigerent, vt Dominicæ precationi ſalutationem Angelicam mox ſubnecterent, eamq; vnà recitarent. Ab hac ergò conſuetudine nobis nullo pacto eſt recedendum, cùm tam vtiles, ſolidæ & cum pietate Chriſtiana coniunctæ rationes nobis ſuppetant, cur meritò ità faciendum ſit.

Nam tametſi Angelica iſthęc ſalutatio propriè non eſt precatio, ſed tantùm ſalutatio, qua Deus ipſe caſtiſſimam ſanctiſſimamq; virginē Mariam voluit appellari, iuſtam tamen atque arduam ob cauſam iſthuc Diuæ virginis encomion nunquàm interſileſcere aut intermitti deberet apud Chriſtianos. Cauſa porrò hæc eſt, quòd in laude huius ſanctiſſimæ virginis & matris Dei, ſimul etiam DEI erga nos benignitas & miſericordia ſummè prædicatur, & redemptionis noſtrę per Chriſtum ſeruatorem factæ, amantiſſimè in hac ſalutatione admonemur. Licèt igitur hanc ipſam promentes ſa-

tes ſalutationem nihil petamus, eſt tamen & Chriſtiano homine dignum, & in rectè factis numerandum, vt noſtris in cordibus Deum laude & prædicatione efferamus pro maximis illis beneficijs & chariſmatîs, quæ mundo perdito per hãc omnium creaturarum longè ſanctiſſimam impertiuit. Quàm multos egregios Pſalmos concinit ſancta Dei Eccleſia, in quibus nihil quidem precatur, ſed annunciat, cõcelebrat & laudat immenſam DEI miſericordiã, quam multis ille varijsq́; modis erga ipſam declarat. Quamobrem nobis quoquè vitio vertendum non eſt, cùm præter orationẽ DEVM pro illius beneficijs laudamus & prædicamus. Immò verò quilibet facilè iuſtum hoc exiſtimauerit, vt cùm gratiam & beneficium à Deo poſtulamus, pro acceptis etiam muneribus laudem & gratiarum actionem eidem deferamus. An non meritò nos exhilarare, & ad gratitudinem erga Deum declarandam excitare debet, quòd cùm miſerabilis mundus peccatis obnoxius & implicatus, & per peccata morti æternæ addictus & mancipatus eſſet, Deus ſuæ recordatus miſericordiæ, reſpexit calamitatem populi ſui, filiumq́ue vnicum redemptioni miſeri generis humani deſtinauit, eumq́; carnem humanã aſſumere voluit ex hac virgine longè ſanctiſſima, vt nos per obedientiam & hoſtiam precioſiſſimam eiuſdem ſanctiſſimi Filij ſui ex æterna morte extraheremur, in quam per inobedientiam & peccatum primorum parentum noſtrorum præcipites corrueramus? An non meritò gaudio noſtros afficiat animos, perpetuamq́ue promereatur gratitudinem, quandò fauſtiſſimę illius horę nobis venit in mentem, qua Deus per fœminę miniſterium, mundum ex illa voluit eripere & extrahere calamitate ac miſeria, in quam ſerpens ille antiquus itidèm per fœminam vniuerſum genus humanum pertraxerat? vt eſt videre Geneſ. 3. Magna ſacrarum literarum pars in eo ferè verſatur, vt munificentiſſimum illud Dei opus, redemptionem generis humani, animis noſtris infigant. Ad hunc ſcopum collimant ſacroſancta Euangelia, quę in Catholica Chriſti Eccleſia prędicamus. Quamobrem Angelicam hanc ſalutationẽ equidem totius Euangelij velutì ſummam quandam appellare non dubitauero, immò & dicere auſim, ea quę toto Euangelio noſtro continentur, ſuccinctè optimaq́; ratione hac ſalutatione comprẹhendi: adeò vt ne vlla quidem alia verborum formula tam breuiter & appoſitè benigniſſimum illud DEI opus, id eſt, noſtrĩ liberationem ad animum reuocare poſſimus, quàm hac ipſa Angelica proferenda ſalutatione. Nam cùm dicimus,

Aue Maria gratia plena:

ſingulus quiſque Chriſtianus his verbis confeſtìm admonetur, hanc eſſe
Lucæ 1. ſalutationem, quam DEVS ipſe virgini in ciuitate Nazareth, voluerit per Angelum deferri, quę dicta ſit MARIA, quandò filius DEI ex ea humanam voluit naturam ſumere, & ea in Dei matrem aſciſcenda erat. Admonemur itidèm, hanc ſalutationem principium fuiſſe redemptionis noſtrę, & per

& per eam ipſam ſalutationem, Deum poſt tam diuturnam iram mundo propenſam voluntatem ſuam annunciari & ſignificari voluiſſe.

Ex his iam facile erit colligere, quamobrem meritò ſacratiſſimam virginem MARIAM totus orbis Chriſtianus perpetuis debeat encomijs celebrare: nimirùm hac de cauſa, quòd DEVS ineffabilem bonitatem & miſericordiam ſuam tam clementer & liberaliter ac profuſè nobis per illam impertierit. Hoc tam inſigne & benignum DEI opus nos laudamus & prędicamus in hac longè ſanctiſſima virgine. Et verum quidē fatemur, eam non habere propriè ex ſeipſa, quòd tanta in veneratione apud omnes habeatur: ſed eſſe hoc munus diuinæ gratiæ, quandoquidem fecit illi magna, qui potens eſt &c. Et certè quotieſcunque recordamur, quàm clemēter nos redemerit DEVS per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum, totiès etiam ſimul neceſſariò occurrit huius beatiſſimæ Matris memoria, nec committere poſſumus, quin laudibus & honore eam proſequamur, quòd tanta cum humilitate & promptitudine voluntati diuinę ſe ſubmiſerit, cùm DEVS eam in noſtræ ſalutis officinam clementer deligeret. Ecce enim, inquit, ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Luc. 1. Luc. 1.

Atque eadem ipſa longè omnium ſacratiſſima virgo haſce ſuas laudes, reuelante illi Spiritu ſancto, prædixit ac præcinuit, ità dicens: Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Luc. 1.

Hoc vaticinium veritate ſua deſtitui non poteſt, & diua virgo ſuis laudibus & encomijs toto orbe Chriſtiano perpetìm vt afficiatur oportet, idq́ue propter ingētia illa beneficia, quę nobis per eam à Deo collata ſunt. Si ſectarijs eam laudare non eſt libitum, non tamen illa laude ſua fruſtrabitur: nos eam in Catholica Chriſti Eccleſia, & apud noſipſos laude & prędicatione abſque interceſſione efferemus, idq́ue in gloriam ipſius Dei, qui gratia ſua eam tantis præconijs dignam effecit. Et quanuis nonnulli Antidicomariani, hoſtes, inquam, & oſores beatiſſimæ Mariæ, ingratis auribus encomia eius excipiant, hoc tamen ſcire illi debent, nos in eorum gratiam ea intermittere neque velle neq; poſſe, illorum odia nos ſuſq; deq; ferre, modò ne laudatiſſimum pijſſimorum Maiorum noſtrorum morem vnquàm interire patiamur. Idq́ue eò facimus libentiùs, quòd virginem ſanctiſſimam non more humano, aut verbis è noſtro cerebro natis & effictis laudemus, ſed quæ Deus ipſe nos edocuit, & quæ etiamnùm quotidiè in Eccleſijs omnibus in ſacro ſancto Euangelio leguntur. Itaque nemo iurè hanc in nobis Virginis Matris laudem & venerationem repræhenderit, cùm nitatur ſolidis ſcripturarum fundamentis. Laudamus enim eam cum Angelo Gabriele, ac dicimus:

Aue gratia plena, Dominus tecum.

Lau-

Laudamus eam cum diua Elizabetha, dicentes:

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, mater Domini mei.

Verè beatus vẽter, qui te portauit & edidit mundo Saluatorem. Verè beata vbera, quæ de cęlo plena, Filiũ Dei lactauerunt.

Prædicamus eam cum muliere illa Euangelica, Luc. 11. quæ elata voce clamabat ad Ieſum: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Verè beata eſt, quæ ex numinis fauore facta eſt totius ſalutis noſtræ officina, & ſanctiſſimo ſuo vtero portauit & edidit mundo ſalutis authorẽ & Saluatorem, ſinè quo æternùm perijſſemus. Verè beata vbera, quæ Dei filium & mundi ſeruatorem nutriuerunt. Corpus eius veriſſima fuit arca, in qua verum illud Sanctum requieuit, Chriſtus Dei filius, per quem omnes ſanctificamur. Vbera eius fuerunt aurea illa menſa, ad quam Deus, humanã formam indutus, cibum ſumpſit. Venter illius nobis peperit vitam: vbera totius orbis ſalutem nutriuerunt: vndè meritò vſquè eam laudare, prędicare, & beatam dicere debemus, veluti illam, cui magna fecit, qui potens eſt.

Agè iam auditores optimi, hanc admonitionem id apud vos effecturam ſpero, vt à pia hac & Chriſtiana Patrum & Maiorum veſtrorum conſuetudine vobis minimè diſcedendum ſtatuatis, nec Salutationem Angelicam poſt recitatam à vobis Dominicam precationem omittere velitis. Si per eam nihil à Deo petimus, at certè laudem & gratiarum actionem pro beneficijs ab illo acceptis, Deo deferimus: quod vtiquè non minùs decet & par eſt facere Chriſtianos, quàm precari Deum. Porrò ſi quiſpiam rationem à te expoſcat, quamobrem Salutationem Angelicam tuæ precationi annectas, illi hunc in modum reſpondeto: Laudo & prædico ſanctiſſimam virginem Mariam, tanquàm largiſſimæ illius gratiæ, quæ nobis per Chriſtum collata eſt, officinam & organum: Simul etiam gratias ago Patri cæleſti, qui in hac ſalutatione propenſam erga nos voluntatem & miſericordiam ſuam primùm annunciauit, cùm ad id vſq; temporis totus mundus diuinæ iræ ac ſempiternæ damnationi obnoxius teneretur. Laudo itidèm & prædico Chriſtum Dominum & Seruatorem meum, qui in ſanctiſſimo huius virginis vtero mea cauſa homo fieri voluit, vt in ſuo corpore peccata mea perferret ſuper lignum, & ſua humanitate mihi cælos æternamque beatitudinem conciliaret ac promereretur. Glorifico nihilo minùs & celebro gratiam Spirituſſancti, qui intra huius ſacratiſſimæ virginis corpuſculum, noſtræ redemptionis opus admirandum in modum præparauit. Ex his ergò perſpicuum fit, Angelicam ſalutationem prorſus Euangelicã eſſe, quæ nos benigniſſimę liberationis humani generis, quæ ſumma eſt totius Euangelij, optima & amabiliſſima ratione commonefaciat. Iuſta quidem ac debita virginem ſanctiſſimam laude afficimus, qua illam Spirituſſanctus tum per angelum, tum per ſanctos homines affecit, cuius euidentiſſima teſtimonia cernere eſt in Euangelio. Atque in huius virginis laude ſumma quoq; gloria & prędicatione efferimus Deum noſtrum,

1. Pet. 2.

pro

pro omni illius miſericordia, benignitate & gratia, quam in hac virgine, tanquàm electa gratiſſimaque officina ſua præparauit, & erga nos fragiles miſerasq; creaturas declarauit, per Chriſtũ Ieſum Dominũ noſtrũ, cui laus, honor & gloria cum Patre & Spiritu ſancto in ſempiterna ſecula, Amen.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA EXPLICATIO DECALOGI.

CONCIO XVIII. HABITA

Dominica XIII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

HActenùs, auditores in Chriſto chariſſimi, didicimus Deum noſtrũ cognoſcere per fidem, cuiuſmodi ille opere & voluntate erga nos ſit, quantùm quidem omnipotens ille & benignus Deus in ſacrarũ ſcripturarũ eloquijs nobis de ſe ipſo reuelare dignatus eſt. Didicimus prætereà modum orandi & petendi à Deo, quicquid ad animæ & corporis ſalutem & proſperitatem tum in hac tẽporaria, tum illa vita ſempiterna nobis conducibile ac neceſſarium ſit: ſed iſthæc necdùm ſufficiũt. Neceſſum eſt enim, planeque obligamur etiam alia diſcere, quandoquidem per diuinum gratię ſuę lumen ad eum doctrinę & ſapientię gradum nos prouexit, vt rectè & verè eum per fidem cognoſcamus, itemque perſpectum habeamus, vt beneuoli optimique patris loco ille nobis ſit, qui quicquid vergat in rem noſtram, nobis largiatur.

Facilè nanq; apud nosipſos aduertere poſſumus, quòd nobis tanquàm Dei filijs non ſufficiat patrem noſtrum cognoſcere, omniaque vitę noſtrę ſubſidia ab eo & petere & obtinere. Exigit porrò iurè præſtanda ac debita gratitudo, vt & ſanctam iuſtamque eius voluntatem perdiſcamus, vel nè ſimus neſcij, quo modo in patris noſtri obedientia degere, & gratam placitamque ſeruitutem ei exhibere debeamus. Neque hoc ſolius æquitatis ratio efflagitat, ſed in eoipſo etiam ſalus noſtra & felicitas ſita eſt: nec alia via ſalui fieri poſſumus, ipſo Chriſto dicente: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata, Matt.19. Marc.10. Luc.18. Fide quidem in filios Dei trãſimus, quibus iam promiſſa ſit cæleſtis hęreditas. Ipſam autem beatitudinem ſpe ſolùm, necdùm re ipſa poſſidemus. Spe enim, inquit ad Rom.8. Apoſtolus, ſalui facti ſumus: ſed in hoc enitimur, vt abſoluto huius vitæ curſu, eam occupemus. Verùm intereà neceſſè eſt, vt iam non in deſiderijs hominum, ſed voluntate Dei, quod reliquum eſt in carne viuamus temporis, atque intra Dei obedientiam nos contineamus: ità enim certus nobis patefiet aditus in regnum Patris noſtri, ſicut ſcriptum eſt: Fratres, ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquandò. Sic enim abundanter miniſtrabitur vo-

Ioan.1. Rom.8. 1.Pet.4. 2. Pet.1.

bis introitus in æternum regnum Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, 2.Pet.1.Tit.2. Qui verò erga patris ſui voluntatem immorigeros ſeſe præbent, hi tanquàm filij inobedientes & obſtreperi, meritas luent pœnas, excluſi à promiſſa beatitudine, & ſempiternis addicti ſupplicijs: quòd acceptæ Dei gratiæ contumeliam fecerint, eaque tam malè & negligenter abuſi ſint. Matth.7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Et 2.Pet.2. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus &c. Quoniam itaque omnis noſtra ſalus & felicitas in vera erga Deum obedientia conſiſtit, eamque quam per fidem conſecuti ſumus ſalutem, non aliter conſeruare poſſumus, quàm vt ceu filij Dei, voluntatem amantiſſimi patris noſtri faciamus, gratumque ei famulatum impendamus, iure quidem id in præcipuis ac potiſſimis DEI donis numerabimus, ſummaque cum gratitudine ſuſcipiemus, quòd DEVS voluntatem ſuam in ſacris literis nobis aperire dignatus eſt: nanque alioquì idem nobis vſu veniret, quod alijs ante nos gentibus accidit, quibus DEVS quidem nec ſe, nec voluntatem ſuam reuelauerat, & nihilominùs cultum quendam diuinum pro ſuo iudicio inſtituerunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis, & ob-
Rom.1. ſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & pro vero DEI cultu ipſi ſibi finxerunt varias dæmonum culturas & adorationes in ſuam ipſorum perniciem & damnationem: atque vbi cum illis optimè agebatur, illud tamen eis accidebat, quod ait Apoſto-
Rom.10. lus: Ignorantes iuſtitiam DEI & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ DEI non fuêre ſubiecti. Nos verò DEVS ſua miſericordia circumplexus eſt, dum ſanctiſſimam voluntatem ſuam tam clarè & luculenter in ſacris literis nobis indicauit. Illæ enim rectam nobis commonſtrant viam, quomodò in voluntate DEI ingredi & verum illum ſcopum, videlicet cæleſtia
Pſal.147. regna, attingere valeamus. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Porrò nè ſimplicioribus quoque quicquam huius tam neceſſariæ ſcientiæ deeſſet, & poſſent etiam illi DEI voluntatem habere cognitam & exploratã, quibus vel ocium, vel ingenij facultas non ſuppetit ad ſcripturas omnes perueſtigandas atq; perſcrutandas, eccè verbum
.8. abbreuiatum miſit DEVS ſuper terram, omnemque voluntatem ſuam decalogo, vel decem ſuccinctis præceptis comprehendit, quibus tam imperata, quàm vetita omnia breuiſſimè concluduntur, quę alioquì in prophetarum & reliquis ſcripturæ diuinę paginis fusè & copioſè tractãtur. Et quiſquis decem hæc pręcepta nouit & obſeruat, huic nihil deeſt eorum, quę ad integram abſolutamque iuſtitiam pertinent. Habet enim in ijs, qua ratione cùm erga DEVM, tum erga homines ſeſe gerere debeat. Acuti homines in ſeculo, paucis verbis vniuerſum ius ciuile comprehendunt, dum aiunt

his

his tribus ſummis ius omne includi, quæ ſunt: Honeſtè viuere, alterũ non lædere, ſuum vnicuique tribuere. Atqui Deus noſter totum ius etiam breuioribus verbis complectitur, ijs videlicet: Diliges Dominũ Deum tuum, & Proximum ſicut teipſum. Ad hæc duo totus Decalogus refertur. Prior tabula continet tria præcepta, quibus docemur, vtì erga Deum nos gerere, eique ſeruire debeamus: atque ſub his tribus præceptis compræhendi poteſt, quicquid pro ſuo cultu & famulatu Deus à nobis repoſcit. Poſterior tabula complectitur ſeptem præcepta, quæ breuiter compræhendunt, quid erga proximos agere, quid omittere debeamus, vndè paſsim ſcripta Diuina fuſiſſimè loquuntur. Deut. 6. Leuit. 19. Matt. 22. Marci 12. Lucæ 10.

Hæc poſteriora pręcepta manant ex prioribus, & ſinè illis impleri non poſſunt. Quiſquis Deum non diligit, is proximum eo, quo debet, modo diligere non poteſt. Qui enim proximum verè vult diligere, propter Deum illum diligat oportet, quòd ſciat Deum ità velle & exigere. Si verò vel propter ſua commoda, aut voluptatis cauſa proximũ diligit, is vtiquè non eſt ſanctus ille amor, quem ſcripta Diuina imperant, ſed planè damnatus, & quem Deus in nobis ferre nolit.

Priuſquàm autem Decalogi explicationẽ aggrediar, nonnulla admonendi cauſa præmittere decreui, quæ generatìm ad cuncta Decalogi præcepta pertineant, vt poſtmodùm maiori vtilitate & fructu eorundẽ explicationem capeſſere queatis. Multis ſcripturæ locis, auditores dilectiſſimi, teſtatur Deus, promiſſiones & ſempiternum regnum ſuum ijs ſolis deberi, qui in terris faciant ipſius voluntatem.

Quamobrem ſanctiſſimum illius Decalogum ceu eximiùm Dei munus cum omni gratiarum actione amplecti debemus. In hoc eñi nobis deſeruiunt, vt ad hæc velutì certiſſimam quandam amuſſim mores & vitam noſtram exigere & probare poſſimus, an ſanctiſſimi patris noſtri voluntatem obſeruemus, num iuxta ſancti ſpiritûs eius ductum ambulemus in terris: mox enim illa nobis indicant, ſicubì aberramus: vitia, peccata & errores noſtros nos faciunt intelligere & agnoſcere, remittuntque nos ad pœnitentiam, poſtquàm in peccatum prolapſi ſumus. Hęc nanque eſt voluntas Dei, vt nos filij eius ex mandatis ipſius nullũ prorſus violemus ac tranſgrediamur. Qui autem violat, & peccat in legem Diuinam Decalogo compræhenſam, is certò nôrit eiuſmodi peccatum vel hìc pœnitentia ipſi expiandum, vel in futura vita ſupplicijs æternis dependendum. Hæc igitur ſacroſancta Dei præcepta, lucerna ſunt pedibus noſtris, atque in hoc fallacioſo & caliginoſo mundo prælucẽt nobis, vt per ipſa clarè perſpiciamus, vtì inoffenſo pede hìc in terris ad æternam felicitatem contendere debeamus. Atq; idcircò vtile cumprimìs eſt, vt homines aſſueſcant mentis oculos citra offenſionem ac impedimentum in Dei mandata intentos habere, qua in re meo labore vobis nonnihil commodabo & inſeruiam, quibuſdam priùs commemorandis. Vbì quidem principiò illis mihi reſponden- Pſal. 118.

dum & occurrendum eſt, qui exiſtimant hæc præcepta non pertinere ad Chriſtianos. Decalogus, inquiunt, populo Iudaico à Moſe in lege præſcriptus eſt. Verùm Chriſtus nos à iugo legis Moſaicæ liberauit, quemadmodùm ſcriptum eſt: Iam non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Quibus ſic reſponſum eſto: Lex Moſaica tria quædam continet, Iudicia, Cæremonias cultumque diuinum, & Præcepta quibus mores formantur, hominesque inſtituuntur, vti erga Deum & proximos rectè ſeſe gerere debeant. Quæ igitur ad iudicia pertinent, ad ea nos qui Chriſtum profitemur, iam non obligamur: cùm enim priſcus ille ſtatus populi DEI ſit mutatus, ſimul etiam iudicia mutata ſunt. Nec eſt Chriſtianis neceſſarium vel excipere vel ferre ſententiam iudiciariam ſecundùm legem Moſaicam. Sufficit nobis in cauſis ciuilibus Ius ciuile, ab imperatoribus promulgatum, ſub quorum poteſtate degimus. Itidemque cùm vetus ille cultus diuinus & Cæremoniæ ſolùm typus quidam fuerint, & figura Chriſti, ſimulatque venit Chriſtus ipſa veritas & impletio legis, antiquus ille DEI cultus & priſcæ cæremoniæ finem habere cœperunt, & in locum eorum nouus & Chriſtianus DEI cultus ſubrogatus eſt. Quicquid autem in lege & Prophetis formandis moribus accõmodatum eſt, putà, quemadmodùm virtus & iuſtitia colenda ſit, & peccata vitanda, id ſanè in hodiernum vſque diem etiam Chriſtiana religione initiatos obligat & obligabit vſque ad ſupremum mundi diem. Et hoc eſt, quod voluit Chriſtus, cùm diceret: Nolite putare quia veni ſoluere Legem & Prophetas, &c. Nos quidem Chriſtiani per Chriſtum planè liber ſumus Dei populus, & à iuſtitiæ quoquè præceptis exempti & ſoluti ſumus, ſed ità ſoluti, non vt in noſtro arbitrio ſit, an ſeruare ea, vel non ſeruare velimus: immò neceſſum eſt omninò, vt ea ſeruemus, Matthęi 7.19. Sed hac ratione veri Chriſtiani à pręceptis diuinis ſoluti ac liberi ſunt, quòd per charitatem quam diffuſam in cordibus habent per Spiritumſanctum, ſpontè nihilque coacti faciant ea, quæ Iudæi formidine pœnæ faciebant. Atque hæc eſt vera & germana Chriſtiana libertas, vt probè Chriſtiani non coacti & inuiti faciant bona, quæ Deus imperat, ſed vltrò ac propenſa animi voluntate, atque ex amore: facturi nihilo minùs eadem omnia, etiamſi nullum ſupplicium aut gehenna eſſet metuenda.

Galat. 5. *Matth. 5.*

1. Tim. 1. In hanc igitur ſententiam loquitur diuus Paulus, vbi ait: Iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis. Non quòd iuſti non faciant ea quæ Lex præſcribit: nanq; faciunt ea, facturi æquè quod iuſtũ eſt, etiamſi nulla lex extaret: Sed idcircò non eſt illis lex poſita, quòd non neceſſum ſit eos cogi & compelli ad benè agendum: faciunt enim benè tum Dei, tum iuſtitiæ ducti amore, nihilque coacti. Ex his ergò iam didiciſtis, vt probè germaneque Chriſtianis lex poſita non ſit, vtque illi à præceptis Dei ſoluti & immunes ſint. Si quis autem dicere velit, Chriſtum nos à præceptorum obſeruatione abſoluiſſe, vt non ſit neceſſè eis parére: hic vel maxima contumelia ſeruatorem noſtrum affecerit. Diabolo conuenit eiuſmodi inſtituere libertatem, quæ

impu-

impunè permittat furari,perimere,mœchari, comeſſationibus & compotationibus quantùm libet immorari. Atquì Chriſtum Dominũ decet ſancta libertas, qua ſponte minimeq́; compulſi quod bonũ eſt agamus. Non enim propterea ad nos venit, vt licẽter & impunè peccemus, ſed vt potiùs non peccemus,cùm per Spiritumſanctum Chriſto concorporati, eiusque Eſai.53.
membra effecti ſimus, qui peccatum non fecit, & in cuius ore dolus nõ eſt 1.Pet.2.
inuentus. Secundò etiam illis ſatisfaciendum eſt,qui,cùm pręcepta Decalogi ad Chriſtianos quoquè pertineant,ſciſcitantur, num poſſibile,humanarumque ſit virium ea complere. Et ijs ergò hunc in modum reſpondemus: Homini quidẽ id impoſſibile eſt,Chriſtiano verò nequaquàm. Qui nihil eſt aliud quàm homo, eum propriæ cupiditates & cõcupiſcentiæ impellunt ad maleficia,nec poteſt legi DIVINĘ ſe ſubmittere.Chriſtianus verò plus aliquid eſt,quàm nudus homo.Spiritum enim ſanctum adeptus eſt in Rom.8.
Baptiſmo, qui adiuuat eius infirmitatem, & pugnat aduerſus praua carnis deſideria,corq́; illius perfundit charitate & gratia,vt iam deinceps non carnis ſuæ ſequatur affectiones & cõcupiſcentias, ſed ſi ductui Spiritûs & gratiæ DIVINÆ ſe ſubmittat, ad bona oĩa fortis ſit ſatis, & poſſit omnia in eo, qui ipſum confortat: id quod multis præclaris ſententijs probat APOſtolus Roman. 8. Ergò fratres, inquit, debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus. Si enim ſecundùm carnẽ vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei, &c. Et ad Galat.5. Spiritu,inquit,ambulate,& deſideria carnis non perficietis. Et Philip. 4. Omnia poſſum in eo, qui me confortat.

Præterea verò,etiam audimus verbũ Dei,in quo ſpiritus influit in animos noſtros per prędicationem fidei. Si itaque viuum verbi DEI ſemen, itemque Sacramenta Dei & Spiritum eius habemus in nobis, an non poſſint eiuſmodi virtus & gratia DIVINA id efficere, vt præcepta Dei nobis grauia non ſint,quemadmodùm D. Iohannes ait?

Quamobrem ſi quis ex te percontetur,an Dei pręcepta poſſint obſeruari? facilè reſponderis: fieri quidem non poſſe,vt ſolis naturæ viribus obſeruentur: neque enim ex nobiſipſis aut noſtris virib⁹ eiuſcemodi bonum efficere ac præſtare poſſumus. Porrò per gratiam & Spiritum Dei dubium non eſt,quin poſſint impleri. Vndè deteſtamur & anathematizamus Pelagianos omnes, qui aiunt nos proprijs virib⁹ abſq́; gratia DIVINA benè operari, & vitam æternam promereri poſſe. Atque è contrario ſecundùm veram ſanamque doctrinam nihilo ſeciùs damnamus illos omnes, qui aſſeuerant legem Dei nulla ratione poſſe obſeruari,idem referẽtes ad eos quoquè,qui iam renati in Chriſto,Spiritum Dei adepti ſunt. Breuiter igitur & verè dicemus, neminem proprijs viribus robuſtum, neminem ſua virtute probum. Omnia verò nos poſſe in eo & per eum, qui Spiritu & gratia ſua nos confortat,videlicet in Deo,in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Huc per- 1.Ioan.5.

2. Cor. 3. tinent illæ Pauli ſententiæ: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à no-
Philip. 4. bis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt. Et, Omnia poſſum in eo qui me confortat. Tertiò, hic Decalogus inſtàr amuſſis cuiuſdam nobis eſſe debet, ad quam vitam noſtram dirigamus. Itaque omnes actiones noſtras, an bonæ ſint, vel malæ, quidque inter peccata numerandum ſit, quid ve non ſit, ad præſcriptum mandatorum DEI, non autem ex noſtro ſenſu & iudicio metiamur oportet. Immanis profectò eſt illa & pernicioſa diaboli faſcinatio & occęcatio, qua permultos in damnatiōem abducit, dum illorũ intellectui vaſtam offundit caliginem, nec permittit eos ſcire, quid vel ſit, vel non ſit peccatum. Quilibet pro ſuo iudicio & opinione peccata æſtimat, atquì ſibijpſi blandiens ſeſeque palpans, vitia & errata ſua extenuare conatur. Potatores ſibi perſuadent, improbum quidem eſſe furari, at certare poculis non admodùm grande eſſe peccatum. Alij exiſtimãt latrocinijs & homicidio DEUM offendi: quòd autem etiam corporis voluptates & mundana gaudia ęterno igni puniturus ſit, ægrè ſibi perſuadere queunt. Ità etiam inuidus aliquis damnat adulterum & fornicatorem: quòd verò inuidiam & maleuolentiã ipſius æquè deteſtetur DEUS, atquè alterius adulterium, id neutiquàm credit. Et hoc modo quilibet illud ex peccatis nititur eximere, quod ipſi potiſſimùm adlubeſcit. Sed quæſo cauete vobis dilectiſſimi ab hac horrenda diaboli occæcatione, qua is mentis veſtrę oculos perſtringere molitur. Peccata non pro veſtro arbitratu & iudicio, ſed ſecundùm pręcepta diuina, ponderanda & exiſtimanda noueritis.

Quod vetuit DEUS, id citra omnem controuerſiam eſt peccatum, quocunq; demùm loco nos illud habeamus. DEUS eſt, cui vitæ noſtræ ratio reddenda eſt. Ille nos iudicabit, & peccata iuxta præcepta ſua, non pro noſtra opinione, exiſtimabit ac metietur.

Quamobrem inter peccata numeres, quicquid vetitum eſt à DEO. Nec ſolùm tunc te peccâſſe putes, cùm corpore foris diuinum præceptum trãſgrederis: verumetiam quandò corde & animo quicquam admittis contra præcepta DEI. Homicidam te cenſeas, non modò quandò manibus hominem iugulas, ſed & cùm animus inuidia odioque tabeſcit. Quod itidèm de alijs præceptis ità ſentiẽdum eſt, vt deincèps audiemus. Homo illis rebus,
Gen. 2. ex quibus conſtat, quaſque à DEO creatore accepit, vel ſeruit DEO, vel DEUM offendit. Conſtat autem & à DEO conditore compoſitus eſt ex corpore & anima, quorum vtrunq; etiam vel rectè & benè facit, vel malè.
Tertullia. de pœnit. Et vtriuſquè peccata ex pari DEVM offendunt, ſiue corpore ſiue animo perpetrẽtur. Nec diſcernit DEVS inter animæ & corporis delicta. Quod hinc animaduerti poteſt, quòd in reſurrectione ſimul animam & corpus vel damnaturus eſt, vel ſeruaturus. Coniuncta enim fuit opera eorum in vita, pariterque & benè & malè vel ſecundùm præcepta, vel contra præcepta DEI geſſêre. Peccatum igitur cenſendum eſt, quotieſcunquè committis quod DEUS prohibuit, ſiue corpore illud, ſiue corde deſignes. Poſtremò

ità

ità ſtatuere debetis, nō ſufficere ſi quis nôrit verborum Decalogi tenorem: nanque & intelligentia eorum capeſſenda eſt. Nam cùm omnia tum præcepta, tum prohibitiones diuinæ hiſce decem ſuccinctis Decalogi partibus compræhendantur, facilè veſtro iüdicio colligere poteſtis, eorum intellectum non poſſe nō vberrimum eſſe ac patére latiſſimè. Hîc igitur, Deo benè fauente, vobis inſeruiam, nec diuina fretus ope, quicquam eorum prætermittam, quæ ad plenam ſufficientemq́ue intelligentiam obtinendam pertinere videbuntur: veſtrum autem fuerit, ſedulò eam in curam incumbere, vt quæ dicturus ſum, veſtris animis affigatis, fideliq́ue memoria retineatis, & quicquid aliâs ex ſcriptùris diuinis vos legere vel audire contigerit, huc referendum dirigendumq́ue noueritis. Deus Opt. Max. & mihi & vobis gratiam adſpiret ſuam, vt ſanctam eius voluntatem cognoſcamus, eandemq́; corde & conuerſatione declaremus ac obſeruemus per gratiam ipſius, Amen.

CONCIO XIX. HABITA

Dominica XIIII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

PRoxima concione, auditores optimi, Decalogum auſpicati ſumus, cui explicando aliquādiù adhuc pro concione immorabimur. Nec id immeritò, cùm per fidem & baptiſmū in filios Dei tranſlati & cooptati ſimus, vt æternam cæleſtis regni hæreditatem cum ipſo poſſideamus. Quò ergò ſtudia & conatus noſtros conferemus potiùs, quàm vt ſanctiſſimi patris voluntatem perdiſcamus, & ſciamus, qua ratione vitam noſtram pro illius grata voluntate inſtituere, & in finem vſque in eius obedientia tranſigere debeamus: cùm ea certa ſit & indubitata Dei voluntas, quemadmodùm paſsim teſtantur ſcripturæ, vt nos qui vndis ſalutaribus baptiſmi tincti ſumus in fide Chriſti, per obſeruationem diuinorum præceptorum vitam obtineamus ęternam? Nam ſinè obſeruatione voluntatis diuinæ & pręceptorum Dei, nec Baptiſmus, nec nomen Chriſtianum nos poterit in cęlos euehere, ipſo Chriſto, qui verax eſt, id diſertis verbis teſtáte apud Matthęum 7. cap. Non omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cęlis eſt, ipſe intrabit in regnum cęlorum. Et Matt. 19. Si vis, ait, ad vitam ingredi, ſerua mandata.

Proximè ſuccinctam & breuem παρασκευὴν ſeu præparationem audiuimus in Decalogi explicationem, quam idcircò pręmittere viſum fuit, vt decem præcepta eo commodiùs & maiori cum fructu percipiatis. Nunc tempus adeſt, vt diuinum illud procemiū, quo Deus animos humanos admodùm ſeriò, nec minùs conſolatoriè ad auſcultanda ſanctiſſima præcepta ſua præparat, audiamus. Cùm Deus iam iamq́ue populo Iſraelitico ſuam voluntatem declaraturus eſſet in deſerto & præcepta daturus, breui quadā ad illos præfatione vſus eſt priùs, quàm primum promulgaret præceptum: cui pro-

mulgato, mox grauiſſimam ſubiunxit comminationem. Et quanuis hic prologus, iſtaq; comminatio peculiariter primo, tanquàm præcipuo mandato ſit adiuncta, faciunt ea nihilo minùs & accommodata ſunt ad omnia præcepta. Quamobrem primo loco præfationem, mox comminationem paucis expediemus: deinde primum præceptum ſubiũgemus, ac deincèps reliqua ſuo ordine proſequemur. Sequitur præfatio. Sic loquitur Deus:

Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis.*

HAEc præfatio, dilectiſſimi, vt eſt verbis adſtricta & breuis, ità & grauis, acris, magnifica & neceſſaria eſt. Cùm leges alicui populo præfigũtur, nôſſe oportet vndè illæ leges promanẽt, quis ſit earũ lator & author. Poſſit enim talis quiſpiam iubere ac imperare, vt noſtri ſit arbitrij vel parére, vel recuſare. Atqui nè hîc quoquè Decalogus apud nos in contemptum adducatur, en commodùm legiſlator ipſe indicat, quis ſit ille, qui hæc præcepta nobis præſcribat: Ego, inquit, ſum Dominus. Bifariàm ſe declarat noſter legiſlator, inſinuanda virtute & potentia, itemq́ue bonitate & beneficẽtia ſua, vel beneficijs ſuis. His ſanè duobus homo impellitur ad legem aliquã diligenter obſeruandã: Primò, dum cogitat eum eſſe potentem, qui legem ſanxerit, quem profectò non audet contemnere, certus eum in præceptorum ſuorum contemptores animaduertere ac vindicare poſſe.

Secundò promptam ac voluntariam efficit obedientiam, ſi legiſlator ſit bonitate & veritate conſpicuus, & benignus ac liberalis erga ſubditos: qui tum cogitare ſolent: Quid vetabit, quo minùs eum ſequamur, eiq; obtemperemus, cùm tam benignè nobis faciat, & quod imperat, in magnam noſtrã cedat vtilitatem? Horum ergò duorum nos admonet Deus, ſuę tum poteſtatis, tum bonitatis, vt mandata eius ſummo ſtudio & perquàm ſeriò excipiamus & amplectamur, ijsq́ue omni cum obſeruantia pareamus. Potentiam ſuam inſinuat, cùm inquit, Ego ſum Dominus: tanquàm diceret, Ego ſum Dominus, quo nemo maior & ſuperior eſt: & quãuis ſint pleriq; in mundo, qui faſtu & ſuperbia tumidi, ſuos ſibi vſurpẽt titulos, & Domini nuncupentur, habent tamen alios ſuperiores aut certè æquales, ſuntq; ſolùm feudatarij. His vna infelix hora omnem dominationem, virtutem & potẽtiam eripere & labefactare poteſt. Deus verò eſt Dominus ille Dominantium, cuius imperium finem neſcit, cuius potentiæ nemo reſiſtere poteſt. Ipſius eſt terra & plenitudo eius: in manu eius vita, ſalus, perditio, felicitas quoquè & pernicies om̃ium creaturarum poſita ſunt. Ipſe eſt Dominus, qui creauit omnia, cuiusq́ue voluntati creaturæ omnes parére coguntur. Quamobrem diligenter id expendendum eſt, quàm durum & periculoſum nobis futurum ſit, ſi Dei præcepta contemnamus: quandoquidem facilè ille ſuî contemptum vlciſci poteſt, quòd ſit Dominus in cuius ditione cuncta ſint poſita, & cui iram ſuam exerere volenti, creaturas omnes ſuam

am in hocipſo operam nauare oportet, quemadmodùm ſcriptum eſt: Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Sed & ipſo rerum vſu ac euētu dominium & potentiã eius perſępè comperimus, quàm multis ille modis, quotiès illi viſum ſit, noſtram inobedientiam nunquàm non punire queat, nempe aqua & igni, pluuia & ſolis ardore, ęſtu & frigore, bello & fame, & mille morborũ generibus. Et vt paucis dicam, nulla eſt creatura quam nequeat in noſtri animaduerſionem conuertere, quandocunquè noſtram inobedientiam caſtigare illi collibitum eſt. Quotieſcunquè ergò quodlibet ex his decem prǽceptis audire contigerit, ilicò vobis in mentem veniat, ſicq; apud vos cogitetis. En qui hoc præcipit, Dominus eſt cuius mandatum abſq; graui ſupplicio contemnere non poſſum, quiq; ſolus mihi metuendus eſt. Nam ſi tutelam ille meî ſuſcipere non erit dedignatus, facilè omne damnum à me auerterit, nec in vllo præcipuè mihi ſpes conſtituēda eſt, præterquàm in illo. Si enim volet iraſci nulla mortalis creatura ab illius ira me tueri ac ſeruare poterit. Sap. 5.

Secundò admonet etiam nos Deus bonitatis & beneficiorum ſuorum, vt eo promptiùs alacriusque ipſi pareamus, dum ait: Ego ſum Deus tuus. Hoc nomen DEVS, omnia comprehendit. Nanque nos Germani creatorem noſtrum ac Dominum cæli & terræ conuenientiùs & aptiùs appellare non nouimus, quàm **Gott**/id eſt, **Gut**/videlicet, Bonum: hoc ipſo ſignificare volentes, bona omnia ad nos ab illo proficiſci. Ille enim eſt verus fons, vndè non niſi bona prománant, & ex quo certum eſt ea omnia, quæ ſint ac dicãtur bona, profluere. Ipſe eſt ſaluator ac Deus totius conſolatiōis, benignus, miſericors, longanimis, mitis, & exorabilis, qui vult omnes homines, adeoque creaturas omnes, ſuæ benignitatis beneficiorumque ſuorum eſſe participes. Hæc meritò quidem promptam in nobis excitare debebũt obedientiam, vt libenter & accuratè Dei mandatis obtemperemus. Ità enim ille de nobis benè meritus eſt, vt voluntati ipſius morem gerere meritò debeamus: tum prætereà illius obſeruâſſe mandata, nobis vtiliſſimum eſt. Enimuerò cùm Deus ingens quoddã, immò vnicum & ſummũ bonum ſit, quicquid præcipit, non poteſt non eſſe iuſtum, æquum & bonum, nobiſque ſalutare ac conducibile: itemque quæcunque vetat, de ijs dubitandum non eſt, quin mala ſint, nobiſque noxia & exitioſa. Iacob. 1. Acto. 17.

Iam porrò dicit: Ego ſum Dominus Deus tuus. Tuus, hoc eſt, in bonum tuum, in rem vtilitatemq; & ſalutem tuam omnia & poſſe & facere volo, quæcunque poſſum & facio. Nunc audiamus, vt ſuî notitiam Deus vlteriùs inſinuet.

Ego ſum Deus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis.

POterat Deus alijs titulis ſeſe declarare, ac verbi gratia dicere: Ego ſum ille Deus, qui vniuerſam cæli militiam, Solem, Lunã, & ſtellas mea tum

vir-

virtute,tum ſapiētia guberno,qui mari terminum poſui,quem non tranſgredietur,qui immanem illam terrę molem,maria quoque & flumina vniuerſa,ſinè fulcris & vinculis,ſolo nutu pēdula medio in aëre ſuſtineo. Ego ſum ille Deus,qui mūdum olim diluuio puniui ac perdidi. Tanta quidem cum grauitate & maieſtate de ſe loqui potuiſſet Deus:ſed māluit benignè faciendo & gratificando innoteſcere, quàm virtute & potentia. Potentiæ autem ſuæ vno verbo nos commonefacit,dum ait:Ego ſum DOMINUS &c.

Reliqua verba nihil niſi bonitatem & beneficentiam illius ergà nos commemorant. Qui eduxi &c. Summum hoc fuit beneficium,quod Deus in priorem illum populum ſuum contulit. Verùm quanto ille maiora poſſet recenſere beneficia,quibus nos Chriſtianos affecit,præter illa corporalia,quæ toti largitur orbi, vt quòd ſolem & pluuiam pro frugum incremēto impertit,paſcit & veſtit corpora noſtra. Angelos præterea ſuos diſponit ac deſtinat,qui nos tueantur & protegant à malignis ſpiritibus, à principibus tenebrarum, qui in aëre verſantur: quæ quidē ſunt illa πάγκοινα δῶρα & cōmunia Dei munera, quæ pro bonitate ſua ad omnes voluit homines pertinere, vt non immeritò mortalibus omnibus poſſit dicere: Ego ſum ille diues & bonus Deus, qui vos,immò & iumēta veſtra, & quicquid circùm vos eſt,enutrio,veſtio,protego & conſeruo. Atqui præter hæc om̄ia poſſit apud nos,qui Chriſtiani ſumus,hac ſuî prędicatiōe vti:Ego ſum ille Deus, qui eduxi vos,non ex Aegypto,ſed ex Tartaro & duriſſima peccatorū ſeruitute, quibus aliquādo fuiſtis capti & irretiti in Ethniciſmo:eduxi autem vos, non per Moiſen,nō per angelum,ſed per vnigenitum filium meum. Sic enim Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitum daret, &cæt. Iohan.3.Rom.8. Qui proprio filio ſuo non pepercit. Ille nimirùm noſter eſt Deus,qui nos in gratiam recepit,noſtrique miſertus eſt, qui quondàm non potuimus miſericordiam conſequi:eramusq; planè cæci,longè alieni à Deo,promiſſionis ſpem non habentes,ſinè Deo in hoc mundo,& canū inſtàr habiti. Ephes.2. Matth.15.

Nunc verò Deus ſuî nobis notitiam præbuit ac patefecit,noſque ad ſe adductos ſibi adiunxit,vt iam filiorum locum obtineamus,ſimusq; quoddam Dei peculium in hoc mundo,omnes filij promiſſionum & bonę ſpei, noſque manet ampliſſima hæreditas in cælis, ſempiterna gaudia cum electis omnibus. Hoc itaq; modo ſeſe apud nos Deus meritò prædicare queat:Ego ſum ille Deus,qui vos ad tātum honoris & felicitatis faſtigiū euexi, cùm nihil eſſetis, idque non ex meritis veſtris, ſed ex mea bonitate & miſericordia.

Atque hæc Dei beneficia circa eius præcepta nobis expendenda ſunt: hac enim ratione nobis dulceſcent & adlubeſcent. Quis enim non libēter & ſponte ſua morigerum ſe præbere velit tam bono & benigno Deo, cuius tot iam aucti ſumus beneficijs,& quotidiè augemur, & à quo in futurum plura expectamus? Hæc quidem nobis indè dicta ſint, quòd legiſlator noſter

ſter potentiæ & bonitatis ſuæ nos admonet, nè præcepta eius contemnamus. Ego ſum, inquit, DOMINUS DEVS tuus. Eſt ille ſanè DEVS noſter, cui ex debita iuſtaque obedientia gratos nos declarare debemus in omnibus mādatis eius, cùm tot tantiſque nos beneficijs afficiat. Qui autem ex charitate obedientiam ei præſtare recuſat, is ſaltem metuat eius animaduerſionem. Eſt enim DOMINUS noſter, idemque ipſe fortis & potens, vt nemo manus eius effugere, nemo punitioni & potentiæ eius reſiſtere valeat. Nunc reliquum eſt, vt comminationem quoquè illius audiamus, quam primo præcepto mox adiunxit. Eſt enim eiuſmodi, quæ communiter præceptis omnibus rectè queat applicari. Sic ergò loquitur DEVS:

Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Exo. 20.

HANC tam ſeriam voluntatem ſuam & grauitatem circa hoc præcipuè præceptum, DEVS declarare voluit, quòd id inter alia pręcepta facilè ſibi primas vindicet. Nullum enim tam eſt immane flagitium, vt idololatria: & è diuerſo nullum opus bonum tam eſt vtile & neceſſarium, vt rectè & benè ſentire de DEO. Ante omnia itaque DEVS exigit & poſtulat, vt in omnibus tum actionibus, tum cogitationibus noſtris perpetim nobis in memoriam redigamus, ipſum eſſe DOMINUM noſtrum, fortem & zeloten, erga illos qui eum contemnant: bonum verò & munificum in eos, qui illum diligant, & præceptis eius obtemperent.

Vt autem propriè ac penitùs nobis innoteſcat, quî erga nos affectus ſit, appellat ſe ZELOTEN. Nullus eſt in rerum natura amor tam vehemēs, tam flagrans ac feruidus, quàm eſt inter matrimonio iunctos. Vt itaq; DEVS teſtatum efficiat, ſe hominem amare ardentiſſimè ac vehementiſſimè, paſsìm in diuinis ſcripturis comparat ſe quidem ſponſo, Eccleſiam autem & populum ſuum ſponſæ: fidem verò & fœdus, quo ei obſtricti ac deuincti ſumus, coniugio vel matrimonio comparat. Porrò peccatum appellat fornicationem: animam peccatricem, ſcortum & meretricem, vel adulteram, Eſai. 28. Hierę. 3. Oſeæ 1. 2. Ezech. 18. 23. Hîc autem vocat ſe ZELOTEN. Scimus quid vir zelotypus à ſua repoſcat ſibiq́ue præſtari velit vxore. Vult neminem illam præter ipſum amare, gaudium & oblectationem ſuam nō niſi in ipſo captare: nullum præter ipſum laudare & libenter intueri: ægrè patitur eam cum alio miſcere colloquia, & vel minimum habere commercij ac familiaritatis. Eodem modo DEVS noſter totos nos ſolus ſuo ſibi iure vendicat: ferre non poteſt, vt in diuerſa diſtrahamur ac diuiſi ſimus, & præter illum alia idola prædicemus & colamus, aut ſecùs faciamus, quàm in ſuis præceptis à nobis exigit. Quantò ardentiori amore ſponſus nouam ſponſam ſuam proſequitur, eo minùs perferre poteſt, ſi non faciat imperata, aut ſi ipſo inuito aliorum velit captare & amplecti famili-

ritatem. Sic ergò & Deus totos nos ſibi vni vult adhęrere, & amorem noſtrum non niſi in ipſum conferre, à nullo pręterquàm ab ipſo, ſolatium & ſpem expetere, nec permittere, vt quicquam alioquì nos ab eius obediẽtia abducat & auertat. Vide Eſaię cap. 28.

Integrum vult Deus & indiuiſum cultum ac famulatum: nihil vult habere commune cum ſathana, nec fert tales miniſtros, qui Deo pariter & iniqujtati ac vitijs ſeruiant. Quæ enim conuentio iuſtitię cum iniquitate? Quę ſocietas luci cum tenebris? &c. 2. Corin. 6. 1. Iohannis 1.

Quòd autem nullum ille peccatum ſinat impunitum, ſatìs ea nobis teſtantur verba, quibus ait: Ego viſitans iniquitatem patrum in filios & c. eos videlicet, qui [illegible], & parentum ſuorum prauis inſiſtunt veſtigijs, peccantq́; in Deum, & odio habent Deum, quos nonnunquàm illis afficit pœnis, quas patribus eorũ comminatus fuerat, vt eſt videre 3. Reg. 21. Verùm ſi filij ſeſe conuertant ad Deum, dubium non eſt, quin propitius illis futurus ſit Deus, nec paſſurus, vt parentum peccata in ipſos redundent, Ezech. 18. E cõtrario autem plenum eſt conſolationis, quod ſubijcit Deus:
Pſal. 144. Et faciẽs miſericordiam in millia, &c. Audimus enim hîc Dei miſerationes ſuper omnia eius opera ingentes & ſtupendas eſſe, eumq́ue ad miſericordiam infinitò magìs propenſum, quàm ad iram: boniq́; & virtutis præmia longè magìs aucturum, & in multo plures deriuaturum ac deducturum, quàm pœnam peccati. Iniquitatem vindicare ſtatuit in quartam generationem: virtutem autem præmio remunerari vult in infinita millia. Quantò ergò amplior eſt millenarius numero ternario aut quaternario, tantò maior eſt Dei miſericordia erga illos, qui cuſtodiunt præcepta eius, quàm ſit vindicta & animaduerſio in eos, qui delinquunt. Quo igitur pacto hac Domini ſententia vtemur? eóne promptiores erimus ad peccandum, cùm Deus tam ſit miſericors? Minimè gentium. Profuſa illius miſericordia & immenſa bonitas incitamento nobis eſſe debent ad illi obtemperandum, vt qui tam liberaliter & munificè noſtram ſit obedientiam remuneraturus. Qui verò peccat in Deum, huic ſciẽdum, quemadmodùm idem ipſe Deus benigniſſimus eſt in eos, qui ipſum diligunt & cuſtodiunt præcepta illius: ſic è diuerſo abundè illi ſuppetere, vndè plectat & puniat peccatores. Quá-
Rom. 2. obrem ſi Deum offendiſti, iam reſipiſce, confuge ad pœnitentiam, nec ab-
Prou. 1. utaris longanimitate & bonitate diuina: non ille mortem vult tuam, ſed vt conuertaris & viuas. Si cõtemnis Deum iam ad pœnitentiam te inuitan-
Ezech. 18. tem, nil aliud expectes neceſsè eſt, quàm vt ille quoquè in interitu tuo ri-
33. deat & ſubſannet, cùm id quod timebas, aduenerit. Deus Opt. max. id nobis præſtet, vt harum admonitionum memores, excuſſo peccatorum iugo nos ad præſtandam illi obedientiã conferamus, & tandèm ab illo promiſſa cælorum gaudia æternamq́ue felicitatem conſequamur, Amen.

CONCIO XX. HABITA

Dominica decimaquinta poſt Trinitatis, Anno 1542.

PRAE-

PRæcedentibus duabus Concionibus, chariſſimi in Chriſto, audiuimus præparationes quaſdam in Decalogum, quæ nobis ad neceſſitatem ſufficere queant, præcipuè verò poſterior, qua DEVS ipſe corda noſtra ad ſequentia præcepta ſua reddit expedita, docetque nos quid de ipſius præceptis exiſtimare debeamus, hoc videlicet, quòd, vt ſcripturæ teſtantur, Deus in mandatis ſuis appoſuerit nobis ignem & aquam, vt ad quod voluerimus, manum porrigamus. Ante nos eſt, vt dicitur ibidem, vita & mors, bonum & malum: quod placuerit nobis, dabitur nobis. Si voluerimus mandata conſeruare, conſeruabunt nos. Eſt enim Deus ad reddenda præmia ijs, qui mandatis eius obtemperant, liberalis & locuples, & facit miſericordiam in millia his, qui diligunt eum & cuſtodiunt præcepta eius. Sin autem mādata eius tranſgreſſi erimus, dubium non eſt, quin ea noſtras ſint vſtura manus, nec impunè abituri ſimus. Fortis nanque eſt DEVS, & zelotes, qui nec poteſt, nec vult haberi contemptui: Cuius potentiæ reſiſtere nemo poteſt, ſed viſitat & vlciſcitur iniquitatem in quartam vſque generationem eorum, qui oderunt illum, & mandata eius præuaricantur. Qua autem ratione homo Diuina præcepta queat obſeruare, audiſtis in prima concione: nimirùm per Spiritum & gratiam DEI, quam in Baptiſmo adepti ſumus: ità vt iam non ſolus homo proprijs viribus DEI pręcepta obſeruet, ſed per Spiritum Dei habitantem in ipſo. Confortat enim & confirmat illum gratia Diuina, itemque Sacramenta & verbum fidei, quod in prædicatione appræhendimus: quibus medijs & adminiculis quiſquis rectè vti volet, non poterit ille profectò infirmus & inualidus eſſe ad obſeruanda præcepta Dei. Si quis igitur talem ſe comperiat cui Diuinorum obſeruatio mandatorum perquàm difficilis futura ſit, is non hæreat in ſeipſo, ſed ad DEVM confugiat, & quæ iam diximus media ſeu adminicula ſibi conciliet precibus cum vera fide coniunctis. Fide enim vera hæc omnia poſſunt impetrari: atque hoc modo præſtatur illi Diuinitùs, vt ad benè agendum neque vires neque robur ſibi deeſſe ſentiat, idq; per eum, qui ipſum conforat gratia & ſpiritu ſuo. Eccleſ. 15.

Hisiam præparationibus præmiſſis, opportunũ fuerit, vt ipſam nunc Decalogi explicationem aggrediamur. Porrò præcepta omnia hac ratione, Deo fauente, tractanda ſuſcipiam, vt primò verba ipſa explanem:

Deindè perſpicuè ac luculenter demonſtrem, quid ſingulis quibuſque præceptis Deus à nobis expoſcat.

Tertiò, nè & ſimplicioribus quicquam ad verum vniuſcuiuſlibet præcepti capeſſendum intellectum deſit, contraria ſemper adducam, eaque ob oculos ſtatuam & indicabo, quibus quodque præceptum violetur. Neque enim, meo quidem iudicio, vlla fuerit inſtitutio accommodatior captui & ingenio ſimpliciorum. Nam tametſi ſimplices non ignorant furtum eſſe prohibitum, multa tamen ſunt, quæ inter ſpecies furti apud Deum numerentur, quę iſtiuſmodi rudes ac ſimplices homines fortaſsis furti loco ha-

benda minimè putabunt. Sic & de alijs præceptis ſtatuendum eſt.

Vt autem Diuina hæc præcepta attētiſſimis animis auſcultetis, tanquàm ea, vndè ad vos vel æternum exitium, vel ſempiterna ſalus & felicitas reditura ſit, nequaquàm committendum mihi arbitratus ſum, quin denuò coram vobis proteſter, (quę etiam proteſtatio coram ipſo Dei tribunali aduerſùm nos conſiſtet, quòd nihil ſalubrium admonitionum nobis defuerit) proteſter inquam, & compellem atq; admoneam & vos & meipſum quoquè illis Moiſis verbis, quæ habentur Deuter. 30. Conſidera, inquit, quòd hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum: vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & cuſtodias mandata illius, & viuas, benedicatque tibi. Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris: prędico tibi hodiè, quòd pereas. Teſtes inuoco hodiè cælum & terram, quòd ꝓpoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: Elige ergò vitam, (& benedictionem) & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas, (ipſe enim eſt vita tua & longitudo dierum tuorum) vt ad eas pertingas promiſſiones, quas fecit electis ſuis. Hoc nobis omnibus largiatur Deus per Spiritum ſanctum ſuum in Chriſto Iesv ſeruatore noſtro, AMEN. Nunc primùm agè præceptum audiamus, quod hac verborum ſerie contexitur:

PRIMVM PRAECEPTVM.

Exod. 20. *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles.*

IN Diuinis pręceptis hoc aduertendum eſt, quòd Deus plerunquè duntaxat mala prohibet, bona tacet: at nihilo minùs vbi malum aliquod vetatur, hoc ipſo id quod bonū & iuſtum eſt, ſatis grauiter & feriò iubetur. Qui famulum ſuum ꝓhibet è domo egredi, ſatis ſignificanter & expreſsè mandat, vt ſe domi contineat: immò ſeueriùs aliquantò id videtur præcipere, quàm ſi diceret: Maneto domi. Sic cùm Deus prohibet nè faciamus quod malum eſt & iniquum, eoipſo quod bonum & iuſtum eſt, perquàm ſeriò

Exod. 20. iubet & exigit: vt cùm dicit, Non habebis Deos alienos coram me: hoc vtiquè vult, hoc imperat, vt ipſum ceu vnicū & verum Deum ſentiamus, credamus, colamus, & adoremus. Et tantundem exigit hoc pręceptum, quantum

Deut. 6. Scriptura alio in loco his verbis: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

Quòd ſi quærat aliquis, quid ſibi velit Deus, cùm dicit: Non habebis Deos alienos coram me, non adorabis eos, neque coles: videtur enim propemodùm fateri, alios præter ipſum eſſe Deos: Reſponſum eſto: Vnus tantùm eſt Deus, qui cælum & terram creauit, & præter illum non eſt vllus alius De-



us Deus. Quòd autem Deus in ſacris literis plures Deos appellat, pro hominum id facit opinione. Cùm enim & olim fuerint, & hodieque ſint homines, qui ſibiipſis creaturas conſtituerint, quas pro Dijs ſuis habent: etiam DEVS eiuſmodi creaturas Deos appellat, non quòd Dij ſint, ſed quòd ab hominibus Deorum loco habeantur. Illud itaque vult DEVS hoc mandato ſignificare, nullum pręter ipſum eſſe DEVM, cùm nullo pacto ferre velit, vt illos commentitios, confictos, fallacioſos, prorſusq́; vanos Deos adoremus aut colamus. Quantoperè autem malus dæmon ſtultum mundum contra hoc primum Dei præceptum occæcârit, quàm varios eoſdemq́; ridiculos Deos cæcis gentibus obtruſerit, temporis inopia me non patitur commemorare. Dij ab illis pro optimis & maximis habiti, homines fuêre, quod ne ipſi quidem diffitebantur, & propter beneficia quædam ab ipſis primùm inter hoĩes declarata, poſtmodùm pro Dijs habiti ſunt, & in Deorum numerum relati. Tandèm hac aſſentatiõe eò res perducta eſt, vt om̃es penè dynaſtę poſt mortẽ inter Deos haberentur & colerentur, vt eſt de Romanis Imperatoribus literis annotatum. Hinc natus eſt iocus ille Antonini Caracallę, qui cùm fratrem Getam imperij haberet conſortem, eundem interfecit, vt ſolus imperio potiretur. Eum itaq; parricidio iam ſublatum,

pulchra (ſi Dijs placet) ἐνθέων indigetem fecit, & inter Deos retulit, vt tum moris erat facere Imperatoribus. Sit, inquiens, diuus frater, dum non ſit viuus. Tam irridiculè illis temporibus diabolus apud mortales tractauit Diuinitatem, Deos efficiens vndecunquè illi viſum fuiſſet. Quicquid vnuſquilibet vel amabat, vel formidabat, id ſibi Deum fingebat, illi ſacrificabat, illi templa & ſtatuas erigebat, idque adorabat. Indè adeò effectum eſt, vt quidam etiam morbos quoſdam pro Dijs colerent, alij bruta animãtia, alij herbas fœtidas. Sic Aegyptij allium Diuinis ſunt honoribus proſecuti. Nulla lingua fœdiſſimam illam diaboli occæcationem poſſit verbis conſequi, vt ille miſeros mortales contra ſummum hoc & maximum Dei mandatum tam miſerè ſeduxerit ac faſcinârit. Nunc ergò didiciſtis ex his, quid ſibi velit Deus, cùm plures appellat Deos, iubetq; nè eos adoremus aut colamus. Nimirùm intelligi vult miſeras illas creaturas, quas homines ſibi quondàm Deos finxerunt, nec aliter habuêre perſuaſum, quàm illos ipſos eſſe Deos, à quibus bona omnia ipſis contingerent & ſuppeditarentur. Porrò veri Dei prorſus nulla erant notione imbuti, nec vllo eum honore & cultu proſequebantur: id quod Apoſtolus grauiter conqueritur, nempe mutâſſe eos gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilium creaturarum. Hi itaque Dij, vocantur quidem Dij, ſed alieni, & ſimulacra gentium atque idola.

Cuiuſmodi verò ſint Dij, graphicè ſcripta Diuina depingunt, dum eos
Pſal.113. nuncupant opera manuũ hominum, qui illos ſibijpſis ex ligno, argento, auro & coloribus fingebant, & tanquàm ſuos ſeruatores vel ſalutis ſuæ authores adorabant: dumq; itidèm vocãt eos dæmonia: id quod reuerà erant, qui in illis ſimulacris & ſtatuis deliteſcebant, atq; ex ijs nonnunquàm hominibus reſponſa dare ſolebant, adeoq; etiam miracula interdùm deſigna-
Eſaiæ 40. & 44. bant. Eſaias illos Deos egregiè irridens: Faber, inquit, ferrarius linea operatus eſt: in prunis & in malleis formauit illud. Quod niſi ille feciſſet, quid eſſent aliud quàm alia metalla? Succidit, ait porrò, cedros, tulit ilicem & quercum, quę ſteterat intra ligna ſaltûs: plantauit pinum, quã pluuia nutriuit, & facta eſt hominibus in focum, ſumpſit ex ijs & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo aũt operatus eſt Deum, & adorauit. Curuatur ante illud, & adorat, & obſecrat, dicẽs: Libera me, quia Deus meus es tu. Huiuſmodi ergò Deum meritò contemnit idem ſanctus Propheta, dicens artificem lignarium extẽdiſſe normam, formâſſe illud, (idolum) in circino tornâſſe illud: quod niſi faber in illud beneficij contuliſſet, illud truncũ manſurum fuiſſe, fornacibꝰ excalfaciendis deſtinandum. Melior eſt homo, in-
Sap.15. quit alibì ſcriptura, his quos colit: quia ipſe quidẽ vixit, cùm eſſet mortalis, (licèt nõ æternùm, ad tempus tamen vixit) illi aũt nunquàm. Os enim ha-
Pſal.113. bent, & nõ loquentur: oculos habẽt, & nõ videbunt: Aures habent, & non audient: pedes habent, & nõ ambulabunt: nec ſunt aliud quàm turpiſſima idola. Et vt id genus commentitios vaniſſimosq; Deos paucis abſoluamus,

impre-

imprecabimur illis, quod legimus apud Hieremiam: Dij qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quę ſub cęlo ſunt. Illis autem, qui pro dijs ſuis tales habent, in eisque ſpem ſuam fiduciamque collocant, eosque magnipendunt, nihil poſſit euenire peius, quàm vt fiant deorum ſuorum ſimiles, hoc ipſo ſanè miſeriæ & calamitatũ plùs ſatis habituri. Prę ter hanc craſſam idololatriam, apud nos & intra nos aliæ quædam, eæque magis ſubtiles ſunt idololatrię ſpecies, quas difficulter effugimus abſq; ſingulari ope DIUINA: cuiuſmodi ſunt diuitiæ & voluptates huius mundi, quas ſæpenumerò ipſi ſummo ac vero DEO anteponimus. De his nunc porrò dicturi ſumus. Hiere.10.

Poſteaquàm iam percepimus, quinam ſint DIJ alieni, nunc agè aduertamus, quid Deus à nobis exigat, dum prohibet, nè DEOS alienos habeamus coram ipſo. Hîc ſciendum eſt, duplici ratione idololatriam poſſe cõmitti: vna eſt craſſa illa & externa idololatria, qua vnicus & verus DEUS, qui in cælis eſt, prorſus ignoratur, nihilq; de eo vel ſentitur vel creditur, ſed adorantur creaturæ, putà, Sol, LUNA, aliæve ſtatuę & ſimulacra, eaq; pro DIJS habentur, crediturque, ab illis bona omnia omnemq; ſalutẽ nobis conferri. Quę quidem craſſa nimis & cęca idololatria eſt, horrẽdaq; ſeductio & impoſtura, omniumq; longè deterrimus idolorum cultus. Nam nõ modò cor hominis à Deo auertit, ſed etiam omnem Deo cultum & honorẽ externum detrahit. Hanc idololatriam Deus peculiaribus verbis prohibet, ità dicens: Non facies tibi ſculptile, Non adorabis. Præter hanc craſſam & externam idololatriam, eſt alia ſpiritalis & interna, Deo itidèm vehementer exoſa & intolerabilis, qua homines, qui iam Deum per fidem nôrunt, corde atque animo non vni ac ſoli Deo innituntur, ſed inhærent labentibus creaturis, habentq; quippiam extra Deum, in quo ſpem ſuam conſtituunt, cuiq; magìs confidunt, maiorique deſiderio afficiuntur, quàm ipſi Deo. An non & hæc meritò idololatria cenſebitur? Quid eſt enĩ, quòd Deum quidẽ agnoſcis, nec vllam creaturam ſentis eſſe Deum, at interìm nihilominùs creaturam aliquam eum tuo in pectore locum ſibi vendicare permittis, vt illa charior iam ſit tibi, quàm ipſe Deus? Non adoras quidem creaturam, nec ante illam in genua procũbis: attamen plùs in ea fiducię collocas, quàm in DEO. Perſuades enim tibijpſi, creaturam paratiorem magiſq; accommodam tuis vtilitatibus, & ad ferendũ tibi auxilium, quàm Deum. Perſuaſum item habes, ſi eam creaturam non haberes, iam te planè derelictum iri: nec Deum tibi opitulaturum, ſi nõ huius vel illius labentis creaturæ copia fruaris: magiſque in hoc incumbis, vt ea potiri queas, quàm vt DIUINUM auxilium expetas & implores: & ſi alterutra via tibi eundum foret, Deum potiùs, quàm creaturam deſereres. Exod.20.

Porrò non eſſe alienum à vero, homines plerunquè eiuſcemodi, quæ circa creaturas eſt, idololatriæ eſſe obnoxios, perſpicuũ fiet, ſi exempli cauſa vel ſolas diuitias, facultates, pecuniam proferamus. Quotuſquiſq; mor-

talium inuenitur, qui benè confidat Deo, & ſit iucũdo ac hilari animo, pecunia ac nũmis deſtitutus? Videas tum eos planè querulos ac mœſtitia oppreſſos, & tantùm non animum deſpondẽtes. Verùm vbi pecunia ſuppetit, iam nihil illis deeſt, iam felices & beati ſunt, nec dubitarent incunctanter admittere quippiam Deo inuiſum, potiùs quàm rei pecuniariæ inopia laborare velint. Hæccine tibi videtur idololatria? Hoc nè cõmittamus, grauiter hîc vetat DEVS, pręcipiens, nè alienos Deos habeamus coram ipſo. Sed dices te creaturam minimè habere pro DEO. Ego verò reſpondeo, te ipſum planè id facere. Hoc enim propriè dicitur habere vel facere ſibi DEVM, in re caduca ſpem fiduciamq; ſuam collocare, ab illa ſibi multa polliceri, opemq; flagitare. Quòd itaque hîc nobis præcipit Deus, vt ipſum ſolùm pro Deo colamus, & non Deos alienos præter ipſum, hoc modo intelligendum eſt, quòd ipſum ſolum amore proſequi debeamus, nec vllam creaturam æquè vel tantundẽ atquè ipſum diligere: Illum ſolum timere, illi ſoli potiſſimùm confidere, ab eo præcipuè auxilium, tutelam, ſalutem & bona omnia, non ab hiſce mortalib⁹ creaturis, expectare. Sic enim ipſe DEVS hoc pręceptum multis alijs in locis explicat. Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies. Lucę 10. Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnib⁹ viribus tuis, & ex omni mente tua. Hoc eſt, quicquid corde, animo, ſenſibus, mente & cogitatione, adeoque etiam externis corporis viribus vales, id totum eò conferes, vt DEVS abs te diligatur, Deum honores, colas ac timeas, eiq; pro eo atquè par eſt, præſtes obedientiam. Quiſquis ergò ſpem ſuam figit in fluxa creatura, etiamſi apud ſeſe ſciat & ſentiat eam nõ eſſe Deum, facit nihilominùs ex ea idolum, committitque idololatriam ſpiritualem, quam Deus abominatur, tribuitque illi creaturæ, quod Deo tribuendum eſt, nimirùm ſpem & fiduciã ſuam. Diuini enim eſt muneris ac operis, auxiliari, gratificari, conſeruare, &c.

Quamobrem ſi nôſſe deſideras, an immunis ſis ab hac idololatria, examines cor tuum, an ſoli Deo innitatur, num diſcrucietur & angatur egeſtate, perſecutione, morte, &c. num appetat & affectet diuitias, potentiam & voluptates: an ſolo Deo contentus ſit, quomodocunquè de cæteris rebus agatur: an poſſit omnibus alijs poſthabitis & relictis, ſoli DEO intendere, ſolum Deum ſuſpirare ac deſiderare, eumque etiam cum iactura cæterorum omnium libens velit amplecti & lucrifacere, queadmodùm Apoſtolus affectum ſe indicat, vbi ait: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Itemq;: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, &c. Si animus tuus vſqueadeò Chriſto innixus nõ eſt, vt omnia propter illum lubenter poſſis derelinquere, affectusq; tuus & amor, timor & ſpes, & fiducia tua in ſolo Deo fixa ſint, non es omninò expers idololatriæ. Sed dicas fortaſsis: Quis tandèm igitur ab idololatria immunis eſſe queat? Reſpõdeo: Hæc meta eſt & ſcopus, quem attingere debeamus: quem qui nondùm attigit, Deo ſuam queratur imperfectionem, eiusq; gratiam imploret, vt corda no-

Philip. 1.
Philip. 3.
Pſal. 44.

da noſtra ad ſe trahat, quò illum præ omnibus diligamus, ac tandèm ille noſtra ſit portio, noſtrumq́ue præmium, & ſecundùm eius promiſſiones, vitam obtineamus æternam, Amen.

CONCIO XXI. HABITA *Dominica XVI. poſt Trinitatis, Anno 1542.*

SVPERIORI concione, auditores optimi, primi præcepti mẽtem & ſententiam cognouimus, quid illo Deus à nobis exigat, quandò vetat, nè alienos DEOS habeamus coram ipſo. Vt enim ſolus ille Deus eſt, qui cælum & terram condiderit, qui cuncta regat & conſeruet, & à quo bona omnia prománent ac proficiſcantur: ità quoquè talis à nobis vult haberi. Illum ſolum timere debemus tanquàm præpotentem DOMINUM, in Eſth.13.
cuius ditione cuncta ſint poſita. In illum ſolum præcipuè ſpes & fiducia nobis collocanda eſt, illeq́ue nobis amandus eſt, ceu totius boni fons & ſcaturigo. In rebus difficilibus & aduerſis, in anguſtijs & neceſſitatibus quibuſcunque potiſſimùm vni Deo ſpe & fiducia inniti debemus: adeoq́; illi animo & corde adhærere, vti nec proſpera, nec aduerſa, neque bona neq; mala Rom.8.
nos ab illo auellant: quibus de rebus dictum eſt concione ea, quæ hanc antecedit. Atqui vt ſimpliciores quoquè compertum habeant, quibus modis primum hoc præceptum tranſgrediamur, meliusq́ue idololatriam declinare nôrint, explicatiùs ac luculentiùs mihi agendum eſt, contrariaq́; exempla promenda, & facta declaranda ac indicanda, quibus præter vnum verum DEVM, alios deos nobis conſtituamus. Et quanuìs non omnes idololatriæ ſpecies proferre & commemorare poſſimus, (id enim ob temporis inopiam fuerit impoſſibile) tot tamen in medium adferemus, ex quibus rudiores etiam reliquas facilè queant agnoſcere & euitare. Et primò quidem de interna ac ſubtili illa idololatria dicemus, quæ in nobis ipſis & in natura noſtra occultè latitat, idq́ue adeò, vt pauci eam cognoſcant. Hæc porrò eſt bipartita. Vnà, qua homines plerunquè ſemetipſos ſibi idola cõſtituunt præter aut contra verum illum & vnicum Deum. Altera, quam committimus ijs in rebus, quæ circùm nos ſunt, quaq́ue fit, vt permittamus haud raro creaturam quampiam noſtrum ſibi vendicare pectus, ac de illa ſentiamus, ab eaq́ue ſperemus & expectemus, quod meritò de ſolo DEO ſentire, & à ſolo Deo potiſſimùm ſperare ac expectare deberemus. Ab hac verò interna & occulta idololatria, tranſgrediemur ad externam illam & craſſam ethnicamq́ue idololatriam, cuius meminit appẽdix illa huius præcepti: Non facies tibi ſculptile &c. Primo mandato vetat Dominus, nè præter ipſum DEOS alienos habeamus, hoc eſt, nulla alia in re, quàm in illo ſolo ſpem & fiduciam noſtram collocemus. Id enim vnuſquiſque Deum vel idolum ſuum ſibi fingit & facit, in quo ſpem ſuam præcipuè cõſtituit, quæ in VNO DEO collocanda & figenda eſt.

Primùm itaque in hoc præceptum delinquunt, qui de ſua induſtria præ-

ſumentes, felices rerum ſuarum ſucceſſus, prudentiæ & ſolertiæ ſuæ tribuunt. Hi ſanè deteſtabile ex ſeipſis idolū fabricātur, & vero DEO debitum ſuffurantur honorem. Nam vbi pro acceptis beneficijs Deo gratias agere deberent, ſeipſos in Dei locum ſubſtituunt, ſuæque ſapientiæ ac prudentiæ cuncta accepta ferunt. Hanc tam ingratam idololatriam Deus perpeti non poteſt. Putáſne miſer homo, quandoquidem Deus prudentiam tibi largitus eſt, quòd iam illius eſſe immemor, & quæ tibi eueniunt bona, non illi,
Deut. 32. ſed tibijpſi aſſignare & adſcribere debeas, dicens quod in Deuteronomio habetur, Manus mea hęc omnia fecit, & non Dominus? Faceſſat properè hæc tam execranda & idololatrica ingratitudo.

Sapientia, prudētia, fortitudo & quicquid bonorum habes, omnia ſunt dona Dei, non dij. Quamobrem ne hæc bona Dei munera in eius contumeliam conuerteris, vt fiduciam in eis colloces, porrò ipſius Dei tui obliuiſcaris, à quo prudentiam, habilitatem, & induſtriam omnem accepiſti, & ſinè quo proſperos habere ſucceſſus ipſa tua induſtria & prudentia non poſſit.

Quantoperè hæc idololatria Deo Opt. Max. inuiſa ſit & aduerſa, vtque ille in eam ſit animaduerſurus, teſtatur ipſe per Hieremiam capite 17. Maledictus, inquit, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

Iam qui in ſeipſo confidit, is vtiquè confidit in homine: itaque maledictus eſt à Deo, nec effugiet ſupplicium, quod propheta ibidèm talibus comminatur. Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino. Hiere. 17. Pſal. 83. 117. Vt verò prudentiam & dona omnia illis inutilia Deus redditurus ſit, qui ipſo neglecto in illis confidunt, non obſcurè teſtatur apud Eſaiam 29. capite, & in Apoſtolo 1. Cor. 1. Perdam, inquit, ſapientiam ſapiētium, & prudentiam prudentium reprobabo.

Secundò, ingens ea quoquè fuerit idololatria, ſi quis Pelagiana ſuperbia elatus, perſuaſum habeat ſe ſua propria probitate, ſuiſque operibus poſſe ſaluum fieri: probumque eſſe & ſalutem ſempiternam adipiſci putet opus eſſe ſuarum virium, non gratiæ diuinę, cùm tamen ſcripturę omnes diuerſum clamitent: prorſuſque verum ſit, Deum nos gratia ac miſericordia ſua per Chriſtum ſaluos facere, non autem nudam iuſtitiam noſtram, Rom. 3. Tit. 3. 1. Iohan. 2. Non quòd DEO curæ non ſint opera noſtra, vel quòd bona credentium DEI filiorum opera non ſint præclaram vberrimamq; apud
Heb. 6. Deum iuſtum iudicem habitura mercedē, id quod nonnulli temerè nulla ſubnixi veritate affirmant: immò verò certum eſt, ea credentium opera, quę ex charitate proficiſcuntur, & mouente ac operante ſpiritu DEI & ſecù-
Ibidèm. dùm pręcepta & voluntatem DEI fiunt, ampliſſima pręmia promereri: non enim iniuſtus eſt DEVS, vt bonorum operum poſſit obliuiſci: ſed quòd de rectè factis & bonis operibus noſtris gloriari nō debeamus, ſed mercedem ac pręmia illis reddenda, DEI gratiam & beneficia eſſe ſentire, nec de nobis

aliter

aliter gloriari, quàm eſt apud Lucã 17. cap. Serui inutiles ſumus &c. Cuius Phil. 2.
nimirùm ratio hæc eſt, quòd Diuinæ ſit gratiæ, & non virium noſtrarum velle & poſſe atque perficere bonum: eaque ipſa opera, quibus DEVS reſtituit tum temporalium, tum æternorum bonorum mercedẽ ac præmium, non vtiquè ex debito, neq; ex dignitate & priuata bonitate operum, quatenùs à nobiſipſis fiunt, eiuſmodi præmio afficit, ſed pro ſua liberrima pollicitatione, ex mera gratia, bonitate & miſericordia, cùm ſint fructus quidam gratiæ illius, & eius ſpiritu mouente & agente fiant. Atque ità DEVS & author eſt, & cooperator, & etiam remunerator omnium bonorum operum, quæ ab eius fidelibus efficiuntur: cooperator quidem & author per gratiam & ſpiritum ſuum, remunerator verò ex bonitate & liberalitate, idque ſecundùm gratiã & miſericordiã ſuam: ità vt illi vni competat, illum vnum deceat omnis honor, laus, gloria & gratiarum actio pro bonis omnibus, quæ tum facimus, tum adipiſcimur.

Tertiò, ex ſeipſis idola fabricant, qui ocium, luxum, libidinem ſectantur, curamq́ue corporis ſui DEO anteponunt: adeò vt ſuæ libidini & voluntati etiam cum Dei offenſa velint obſequi & ſatisfacere. Sub hac idololatria comprehenduntur helluones, nepotes & potatores, itemque impuri & impudici omnes, qui vero Deo contempto, ventrem ſuum pro deo colunt, vt inquit Apoſtolus, Phil. 3. Ab his verus Deus exigit, ijsque dicit: Attendite nè grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. Et, Fugite fornicationem. Minas quoquè intentat, dicens: Nolite errare: neq; fornicarij, neq; ebrioſi regnum DEI poſſidebunt. Atqui nihilo minùs id genus homines, relicto vero DEO, adhærent putidiſſimo ventris ſui idolo, illi morem gerũt, eius deſiderijs obſequuntur: porrò verum Deum contemnunt, nec debitũ illi honorem ac obedientiam præſtant. III. Luc. 21. 1. Cor. 6.

Hunc ſanè in modum intra noſipſos idololatriam committimus, eaq; adeò inſita eſt noſtræ naturæ, vt vix caueri queat, niſi perquàm ſeriò aduersùs illam vigilemus, & aſſiduis precibus diuinã imploremus gratiam, quæ nos ab hac tam ſubtili & verſuta idololatria immunes conſeruet.

In rebus quoquè externis, quæ extra & circùm nos ſunt, idololatria cõmittitur, quandò creaturas (id quod frequentiſſimum nimiſque vſitatum eſt) in DEI locum ſubſtituimus, honoremque DEO debitum illis tribuimus hoc ipſo, quòd ſpem & fiduciam, in ſolo DEO meritò conſtituendã, in ipſis collocamus. Ex his maximè tritus & vulgaris DEVS appellatur à Chriſto Matt. 6.
Mammon, qui DEVM noſtris ex cordibus profligat, eaque ſibi vendicans & occupans, eò impellit, vt omnem ſpem & fiduciam à vero DEO transferant in Mammona, in eoque conquieſcant. Hoc quotidiana nos experientia docet. Nam qui opibus & argento abundant, bono animo ſunt, putantes abundè ſibi proſpectum, ijsque præfidunt, tanquàm nullis iam fortunę caſibus obnoxij ſint. E contrario qui hũc DEVM alienum non habent, animũ deſpondẽt, quaſi nullus ſit alioquì DEVS, qui illis opẽ & auxiliũ ferre queat.

Hæc manifeſta & euidens eſt idololatria. Nam ſic eam Chriſtus appellat, Matt.6. Et Apoſtolus Ephe.5.1.Cor.6.

Alia eſt idololatria, quandò vel ex fauore & gratia, vel timore hominem pluris facimus, quàm Deum: vt ſi quem conſpiciamus in Deum peccan-
Matt.18. tem, neque eum tamen vel admoneamus vel repræhendamus, plùs humanam offenſam, quàm iram diuinam reformidantes.

Eſt & alia execrabilior idololatria, quum peccata non ſolùm non prohibemus ac impedimus, ſed & auxilium conſiliumq́ue præbemus, atq; ad peccandum incitamus. Huiuſmodi idololatriam aulici plerunquè ex principibus ſibi fingunt. Quicunque conſilio ſuo vel quouis modo id efficiũt, aut adiumento ſunt, vt pupilli & viduæ, alijq́ue miſeri ac inopes præter ius faſq́ue opprimantur ac onerentur, vt hoc ipſo apud principes gratiam ineant: quiq́ue etiam aliorum ſcelerum & iniuriarum illis ſeſe adminiſtros præbent, ij planè idolum ſibi faciunt ex principibus ſuis, coluntq́ue eos pro DEO, immò plùs quàm DEVM. Deus enim cum omnibus præceptis & voluntate ſua cedat oportet, vtì hominum gratia & fauor retineatur. Quòd ſi tales credere ſe dicant in Deum cæli terræq́ue creatorem, tu illis reſpon-
Tit.2. deto: Non ſanè ex animo id dicitis: re ipſa enim & factis declaratis, alium vos DEVM plùs tum amare, tum metuere, maioraq́ue de DEO terreno, quàm patre cæleſti vobis promittere & ſperare: alioquì cæleſtem, æternumq́ue Deum, nequaquàm iſtiuſmodi idoli cauſa contemneretis & deſereretis.

Similem committit idololatriam, qui in gratiam vxoris, liberorum aut cuiuſuis hominis DEVM offendit. Is enim idolum conſtituit ex illo homine, eumq́; loco DEI & ſupra Deum colit. Hic audiet à Domino: Quia au-
Gene.3. diſti vocem vxoris tuæ &c.

Aliæ prætereà idololatriæ ſunt: Deus ad omnia idonea media diſpoſuit, per quæ ſingula quęque efficiat: neque enim abſque neceſſitate ſemper miracula vult deſignare & edere. Quicunque igitur his medijs, neglecto
Exod.20. Deo, pręcipuè innititur, is reus fit idololatriæ. Pręcipit enim DEVS, ne deos alienos habeamus coram ipſo, hoc eſt, vt ſpem fiduciamq́; noſtram in ipſo reponamus, & non in vlla extra ipſum creatura. Exempli cauſa: Medium, per quod Deus corporis alimenta frugeſq́; nobis largitur, eſt labor noſter, ſatio, plantatio, cultusq́ue terræ. Iam quiſquis diuitias, fructus & alimenta ſuo labori & culturæ, non DEO attribuit, hic eſt idololatra, & graue in ſe facinus admittit, dum Deo honorem & debitam gratiarum actionem ſubtrahit, eiq́; tribuenda, fragili creaturæ vel ſuo labori aſſcribit. Ethnicus quiſpiam idololatra inquit: Qui tempeſtiuè ſeminauerit, vberem habiturus eſt meſſem: Chriſtianus autem ſic dicit: Cui Deus propitius eſt, eiusq́ue labori benedicit, is bona multa obtinebit. Agriculturam exerces ἐνιαυτόν, redeunt in orbem tui labores, ſed tamen imparẽ ſortiunť ſucceſſum: vndè pſpicuũ
Pſal.84. euadit, vberes ꝓuentus non tam de tuo labore, q̃ de Diuina bñdictione pen
Prou.10.
Pſal.54. dere. Nõ igiť tuæ opæ & labori, ſed ꝑpotẽti Deo deincèps cõcede honorẽ.

ALI-

ALIVD EXEMPLVM.

Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Impari autem fiducia, nec eodem animo Chriſtianus & Ethnicus eam vſurpant, Chriſtianus quidem morbo adhibet pharmacum, tanquàm medium quoddam per quod DEVS ſanitatem confert, aitq́ue: Si DEVS hanc creaturam valere voluerit ad meam ſalutem, prodeſſe quidem mihi poterit iſthæc medicina: atque hoc pacto ſpe & fiducia à ſolo DEO depẽdet, in illius manu vtranq; valetudinem tam proſperam, quàm aduerſam, tam vitam, quàm mortem ſuam eſſe nouit: neq; ignorat medicinã nihil apud ſe poſſe efficere, niſi quatenùs Deus velit. Ethnicus autem idololatra, DEI oblitus, ſolis medicinis & eorum arti fidit: & ſi morbus ingraueſcit, de medico queritur, quòd hæc atque illa non rectè gerat, quòd in hoc vel illo negligentior fuerit. Sin verò conualeſcit, huic vel illi recuperatam valetudinem habet acceptam: ſi phlebotomiã prætermiſiſſet, ſi hanc vel illam potionem aut purgationem non ſumpſiſſet, iam de vita ipſius actum fuiſſet. Et ſic obliuiſcitur DEI, à quo vno ſalus omnis & incolumitas proficiſcitur: qui occidit & viuere facit, percutit & ſanat: à quo pendet ſalus & proſperitas omnium rerum creatarum. Neque enim herba, inquit ſcriptura, neq; malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia. Quantoperè autem DEO diſpliceat, (cùm ſolus ille omnem ſalutem & commodam valetudinem largiatur per creaturas & pharmaca ſeu medicinas) quòd nihilo minùs homines ingrati, non ipſi, ſed creaturis honorem & gratiam deferunt, declarat ipſe in Aſa rege Iuda, qui cùm nec in infirmitate ſua quæreret Dominum, ſed magìs in medicorum arte cõfideret, ex morbo perijt, vt habes 2. Paralip. 16.

Eccle. 38. Deut. 32. Iob 5. Sapiẽ. 16.

ALIVD EXEMPLVM.

Ad bella gerenda, & ad propulſandos hoſtes, arma bellica, homines & equi neceſſarij ſunt: ſed victoria non niſi à Domino eſt, qui per iſthæc media tribuit illã quib' vult. Pij reges & magni DEI amici his quoq; medijs, quãtis maximis fieri potuit, vſi leguntur: nec tamen illi ſperârunt in armis, loricis & viribus ſuis, ſed in prępotente DEO. Nanque intereà dum manus cum hoſtibus conſererent, perpetìm ſuis in cordibus DEVM precabantur, vt ab hoſtibus ipſos ſeruaret ac tueretur. Audite quæſo, quos illi animos in ipſo certamine circunferebant. Vox illorum hęc eſt: In te (ô Domine) inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. Saluâſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti. Sic bellicæ quoquè exhortationes religioſorum militiæ ducum ad Dei auxilium ſeſe referũt. Non eſt differẽtia, inquit quidã, in cõſpectu Dei cęli liberari in multis & in paucis. Itemq́; Mementote qualiter ſalui facti ſunt & patres noſtri in mari rubro &c. En vt iſti pij ac egregij bellatores nõ niſi diuinis ſeſe cõſolationibus confirmârint, cùm interìm in Chriſtianorum

Pſal. 43. 1. Mac. 3. & 4.

exerci-

exercitibus nihil prçter immanes blaſphemias audiatur. Quô fit, vt victoriam Deus hoſtibus noſtris, à fide DEI alienis, potiùs quàm nobis diffidentibus ac blaſphemis Chriſtianis largiri velit.

CONCIO XXII. HABITA

Dominica XVII. poſt Trinitatis, *Anno* 1542.

HAeremus adhuc in explicatione primi prçcepti, Auditores. Superiori quidem côcione nonnullas occultiores idololatriæ ſpecies recenſuimus, quibus in primum prçceptum peccatur: quç ipſç naturæ noſtrç inhærent, atque ſic ſatis occultç ſunt, vt fortaſsis non quilibet eas idololatriç loco habendas ſibi perſuadere queat. Quamobrem operçprecium fore duxi, eas ex latibulis in apertum producere, & verç idololatriç inſimulare atque conuincere, vtì nè quis ignoranter eiuſmodi tam horrêda in ſe peccata admittat, animamq́ue ſuam per idololatriam perdat. Admonui autem his, quos cauere debetis, modis idololatriam committi, ſi felices rerum noſtrarum ſucceſſus prudentiæ ac induſtriæ noſtræ tribuamus, DEO interim poſthabito, à quo tamen omne bonum nanciſcimur: aut ſi quis exiſtimet iuſtitiam ſuam per ſe dignam eſſe gaudijs & beatitudine ſempiterna, quæ ex DEI gratiâ & miſericordia nobis prçſtatur. At ſi quis in diuitijs vel vlla creatura maiorem collocet fiduciam, quàm in DEO. Itemq́ue vbì quiſpiam amore, delectatione, fauore vel formidine eò ſe patitur abduci, vt plerunquè hominem DEO præferens, DEI præceptum violet, vt homini obſequatur. Hçc ſanè omnia eiuſmodi ſunt, vt idololatriç nos reddât obnoxios. quicquid enim animos noſtros itâ ſeducit, vt non ſuper omnia DEVM timeamus & amemus, in eo potiſſimùm confidamus, eiq́ue præ omnibus morem geramus, id nos in veram pertrahit idololatriam, efficitq́; vt huius primi præcepti tranſgreſſores ſimus, vtpotè quo vetat DEVS, nè habeamus Deos alienos coram ipſo.

Porrò quandò malignus dæmon fidei noſtrç craſsè admodùm nimiſq́; irridiculè illudit, atque apud nos, qui Chriſto nomen dedimus, reliquias quaſdam, & non exiguam ethnicæ cæcitatis ac idololatriæ partem fouet & conſeruat, ſtatui ſingulas, non quidem quantùm earum meretur vanitas & falſitas, (id enim nimis prolixi fuerit temporis) taxare & carpere, ſed indicare dûtaxat, vt ſibi ab illis Chriſtianus cauere nôrit. Exiſtimo enim homini Chriſtiano ſufficere ſolùm admonitum eſſe, qua in re periculum vel ſuſpicio ſit alicuius idololatriæ. Nam qui verum Deum amat medullitùs & ex animo, facilè adhorrebit ab illis omnibus, quç vel ſuſpicionem ipſi mouere queât, quaſi prçter vnicè ſibi charum Deum, alium ſibi effingere, atq; itâ animum ab vnico, vero ac opitulante ſeruatore auertere velit. A minimis autem initium ſumam, & ad eas ſenſim aſſcendam, quæ maiorem habent perniciem & impietatem: quanquàm vel minima idololatria, ceu immane flagitium & habenda & vitanda eſt. Nos è religione Chriſtiani, vtpotè

potè filij Dei, quibus Deus per ſanctum verbum ſuum ſeſe reuelauit ac manifeſtum fecit, non ignoramus verum Dei honorē ſitum eſſe in vera fide & fiducia. Qui fidem, ſpem & fiduciam ſuam in verum Deum ità vt oportet collocat, hic verum DEO exhibet honorem, & Dominus eſt DEVS illius: vbì autem fides & cordis fiducia aliò refertur ac deflectit, ibì certa eſt idololatria. Sedulò itaque aduertamus fraudes & inſidias diaboli. Eius enim eſt deprauati ingenij, vt ſi τὴν λεοντῆν ἐνδεδυμένος claua rem gerere nequeat, vulpinam aſſuat leoninæ, vt quod viribus & vi non poteſt, dolo & fraude penſetur. Poſteaquàm verum lumen DIVINÆ agnitionis, offuſam mundo à ſatana caliginem ꝑfligauit, & verus DEVS Chriſtus Ieſus ſuo aduētu illius idola ſubuertit, vt certè craſſa illa externaq; idololatria apud nos nihil poſſit efficere, iam verſipellis & improbus ille alijs quibuſdam, ijsq; ſimplicibus ac rudibus ſuperſtitionib⁹ ac latentibus idololatrijs molítur animos noſtros à vero Deo abſtrahere, vtì hoc pacto regnū ſuum noſtris in cordibus ſibi vendicet, obtineatq;, licèt nos interìm ἀπὸ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν, vt dicitur, & oretenùs omnem idololatriam & dæmonum cultum deteſtemur, ac non niſi vnum Deum profiteamur. In hoc enim perditus ille nequam delectatur, quòd fidem noſtram his modis apud nos ludificare, atq; id genus infrugifera rudiq́ue ſtultitia animos, fidem ac fiduciam noſtram à vero Deo poteſt auertere. Huic idololatricæ ſtoliditati primùm obnoxij ſunt, qui carminibus quibuſdam confidunt, quæ certis ac peculiaribus conſtent verbis, atq; his illíſve characteribus, quibus miros & qui naturam ſuperent, effectus ac operationes attribuunt. Ex his carminib⁹ vnum id confert, vt nullis vel armis, vel æneorum tormentorum ictibus lædi poſſint. Alij chartulas habent, quę certis quibuſdam ſiue verbis ſiue notis ac characteribus conſcriptas, & his atque illis carminibus affectas, deindè ſecum ferre oporteat, ità demùm contra hæc vel illa pericula præſidio futuras.

Vſqueadeò deliros iſtos infatuat diabolus, vt planè perſuaſum habeant, ſe corpus & vitam ſuam è potenti Dei manu poſſe extorquere, cui tamen, velit nolit, ſubiectus eſt mundus vniuerſus. Spiritus ſanctus in DIVINIS literis id nobis teſtatur: Nemo, inquit, poteſt de manu Domini eruere. Et alibì: Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit? In cuius manu Iob 10.12.
anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſę carnis. Hęc facilè perſuadet ſibi Chriſtianus, eoque metum & fiduciam omnē in ſolum Deum dirigit, ſciens, quàm diù DOMINO viſum ſit, corpus & animam ſuam ſatis in tuto eſſe. Contrà quoque non eſt neſcius, ſe omni momento eſſe in Dei manu, qui ſuam voluntatem in ipſius corpore, anima & rebus omnibus nullo negocio poſſit exequi: nec quenquam ipſum poſſe à præpotentis Dei potentia ſecurum reddere, niſi Deum ipſum. Atq; interìm nihilominùs moriones iſti perſuaderi ſibi ſinunt, nullius penſi chartulam vel carmen poſſe ipſos contra DIVINAM tueri potētiam, & ſeruare à periculis omnibus, vt iam DEO ſubiecti non ſint, cuius tamen imperio mundus totus ſubiacet. His aſſimi-

les illi ſunt, qui ſuperſtitioſis quibuſdam characteribus & carminibus conſignant pecora ſua aduerſum lupos, & fruges contra grandinem, qui quidẽ ſatanę auxilio ſe ſperãt effecturos, nè DEVS ipſis eripiat, quod ſemel donauit. Alij liberorum ſuorũ morbos quibuſdã carminibus propellũt, aut à veneficijs & maleficijs eis petunt auxiliũ. Quàm verò inſignis hęc eſt temeritas, & in DEVM blaſphemia? Sanctam creaturam, non ſolùm ad ipſius Dei imaginem formatam, ſed & ſanctificatam per baptiſmũ, templum illud in quo habitat Spiritus Dei, non vereris miſer in Dei contumeliam transferre in diaboli domicilium, vt ille ſanet & curet quod ipſe DEVS creauit.

Sed inquis: Num ergò non eſt miſeris pueris remedium cõparãdum? Ah miſerum ſanè eiuſcemodi remedium. Immò dicere auſim, nullum
Rom. 8. ſubſidium, remedium, beneficium homini Chriſtiano gratum eſſe debere, quo ſinè Dei offenſa & indignatiõe non poſſit vti. Potiùs diuinę eſſent eiuſmodi pueri voluntati permittendi, vbi opportuna ac naturalis medicina nihil poteſt efficere, quàm à maligno Dęmone remedium quęrendum. Necdùm illum cognouiſti? Diſce igitur nôſſe illum. Sanè proculdubiò nullum ille vnquàm corpori adhibet remedium, niſi certus ſit ſe millecuplo maius animæ detrimentum allaturum. Sed eſto, medeatur puero: at interim parẽtum & prouectiorum corda per ſuperſtitionem & idololatriam occupat, eorumque animas reas efficit ignis ęterni. An non iſthuc lucro-
Luc. 9. ſum eſt remedium? Quid verò proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſeipſum autem perdat, & detrimentum ſui faciat? Prætereà nihil poterit adferre remedij diabolus, niſi priùs permittat & pręſtet id illi DEVS. Quanto ergò ſatius eſt, à DEO ipſo remedium petere? Quandò verò id illi permittit DEVS, fit hoc abſque dubio in pœnam incredulitatis tuæ, & miſeræ animę tuæ exitium ac perditionem.

Alios pręterea quibus illudat, habet diabolus, quibus ad horrẽdam idololatriam admodùm deridiculè abutitur, quales ſunt, qui ſacrato ſale, aqua, cereis paſchalibus & ſimilibus magna quędam & naturam excedentia efficiunt: idque longè alio conſilio & mente, quàm Eccleſia Dei his creaturis vtitur. Eccleſia quidem ſalem & aquam benedicit in vſum fidelium, non vt in ipſis creaturis ſuam reponãt fiduciam, ſed quia orationibus & verbo DEI cõſecratæ ſunt, vt ij ipſis vtendis cõmoneantur, corpora noſtra nulla poſſe frui incolumitate, nec ædes noſtras tutas eſſe poſſe, niſi id pręſtetur diuinitùs: porrò DEVM hoc cõferre nobis ſanctorũ verborũ ſuorum conſecratiõe.

Verno tempore, ipſo Palmarum die conſecrat Eccleſia diuerſos ramos & flores, vt meminerimus, quicquid eo anno in agris germinauerit ac increuerit, id diuinę benedictioni acceptũ ferre nos debere. Herbas ad finem æſtatis verbo Dei & oratione ſanctificat Eccleſia, vt admoneamur neque herbas vllas ad medicinam corporum noſtrorũ ſalutares eſſe, neq; fruges vllas ad alimentà nobis deſeruire poſſe ex ſua natura, ſed ex ſola DEI benedictione. Et hæc eſt cauſa, quamobrẽ hę cõſecratæ herbæ, à Chriſtianis aſſer-

uantur,& vſurpantur, vt in omnibus per has admoneantur, omne remedium, ſanitatem, protectionem & alimenta, ex ſola Dei (cui in omnibus gratias agere debemus) benedictione prouenire. Atque huiuſmodi creaturarum vſum cõmendat Apoſtolus his verbis: Omnis creatura Dei bona eſt, 1. Tim. 4.
& nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Porrò illi, de quibus agimus, his conſecratis creaturis non in hunc finem vtuntur, vt per eas virtutis Diuini verbi & benedictionis, itemq; Diuini auxilij admoneantur: ſed eò potiùs, nè egeant Dei adiutorio: ſiquidem omnẽ ſpem & fiduciam in his creaturis conſtituunt, & eam operationem atque effectum quærunt in illis, quem non confidunt ſibi à Deo præſtandum, quemq; non putant ſibi opùs eſſe vt à Deo petant.

Eccleſia benedicit huiuſmodi creaturas, vt per eas in omnibus Diuini auxilij nobis in mentem veniat: hi autem Satanę ſacrificuli hiſce creaturis eò rem deducunt, nè Dei auxilium imploremus, aut neceſſarium nobis ducamus. Quorſùm enim illi Deo opùs habent, ſi ſal & cera iuuant? His ego omnes alias incantationes, quibus enumerandis non poſſim ſufficere, ceu idololatrias perſtrictas & damnatas volo: quæ nimirùm tanto ſunt deteſtabiliores, magiſq; diabolicæ, quanto ſacratioribus & grauioribus verbis fiunt, quoq; ea potiora ſunt, quæ in ijs vſurpantur & adhibentur: vtì nè quis his ſibi imponi ſinat, dicatq;: Equidem in his carminibus vel benedictionibus ne vnum quidem malum verbũ percipio. An quis, obſecro, ſub ſpecie boni ſe in fraudẽ impelli patiatur? Quòd ſi omninò malum dæmonem in illius dolis deludere vis, quotieſcũque incantatio aut carmen aliquod tibi offertur, bono & candido animo, & cũ vera ac integra fide ità dicas: Agedùm, ſi ſic viſum eſt Deo, proſit iſthuc mihi: ſin aũt Deo inuiſum eſt & illi repugnat, ferẽda mihi potiùs eſt corporis ægritudo, aut rerũ iactura, quàm aliquid agam contra illum, aut ſalutem meam alibì quàm apud Deum & à Deo expetam. Mox vbì incantatores illi aduerterint cor tuum Deo inniti, reipſa comperies, eos nolle tecum quicquam admodùm cõmercij habere.

Sed dicas fortaſsis: Tamen proſunt ea quæ illi faciunt, & fit ità vt aſſerunt. Reſpondeo: Eià autem, fit quod illi dicunt? Atquì num proptereà rectè ac benè fit? aut ideò Chriſtianæ pietati conſentaneum eſt, quia fit? Cùm Deus ob tuam incredulitatẽ iratus, permittat in tuî punitionẽ eorum carmina & incantationes apud te valere & eſſe efficaces, ideóne tam bellè tibi placent, quia fiunt? Quid ſi Deus ob tuam incredulitatem Satanę quandoquè concedat animam tuam ex corporis domicilio euellere, & in perpetuæ gehennæ barathrũ præcipitare, num & hoc tibi placiturum eſt, quandoquidẽ ità fit? Fit ergò fortaſsis, quod malefici dicunt, ſed cum tuo diſpendio, vel etiam in tuî damnationem. Sacræ literæ prohibent magicas incantationes, non idcircò, quòd prorſùs incertus ſit earum euentus, nec fiat ità vt magices periti aſſeuerát: immò verò ex ſacris literis didicimus, veneficia

& incantationes DEO permittente ſuam habere vim & efficaciam, Exod. 7.
1. Reg. 28. Verùm ea de cauſa prohibentur in ſacris Biblijs, quòd Deo ad-
uerſentur, & gloria eius per huiuſmodi carmina & maleficia obſcuretur,
hominumq́; corda, immò & fides & ſpes à Deo auertantur, Deute. 13. Eo-
dem modo de quibuſcunque diuinationibus ſentiendum eſt, quæ conſu-
luntur, quibusq́; fides adhibetur extra Deum, quę quidem nõ ſe patiuntur
inter ſtolidas numerari idololatriæ partes, cuiuſmodi ſunt ea, quæ iam dixi-
mus, carmina aliæq́; ſuperſtitiões: ſed planè tanquàm manifeſti dęmonum
cultus damnandę & fugiendę ſunt, neutiquàm aũt vſurpandę aut toleran-
dæ in Rep. Chriſtiana: quin potiùs ciuiles magiſtratus illis ſe opponere, &
ferro hariolos illos ex orbe Chriſtiano extirpare debebunt, quandò verbis
& concionib' nihil proficitur. Nec volo, vt diuinos & hariolos illos hoc
prætextu defendas, quòd vera ꝓnuncient, dictisq́; illorum euenta reſpon-
deant. Compertũ enim habeo, eos quandoquè vera poſſe prædicere, ſicq́;
vt dicunt, ſæpiùs euenire, ſed in detrimentũ & excæcationem noſtrî. Vndè
& grauiter Deus interminatus eſt, nè eos conſulamus, aut fidem eis adhi-
beamus. Quanuìs itaq; vera nonnunquàm reſpondeant, ideóne Dei præ-
ceptum tranſgrediemur, nec ad ſuppliciũ vocandi ſunt harioli? Non igno-
1.Reg.28. ro accidiſſe Sauli, quæ Samuel, per mulierem Pythoniſſam reſuſcitatus, il-
li prædixit: at nihilo minùs vetant Scripturæ, nè eiuſmodi incantamentis
Deut. 28. vtamur, neque à mortuis quęramus veritatem. Obſeſſa à dęmonio puella,
Actor. 16. verum de Paulo & ijs qui cum illo erant, proferebat teſtimoni-
um. Iſti, inquit, homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis vi-
am ſalutis. At nihilo ſeciùs D. Paulus improbo illi ſpiritui, qui in puella lo-
quebatur, veritatem ab illo prolatam, bono eſſe non permiſit, ſed eum ex
puella eiecit. Deut. 13. ſcriptum legimus: Si ſurrexerit in medio tuî prophe-
tes, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prędixerit ſignum atq; portentum,
& euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alie-
nos quos ignoras, & ſeruiamus eis: nõ audies verba Prophetę illius aut ſo-
mniatoris, &c. Propheta aũt ille aut fictor ſomniorũ interficietur. Hinc fa-
cilè ratio colligitur, cur diuinos & hariolos conſulere non debeamus, nec
fidem cõmodare verbis eorum: non quòd ſemper falſa ſint ea omnia quæ
dicunt: habent enim reuerà verſutum & multa callentem magiſtrum, qui
probè ſciat quid verum ſit aut falſum: verùm idcircò vitandi ſunt, quòd dia-
bolus per eiuſmodi impoſtores veritatem quidem enunciet, ſed non niſi
ob excæcãdos nos, aut vt grauiorib' etiam damnis nos poſſit afficere. Cùm
enim eò nos adducere poteſt, quò & ipſi vnà & Deo credamus, & tandèm
efficit, vt ſibi propemodùm parem, aut ferè etiam maiorem fidem habea-
mus, quàm Deo: iam ille ſuam diuinandi operam perbellè collocauit, ſed
in ſempiternam eorum damnationem, qui contra Diuinã prohibitionem
illi maligno credunt, aut veritatem ab eo ſciſcitantur.

Deindè eſt aliud damnum, itemque periculum, quòd non ſemper vera
dicit.

dicit. Nonnunquàm in rebus leuioribus nulliuſque momenti nihil aberrat à vero, atque ità fidem ſibi conciliat: aſt deindè in grauioribus fallit ſceleratiſſimus impoſtor, quæ plerunquè vitam, famam, exiſtimationem, facultates, adeoq; etiam animas multorum concernant: quemadmodùm recentia horum exempla, quæ non ità pridèm apud nos extitêre, permultis nota ſunt. Cùm enim diuinus quidam vel hariolus exiguam quandam alicubi defoſſam pecuniam certò indicâſſet, at poſteà in quodam perpetrato furto immane proferret mendacium, rem eò penè perduxit, vt ob data ab illo indicia homines probi & innoxij famæ, vitæ & rerum ſuarum propemodùm iacturam facerent. Quandò igitur iſthæc Concio incantationum mentionem facit, illi mihi certa ratione docendi ſunt, qui ſciſcitâtur, ecquid tamen de maleficijs & incantamentis ſentiendum ſit: vtrùm diabolus & huius adminiſtri incantatores, vllum poſſint homini adferre detrimentum vel in corpore, vel in bonis, vel pecoribus per tempeſtates, grandinem, &c. atque vndè hæc eis poteſtas in Dei creaturas facta ſit. Ad quæ ſic reſpondeo: Quemadmodùm ſolus Deus vniuerſas condidit creaturas, ità etiam ſolus eaſdem habet in ſua manu, nec quiſquã eas indè poteſt eruere: neque diabolus vllam habet poteſtatem, vel in minimã creaturam: nec vel pilum capitis noſtri inflectere, aut vllius arboris folium poteſt commouere ſinè permiſſiõe diuina. Sed ſi Deus permittat, iam multæ ei vires, multaque aſtutia ſuppetit, poteſtq; magna quædam efficere, adeò vt dicere vix queam, quid non poſſit per ſe ſuaq; maleficia. Deut. 32. Iob 10.

Quas vires habeant incantationes, declarant Magi Pharaonis in Exodo, qui penè eadem omnia ſigna & miracula ediderunt incantamẽtis ſuis, quæ Moſes in digito Dei. Quòd etiam Satan & Magi illius freti ope, noxiâs tempeſtates, procelloſos ventos, fulgura & ignẽ è nubibus excitare queant, docet hiſtoria Iob. Quòd quiſpiam Magicis incantationibus in membris contrahi ac eneruari, aut alioquì morbis acerrimis & raris ac inſolentibus diuexari poſſit, itidèm Iob argumento eſt, cuius totum corpus percuſſit Satan vlcere peſſimo: patet etiam in illa muliere, cuius mentio fit apud Lucam 13. Quinimò quòd malus dæmon queat hominem etiam penitùs enecare, declarat Scriptura in primogenitis Aegyptiorum, quę omnia malus angelus vna nocte interemit, Pſalm. 77. Quod igitur quandoquè potuit diabolus, id poteſt nunc quoquè: nec poſſum eius poteſtatis certũ aliquem modum edicere. Cùm enim Deus id illi permittit, credendum eſt, eum magna & ſtupenda quædam poſſe efficere, ſicut & efficit per Magicas ſuas artes. Interim tamen diabolum eiuſque incantatores prorſus nihil timere debemus, ſed ſolùm Deum. Neque enim incantationes vllam habere poſſunt energiam ſinè permiſſione diuina, nec vel capillum inuertere, aut arboris folium decerpere poſſunt, niſi Deo priùs permittente. Nôſſe igitur debet & perſuaſum habere Chriſtianus, Deum authorẽ eſſe omnium tum bonorum, tum malorum quę hominibus eueniunt, itemque pro-

Exò. 7. 8. Iob 1. Iob 2. Exod. 12. Pſal. 77.

ſperæ & aduerſæ fortunæ. Et bona quidem vel per ſe, vel per angelũ ſuum bonum exequitur: mala autem cõmittit angelis malis, diabolo eiusq; maleficis. Atq; huiuſmodi calamitates & afflictiones duplici de cauſa permittit Deus hominib⁹ inferri à ſatana: Quandoquè probationis cauſa, quem-
Iob 1. Tob. 12. admodùm tentatos legimus Iobum & Tobiam: Nonnunquàm in ſupplicium, vtì in primogenitis Aegyptiorum & ſponſis Saræ filię Raguelis, per ſatanam iugulatis videre licet, Exod. 12. Tob. 6.

Quandocunquè ergò Deus hominem incantationibus & veneficijs ſinit lædi & damno affici, non debet id incantatori imputare, ſed ad Deum potiùs confugiet: ille enim huiuſmodi ipſi accidere permittit: pœna illa à Deo irrogatur, qui incantatore ceu adminiſtro tantùm vtitur. Hinc ignis
Iob 1. ille, quo ſatan permittente Deo oues & pueros Iobi abſumpſit, ignis DEI appellatur, nec vllius rei ſatanam incuſauit, ſed agnoſcens manum Domini, ait: Dominus dedit, Dominus abſtulit. Hæc eò vobis deſeruiẽt, vt corda veſtra ad DEVM conuertatis, eumq; timere diſcatis. Si enim DEVM timeatis & ametis, eique adhæreatis, facilè ab omnibus incantamentis eritis tuti ac liberi. Aut ſi quid eiuſmodi vobis accidere ſinet, ſi eum dilexeritis & timueritis, id vobis in bonum cedet & cooperabitur, vtì hoc euidenter teſtantur hiſtoria Iob & Tobiæ.

Sin autem à præceptorum diuinorum obedientia deflectere, vosque ſubducere velitis, nullam equidem ab incantationibus vobis ſecuritatem polliceri velim. Fidenti igitur ſitis animo, & diabolo ac eius incantatoribus inſultetis. Id enim pro certo habendum eſt, ſi eam DEVS maligno dæmoni faciat poteſtatem, vt quempiam illi punire liceat, ſatis eiuſmodi homini poteſt faceſſere negocij, poteſt eum omnis generis affligere & diuexare incantamẽtis: & licèt is homo gigantæa ſit audacia præditus, nullæ humanæ vires, nulla audacia ſatis eſſe poteſt aduerſus ſatanæ vim & potẽtiam, quandò illi ea vtì DEVS permittit. Quod ſanè meritò nos ad præſtandam DEO obedientiam impellere deberet, habituros illic firmiſſimum ac tutiſſimum contra diaboli vim & poteſtatem præſidium.

CONCIO XXIII. HABITA

Dominica decimaoctaua poſt Trinitatis, Anno 1542.

PRoxima Concione, auditores in Chriſto chariſſimi, nonnullas ſuperſtitiones & Magicas incantationes indicaui, & ex Scripturis diuinis redargui, cùm meræ ſint idololatriæ & peccata aduerſus primum Decalogi præceptum, quo vetuit DEVS, nè Deos alienos habeamus coram ipſo. Quicunque tunc me docentem audiuit, dictaque mea benè mandauit animo, ac fideli memoria cõplexus eſt, optimo ſanè iure illi dolere poſſit, malignum dæmonem rebus tam ridiculis, nulliusque vel momenti vel efficacię, animos Chriſtianorum tam miſerè poſſe occæcare, eorumq; amorem, metum & ſpem à tam potenti, forti, fideli & benigno DEO auer-

auertere,& in tam ludicras ac ridendas ineptias & deliramenta pertrahere. Probro ac dedecori nobis eſt coram DEO & mundo vniuerſo,quòd nos Chriſtiani veram in DEVM fidem non altiùs noſtris affiximus & complexi ſumus animis, nec maiori cura & ſolicitudine conſeruamus, quàm vt malus dæmon Deum & eam ipſam fidem eiuſmodi friuolis geſticulationibus noſtris ex cordibus exturbare queat. Ludibrio ſanè erimus, ac ignominia notabimur coram DEO & creaturis omnibus in illo ſupremo iudicij die, quòd maiori non fuerimus ſapientia & prudentia præditi.

Eiuſmodi ſuperſtitiones,cùm non ſolùm ridiculæ ſint,& cum præpotentis Dei coniunctæ contumelia,ſed & noſtræ ſaluti pernicioſæ, haud ſecùs quàm vera quędam cum dæmonibus pacta vitandę ſunt homini Chriſtiano. Nanque hæc pacta & fœdera, noſtræ infidelitatis,& ſummi DEI blaſphemiæ ſigillis nobis obſignanda ſunt, nihil alioquì roboris & firmitatis habitura. Neque verò quiſquam hoc prętextu ſe excuſet,quòd res friuolæ & ridiculæ ſint. Satìs enim ſerium,graue & pernicioſum eſt, quicquid corda noſtra à Deo abducit: & qui in exiguis fiduciam ſuam à DEO ad creaturas & ſuperſtitiones transferre aſſueſcit,is deincèps longè minùs in rebus grauioribus DEO confidet. Et quāto magìs friuola eſt occaſio, quæ nos ad idololatriam pellicit,tanto grauius eſt peccatum noſtrum, quòd nō magìs firma & conſtanti fide ſumus. Sed de his ſatìs.

Nunc tranſibimus ad alias idololatriæ ſpecies, easq́; in lucem prolatas redarguemus, vtpotè quibus fit,vt DEVS in cordibus noſtris pro DEO non habeatur,nec ei debitus tribuatur ac impendatur honor.

Audiuimus iam antè, in quibus vulgus & rudis plebecula delinquat & deficiat, vtì malignus dæmon illis ad ludū & ludibrium abutatur, eorumq́; corda ridendis ſuperſtitionib⁹ inuadat & occupet, vt fiduciam ſuam à DEO auerſam,in res creatas conferant, non ſinè graui ipſius DEI contumelia, & primi huius præcepti violatione: Non habebis Deos alienos corā me. Alios porrò, qui doctiores & ſapientiores ſunt, quàm vt huiuſmodi ridiculis ac puerilibus ſuperſtitionibus capiantur, alio quodam laqueo aliquantò ſubtiliori & acutiori nequiſſimus ille ſatan aggreditur, eoq́; in multorum doctrina & ingenio prętantium cordibus deteſtabiles quaſdam & peruerſas idololatrias innectit & illigat, idque ſub fuco & prætextu ſubtilis & inſignis cuiuſdam ſcientiæ,atq; hac ratione eruditos vna hac ſcientia vel arte tam procùl à recto tramite abducit, quàm rudiores per ſuperſtitionem: vtì nè omninò quicquam ſit in mundo ab illius dolis,technis & machinationibus tutum ac liberum. Hęc verò idololatrica ſcientia nuncupatur Aſtrologia, qua homines acuti futura omnia præſcire, atq; de ijs ex motu ſiderū ac ſtellarum certò doceri ſe poſſe perſuaſum habent. Et quanuìs ea ipſa ſcientia apud vulgus hominū Chriſtianorū hac noſtra ætate non admodùm in vſu ſit,at tamen per eam plurimùm ꝓmouet ſatan, multumq́; lucri facit apud illos, qui ſibi acuti & ſapientes videntur: qui licèt omnes hanc artem

ipſi non calleant, ab alijs tamen ſeduci ſe ſinunt, ijsque fidem commodant: atque ità tandèm eò res redit, vt per Aſtrologiam multi malè ſeducti, fiduciam ſuam à DEO penitùs auocent, plusque ſibi timeant & ſperent ab aſtris, quàm ab ipſo Deo. Quamobrem tantillum temporis mihi æquis animis impendite, donec breuiter ex Scripturis diuinis declarem, quid hæc ſcientia boni & mali, quid vtilitatis & exitij fraudisque in ſe habeat.

Principiò non ignoramus præpotentem illum ac benignum Deum ſidera eadem ratione, qua cæteras creaturas, in miniſterium & vſum hominis condidiſſe. Itaque malum non eſt, haſce ſanè præclaras creaturas, nempe ſidera, obſeruare. Ad multa enim vtilia & commoda ſunt. Vndè id conficitur, Aſtrologiam bonam & vtilem eſſe ſcientiam, ſed ità tamen, ſi debitos fines non excedat, & aſtris eum in finem vtamur, in quem à Deo condita ſunt. Vt autem curſu ſiderum rectè vtendum ſit, indicat DOMINUS Geneſ. 1. Sint in ſigna & tempora & dies & annos. En tibi veram Aſtrologiam, & ad quid aſtris vti debeamus, ſcilicet vt ſint ea nobis in ſigna. Quarum autem rerum ſigna? Videlicet, impendentis pluuiæ, futuræ ſerenitatis, imminentium ventorũ ac tempeſtatum, itemq; ſiccitatis: hæc enim ex aſtrorum contemplatione queunt cognoſci, & huiuſmodi ſcientia plurimùm conducit rebus humanis. Ità nautæ ex ſiderum contẽplatione futuras tempeſtates præuidentes, intra portũ ſeſe continent, & tum ſuam, tum aliorum vitam conſeruant, qui naufragium paſſuri fuiſſent, niſi Aſtrologia imminens periculum docuiſſet euitare. Et prudentes agricolæ diutino vſu opportunitatem ſiderum obſeruantes, diſcunt, quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram vertere conueniat.

Deut. 4.

Matth. 16.

Hac ſcientia libenter nos Deus vti permittit: immò hac occaſione fecit Deus præclara cæli aſtra, vt noſtris commodis deſeruiant, ſintque nobis in ſigna: largitusque nobis eſt rationem, qua eiuſmodi ſigna obſeruare, eorumque ſubſecuturos effectus & operationes præſcire queamus, idque totum in Dei gloriam. Vndè re ipſa diſcimus, vt benigniſſimus Deus omnia condiderit in vtilitatẽ noſtram, modò nè ſimus ſocordes & deſides, & eorum vſum non detrectemus addiſcere. Prætereà ſidera vel luminaria cæli diuidunt diem ac noctem, & ſunt in ſigna & tempora & dies & annos, idq; ex ordinatione DIUINA. Hactenùs igitur Aſtrologia intra ſuos ſeſe terminos continet, & ſic quoquè ars eſt & bona & vtilis, nec à DEO prohibita. Verùm nonnulli eius artis profeſſores non ſinunt illam his limitibus contineri, ſed quiddam longè maius illi tribuẽtes, totam cuiuſlibet hominis vitam aſtrorum imperio ſubijciunt, nec verentur aſſerere, quicquid in terris geritur, proſpera & aduerſa omnia, pacem, bellum, annonæ caritatem & vtilitatem ex inclinatione & virtute ſiderum proficiſci, tanquàm nullus iam ſit in cælis Deus, qui res & actiones humanas pro ſuo arbitrio diſponat ac moderetur. Hîc igitur Aſtrologia facit ad execrandam flagitioſamq; idololatriam. Eò enim animos hominum pellicit, vt non Deum iam, ſed

aſtra

aſtra vereantur: non Deo confidant, ſed ſideribus: ſalutem ac proſperitatem non à Deo, ſed ab aſtris quærant. Dicturi enim iam ſumus, quibus rationibus ipſum hominem cum omni illius fiducia à Deo auertant, eumq; aſtris inniti ac fidere iubeant.

Simulatquè homo in lucem editus eſt, ex motu cæli & ſiderum prædicere ſibi poſſe vidētur, quomodò & quouſquè victurus ſit. Hic, aiunt, opulentus ac prudens & potens futurus eſt, multis & populis & regionibus imperans: Alius perpetua laborabit inopia, eritq; homo prodigus, ad aleam, furta & rapinas propenſus, & malè peribit.

Præterea nôrunt tempora & momenta, quibus hoc vel illud feliciter liceat auſpicari. Quiſquis hoc tempore vxorem duxerit, multa apud illam pace & concordia, itemq; honore & diuitijs perfruetur. Qui verò alio momento matrimonium contraxerit, in ſumma diſcordia, paupertate ac miſeria viuet. Si quis hac hora domum cœperit ædificare, aut in eam immigrare, huic omnia in ea proſpera contingent. Alio tempore, omnia planè aduerſa experietur. Itidèm ipſi de ambulatione vel itineris ingreſſu, alijsq; hominum actibus & negocijs vaticinantur.

Porrò iſthæc vaticinia duplicis cuiuſdam mendacij facilè redarguero, idq; duplici ratione, ſed vna ex his perſonam meam potiùs decet. Poſſem enim alijs argumentis huius ſcientiæ vanitatem edocere ac demonſtrare, ſed conuenientius fuerit, vt nos tanquàm Chriſtiani, verbo diuino eam retundamus ac condemnemus, audiamusq; vt ſacræ literæ ab hac nos idolatriæ dedita auocent & auertant. Priùs tamen in Diaboli deriſum artis huius ſtultitiam nônihil in apertum producam, & vt quilibet idiota laicus diaboli fallaciam & mendacia queat animaduertere.

Principiò vbi infans vtero materno prodijt, cōtinuò pronūciat Aſtrologus: Hic perpetua fruetur proſperitate, & felices honeſtasq; nuptias contrahet. Is idem vbi iam exceſſit ex ephebis, & ad matrimonium adſpirat, alium quempiam aſtrologum conſulit. Vxorem, inquit, hac hora ducturus ſum: quæſo conſideres, proſperúmne an inauſpicatum futurum ſit coniugium. Ille cęli curſum intuitus, reſpondet: Nuptię, quæ hoc tempore contractæ fuerint, erunt inauſpicatæ, & nihil niſi rixas, ignominiam, & paupertatem adducēt. Eccè quàm diuerſa oracula. Prior reſpondit omnia ſita in hora natiuitatis: Hic porrò ait, à tempore, quo quippiam aggredimur & auſpicamur, pendere omnia. Sic interim iſti ſapiētes Magiſtri planè dubium & incertum te reddunt, ità vt iam ignores, an ab hora natalicia, an verò ab ea, qua quippiam inceptas, fortuna tua dependeat.

Deindè ſi quædam ſidera ea ſunt natura, vt qui ſub illis natus ſit, in regem aut principem euaſurus ſit: motus autem cæli celerrimus eſt: neceſſarium igitur erit, vt illa ſidera ſæpenumerò ea attingant loca, in quibus reges efficere ſolent. Qua itaque ratione accidit non naſci principes quotidiè? Aut quid cauſæ eſt, quòd Regum & principum coniuges ſemper hanc

tam

tam proſperam contingunt horam,& non niſi reges & principes pariunt: Agricolarum autē miſerę vxores hanc tam felicem horam nunquàm poſſunt attingere, vt reges & principes generent, cùm tamen veriſimile ſit, eodem momento,quo parit regina, etiam coloni alicuius vxorem partum edere? Cur, inquam, illius filius euadit in regem,hic verò manet colonus, cùm tamen eodem tempore vterque vitæ ſumpſerit exordium?

Poſtremò percontoris ex tali quopiam Aſtrologo hunc in modum: Eſau & Iacob,gemelli eadem hora ſimul materno prodiêrunt vtero, adeò vt Iacob poſterior plantam fratris manu teneret.Si ergò omnis fortuna in eo ſita eſt,quomodò aut quandò quis naſcatur, & tanta eſt ſiderum vis & efficacia, quî factum eſt igitur,vt iſti tam per om̃ia diſſimiles euaſerint, qui tamen ſecundùm artis huius præcepta futuri erant ſimillimi, quòd ſub eodem ſidere in lucem editi eſſent?Si dicat Aſtrologus,conſtellationem vnico momento in cælo mutari:Reſponde, Nunquàm ergò mi mathematice verum pronunciabis.Quis enim illud ipſum momentum certò tibi indicabit,quo prodiêrit infantulus? Intereà dum obſtetrix conſiderat, maſculúsne ſit,an fœmella, & nuncius feſtinat vt extra oſtium natum puerũ tibi annunciet,iam tria aut quatuor, vel ꝑmulta fortaſsis fluxêre mom̄ta. Gene. 25.

Ex hoc laqueo nullus ſeſe mathematicus poterit extricare, quantunuìs ille acutus & ſolers ſit. Si dicat tantillum temporis nihil referre: tu ex illo ſciſciteris,vndè tanta diuerſitas Iacob & Eſau, & multorum aliorũ infantum ex maternis viſceribus eodem tempore prodeuntiũ exiſtat? Si reſpõdeat id eſſe ſitum in momento vel ictu puncti, dicas illi: Quomodò ergò homo temerarie tam magna cuiquam auſus es polliceri,cùm iſtius mom̄ti(à quo,iuxta tuam ſcientiam vel artem, vis pendere omnia) ſis incertiſſimus?

Nunc porrò audiamus, vt ſacræ literæ cum hac idololatrica arte depugnent.Iam ſuprà dictum eſt,Deum aſtra condidiſſe vt ſint in ſigna,quę futuras tempeſtates & cæli opportunitatem prænuncient & aduehãt ad vberiorem frugum prouentum,& conſeruationem creaturarum quæ ſub cęlo ſunt.Vt autem ſtellas pro eiuſmodi ſignis habeamus,quæ totam vitam noſtram moderentur,proſperaque & aduerſa adferant,atque ità ſpem vel metum ad ſidera dirigamus, hoc ſanè tanquàm execrabilem idololatriam grauiter prohibent ſcripta diuina Deut.4. Nè eleuatis oculis ad cęlum videas ſolem & Lunam & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cuctis gentibus, quæ ſub cęlo ſunt.Item q́; Hiere.10. Iuxta vias gentium nolite diſcere,& à ſignis cęli nolite metuere.

Quid verò interſit præpotentis Dei,& cur iſthuc perpeti nolit, indè diſcimus, quòd hæc idololatrica & execrabilis ars omnem Dei timorē & religionem ex animis hominum euellit, eiusq́; honorem planè peſſundat, adeoque contēptibilem reddit Deum, quaſi rerum humanarum nulla penès

nè illum poteſtas ſit & adminiſtratio, proſperaque & aduerſa non ab illius voluntate, ſed ſolo aſtrorum motu pendeant. Proh tam immanem blaſphemiam. Si iuſtum eſt in vllam hæreſin animaduertere, meritò hęc ſcientia (impius, inquam, ille Aſtrologiæ abuſus: nanque ars ipſa certis contenta limitibus, per ſe bona & vtilis eſt) ferro & flãmis ex Republica Chriſtiana foret extirpanda. Quis enim neſciat, quàm præfractè ac è diametro DEO & diuinis eloquijs aduerſetur? Vult DEVS hominum corda ad ſe dirigi & referri, tanquàm illum, cuius arbitrio diſponantur, regantur & adminiſtrentur omnia. Ad hoc ille Scripturis vtitur, in quibus identidèm nos hortatur, vt ipſum ceu authorem rerum omnium amemus & timeamus. Hoc verò ferre non vult malus dęmon, vt id DEO nos tribuamus, adeoque ab illo pendeamus: itaque remittit nos ad ſidera, vt ea propemodùm nobis DEI loco ſint: idque ille efficere conatur in cordibus hominum per Aſtrologiam. Audiamus itaque duos diuerſos, & ex diametro inuerſos præcones, DEVM quidem in diuinis eloquijs, Satanam autem in ſua Aſtrologia. Spiritus diuinus teſtatur in Scripturis, bona omnia ad nos deſcendere à Patre luminum, Iacob. 1. Repugnat Aſtrologus, aitque fortunam tum proſperam, tum aduerſam pendere à motu ſiderum. Qui felicem rerum ſuarum ſucceſſum optat, hunc ad Deum ſcriptura remittit. Tob. 4. Omni tempore benedic DEVM. Aſtrologus autem aliam viam demonſtrat, vbi DEO nihil ſit opùs. Si quid velis auſpicari, inquit, fac proſperum tibi ſidus deligas: ità fieri non poterit, quin res cedat ex ſententia, velit nolit DEVS. Vt feliciter rei familiaris adminiſtratio ſuccedat, ad Deum confugiendum, ab eo petendam proſperitatem docent ſacræ literæ. Pſalm. 126. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Et Pſalm. 127. Beati omnes qui timent Dominum, &c. Aſtrologus verò eiuſmodi fortunam ſideribus aſſcribit, aitque, ſi quis tali conſtellatione naſcatur, eum per omnia felicem futurum, non adijciens, ſiue DEVM timeat, ſiue non. Longè aliam proſperitatis noſtræ cauſam demonſtrat Spirituſſanctus. Si quis, inquit, vult vitam, & diligit dies videre Pſalm. 33. bonos, timeat DEVM. Et Prouer. 19. A Domino propriè datur vxor prudens. Spirituſſanctus affirmat bellum, annonæ charitatem & morbos, fla- 1. Pet. 3. gella & caſtigationes DEI eſſe, quibus ille noſtra plectat peccata. Hic ſibi metuens diabolus, nè iſthuc credamus, & ea cauſa conuertamur ad DEVM, vitamque & mores mutemus in melius, atque ità ab eius ſeruitute diſcedamus, longè ſecùs apud nos concionatur, idque per Aſtrologiam, quæ nobis perſuadere nititur, id genus aduerſos caſus non ex ira DEI aut peccatis noſtris, ſed ex aſtrorum diſpoſitione & cæli affectione proficiſci, & fataliter ac neceſſariò ità fieri oportere: tum verò nos cogitamus, nihil nobis profuturum, ſi ad meliorem frugem nos recipiamus: proindè in eodem ſemper luto hæremus. A ſignis cæli, inquit Propheta, nolite timere: Qui Hier. 10. ea timet, DEVM timere non poteſt.

CON-

CONCIO XXIIII. HABITA
Dominica XIX. poſt Trinitatis, Anno 1542.

PRæcedentibus aliquot concionibus, auditores in Chriſto chariſſimi, omniuarias occultas & ſpirituales idololatrias didicimus agnoſcere, & quibus modis primum Decalogi mandatum tranſgredimur, quo præcipit Deus, nè DEOS alienos habeamus coram ipſo. In horũ verborum exegeſi audiuiſtis, omne illud in idolum cõuerti, in quo, neglecto Deo, ſpem & fiduciam collocamus, etiamſi coram eiuſmodi creaturis in genua minimè prouoluamur, aut ore eas adoremus, modò animo & corde illis innitamur, meliùs ab illis, quàm à DEO nobis polliceamur & ſperemus: plùs eas diligamus, quàm DEVM: ſi non liceat illis potiri, aut adeptis deſtituamur, magìs id queramur, quàm ſi Deum ipſum amittamus, immò & Deum multotiès deſeramus cùm omni illius voluntate & obedientia, atque ad creaturas nos conuertamus. Hæc eſt enim vera idololatria, & eiuſmodi factis Deum abnegamus, licèt pleno ore perpetìm deteſtemur idola, ac dicamus nos credere in vnũ DEVM. Appellatur autem hæc & eſt ſpiritalis ac interna idololatria, quandò apparatu quidem & rebus quibuſdam externis Deum colimus, animus autem eſt idololatra & longè à vero Deo.

Præter hanc alia quædam eſt eaque externa idololatria, videlicet craſſus, impurus & ethnicus idolorum cultus, ſtultitia & cæcitas illa palpabilis, qua corpus, animus, cor & geſtus hominum per præſtigias & faſcinationẽ Satanę à vero Deo abducuntur, & ad ſimulacra transferuntur ac diriguntur. Sub hac idololatria comprænhenduntur, qui oculis ad cęlum leuatis, vident Solem & LUNAM & omnia aſtra, eaque adorant & colunt ceu deos ſuos, à quibus omnia ſibi proſpera euenire exiſtimant, cùm tamen Deus Solem, LUNAM & ſtellas condiderit, non vt nos illis, ſed vt illæ noſtris commodis deſeruiant, non vt deorum loco nobis ſint, ſed in miniſterium: longeque nos præſtantiores ſumus coram Deo illis creaturis, quas condidit noſtra cauſa, vt eſt videre Deut. 4. Sub hac tam craſſa idololatria, & palpabili ſtultitia, compręhenduntur omnes illi, qui mutauerunt gloriam cęleſtis, omnipotentis & incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, quorum ſimulacra & ſtatuas in templis ſuis collocârunt, easque adorârunt, hac ducti opinione, quòd iſtiuſmodi imagines aliquid eis vel commodare, vel incõmodare poſſent, & præterea nullum vel agnouerunt vel putauerũt Deum eſſe, à quo vel proſperi quid, vel aduerſi foret expectandum. (Rom. 1.)

Hanc idololatriam Deus grauiter ſuo populo & nobis prohibet, ſeuera primi præcepti huius appendice, cuius explicationem nunc aggrediemur. Eſt autem huiuſcemodi:

Non facies tibi ſculptile.

ETHnicus iſte idolorum cultus, vel ethnica idola colendi ratio, mea quidem ſententia, latiori quàm quæ hactenùs allata eſt, vel demonſtratione,

ne, vel repræhenſione non indiget. Vt autem hanc appendicem penitiùs excutiamus, operæprecium facturus videor, ſi anxiam ſolicitudinem quorundam animis eximam, qua noſtrì cauſa afficiuntur. Scio enim eſſe nonnullos, qui dum attendunt, quàm grauiter Deus ſculptilia vel ſculptas imagines prohibeat, non mediocri cura afficiantur propter nos Catholicos & veteris Eccleſiæ ſectatores: (gratiam illis tam nos habemus, quàm illi benè nobis volunt & cupiunt) Metuunt enim noſtra cauſà, nè fortè nos quoquè peccemus in primum Decalogi præceptum vſu ſtatuarum & imaginum, quæ paſsìm in Eccleſijs conſpiciuntur.

Atquì nos illos iubemus miſſam facere hanc curam & ſolicitudinem. Eccleſia Dei Chriſtianos iam indè ab initio ſic educauit, & iam vltra 1500. annos nos edocuit, vtì imagines in Eccleſia ſinè idololatria retineri poſſint, vt hac in re (Deo ſit gratia) cum Eccleſia Catholica non ignoremus, quemadmodùm nos gerere debeamus. Atq; vtinàm faxit Deus, vt pleriq; ab impia temeritate & inſania tam verè ſibi temperare nórint, quàm nos pro veteris Eccleſiæ conſuetudine nouimus declinare idololatriam in ſtatuis & imaginibus, itemq; inuocatione ac veneratione Sanctorum. Neq; tamen inficiamur præter legitimū Eccleſiæ vſum, etiam abuſus quoſdam irrepſiſſe circa imagines, venerationem & inuocationē Sanctorum. Atq; hac in parte nō eſt omninò immunis orbis Chriſtianus ab idololatria. Verùm quicquid huiuſmodi eſt, non eſt id imputandum doctrinæ Eccleſiæ, quę legitimum imaginum vſum nunquàm ignorauit: ſed potiùs infirmorum ignorātiæ, qui verę ac orthodoxę perdiſcendę doctrinę incurioſi fuēre, & pro ſuo quiſque ſenſu & iudicio diuos coluerunt. Et ij quidem interdùm eiuſmodi honorem & cultum ſanctis impenderunt, qui non admodùm abhorreret ab idololatria. Sed quo pacto Eccleſia Chriſti prorſùs impedire potuit, vtì nè facerent imbecilli ac rudes Chriſtiani ſecùs quàm Catholica pręſcripſiſſet doctrina? Eundem in modum nec illud veritati debet officere, quòd deſides quidam & negligentes Epiſcopi & parochi, ſana germanaque poſthabita doctrina, rudis plebeculæ errores, ſi qui incidiſſent, non indicauerunt: immò verò quandoq; etiam errorū & ſuperſtitionum eis anſam prębuerunt. Aliud eſt enim, quòd quis docet aut meritò docere deberet: & aliud, quod tolerari ac diſſimulari oportet. Nunquàm tam feliciter actum eſt cum Eccleſia, vt populus Chriſtianus abſq; vllo defectu ad ea omnia obſeruanda poſſet induci, quę ſyncera Chriſtianę religionis doctrina requirit. Et ſi hodieq; doctrinam Chriſtianam ex vita, factis & moribus noſtris æſtimare vellemus, fatendum eſſet, nullam in Chriſtianitate eſſe ſanam doctrinam, ſed non niſi errores & impoſturas apud nos hęrere. Atquì verò diſcernenda ſunt facta infirmorum à doctrina, & pro comperto habendum, id cum vero coniunctum eſſe, quod ſana & ſyncera doctrina pręſcribit ac pręcipit, etiamſi maxima Chriſtianorum pars contrà faciat.

Quoniam itaq; circa hoc primū Decalogi præceptum opportuna ſeſe

m offert

offert occaſio,& neceſſarium eſt docere de imaginibus,veneratione & inuocatione Diuorum, vti hæc omnia abſque idololatriæ vitio,& ſinè gloriæ diuinæ iniuria fieri queãt apud Chriſtianos,iam indicaturus ſum, vt Eccleſia iamindè ab initio per orbem vniuerſum hiſce de rebus docuerit,in ijsq́; ſeſe geſſerit ſemper. Quod eò nimirùm conferet, vt homines pij ſemèl addiſcant, quo pacto imagines, venerationem & inuocationem Sanctorum & electorum Dei, magno cum fructu & abſque vlla honoris diuini iniuria poſſint vſurpare,atque ità conuenienter ſeſe gerere pijs omnibus è religione Chriſtianis,qui indè ab initio toto in orbe Chriſtiano fuêre. Porrò qui ab huiuſmodi rebus abhorrent propter abuſus quoſdam, & ob hoc in prophanas nouationes propenſi ſunt, hi ex hac noſtra inſtitutione facilè intelligẽt,quàm nec nos quidem delectemur abuſibus & ſuperſtitionibus, neque in veneratione diuorum quicquam tolerare vel poſſimus, vel velimus,quod in honoris diuini iniuriam cedere queat. Quòd ſi verò illis hac inſtitutione necdùm erit ſatisfactum, volentque nobis hac in parte bona ſimul cum malis interdicere,atque ità nos penitùs ad ſuas κενοφωνίας & nouationes pertrahere,hoc ſibi perſuaſum habere debebunt, mâlle nos ipſis eſſe exoſos,& ludibrio eius rei cauſa, quę ſit orthodoxa, & quã cum Catholica Chriſti Eccleſia communem habeamus,quàm laudis & amicitiæ ipſorum ſtudio,ab ea doctrina & conſuetudine deſciſcere,quam in Repub. Chriſtiana iam indè ab initio ceu bonam,receptam & approbatam comperimus. Equidem hac in re cum nemine digladiari velim: ſi cuius palato non ſapit Catholica veritas,huic per me liberum eſt ſuo ſenſui inhærere. Hoc autem coram omnibus pijs teſtatum volo,me de veneratiõe & inuocatione Sanctorum non aliter docturum,quàm indè ab exordio in toto orbe Chriſtiano doctum,traditum, & obſeruatum ſit. Nullas ſuperſtitiones vobis proponam,quales interdùm in Eccleſia plùs ſatìs toleratæ ſunt. In illis ego veſtigijs inſiſtam,quibus Chriſtiani omnes ante nos ab ipſis primis Eccleſiæ initijs in hunc vſque diem ingreſſi ſunt. Alius expenderit, an præſtet illi Eccleſiæ adhærere, quæ indè ab initio ad nos vſque perdurauit, & tot ſanctos doctiſſimosq́ue martyres aluit & educauit:an tutius ſit,ad ſectas nupèr ortas deficere. Illud ſanè veriſſimè affirmare queam, ſi erramus in ijs quæ modò de imaginibus,deq́ue veneratione & interceſſione diuorum ex me audituri eſtis,iam Chriſtianos omnes, cunctosq́ue martyres, epiſcopos & doctores, qui iam indè ab initio Chriſtianiſſimi omnibus Chriſtiani orbis locis in hæc vſque tempora magna cum laude docuêre,in errore verſatos eſſe.

At nunc doctrinam & morem ſiue conſuetudinem Eccleſiæ Catholicę vobis indicabo, primò de ſtatuis & imaginibus Sanctorum,deindè de veneratione & inuocatione eorũdem. Qui habet aures audiendi,audiat. Qui autem ad hanc doctrinam nauſeat, huic valuæ & oſtia cũcta patent. In primi præcepti appẽdice haud obſcurè ſubindicat Deus, quid in imaginibus ipſi

Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.

ipſi

ipſi diſpliceat & inuiſum ſit, quidque in Diuini honoris & gloriæ ſuæ derogationem cedat, dum inquit: Non adorabis ea, neque coles.

Cùm Deus legem ſuam per Moſen promulgaret, vniuerſum orbẽ perſuaſerat craſſa illa & externa idololatria, vt ſimulacra adorarent, ad quod etiam populus Iudaicus admodùm erat procliuis, vix; indè prohiberi & arceri poterant, quod apud vicinos circunquaquè gentes & populos in more poſitum videbant. Quamobrem neceſſum fuit, vt Deus tam grauiter & ſeuerè præciperet, nè vllum omninò ſimulacrũ effingerent, eo ſcilicet animo, vt illud colerent & adorarẽt more gentium. Alioquì enim & apud Iudæos legimus fuiſſe imagines & ſimulacra, vt Cherubim, Exod. 25. Item ſerpentem in deſerto, Numer. 21. Effigiem Lunæ in infula ſummi Pontificis: Imagines leonum & boum in templo Salomonis, 3. Reg. 6. & 7. at nequaquàm in hunc vſum, vt pro Dijs haberentur, colerentur, & adorarentur, quod ſolùm in cauſa eſt, cur Deus imagines abominetur. Ex his iam facilè poterit colligi, qua ratiõe in Eccleſia vtiliter vſurpari queant Diuorum imagines, & quid de illis vel ſit, vel non ſit ſentiendum: Imagines eo habere loco, tanquàm ipſæ ſint Sancti vel Dij: in illis ſuam collocare fiduciam, quaſi per ſe vel nocere vel opitulari queant: itemque illas propter ipſas colere & adorare non licet. Neq; enim illæ, quatenùs fabricatæ vel factę imagines ſunt, ſanctius aut melius aliquid in ſe continent præter ligna, lapides & colores. Cæterùm vti imaginibus, vt nobis in memoriam redigant ea, quæ Deus per Chriſtum & ſuos Electos in ſalutem noſtram operatus eſt, hic vtilis, pius & planè Chriſtianus eſt imaginũ vſus, quem nemo iurè carpere vel criminari poſſit.

Vnico agè exemplo diſcite, qua ratione vtiles ſint & ad pietatem conducant imagines. Exigit à nobis Deus, vt ſacrorum eloquiorum operumq; ſuorum memores ſimus, nec vſquàm tamen præcipit, vt verba ſua aut calamo ſcribamus, aut typis excudamus: & ecce nemo eſt, q reprehendat, quòd verba Dei literis mandamus, vt eorum apud nos memoria poſſit conſeruari. Quanuìs igitur nullum de fingendis ſtatuis & imaginibus mandatum in ſcripturis Diuinis extare videatur: at nihilo minùs bonum eſt eſſe imagines, vt memoria diuinorum operum apud vulgares laicos conſeruetur incolumis, cùm illi ea in imaginibus quidem poſſint cernere, in libris verò legere non poſſint.

Atque hunc ſolùm in vſum, eiuſmodi videlicet admonitionis cauſa, aſſeruandæ imagines ſunt: neutiquàm autem propter ſeipſas coli vel adorari debent: nec ſanctiores putandę ſunt in ſeipſis, nec aliter vſurpandæ, quàm literæ in codicibus. Sed inquies: Palàm conſpicimus homines nonnunquàm capita nudare, & genua flectere coram ſimulacris: hoccine iuſtũ videtur? Reſpondeo: Rectè id fieri equidem pronuncio, ſi ſyncero, puro, & recto fiat animo. Si codicem perluſtrans, legam hæc verba: IESVS Chriſtus ſalutis noſtræ aſſertor crucifixus eſt pro peccatis noſtris: nemo mihi vitio

vertit,ſi aperto capite & flexo poplite Deo gratias agam pro meâ liberatione & redemptione. Siquidem literis ipſis hoc honoris non exhibeo, quæ admonent me huius beneficij:ſed illi mea curuo genua,quem illæ mihi in memoriam reducunt:is enim ſanctus eſt & hoc honore digniſſimus: porrò literę nihil quicquam ſanctitatis habent,nec huiuſmodi honorem promerentur. Quandò itaq; oculos ad pictam ſculptámve imaginem aut crucem attollo, iam in mentem mihi venit illius ipſius, nempe Ieſum Chriſtum ſeruatorem meum pro peccatis meis mortem oppetijſſe. Quis igitur mihi vitio vertat,ſi caput aperiam, in genua procumbam, vt hoc ipſo Deo gratum me declarem? Non enim imagini propter ipſam hoc honoris exhibeo,ſed illum potiùs veneror in imagine,quē ea deſignat: ille enim ſanctus eſt:atquì imago per ſe nihil habet ſanctimoniæ,præter ſanctum & pium vſum, ſiue ipſa ſit lignea, ſiue ſaxea, aut quibuſcunq; coloribus expreſſa:quemadmodùm & codex non eſt niſi charta & atramentum. Habemus imagines ob refricandam memoriam,nec vllus eſt,qui dicere auſit eiuſmodi paſſiones & rerum à Chriſto mirabiliter geſtarum memoriam non eſſe bonam,vel nō neceſſariam. Sunt igitur imagines Chriſti,ſi ſic eis vtamur, & bonæ & vtiles, immò & neceſſariæ. Eodem modo de imaginibus Sanctorum ſentiendum eſt,videlicet,vtì ceu quędam monimenta habeantur. Ad quid autem iſthęc memoria nobis inſeruiat, eo loco dicturi ſumus,vbì tractauerimus,quam ob rem Eccleſia Catholica memoriam Sanctorum in Chriſto iam olim defunctorum celebret.

Porrò fatendū eſt,non planè nullū circa Sanctorū imagines quandoq; abuſum incidiſſe inter Chriſtianos:ſed nō propter abuſum prorſus oppugnandę & profligandę erant imagines. Abuſus concionib⁹ & admonitionibus arceri debet, vt legitimus vſus ad vtilitatem & ſalutē Chriſtianorum conſeruetur. Primus itaq; imaginū abuſus, meritò redarguendus & vitandus hic eſt,quòd rudis & imperita plebecula fiduciā quādoque in ipſis imaginibus ſolet collocare,putatq; imagines illas per ſe cæteris ſaxis & truncis & rebus pictis nōnihil pręſtare,peneq; ſibi perſuadet,ſenſum & energiam quandā ineſſe ipſis imaginibus, quaſi cogitationes & precatiões ipſorum intelligant, & auxiliū pręſtare queant. Hæc deteſtabilis eſt idololatria. Hîc ſimpliciores ſunt erudiendi, imagines per ſe nihil eſſe, niſi ſaxa,ligna,metallū,vel colores. Quanquàm nihilominùs & chariores nobis eſſe debent, maiorq; eis deferendus eſt honor,quàm alijs lignis vel truncis:non tamen propter ipſas nudas imagines,ſed propter ea, quę per illas deſignātur ac repræſentantur: vt ſi quis caput inclinet corā imagine Crucifixi,ſcire debet, hanc reuerentiam imagini illi, quatenùs lignū eſt, non congruere: ſed illi hunc haberi honorē,qui per imaginē ſignificatur. Non abſimilis eſt error, quandò ignotorū diuorum collocantur imagines. Cuius enim te admonebit imago,ſi ignores quem ſignificet? Hîc nanque animus & affectus tuus ſoli inhæreſcit imagini,eamq; ſibi ipſi execrabile fingit idolum, &c.

Ter-

Tertius abuſus eſſe videtur in admittendis nimiùm multis, ijsque minimè probatis & Eccleſiæ ignotis ac prorſùs apocryphis hiſtorijs.

Quartò culpandus ille abuſus eſt, quòd tantis ſumptibus & impendijs apparantur imagines, quum tamen hæc rectiùs conuerterentur in vſum miſerorum & pauperum, & imagines nihil aliud eſſe debeant, quàm monimenta quędam & ſigna vel ſignificationes. Quid verò plus ſignificat vel repręſentat crux aurea, quàm lignea? Quorſùm attinet, ingentem vim auri impendere in imagines, cùm interìm plurimi fame & inedia torqueantur? Putásne Chriſto gratum fore, ſi imaginem eius auro vndiquè circundes, ipſum autem frigus, famem & penuriam perferre ſinas? Si imagines eius immodicè exornentur, viua verò eius membra negligantur & contemnantur? Eiuſmodi honorem amico exhibeas, & haud magnam tibi habiturus eſt gratiam. Iubeas eius imaginem depingi ad parietem domûs tuę, idque elegantiſſimè: vbi autem ipſe tecum perquàm prandere volet, foris eum manere cogas, & nec buccellam illi præbeas. An non tibi egregiè videberis honoráſſe amicum tuum? an nō eximio illum amore proſecutus?

Quintò nimis quàm ethnicum eſt, in Eccleſijs Chriſtianis diuorum imagines tāta cum laſciuia, petulātia & vanitate depingi, haud ſecùs, quàm ſi publicę turpitudinis ſcorta fuerint.

Priſci illi Chriſtiani tanta cum grauitate efformabant imagines, vt ſpecimina quędam totius probitatis & virtutum omnium in ijs relucerent. Si qua mulier id temporis honeſtum veſtitûs genus expetijſſet, formam quandam & exemplum capere poterat ex illis imaginibus: quas quiſquis eſſet intuitus, eius animus ad virtutem & pietatem extimulabatur. Nunc autem tanta laſciuia pinguntur imagines, vt ſi alibì quàm in ſacris ædibus haberētur, non immeritò dici poſſet, formam & apparatum eſſe planè meretricium. Cùm homines mundo huic dediti ſuas aulas, gynæcea, & loca ſaltationi atque choreis deſtinata depingi volunt, illis locis huiuſmodi picturæ magis poſſint congruere. Vbi verò loca ſacra & orationi conſecrata pictores depingunt, modeſtiæ, pudicitię, grauitatis memores eſſe debebunt, & animoque reputare, cuius imaginem pingant. Debent enim ſanctorum imagines eſſe pietatis incitamenta. Noſtrę autem imagines, vt nè quid grauius dicam, parùm admodùm valent ad excitandam in intuētibus pietatem ac deuotionem. Sed aliâs latiùs de veneratiōe & inuocatione Sanctorum.

CONCIO XXV. HABITA
Dominica XX. poſt Trinitatis, Anno 1542.

VErſamūr adhuc & ſudamus in explicatione primi præcepti, auditores attentiſſimi, quo Deus vetat, nè alienos deos habeamus coram ipſo, nec faciamus ſculptilia & imagines, quas adoremus aut colamus more gentilium, perindè ac ſi eiuſmodi imagines dij noſtri ſint, qui nobis vel prodeſſe vel obeſſe queāt. In huius præcepti elucidatiōe mul-

tos commemoraui modos, quibus illud tranſgrediamur, & vtì homines è religione Chriſtiani omni ex parte in cogitationibus, verbis & geſtib' ſuis idololatriam cauere & debeant & poſſint. Eouſquè autem in huius præcepti explicatione ſumus progreſſi, vt ſuperiori Concione docuerim, quomodò ſecundùm veteris Eccleſiæ conſuetudinem, imagines cùm Chriſti ſeruatoris ſui, tum Sanctorum in templis, oratorijs & habitationibus ſuis Chriſtiani magno cum fructu aſſeruare & vſurpare queant, idque abſque omni iniuria aut offuſcatione gloriæ diuinæ.

Nunc porrò ſequitur, vt itidèm ex occaſiõe huius primi præcepti, nonnulla adferam de veneratione, interceſſione, & inuocatione diuorum, vtì hæ quoquè citra huius præcepti violationẽ fieri queant. Conabor autem rem vniuerſam Laconica breuitate perſtringere. Dociles enim ſunt pij & 2.Pet. 1. veræ religionis ſtudioſi, hoc intelligentes, iuxta doctrinam Petri, quòd oĩs prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Vbi itaque audiêrint, quid vniuerſus orbis Chriſtianus iam indè ab exordio naſcentis Eccleſiæ in huiuſmodi rebus non ſinè ſolido ſcripturarum fundamento ſenſerit & obſeruârit, manent & ipſi in conſenſu vniuerſalis Eccleſiæ, vtileque, pium ac ſalutiferum ducunt, quicquid tot ſanctiſſimi martyres tanquàm bonum & ſcripturis diuinis conſentaneum docuerunt & obſeruârunt ab initio. Qui verò in res nouas auidi ſunt, & quibus vetus Chriſtianiſmus, quemadmodùm Apoſtoli eum in Eccleſia primùm inſtituerunt, & ſancti martyres ab Apoſtolis acceperunt, & alij alijs deincèps veluti per manus tradiderũt, & ità ad noſtra vſq; tempora perduxerunt: Quibus, inquam, hic Chriſtianiſmus, hæc veteris Eccleſiæ conſuetudo diſplicet, ac proprium iudicium & ſenſus magìs arridet, quàm concors totius orbis Chriſtiani ſententia: illos ego proprio ſuo iudicio & animo adeò ſubuerſos exiſtimo, vt iam nullis admonitionibus illis poſſit ſuccurri. Vndè iuxta conſilium Pauli, opti- Tit. 2. mum eſt tales deuitare, nec fruſtrà cùm illis & ſinè vllo fructu longos miſcere ſermones. Cæcitas enim eorum, in quam iuſto Dei iudicio prolapſi ſunt, ſuum obtinebit finem. Hi ergò ſuo permittantur ingenio, ſuoq́; pergant itinere: atquì verò pijs iam ego aperiam, quid ſecundùm conſonam Catholicorum omnium ſententiam ab ipſis adeò religionis noſtræ initijs toto orbe Chriſtiano de veneratione & interceſſiõe Sanctorum doctum, traditum & obſeruatum ſit. Porrò interìm dum iſthuc aperio & cõmemoro, tam veteres abuſus, quàm nouos errores prætermittam, & germanum, Catholicum ac ſalutarem veteris Eccleſiæ morẽ & vſum depromam, nempè, quomodò Sanctos & electos Dei, fratres & mẽbra noſtra ingenti cum fructu & non ſinè fundamento & authoritate ſcripturarum venerari & inuocare liceat. Principiò veneratio Sanctorum, nihil omninò habet controuerſiæ in Catholica Eccleſia Dei: in qua cõcors & Catholica vna omnium eſt ſententia, eorum qui ſe Chriſtianos profitentur, venerationẽ Sanctorum meritò & vtiliter obſeruari in Republica Chriſtiana.

Nimi-

Nimirùm haud immeritò eos veneramur, idq́ue hac de cauſa: Confitemur in ſacroſanctæ fidei noſtræ ſymbolo communionem Sanctorum, in qua nos, qui adhuc in terris degimus, cũ illis, qui iam in Chriſto defuncti ſunt, annumeramur, ità vt ſimus omnes vnius ſocietatis, vtq́ue vnum corpus myſticum, cuius corporis caput eſt Chriſtus. Et quotquot vnquàm ab initio fuerunt Chriſtiani & futuri ſunt vſque ad conſummationem ſeculi, mẽbra ſunt myſtici huius corporis, & alij aliorum (vt ità dicam) commembra. Qui ante mille annos vita functi ſunt, in hac cõmunione nobiſcum cenſentur: eodem modo & nati natorum, & qui naſcentur ab illis, & qui poſt nos futuri ſunt, omnes ad hanc communionem pertinent. Iſthuc enim corpus myſticum integrè & ſimul ꝓmiſſiones Chriſti vt appræhendat oportet, & tandèm brabeum & gaudia æternæ felicitatis obtineat. Qui itaque nos præceſſerunt, fratres noſtri, & huius vitæ curſum pro voluntate Dei impleuerunt, nec vlteriùs iam vlli humanę fragilitati vel defectui ſunt obnoxij, ij citra controuerſiam præclariſſima ſunt huius myſtici corporis membra. Quæ nos interdùm in hac ſpiritali cõmunione impediunt, & in Dei iram nos adducunt, cuiuſmodi ſunt peccata, & peccandi libido ac prauæ cupiditates: ab his omnibus iſti fratres noſtri prorſus liberi ac tuti ſunt, gratiæq́; & amicitiæ DIuinæ adeò certi, vt nulla ratione metuendum ſit, nè aliquandò excidant ex charitate Dei. Deus pater cæleſtis libens agnoſcit eos & honorat non ſecùs àc filios. Chriſtus habet eos pro fratribus & cohæredibus ſuis: Spirituſſanctus eos tanquàm gratiſſima agnoſcit templa ſua, quæ inhabitauit, cùm adhuc verſarentur in terris. An non iurè igitur nos Chriſtiani hîc in terris eiuſmodi confratres noſtros propenſiſſima voluntate, hilariq́; ac iucundo corde laudabimus, & ſummo proſequemur ac afficiemus honore, qui quidem creaturæ poſſit aut debeat impendi? Deteſtabilis prorſus eſt illa ſuperbia, qua quis nolit venerari illos, quos DEus gratia & miſericordia ſua intantùm extulit & ornauit, immò quos ipſe etiam honorat. Et hæc dicta ſint ſatis ea de re, quòd Sanctos meritò venerari debeamus. Quamobrem autem veneratio Sanctorum etiam Eccleſiæ DEI adhuc in terris militanti, vtilis ſit, eius hæc prima eſt ratio, quòd in honore DIuis exhibendo mirifica Dei opera & magnalia pulcherrimè prędicamus. Quis enim non agnoſcat in Sanctis admirandam Dei potentiam & virtutem, qui ex eiuſmodi vaſis tam præclara effecit inſtrumenta & organa, quæ tum ipſius DEI gloriam, tum noſtram omnium ſalutem vita & doctrina ſua tam efficaciter & egregiè promouerunt?

Iohan. 12.
Rom. 8.
Iohan. 12.

Secundò, veneratione & memoria vel commemoratione Sanctorum Eccleſia Dei admonetur & incitatur ad vitæ ſectandam pietatem & piam conuerſationem, vt efficiamur imitatores Sanctorum, ſicut & ipſi fuerunt imitatores Chriſti. Qui ſcire appetit, vtì DEO ſua conuerſatione placere poſſit, is in vitam Sanctorum ſuos intendat obtutus, audiat vel legat res geſtas eorum, eorumq́ue virtutes ſibi imitandas proponat. Et ſi eadem qua

illi via, iiſdemque veſtigijs ingreſſus erit, proculdubiò eundem obtinebit finem,atque eodèm perueniet, quò Sanĉti illum iam præceſſère. Atq; hęc diuos venerandi ratio inprimis vtilis eſt & ſalutaris,nimirùm vt & virtutes eorum imitandas ſuſcipiamus. Ad huiuſmodi venerationem adhortatur nos Apoſtolus Heb.13. Mementote,inquit,præpoſitorum veſtrorum,qui vobis locuti ſunt verbum Dei:quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.

Nec id ſolùm præſtant exempla Sanĉtorum, vt indicent nobis quemadmodùm benè beateque viuendum ſit,verumetiã extimulant & animant nos ad piam virtutisque ſtudioſam conuerſationem hilariter ampleĉtendam ac inſtituendam.Diabolus quidem omnibus machinis & dolis ſuis in hoc incumbit, vt ad quæuis bona ſtudia nos inuoluntarios & abieĉto animo reddat,nec dubitat id genus ſuſurria homini ſuggerere:En,inquit,fieri non poteſt, vt tantę humanæ naturæ imbecillitati & vitioſitati obnoxius, ſanĉtam, inculpatam & virtuti deditam vitam poſſis inchoare. Verùm hîc iam occurrunt tot Sanĉtorum exempla, & manifeſti mendacij hoſtem ſceleratiſſimum coarguunt.Non eſt ergò poſſibile,aut fieri iſthuc non poteſt? Quî ergò tot Sanĉtorum millia ante nos id facere potuerunt? Fatendum ſanè eſt,proprijs viribus fieri non poſſe.Sed agitè auditores,prompto & fidenti animo omnem virtutem & pietatem ampleĉtimini: qui Sanĉtis illis ſuperiorum temporum, gratiam & robur ad bona omnia ſeĉtanda largitus eſt, idem ille facilè curabit, nè vires & gratia vobis deſint. Quicquid illi potuerunt & conſecuti ſunt per Dei gratiam,(qui tamen per ſe non niſi homines & humanæ fragilitati obnoxij fuêre) idem & vos per gratiam & miſericordiam DEI veſtri valebitis, & poteritis adipiſci. Nec eſt, quòd quicquam hac de re dubitetis: teſtantur hoc tot Sanĉtorum chiliades, qui homines fuerunt æquè atquè vos, Diuina autem gratia id ſunt quod ſunt, vel tales effeĉti ſunt, quales iam ſunt. Eodèm ergò & vos, eadem freti gratia,poteritis pertingere. Hac igitur ratione plurimùm cõducit Sanĉtos venerari, laudes eorum & præconia decantare, faĉta illorum & res geſtas pro concione prædicare, vt militantes etiamnùm in terris Chriſtiani, triumphantium iam ac ſuperiorum diuorũ exemplis ad bona omnia omnemq; pietatem inflammentur ac prouocentur.Hinc eſt,quòd ſcripta Diuina tam multa de Sanĉtis commemorant,eorumq; laudes celebrant,Eccleſ. 44. Et in Epiſtola ad Hebre. 11. cap. vbi cùm Apoſtolus de multorum Sanĉtorum fide & virtutibus prolixè eſſet concionatus,ità demùm concludit:Ideoque
Hebr. 12. & nos tantam habentes impoſitã nubem teſtium,deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum,per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Sicut ergò Eccleſia Dei membra ſua non illibenter ſolet laudare, ità quoquè certis ex cauſis veneratur eos, qui ante nos ad Patrem omnium noſtrûm Deum in regnum illius profeĉti ſunt,vbi nos iam expeĉtant,donec ipſi quoquè curſum noſtrum pro voluntate Dei conſummemus.

mus. Intereà certum eſt, eos noſtram deſiderare ſalutem, cùm nobiſcũ ſint vnius corporis membra. Vndè Eccleſia iam indè ab initio ad nos vſq; non ſinè Scripturarum authoritate & fundamento id ſenſit, coufratres noſtros, ſuperiorum temporũ Chriſtianos electos Dei iam in cælis agentes, de nobis in hoc exilio poſitis ſolicitos eſſe, perpetuisque precibus & interceſſionibus Deum pro ſalute noſtra interpellare. Porrò ſcripturæ, quibus Eccleſia probat diuos noſtræ ſalutis eſſe cupidos, & pro nobis orare Deum, hæ ſunt: 1. Corint. 12. Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, &c. De interceſſione Roma. 15. Obſecro vos fratres, per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, & per charitatem Sanctiſpiritûs, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum. Iacob. 5. Orate pro inuicèm vt ſaluemini. Eccè hîc omnibus Chriſti myſticis membris præcipitur, vt pro inuicèm orent. Sed, inquis, hæc de viuentibus dicta ſunt: Ità planè: de quibus enim alijs accipienda ſint? Neque enim qui vita carent, pro alijs orare poſſunt. Eos autem non exiſtimas viuere, qui cum DEO viuunt in cælis? An ignoras Deum eſſe DEVM Abraham, Deum Iſaac, & Deum Iacob? immò & Deum Petri, Pauli, Stephani? Non eſt autem Deus mortuorum, ſed viuentium. Viuúntne ergò Abraham, Petrus, Paulus, Stephanus? An verò ideò neutiquàm eos putas viuere, quòd corruptibile hoc & mortale corpꝰ exuerint? Aut perſuaſum habes nihil illis iam porrò apud DEVM eſſe negocij, nec DEVM preces eorum alicuius penſi habere, quandoquidem ipſi iam peccare non poſſunt? tuas verò preces pro alijs fuſas valere, & à DEO admitti & exaudiri debere, quòd etiamnùm vitæ compos ſis, licèt interim vita tua miſerijs & peccatis obnoxia, & cum illorum vita comparata, non niſi mors cenſenda ſit? Actor. 5. Matt. 22.

Nullus ſanè Sectarius tam eſt temerarius, dicere vt auſit, vel Sanctos in noſtra, vel nos in Sanctorum communione neutiquàm numerari. Si itaq; fateris eos eſſe nobiſcum vnius corporis membra, idque tam in hac vita, quàm poſt hanc vitam: doce igitur Scripturarum teſtimonijs mortem corporalem eis adimere illos affectus, quos membra ad ſe inuicèm habent. Eccleſia Catholica perpetuò credidit & ſenſit, Sanctos hac vita functos, iam tum maiori erga nos charitate flagrare, ac pro noſtra ſalute eſſe ſolicitos. Hæc ſententia multis Scripturarum teſtimonijs nititur, atq; ità etiam ego cum Eccleſia ſentio. Tu ſectarie, ſi ab hac Eccleſiæ ſententia me vis abducere, adfer euidentes ſcripturas, quibus planum fiat, morte corporali fraternam omnem Chriſtianis charitatem prohiberi ac adimi, quodque nec ſuperis labor ſit noſtri, nec cura quietos ſolicitet. Si ſcripturas protuleris, deſerta Eccleſia, tibi accedam: quod tamen in omnem æternitatem procùl à me auertat Deus, vt extra arcam hanc inueniar.

At dicas forſitan: Si Sancti pro nobis intercedũt, quid igitur facit Chriſtus, de quo pronunciat Apoſtolus: Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus? Reſpondeo, Chriſto nihilo minùs ſuum munus vel officium 1. Tim. 2.

ficium ſaluũ manere, etiamſi Sancti iam immortalitate donati, & Chriſtiani morti adhuc obnoxij, pro inuicèm intercedant: Si intercedere pro alijs, Chriſto ſuum officium præripit, poſſim ego quoquè percõtari: Quid ergò facit Chriſtus, quãdò nos fratres & ſorores in Eccleſia pro inuicèm oram? Si dicat Secta: Chriſtus eſt vnicus mediator, quarè noli diuorum pro te preces ambire: huic eodem modo reſpondero: Chriſtus eſt vnus & ſolus mediator, quamobrẽ noli fratrum ſororumq́; tuarũ precationes expetere. Sin autem nihil errat iſthæc hominũ interceſſio, certè nec illa diuorum errare putanda eſt. Itaque hic Pauli locus non labefactat interceſſionem Sanctorum. Porrò ſi omninò perſuaſum habes, Sanctorum interceſſionem mediatoris Chriſti officio derogare, putasq́ue Chriſti interceſſionem, vel, vt ità dicam, mediationem nihil aliud eſſe, quàm interpellationem quãdam, ſicutì in Catholica Eccleſia de ſanctorum interceſſione ſentimus, iam tu quidem nimìs humiliter ſentis de Chriſto Seruatore tuo. quòd ſi hactenùs ignorâſti, qualis mediator ſit Chriſtus, & vt inter Deũ & homines medius intercedat, vel iam tãdèm id diſcas, perſpiciesq́; Chriſtum eiuſmodi vnum vel vnicum manere μεσίτην & mediatorem, etiamſi omnia Chriſti membra in cælo & in terra pro inuicèm Deum precentur.

Chriſtus eiuſmodi eſt ſalutis noſtræ mediator, qui per ſemetipſum Deo nos reconciliauit in ſuo ſanguine. Ipſe virtute propria & ſuis meritis peccata noſtra dependit, ac Dei gratiam nobis promeruit. Huiuſmodi interceſſionem à Sanctis non expectamus. Quandò dicit Scriptura, Chriſtum aduocatum eſſe noſtrum apud Deum, non exiſtimandum eſt, Chriſtum verbis precariò pro nobis agere: Immò verò talis eſt mediator Chriſtus, qui cum meritis ſuis, cum ſanguine & ſacrificio ſuo, quod fecit pro nobis, accedit ad Deum: atque hæc eſt eius aduocatio: quam ſanè non verbis, ſed re ipſa & opere ac virtute exequitur. Atq; vt animaduertatis Chriſtũ non verbis, ſed virtute & meritis ſuis mediatorẽ & aduocatum agere: non hoc modo Chriſtum implorat Eccleſia, tanquàm qui pro nobis orare debeat: ſed ceu verum Deum, qui per ſe nobis & impetret & largiatur omnia neceſſaria, & de cuius plenitudine nos omnes acceperimus, Iohan. 1.

Abſit itaque procùl à nobis, vt eundem Sanctis, quem Chriſto, honorem impendamus. Illos enim hoc modo inuocamus: O vos electi amici Dei, quos pro ſuis benigniſſimis promiſſionibus DEVS iam in locum tutũ & ampliſſimam patriam recepit & admiſit, reſpicite fratrum veſtrorum calamitates & miſerias, veſtriſq́; precibus apud DEVM pro nobis intercedite. Porrò à Chriſto DOMINO non hoc petimus, vt pro nobis oret, ſed compellamus eum tanquàm verum Deũ, ſeruatorẽ & adiutorẽ, ità dicentes: Chriſte, miſerere noſtrĩ: Chriſte, ſerua nos: Chriſte, adiuua nos, & ſaluos fac nos. Non exiſtimamus Sanctos propria virtute nobis pręſtare poſſe auxiliũ: ſed ità ſentimus de illis, quòd opem & auxiliũ ſuis interceſſiõibus à DEO nobis impetrare queant. De Chriſto autem credimus, quòd ſuapte potentia,

tia, virtute & meritis peccata noſtra remittere, omnem vitæ huius temporariæ defectum & incommoda auertere, æternamq́; felicitatem nobis donare poſſit. Chriſtus per ſe nobis opitulari poteſt, ſinè vllo diuorũ aut hominum adminiculo: Sancti ſinè illo nihil poſſunt: ſed à Chriſto petant & accipiant oportet, quicquid boni hominibus per ipſos euenturum eſt. Ex his ergò didiciſtis chariſſimi, Eccleſiam Dei Catholicam venerationem & inuocationem Sanctorum hac ratione & modo obſeruare, vt DEI gloria hinc in nullo lædatur vel obſcuretur. Colimus enim Sanctos non diuino cultu, ſed dilectionis & ſocietatis, vt inquit Auguſtinus contra Fauſtum libro 20. cap. 21. Colimus, inquam, eos eo cultu, quo hominem aliquẽ ſanctum, qui etiamnùm in terris vitam agat omni virtute conſpicuam, colere ſolemus: ſed eo magìs illos, quàm hominem deceat, veneramur, quòd iam ſint ab omni humana fragilitate & defectione liberi, quòd deincèps peccare nequeant, vt homines mortales: de gratia Dei certi & ſecuri ſunt, atque in illa confirmati: quo fit, vt illorum interceſſio & preces Deo multis modis gratiores ſint, quàm hominũ in carne degentium, & qui defectui multiplici & vitijs adhuc ſubiaceant. Nullum autem cultum diuinum, nullam λατρείαν ſanctis impendimus, nec ſic de illis ſentimus, nec hac mente illos inuocamus, quaſi propria virtute nobis opitulari queant, aut proſperitas, auxilium, & ſalus noſtra ab illis potiſſimùm proficiſcatur: non hanc fidutiam erga Sanctos gerimus, quod nec ipſi petunt, immò nec tolerare volunt, vt eos tanquàm ſaluatores & primarios adiutores noſtros habeamus, vel adoremus, vt eſt videre Apoc. 19. Actor. 10. Quinimmò ipſi ſunt, qui nos docuerunt, omne auxilium nos habere à Domino principaliter, & non ab vlla creatura, quantunuìs ea ſancta ſit & excellens, Actor. 3. 14. Atq; hanc ob rem honorem omnem & pro allato auxilio gratiarum actionem non creaturæ, ſed Deo vel maximè & præcipuè deberi.

Hîc Auguſtinus paraphraſticῶs redditus eſt, qui ſuo loco videatur.

CONCIO XXVI. HABITA

Dominica vigeſimaprima poſt Trinitatis, Anno 1542.

HActenùs, auditores in Chriſto chariſſimi, aliquot Conciones primo Decalogi mandato explicando impendimus, quo Deus corda noſtra ſibi vni integra repoſcit, vultq́ue vt ipſum ſuper omnia diligamus, timeamus, colamus & adoremus, in ipſo ſolo omnẽ ſpem & fiduciam noſtrã collocemus. Et ſerium profectò eſt iſthuc præceptum, in quo plurimùm momenti ſitum eſt, nec crebrò ſatis audiri, nec ſatis perdiſci poteſt. Interìm tamen in præſentiarùm iam dicta explicatione contentus ſim oportet, nè fortè quãdoquè moueã auditorib⁹ nauſeam, ſi in vna eademq́; materia nimiùm diù detineantur. Spero aũt, me multiplici adhortatiõe & declaratione tantũ apud vos effeciſſe, vt quòd ad genuinũ & neceſſarium huius primi præcepti intellectum attinet, nihil porrò apud vos deſideretur. Deus Opt. Max. per Spiritum ſuum ſanctum & bonum eam cordibus

noſtris gratiam adſpiret, noſque adeò cœleſti virtute confirmet, vt quæ audiuimus, corde optimo conſeruemus, atque huius limites præcepti nec verbis, nec cogitationibus, nec operibus excedamus, neque peccemus in Deum noſtrum. Didicimus enim quàm grauiter Deus animaduerſurus ſit in Legum ſuarum præuaricatores: Et è contrario quàm clemens & munificus eſſe velit erga illos, qui diligunt ipſum, & cuſtodiunt præcepta eius.

Vt autem in huius mandati concluſionem, vnum adhuc ex verbo Dei ὑπομνημάτιον veſtris in animis relinquam, quod perpetuò vos huius præcepti admoneat, animoſque veſtros extimulet ad Deum ſuper omnia integrè & vnicè diligendum, timendum, illiq́ue ſoli adhærendum ac innitendum, vos admonitos volo, vt ſedulò vobiſcum expendatis exempla tum eorum, quos Deum timuiſſe & amâſſe, ſpemq́; ſuam in Deo conſtituiſſe conſtat: tum illorum quoquè, qui eum contempſerunt, eiq́ue ſe immorigeros declarârunt, & cordibus ſuis dijs alienis & idolis adhæſêre. Iucundum certè eſt & delectabile, redire in memoriã ſanctiſſimorum patrum illorũ, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Dauidis, Tobiæ & aliorum religione ac pietate illuſtrium, quàm fidus & benignus illis pater fuerit Deus, quãta in eos vſus ſit clementia ac beneuolentia, vt eorũ curã geſſerit, illis inuigilârit, opemq́; tulerit: vtq́; illos opportuno tempore ab omni anguſtia, neceſſitate & perſecutione liberârit. Et eundem profectò paternæ pietatis affectum omnibus hodieq́ue exhibere paratus eſt, qui ipſum diligunt, ipſiq́ue confidunt.

Contrà verò horrendum eſt auditu, quàm iratus & commotus fuerit in idololatras Iſraelitas, cùm relicto cultu ipſius, auerterunt animos ſuos
Exod. 32. ab ipſo, & adorauerunt vitulum, quem Aaron ex auro & argento ipſorum conflauerat. Quàm hîc eſt ſolicitus, quantoperè deſudat optimus Moſes pro populo illo, vt precibus ſupplicibus tandèm eò permoueret Deum, nè illos repentè diſperderet. Et quanuis Deus ob preces Moſis culpam eam illis remiſerit, pœnam tamen temporariam remittere noluit, adeoq́; illos
Num. 14. caſtigauit, vt ex ſexiès centenis millibus duo tantùm peruenerint in terram promiſſionis. Cęteri omnes diuerſis calamitatibus & afflictionibus attriti, mortui ſunt in deſerto, quòd cùm ex multis iiſque præclariſſimis miraculis Deum cognouiſſent, nihilo minùs corda ſua ab ipſo ad idololatriam transferre auſi fuerant. Eccè tam ſeuerum etiamnùm ſe præbebit iudicem & Dominum præpotens Deus omnibus illis, qui ipſi nolunt obtemperare, quiq́; ipſum ſolum ſuis in cordibus pro Deo habere nolunt. Iſtiuſmodi cogitationes, dilectiſſimi, ad Dei timorem & iurè illi pręſtandam obedientiam nos adigent & incitabunt. Et hæc quidem de primo Decalogi mandato dixiſſe ſufficiat: nunc ſecundum explicandũ ſuſcipiemus, quod eſt eiuſmodi:

SECVNDVM PRAECEPTVM:

Non aßumes nomen Domini Dei tui in vanum.

HVIC præcepto etiam annexa eſt comminatio:

Nec



Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.

ALterùm hoc præceptum, auditores in Chriſto chariſſimi, apto & congruo ordine primo ſubiunctum eſt. Quemadmodùm enim primum inſtruit corda noſtra erga Deum vel cultum Dei, commonſtrans quid corde ſentire de Deo, & vt in illum credere debeamus: ità ſecundum hoc erudit os & linguam, eamque itidèm ad verum Dei cultum dirigit & efformat, vtì nè os & lingua ſecùs de Deo loquatur & enunciet, quàm corde de Deo credimus & ſentimus. His enim duobus, id eſt, corde & ore, verus Dei cultus expletur & perficitur, ſicut docet Apoſtolus: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Rom. 10. Si cultus diuinus in horũ altero deficiat, vel in cordis affectu, vel profeſſione oris, nihil ille contulerit, nec eſt Deo gratus & acceptus, quantumuìs in altero ſpecioſus & abſolutus eſſe videatur. Qui Deum corde agnoſcit, colit & ſentit de eo quę ſentienda ſunt, at tamen vbì res poſtulat, vel non vult, vel non audet illum ore confiteri, is cum occulto ſuo Dei cultu & fide in ſtagnum ignis ardentis deturbabitur. Nullum enim confitebitur Deus in illo die, niſi qui eum quoquè in terris coram hominibus fuerit confeſſus. Qui autem ipſum negauerit coram ho

Luc.12. minibus, negabitur coram angelis DEI, quemadmodùm Chriſtus idipſum luculenter teſtatus eſt.

Rurſus ſi quis ore cultum Dei pulcherrimè ſonet, labijs Deum laudet & celebret, nomen eius canat & verbis ſummè colat ac veneretur, corde autem illum contemnat, nullo cordis amore ac deuotione, quæ verba præ ſe ferunt, erga Deum præditus ſit, huiuſmodi dimidiatus DEI cultus nec gratiá nec præmiũ promeretur apud Deum, iuxta illud Eſaiæ: Populus iſte labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me. Et Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.

Eſai.29.

Tunc verò perfectus & accuratus eſt DEI cultus, cùm in eius laude affectus cordis & oris confeſſio conſentiũt. Quamobrem ſicut ſuprà didiciſtis, quomodò corde DEVS ſit colendus: ità nunc quoquè percipite, quînam lingua ad Dei cultum vti debeatis, vt noueritis vtrunque & rectè de DEO ſentire, & congruenter atque ità vt par eſt, de illo loqui. Principiò itaque id meminiſſe debetis, quòd cùm Deus hoc præcepto nominis ſui abuſum prohibet, nec pati vult, vt in vanum illud aſſumamus, verum etiam ac legitimum eius vſum à nobis grauiſſimè exigat, velitque vt illud honorificè & cum quadam grauitate vſurpemus. Quibus autem modis benè aut malè DEI nomine vtamur, equidem ſignificantiùs & expreſſiùs, quàm per exempla & facta docere non potero.

Breuiter ergò iſthæc ſunt, quæ hîc Deus vetat, & quibus hoc præceptũ tranſgredimur: nimirùm ſi DEVM aut fidem Chriſtianam abnegemus: Si DEVM blaſphememus, Deum iniuria afficiamus, Deo maledicamus: Si de DEO aut rebus diuinis temerè aut ridiculè & ſcurriliter loquamur: Si ſocorditer, abſque deuotione, & ſinè fide Deum precemur: Si mentiamur, & fraudem cuiquam faciamus cum teſtificatione nominis Dei: Si ad maledicta & incantamenta diuino nomine abutamur: Si verbum Dei iactemus, de Deo pulchrè & præclarè dicamus, & interìm ipſam veritatem, ipſum Dei verbum, ad mendacium & euerſioné ſimplicium adulterando detorqueamus.

Porrò è contrario facilè videre eſt, quid Deus hoc præcepto à nobis repoſcat, videlicet, vt Deum eiuſque veram fidem liberè, ex animo, ſeriò & honorificè coram hominibus profiteamur: Vt gratias ei agamus pro cunctis illius beneficijs: Vt magna cum fiducia in omni neceſſitate ipſum inuocemus: Vt nomine diuino ad res bonas, ſerias, & graues vtamur, demuſque operam, nè qua impoſtura fiat ijs rebus, quibus nominis ipſius teſtificatio adhibetur. Hæc quidem eſt ſecundi præcepti ſententia: quod tamen vt rectiùs intelligatur, aliquãto accuratiùs facta illa ſiue modos excutiemus, quibus nomen Dei perperàm & in vanum aſſumitur.

Primò igitur prohibet Deus, nè nomen ipſius in vanum aſſumamus. In vanũ autẽ aſſumitur, quãdò ſinè vlla neceſſitate & fruſtrà, abſq; vtilitate aliqua

aliqua vel commodo vſurpatur: vt cùm in rebus friuolis ac leuiſſimis no-
men Dei admiſcetur: non quòd cor adeò deditum ſit vel aſſueuerit Deo,
eiuſq́ue libenter tam crebrò meminerit, vel memoriam eius vſurpet cum
charitate:ſed quòd lingua in eam ducta ſit conſuetudinem,vt nomen Do-
mini temerè vſurpet: perindè vt vbi quiſpiam peculiari cuidam voculæ aſ-
ſueſcit,ſi fortè loquendū ſit,eandem voculam identidèm ſuæ orationi im-
miſcere ſolet. Eiuſmodi verò vana diuini nominis vſurpatione,grauiter &
immaniter peccatur in celſiſſimam Dei Maieſtatem. Siquidem ſacroſan-
ctum & auguſtiſſimum Dei nomen apud homines in contemptum addu-
cit. Hanc præpoſteram diuini nominis vſurpationem plerunquè inueni-
re eſt apud cœnobiticæ vitæ profeſſores,ac Deo deuotas fœminas,quę fe-
rè omnibus ineptijs ſuis adorandum DEI nomen ridicula quadam incogi-
tantia & incuria admiſcent: Bone, inquiunt, Ieſu, quàm calet hæc ſorbiti-
uncula. Huiuſmodi friuolis rebus & μωρολογίαι celſiſſimum Ieſu nomē abſq;
neceſſitate aliqua, planeq́ue fruſtrà & plùs quàm in vanum ſeſe adhiberi
ferre cogitur: quandò tamen meritò illi flecteretur omne genu cęleſtium,
terreſtrium & infernorum, quotiès illud nominari contingeret. Hunc ir-
ridiculum ſanctiſſimi nominis Dei abuſum ſcripta diuina prohibent Ec-
cleſiaſtici 23. his verbis: Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & no-
minibus Sanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis.
Sed inquis: Equidem putabam id inprimìs decere hominē Chriſtianum,
nomen Dei nunquàm non in ore habere, præſertim cùm dicat Apoſto-
lus, Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine
Domini noſtri IESV Chriſti,& in gloriam Dei facite.Immò verò optan- Coloſ. 3.
dum foret, vt ſermonibus noſtris familiare eſſet nomen Dei, ſi eiuſmodi 1. Cor. 10.
nos vteremur ſermonibus, quibus nominis Dei honor, gloria & dignitas
vel maieſtas minimè læderetur. Quandò autem ſermones noſtri tam ſunt
diſſoluti,ocioſi, & plerunquè etiam turpes & pernicioſi, quid cauſæ eſt, vt
ſanctiſſimum & auguſtiſſimum Dei nomen illis adhibeatur? Tum enim
Dei nomen iniuria afficitur ac dehoneſtatur, perindè àc ſi quis aurum &
gemmas demergat in lutum & ſtercora. Porrò Deus non vult nomen ſu-
um in vanum & contemptìm aſſumi. Atquì verò ſi ſermones noſtri puri
& caſti eſſent, quales meritò oportebat eſſe filiorum Dei, & lingua noſtra
iam adſueta eſſet illi præceptioni Apoſtolicæ, qua vult, vt omnis fornica- Epheſ. 5.
tio, & omnis immunditia aut auaritia nec nominentur in nobis, ſic vt de-
cet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquiū, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non
pertinet,ſed magìs gratiarum actio: ità demùm colendiſſimum DEI nomen
non abſque fructu noſtris ſermonibus admiſceretur, deceretq́; nos Chri-
ſtianos illud vſurpare. Vbì autem aniles proferuntur fabulæ & μωρολογίαι, ver-
baq́ue ſcurrilia, iam non abſque contemptu, atque ità etiam non ſinè gra-
ui peccato & blaſphemia nomen Dei adhiberi poteſt.

E diuerſo autem pulchrè illud congruit homini Chriſtiano, vt in ſer-

 moni-

monibus & rebus arduis ac ſerijs DEI nomen non prætermittat: vt, verbi gratia, manè à ſomno ſurgens, ſacro crucis ſigno ſe muniat, dicens: Benignissime Deus, vti non pro meritis meis, ſed pro tua miſericordia hac nocte vſque ad lucis exortum me incolumem conſeruàſti: ità quoquè eadem gratia & miſericordia tua die hac ab omni corporis & animi incommodo & pernicie propitius tueri ac ſeruare me digneris, &c. Eodem modo DEI meminiſſe debemus, veſperi cubitum abituri: cibũ quoquè ſumpturi, Dei memores, illum precari debemus, vt ſua munera, alimenta noſtra, nobis ſalubria reddere velit. Sumpto cibo, gratias pro iiſdem agemus. Si quid terribile audire vel videre contingat, memores Dei & ſacra cruce ſignati, dicemus: Serua nos omnipotens DEUS: miſerere noſtri clementiſſime DEUS: pater cæleſtis, adiuua nos. Contrà ſi iucundum & proſperũ quid audire contingat, quo cultus & honor DEI, & Chriſtianæ Reipub. ſalus ac proſperitas promouẽda ſit, aut vndè priuato alicui Chriſtiano boni quippiam aut proſpera fortuna euenire queat, DEI meminiſſe debemus, dicentes: O miram DEI benignitatem: grates laudeſq; tibi agimus præpotens DEUS. Si quid auſpicaturi ſimus, quantumuis etiam exiguum illud ſit, Dei recordabimur, dicentes: Si DEUS cœptis annuerit: Si DEO ſic viſum fuerit: Si DEUS me incolumem ſeruauerit, &c. In huiuſmodi rebus & hac ratione vſurpare nomen DEI, id ſanè & DEO honorificum eſt, & homini incredibilem adfert vtilitatem. Qui enim hoc pacto loquuntur, hoc ipſo ſignificant corda ipſorum omni cum fiducia DEO inhærere, & pendere à DEO, omneq; bonũ, omnem fortunam & proſperitatem ipſis in omnibꝰ cælitùs à DEO prouenire, quippe qui fons ille eſt, vndè bona omnia prománant: neque cõmittere poteſt DEUS, quin opem ferat ipſum cum fiducia implorantibus. Propè eſt enim,
Pſal. 144. inquit S. Dauid, DOMINUS omnibus inuocantibus eum in veritate. Et qui in eum ſperauerit, non confundetur, nec eum ſua fallet ſpes.

Nunc itaque cognouiſtis, quid DEUS ſibi velit his dictionibus, IN VANUM. Vult enim nomẽ ſuum apud nos reuerenter haberi, nec ſuffert illud ineptis, ludicris, infrugiferis ac vanis rebus & ſermonibus admiſceri: non vult, inquam, ſacratiſſimum & ampliſſimum nomen ſuum fruſtrà & in vanum proferri. Cedit enim in DEI iniuriam, ipſique homini in dedecus & peccatum non leuiter quandoquè puniendum, nomen DEI & IESV admiſcere, cùm de rebus ludicris, friuolis & ſtolidis ſermo texitur. Qui charum aliquid habet, ſolet id reuerenter tractare, ab eiuſque vſu ſe abſtinere, præterquàm dum res poſtulat, vel neceſsè eſt illo vti. Eodem modo etiam tu Chriſtiane honorificentiſſimo DEI tui nomini parcere debes, donec res ſeria obtingat, donec leo ille rugiens in te deſæuire inſtituat, aut tentationum vel calamitatum fluctus impendeant. Tum verò nomen illud fortiſſimum & ἀκαταμάχητον inuoces, re ipſa comperturus, vbicunquè illud ſerio animo fuerit nuncupatum, haud dubiè vires ipſum ſuppeditare, corque pium & religioſum delectationem quandam aut purificationem ſentire: adeoq;

adeoque leuiùs ferre moleſta & triſtia, ſingulariq́; & iucunda quadam conſolatione perfundi, cùm opportuno tempore & cum quadam grauitate audit DEI nomen nominari. Atque hîc experitur cor diuino timori deditum, quid ea Sponſæ in Canticis verba velint, quib⁹ ait dilecto ſuo: Oleum (aliâs vnguentum) effuſum nomen tuum. Ex his licet animaduerti, quid requirat à nobis Deus, quandò vetat, nè nomen ſuum in vanum aſſumamus. Et cùm dicit Scriptura, Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo. Suſpicio eſt enim, animo incurioſo & parùm deuoto ac pio id fieri, cùm tamen res tanta tantæque ſanctitatis, rectè atque vtiliter & ſalutariter vſurpanda ſit. Olim cùm Apoſtoli appellâſſent nomen IESV, claudi exilientes ambulabant, & infirmi ſanabantur. Tunc poterat meritò dici nomen Dei, vnguentum effuſum. Apud nos ſanè non idem vſu venit. Vix enim commouentur homines ad nuncupationem nominis IESV, non ferè magìs quàm ad mentionem rei viliſſimæ. Quæ huius eſt ratio? Illi hoc ſacroſancto & auguſto nomine non niſi in rebus ſerijs vtebantur, idq́ue optima fide & fiducia erga Dei immenſam virtutem & miſericordiam. Et quemadmodùm illi de fortiſſimo hoc nomine in ſuis cordibus ſentiebant: itá etiam DEVS ſuam declarabat potentiam, cùm ab illis nomen ipſius eſſet appellatum ac pronunciatum.

Cant. 1.

Eccleſ. 23.

Acto. 3. 5. 9. 28.

Nos autem fruſtrà & in vanum, abſque vlla grauitate, ſinè fide, citra deuotionem illud nominamus, & polluimus ſanctiſſimum IESV nomen, quandò non niſi de lana caprina, aut de aſini vmbra nugamur. Et certè quanti nos æſtimamus illud nomen, talem etiam ſuam apud nos vim exerit. Ex hac doctrina id nos Chriſtiani memoria retinere debemus, vt Dominum DEVM & redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum vel eo ſaltem honore afficiamus, atque vel tanti faciamus, quanti filij huius ſeculi & aulici ſuos principes & dominos æſtimant. Ij ſanè regis aut principis ſui nomen non audent habere ludibrio: & quotiès ſereniſſimum regem aut clementiſſimum Dominum ſuum nominant, omni cum reuerentia capita ſua denudant. Quoniam itaque longè plùs bonorum à DEO nos adepti ſumus, quàm vniuerſi Reges & Principes huius mundi nobis largiri queant, & Deus noſter ſanctus, benignus, omniq́ue obſeruantia dignus eſt ſupra omnes Reges orbis terrarum, nos quoquè illi parem honorem exhibeamus. Cùm nomen DEI vel IESVS profertur, genua flectamus, capita aperiamus, aut minimùm inclinemus, & vultu declaremus noſtram erga ſanctiſſimum nomen obſeruantiam, & quòd ex animo DEO ſimus addicti & dediti, preclarè & ſublimiter de illo ſentiamus, omniq́ue honore & reuerentia dignum iudicemus. Hoc Deus à nobis exigit: quod qui negligit, grauiter & immaniter peccat in Deum, & animam æternæ damnationis periculo exponit. Deincèps de illis, qui nomen Dei non ſolùm vanè, ſed & perperàm & malè vſurpant.

CONCIO XXVII. HABITA
Dominica XXII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

EA concione, quæ hanc proximè antecedit, ſecundum Decalogi præceptum auſpicari ſumus auditores, didicimusque quàm grauiter Devs prohibeat, nè nomen ſuum in vanũ aſſumamus, aut proferamus: quæ mihi cauſa fuit prolixiùs vos admonẽdi, quòd proh dolor hoc tam graue præceptum in magnam quandam & horrendam negligentiam & incuriam apud Chriſtianos adductũ eſt, qui iam pro more habent, ac penè nullum peccatum exiſtimant, ampliſſimum illud Dei nomẽ in vanum & fruſtrà in rebus nihili, nulliusq; momenti planeq; infrugiferis vſurpare.

Atqui verò hîc dilectiſſimi voſipſos admonere debetis, diſcereq; quid vel ſit vel non ſit peccatum, non pro veſtro iudicio, ſed iuxta Domini præcepta & ſententiam ſtatuere & æſtimare. Vndè omninò ſentiendum eſt, quandoquidem Deus vanam nominis ſui vſurpationem vetat, non leue eſſe peccatum, ſi quis nomẽ illius eo modo vel appellare vel vſurpare non vereatur. Meminiſſe poſthàc debebitis, non ſinè cauſa Spiritumſanctũ in ſcripturis præcipere, nè nominatio Dei aſſidua ſit in ore noſtro, Eccleſ. 23.

Verus enim Dei cultus id flagitat, vt non modò in corde de Deo honorificè ſentiamus, ſed etiam in verbis cauti & circunſpecti ſimus, nè ſermone noſtro nominis Dei honore & maieſtatem euileſcere faciamus. Iam autem citra omnẽ controuerſiam, tam apud eum qui audit, quàm qui loquitur, quandam adducit vilipenſionem, quandò ſacroſanctum Dei nomen anicularum deliramẽtis, nugisq; & ineptijs admiſcetur. Sed quacunq; tandèm ratione diuina maieſtas lædatur, ſiue id animo & cogitatione, ſiue verbo aut opere fiat, certũ eſt, illud Deum in nobis tanquàm graue peccatum ſeuerè puniturum. Quamobrẽ iam deincèps nouerit vnuſquiſq;, à ſuperuacanea, vana & cum quadã contemptione coniuncta celſiſſimi nominis Dei vſurpatiõe, haud ſecùs atquè à grandi peccato & blaſphemia abſtinere.

Quandò igitur enorme & deteſtandum eſt facinus, in vanum, fruſtrà, & abſq; vllo fructu vſurpare nomen Dei, haud difficulter indè animaduerti poteſt, quàm grauiter peccent illi, qui ſacroſanctum Dei nomen non ſolùm fruſtrà, ſed & malè vſurpant, adeò vt non tantùm nulla indè vtilitas redeat, ſed in manifeſtã quoquè Dei cedat blaſphemiam & cõtumeliam, vel in fraudem, perniciem, iniuriam, infamationem proximi: putà quandò diuini nominis teſtificatio in vitiorum & flagitiorum prætextum adhibetur.

Varius autem eſt iſte nominis diuini abuſus. Summa quidem eſt in Devm blaſphemia, cùm ipſius Dei maieſtas & ſanctitas conuicijs & contumelia laceratur: at nihilominùs id quoquè ſibi cõtumelioſum ducit Devs, cùm in fraudem proximi nomine ipſius abutimur, & ſub nominis diuini prætextu & teſtificatione fratrem circunuenimus, dehoneſtamus, damnóve & iniuria afficimus. Quẽadmodùm ergò ſuperiori Concione de illis dictum eſt, qui in vanum & fruſtrà nomen Dei vſurpant, ità nunc de ijs dicendum

eſt,

eſt,qui perperàm & ignominioſè DEI nomen adhibent & aſſumunt, quorum eſt reuerà vltra modum grande & immane facinus. Grauem huic pręcepto Deus comminationem adiunxit,auditores optimi: Nec enim habebit,inquit,inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà:non illum patietur Dominus id ferre impunè.

Cùm igitur ſuo nomini Deus adeò nos parcè vti velit, facilè hinc licet intelligi, quàm grauem illius iram & indignationē hac tempeſtate in nos cōuertamus & cumulemus, dum flagitioſiſſimè, fœdiſſimè ac multipliciter abutimur illo eius tam auguſto & ſacroſancto nomine,multifarijs illud ſinè ceſſatione conuicijs,contumelijs & blaſphemijs proſcindendo. Si vllum eſt immane flagitium in Republica Chriſtiana, hoc profectò eſt iſthęc multigena in Deū blaſphemia, & celſiſſimi nominis Dei deterrimus abuſus. Si vllius rei admonendi ſunt homines Chriſtiani, huius inprimìs eos admonere oportet tam multiplicis iniuriæ & contemptionis,quę ſanctiſſimo DEI nomini irrogantur. Equidem meo non deero officio. DEVS ſuam nobis dignetur præſtare gratiam,& corda noſtra ſuæ conformet & accommodet ſanctæ voluntati,Amen.

Itaque inter ea peccata,quibus DEI nomen malè vſurpatur,primas impietatis partes haud dubiè ſibi facilè vendicat manifeſta in DEVM blaſphemia,qua homines ad id temeritatis proruunt,vt DEO cæli maledicāt,eiusq́; diuinæ Maieſtati derogare & obtrectare nō vereantur,haud ſecùs atquè ſolent quidam hominibus detrahere & obloqui. Id genus homines temerarij quondàm fuiſſe leguntur, quos etiam & temporaria & ſempiterna DEI vindicta & animaduerſio conſecuta ſit, vt eſt videre Leuit. 24. 1. Reg. 17. 4. Reg. 17. Lucæ 22.

Equidem DEO benè confido, eumq́ue rogo, nè quem Chriſtianum in tam apertas DEI execrationes & cōtumelias,nunquàm prolabi patiatur:immò etiam vt religioſas omnes ac pias mentes à tam neſario & impio auditu ſeruet ac tueatur. Horrent enim vltra modum huiuſmodi maledicta aures Chriſtianæ. Proxima huic eſt blaſphemia,neq; immanitate multò inferior hac ipſa,qua DEVM conuicijs & contumelijs impij inceſſunt, quum veneranda DEI Sacramenta & myſteria diuina horrendis dicterijs & impijs vocibus contemerantur ac proſcinduntur. Eiuſmodi blaſphemias nō mediocriter excitat, proh dolor, diabolus in quorundam peruicacium & ſceleratorum hominum cordibus. Cùm enī necdùm in DEUM ipſum per Prophetas & ſatellites ſuos auſus ſit incurrere, Sacramentis & myſterijs diuinis inſultat,neſandisq́ue contumelijs ea lacerat.

Tertia blaſphemia committitur ab illis, qui DEI verbum & veritatem adulterant,impuraq́ue & minimè ſyncera in aliorum euerſionem dogmata ſerunt: qui honorem quidem Dei nomini impendere velle videtur,ſed interìm ſub verbi diuini prætextu, mendacia & errores, quibus alios ſeducant, in miſerarū exitium animarum inuehūt & introducunt. Blaſphemi

præterea ſunt, quicunque veræ orthodoxęque religionis ſectatores perſequuntur. Vnde & Paulus ſeipſum appellat blaſphemum, quòd veritatem
2. Tim. 1. Chriſti, eiusque Eccleſiam perſecutus eſſet.

Eſt & alia quædam immanis in Deum blaſphemia, nempè prophanæ illæ ac impiæ execrationes & maledictiones, quę apud ſenes & iuuenes frequentiſſimæ ſunt & paſsìm in vſu habentur: idque tam effrenatè & atrociter, vt hominum religioſorum ac DEI amantium corda præ dolore crepare queant. Quid, quęſo, iam vſitatius eſt inter Chriſtianos, quàm vt DEVM illis omnibus, quibus noſtram inſtaurauit ſalutem, horrẽdum in modum execremur? Quis linguam in verba relaxat, & non continuò DEI paſſionem, Dei cruciamenta & vulnera ſceleratiſſimè crepat? atque interim nemo eſt qui vindicet: diſſimulant & magiſtratus, & parentes. Eheu quàm eſt apud
Rom. 13. Chriſtianos derelicta, abiecta & contempta illa tremenda DEI maieſtas. Vbi
1. Pet. 2. iam ſunt miniſtri eius, qui gladium portant in vindictam malefactorum, & vt puniant nocentes? Quandò tandèm aliquis gladium ſtringet, eoque vtetur in honorem præpotẽtis Dei, dicetq́; eiuſmodi blaſphemias vomẽti: Profer huc impuri oris linguam execrabilem, quę ſacroſanctam paſſiõem, ſanguinem & vulnera, quibus noſtra & totius mundi ſalus parta & conciliata eſt, non eſt verita blaſphemare?

Dan. 3. Nabuchodonoſor rex viſo quodam Dei miraculo, publicè edixit, vt omnis populus, tribus & lingua, quæcunq; locuta eſſet blaſphemiã contra Deum Iſraël, periret, & domus eius vaſtaretur. Vos Chriſtiani principes & Magiſtratus, vos parentes & patresfamiliâs, hunc honorem & ſublimem ſtatum veſtrum à DEO habetis: ex cuius pręterea redemptione veſtrarum ſalutem animarum hauritis & expectatis. Quandò igitur tandèm experrecti ſomno, diuini honoris vindices vos præbebitis, horrendasque in DEVM blaſphemias prohibebitis, & meritis pœnis afficietis? Putatíſne iuſtiſſimis de cauſis, tantis DEVM flagellare calamitatibus orbem Chriſtianum? Cùm fortè audimus quandoquè Turcam ditionis Chriſtianæ limites inuadere, baptiſteria & Sacramenta euertere, effundere ac pedibus cõculcare, ad huiuſmodi in Deum contumelias ingemiſcimus, dicentes Chriſtianos principes omnes eam in curam incumbere debere, vt iunctis viribus & mutuis auxilijs tales blaſphemias arceant ac prohibeant. Ità nos ipſi ſententiam ferimus, videlicet Principũ eſſe DEI blaſphemias punire & vindicare. Quia autem nuſquàm execrabilior in DEVM blaſphemia vel audit̃ vel conſpicit̃, q̃ adeò apud ipſos nos Chriſtianos, iurè meritoq́; DEVS Principes noſtros aduerſum nos cõcitat, viresq́; quibus cõtra Turcas pugnare deberemus, in noſipſos cõuertit, vt principes Chriſtiani mutuis ac inteſtinis ſeſe bellis cõficiant. Ità tum inuicẽ alij alios deſpoliamus, vexamus incendijs, agimus prædas mutuas, miſereque alij alios ꝑdimus & iugulamus. Sic ſic par erat blaſphemiã à Deo puniri, & certè etiã grauiùs eam ille punitur eſt, niſi Magiſtratus & patresfamiliâs ſui officij ſint memores, & rectiùs eo fungãtur.

Alius

Alius quidam nominis diuini abuſus fit iurando, cùm quippiam pręter ius faſque nomine DEI adhibito teſtando & iurando confirmare volumus: quod inhibet Chriſtus Matth. 5. Iacob. 5.

Aduertendum tamen eſt, Chriſtum hîc prohibere voluntarium iuſiurandum, quod quis nulla cauſa cogẽte, propria ductus libidine facit. Non autem prohibet tum iurare, ſi magiſtratus veritatis cognoſcendæ cauſa exigat ab aliquo iuramentum. Quemadmodùm eodem loco, vbi Chriſtus vetat, nè quẽquam occidamus, non id prohibet, nè magiſtratus & iudices pro ſuo officio, & ex iuris præſcripto ſontes plectant. Hoc enim cùm fiat conuenienter voluntati & præcepto Dei, peccatum eſſe non poteſt: ſed irato animo & proprię vindictę cupiditate occidere vetat Chriſtus: Sic quod ibidèm dicit: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, de inordinata loquitur concupiſcentia, & quæ eſt extra legitimum torum. Matrimonium enim huic peccato obnoxium non eſt, cùm dicat Apoſtolus: Honorabile cõnubium in omnibus & torus immaculatus, Hebr. 13. Eadem adhibenda eſt moderatio circa Domini prohibitionem de non iurando, quòd ſuapte voluntate, nulla cauſa compellente, & inutiliter iurare Chriſtianis inhibeatur: vtpotè apud quos nomen DEI maiori in precio & reuerentia eſſe debet, quàm vt temerè propria acti libidine ad res friuolas & temporarias illud iurando adhibeant. Quòd ſi veritatis teſtandæ cauſa iuramentum ab illis exigatur, iam libenter & ſecurè illud præſtare debent. Eiuſmodi enim iuſiurandum non cedit in blaſphemiam nominis Dei, ſed in honorem potiùs & gloriam Dei: Cùm enim per nomen illius veritas conſeruatur & conſtabilitur, quæ alioquì fortaſſis in diſcrimen & periculũ vocãda eſſet, id planè in nominis illius cedit honorem.

Honorificum prorſus & beneplacitum eſt ſupremo numini, cùm per eius nomen pax & concordia conciliatur & promouetur: & è diuerſo Satanæ opera per nomen illius diſſipantur & in nihilum rediguntur, cuiuſmodi ſunt mendacia, diſcordia, lites, doli & fraudes: Gratum id, inquam, & honorificum eſt DEO, tanti apud homines fieri nomen ipſius, quòd qui alioquì fidem commodare non vult, nec eſſe contentus, DEI nomine in teſtimonium allato, credit & conquieſcit. Decet quoquè DEVM hic honos, vt propter nomen ipſius finem accipiant & ſopiantur omnes controuerſiæ noſtræ, Heb. 6. Vtilem hanc & frugiferam iurandi rationem præcepit DEVS Deut. 6. cap. Per nomẽ, inquit, eius iurabis. Chriſtus & Paulus ea vſi ſunt: & pſalmographus eam cõmendauit. Pſalm. 62. Laudabũtur om̃es qui iurãt in eo. Et cùm enumerat eos, qui requieſcẽt in monte ſancto Domini, recẽſet eum iurãdi modũ inter virtutes & hominis boni rectè facta. Qui iurat (inquit) proximo ſuo, & nõ decipit, Pſal. 14. Quamobrẽ etiam Chriſtiani non prorſus ab omni iuramẽto debent abhorrere: id tãtùm curent, vt ità iurent, quẽadmodùm Propheta iurandũ præſcribit: Et iurabis, Viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia. Atq; hactenùs permiſſum eſt iurare, cùm Hiere. 4.

non

non fiat in gratiam pecuniæ,de qua omnis lis eſt, ſed tuendæ ac aſſerendæ veritatis cauſa, quæ in ambiguo poſita, iuramento conſeruatur. Porrò ſi nulla cogente neceſſitate, ſed praua ducti conſuetudine per Dei nomen iuremus,id non fit abſque vitio & blaſphemia in DEVM,quę non impunè abibit.Ità enim celſiſſimum Dei nomē in contemptum adducitur. Quod proh dolor nimìs familiare eſt apud multos, qui ad ſingula penè verba aliquod eiuſmodi ſolent adhibere iuramentum:Per Deum,Per Dei crucem, Ità me Deus amet,& ſimilia.

Apud hos nominis diuini reuerentia vſqueadeò euiluit,vt non magìs ſeriò verum dicant,nec plùs fidei illis tribuendum ſit,cùm DEVM appellant, quàm ſi ſaxa vel ligna nominent. Et qui tam promptuli per Deum, per fidem iurant, ex eorum plerunquè ſunt grege,qui neque fidem, neque Deum curant.Aduerſùs hos pronunciat ſcriptura Eccle. 23. Iurationi non aſſueſcat os tuum:multi enim caſus in illa. Vir multùm iurās,implebitur iniquitate,& non diſcedet à domo illius plaga &c. Grauius tamen fuerit peccatum,ſi falſum iuremus,quod bifariàm contingit.

Primò,ſi quis ſciens & prudens mendacia diuini nominis teſtificatiōe tegat,cùm non ſit neſcius,DEI nomē apud omnes in precio haberi,& quod ſub illius teſtificatione aſſeritur,id credi ſolere:atque ideò hoc ſacroſancto nomine ad ſua celanda mendacia & ad fraudem proximis faciendam ſceleratiſſimè abuti nihil veritus,iuret hūc in modum: Ità me DEVS adiuuet, &c. idque in re eiuſcemodi, quam ipſe certò nouit ſecùs ſe habere:vt plerūquè ſolent nundinatores & negociatores.Quę nimirùm immanis quędam eſt temeritas, & inſignis in DEVM contumelia. Eccleſ. 23. Qui fruſtrauerit fratrem, delictum illius ſuper ipſum erit:& ſi diſſimulauerit, delinquet dupliciter: & ſi in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur. Replebitur enim retributione domus illius.Hic,inquit Pſalmiſta,accipiet benedictionem à
Pſal.23. Domino & miſericordiam à Deo,qui non iurauit in dolo proximo ſuo.

Secundò committitur periurium,cùm quis abſque fraude, & bona fidè ſeriaq́; ac ſyncera conſciētia iurat, nec tamen poſteà ſeruat fidem. Apud hunc non perſeuerat reuerentia magni & ſublimis nominis DEI,dum non præſtat id,quod ſub eius teſtificatione iurauit.Hoc periurij genus,grauiter quoquè à Deo vindicatum teſtantur ſacræ literæ 2.Reg.21.

Blaſphematur quoquè nomen Dei,ſi ad incantationes & veneficia eo abutamur. Nam quotieſcunquè vſurpamus DEI nomen,non tamen ad honorem DEI,peccamus: & eò pertinet illa comminatio,Nec habebit inſontem Dominus eum,qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.

Poſtremò ipſis quoquè factis nomen Dei blaſphemari poteſt:& id faciunt, qui cùm ſint populus Dei,& eius nomen circunferunt in mundo, tam impuram & flagitioſam agunt vitam,vt alijs ſint offendiculo,& occaſionem prębeant contumelijs & conuicijs Deum proſcindendi,dum aiūt: Quis aut qualis illorum DEVS vel religio eſt,cuius tam ſcelerati ſunt profeſ-

ſores? De hoc Ezech.36.Rom.2. Deniquè vt omnem ſacroſancti nominis Dei abuſum, ſiue is iurando, ſiue maledicendo, ſiue alijs quibuſcunq; modis fiat, cauere & anteuertere queamus, inſculpenda ac affigenda penitùs animis eſt grauis illa comminatio, quòd nõ habiturus ſit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomẽ DOMINI Dei ſui fruſtrà: longè verò minùs illum, qui perperàm & ſceleratè illud vſurpauerit. Tum quoquè parentes & patresfamiliâs habere debebunt rationem muneris & officij ſui, & liberos abuſum nominis diuini virgis & verberibus dedoceant. Familiæ verò interdùm alimenta ſubtrahant, iubeantque ſerò vacuo ventre abire cubitum, vt vel ſic effrenem oris impudentiam diſcant compeſcere. Quod autem patresfamiliâs ſua authoritate emendare non poſſunt, in id Magiſtratus animaduertat vinculis, carceribus, aut linguis præcidẽdis, vel ſimilibus irrogandis ſupplicijs. Hac ratiõe coërceri poterunt, quas diximus, blaſphemiæ in Deum. Idem ipſe præpotens Deus eam nobis largiatur gratiam, vt mala omnia apud nos æuo noſtro in melius reſtituta & emendata conſpiciamus, ipſius præſtante benignitate & miſericordia, Amen.

CONCIO XXVIII. HABITA
Dominica viceſimatertia poſt Trinitatis, Anno 1542.

SEquitur iam tertium noſtra in explicatione Decalogi præceptum, auditores, in quo Deus Sabbati obſeruationem præcipit, inquiens:

PRAECEPTVM TERTIVM:
Memento vt diem Sabbati ſanctifices.

DOcuimus vos in exordio Decalogi, auditores, quatenùs & quamobrem nos Chriſtiani vel obligemur, vel non obligemur ad obſeruationem legis Moſaicæ, nimirùm quicquid iudicia, Cęremonias ac ritus illius concernit, ab eo nos liberos eſſe & ſolutos, adeò vt fides & conſcientia noſtra ijs non adſtringatur, nec ea ſeruare teneamur. Ea verò, quæ in Lege & Prophetis ad formandos mores pertinent, quibus docemur, quam modeſtiam, charitatem & iuſtitiam erga DEUM & proximum exercere debeamus, eiuſmodi inquam moralia præcepta etiam nos qui Chriſtum & nouam Euangelij legem profitemur, ligant, & ad ſui obſeruationem adſtringunt, nec aliter ab his immunes ſumus, niſi quòd Deus verorum Chriſtianorum animos charitate per Spiritumſanctum perfuſos emancipat & libertate donat, voluntatem & corda eorum ità corrigens, vt nihil coacti, & ſinè pœnæ metu alacriter, ſpontè ac lubenter ex mera charitate omnia faciant & obſeruent, quæcunque ad bonos mores vitamque tam erga DEVM quàm homines iuſtè tranſigendam conducere poſſunt. Inter hæc legis præcepta Sabbatũ eſt quoddam μέσον, & quod medio quodam modo ſeſe habeat. Nam ſi externam obſeruationem reſpiciamus, inter cæremonias & conſuetudines Iudaicas (quæ nobis Chriſtianis mandatæ



datæ non ſunt) referri poteſt, velutì dum ſeptimum cuiuſque hebdomadis diem ſanctificabant, ocio nimirùm & cultiori veſtitu, lautioribusq́ue epulis inſtàr Ethnicorum, qui orgia, calendas & feſta ſua non alio modo, quàm delicijs & luxu nôrant celebrare: Cùm enim vetiti eſſent labores, faciūndum tamen erat aliquid quo dies tranſigeretur. Verùm ſi Sabbatum in lege DEI aliud non haberet, quàm externam illam quietem & ocium, facilè vnà cum reliquis Iudaicis ritibus illud abrogaremus. Sed habet aliquid prętereà Sabbatum, quod ἠθικὸν eſt, moribusq́ue formandis idoneū, charitatem, modeſtiam ac iuſtitiam tum erga Deum, tum erga proximum adaugens. Atque hæc eſt cauſa, cur apud nos quoquè inter Decalogi præcepta retineatur, & fidem pariter & conſcientiā noſtram obliget, vt & nos qui in Chriſto renati ſumus, Sabbatum obſeruare cogamur, non quidem Iudaico more, vt cum ignauis ocium & ferias habeamus, ſed quòd ad charitatem & iuſtitiam erga DEVM ſimul & homines augendam, non parùm conferat. Hęc cauſa vt manifeſtior & illuſtrior fiat, nimirùm quamobrem & nos Chriſtiani Sabbatum obſeruare teneamur, rem paulò altiùs repetemus, & penitiùs conſiderabimus. Periucundum eſt, auditores, animo reuoluere, quomodò Deus opt. Max. bonam ſui cultûs & erga ſe declarandæ obedientiæ partem

partem in charitate proximi conſtituerit, adeò vt ſuo honori aſſeribat dum proximo amorē & obſequium exhibemus. Omnia quoquè pręcepta quibus cultum ſuū à nobis exigit, cum proximo cōmunicauit, adeò vt illa ſeruare & adimplere nequeamus, niſi & proximum amemus. Primum Decalogi mandatum poſtulat, vt Deum ex omnibus viribus totoque corde diligamus. Huic primo & ſummo pręcepto Deus ſimile eſſe dicit ſecundum, vt proximum ſicut noſipſos amemus. Teſtantur & paſsim diuinę literę, Deum illius erga ſe hominis amorem ratum gratumq́ue non habere, qui proximum oderit. Qui proximum non diligit, nec cum illo tenet concordiam, is minimè ſibi perſuadeat ſe diligere Deum, ſed certus ſit à Deo quoquè ſe diſcordare. Nam & Deo inimicus eſt, qui proximo inimicus eſt. In ſecundo quoquè pręcepto non ſuum duntaxat honorem ſpectauit Deus, dum vetat nomen ſuum in vanum aſſumi, ſed & proximi cōmodum vnà reſpexit, prohibens nè ſub nominis diuini teſtificatione, famę, corpori aut fortunis eius officiamus. Similì modo tertium hoc mandatū, præterquàm quòd externum Dei cultum promouet, etiam partìm ad proximi dilectionem dirigitur ac refertur. Nam & partìm in eum finem Deus populo ſuo pręcepit feriari Sabbato, vt famulantibus & miniſtrantibus nobis opportuna etiam quies poſt continuos labores concederetur. Multi enim inuenirentur in ſubiectam ſibi familiam tam crudeles & inhumani, quòd nunquàm permitterent eam à laboribus requieſcere, niſi diuino præcepto ad feriandum adigerentur patresfamiliâs cum familia & iumentis. Rationem iſthanc feriarum ipſe Deus aſſignat Deut. 5. Vt requieſcat, inquit, ſeruus & ancilla tua, ſicut & tu. Memento quòd & ipſe ſeruiêris in Aegypto, & eduxerit te Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. Hæc vna eſt cauſa, cur Sabbatum vel ferię adhuc obſeruari debeant etiam à Chriſtianis, quòd ad dilectionem & benignitatem erga proximum cōferant, quæ nobis magnoperè pręcepta eſt: immò ſecundùm fidem & profeſſionem noſtram magìs tenemur ad exhibendam proximo charitatem & benignitatem, quàm alia gens vlla ſub cælo. Altera & præcipua cauſa obſeruationis Sabbati, honorem DEI noſtri concernit. Omnes homines in hoc creati ſunt, & maximè nos Chriſtiani eò vocati ſumus, vt Deum corde, ore & externis operibus colamus. Et quidē ipſa natura externum Dei cultum adeò dictitat & approbat, vt nulla vnquàm gens neque tam immanſueta, neque tam ferrea fuerit, quæ non cultum aliquem diuinū obſeruauerit. Sed quia denſiſſimis errorum tenebris inuoluti erant, abſurdum, ineptum & execrabilem Deorum cultum inſtituebant, eique exercendo certa tempora & dies feriatos deſtinabant. Quandò autem nos ex ſingulari diuinæ bonitatis gratia & Spiritusſancti illuminatione veram Dei cognitionem verumq́; & acceptum eiuſdem cultum apud nos habemus, quo debitum ei honorem exhibere, & noſtram ſalutem quàm optimè ꝓmouere poſſumus, neceſſaria vtiquè ſunt etiam nobis certa quędam tempora, quibus huiuſmo-

Matt. 22.

1. Iohā. 4.

Iohan. 13.

Cic. 1. de legib.

di cultum Diuinum commodè præſtemus. Optimo igitur iure Eccleſia Catholica diem Dominicum & pleroſq; alios Feſtos dies ſanctificat, abſtinens ab externis operibus ac negocijs, vt rebus ſpiritualibus tanto cõmodiùs vacare queat, in quibus tum gloria nominis Diuini, tum ſalus noſtra ſita eſt. Tametſi verum eſt, debere hominem Chriſtianum aſſiduè etiam in labori-
1.Cor.10. bus externis Dei meminiſſe, & ſiue edat, ſiue bibat, ſiue aliud quid faciat, omnia ad gloriam Dei facere iuxta conſilium Apoſtoli. Cæterùm quis tam eſt perfectus inter nos, qui ſic animo & cogitationibus ſuis imperare poſſit, vt nihilo minùs cæleſtium & Diuinarum rerum meditationibus aſſiduò ſit intentus, licèt externum corporis laborem exerceat? Neq; enim fieri poteſt, vt qui laborat, ità animum ſuum domare poſſit, vt nõ operi, quod pertractat, mentem intendat. Et rarum eſt & penè impoſſibile, vt manibus externum aliquod opus rectè legitimeque perficiat, & mentem ſimul in Deum perpetuò penitùs & integrè defixam habeat. Quamobrem Feriæ illæ & Feſti dies ſunt inſtàr pædagogi, admonentis ac ducentis nos ad cultum Diuinum. Nec fieri poſſet, vt vulgus hominum ſinè Feriatis diebus, rebus diuinis & animarum ſuarum ſaluti dignè ac ſufficienter intenderet ac vacaret. Eccleſiaſtica quoquè diſciplina in Repub. Chriſtiana incolumis conſeruari nequiret, nec poſſent vnquàm homines plebeij rectè diſcere aut conſiderare, quid ad honorem Diuinum, ipſorumque ſalutem faciat & requiratur, ſi non intermiſſis laboribus manuarijs certas haberent Ferias, quibus citra impedimentum rebus ſpiritualibus incumberent. Ideoque certis diebus vetiti ſunt Chriſtianis labores externi, non quòd labor ſit ma-
2.Theſ.3. lus, meliusque ſit ocium, ſed nè operibus externis impediatur exercitatio
Pſal.127. ſpiritualis: atque hoc pacto, quod bonum eſt, meritò cedit meliori. Lauda-
Lucæ 10. bilis quidem eſt manuum labor, vtpotè à Deo præceptus, Geneſ. 3. Immò & benedicit eis & beatos pronunciat qui laborant. Sed diſcere Deum cognoſcere, eum colere, prædicare, pro acceptis beneficijs gratias illi agere, pro commiſſis veniam rogare, & Deum ſibi reconciliare, pro omniuaria gratia & quibuſlibet Reipublicę Chriſtianę neceſſitatibus Deum inuocare, hæc longè potiora & meliora ſunt opera illis quæ ὠνχειρκὰ appellantur, & manibus fiunt. Quamobrem illud, quod alioqui bonum eſt, ille inquam labor, cultui Diuino & ſaluti animarum tanquàm meliori & præſtantiori cedere cogitur. Hinc iam facilè animaduerti poteſt, quomodo Feriæ Chriſtianæ à Sabbato Iudaico differant. Perſuaſum enim erat Iudæis, ipſi Sabbato per ſe nonnihil ineſſe ſanctimoniæ præ cæteris diebus, omniaque ſua opera per Sabbatum ipſum ſanctificari. Longè verò aliter nos edocuit
Galat.4. Paulus, nimirùm omnes dies per ſe & ex ſeipſis eſſe æquales. Illi autem dies reuerà ſunt & appellantur ſancti apud Chriſtianos, quos pijs & ſanctis exercitijs & ſtudijs impendimus. Qui luxui, gulæ, luſibus & id genus flagitijs ſeſe dedunt, his nullum eſt Sabbatum, nec vllæ Feriæ ſacræ, etiamſi vel Nataliciæ ſint, aut Paſchales. Quòd autem in Republica Chriſtiana

certa dierum ſeruatur differentia,& quidam peculiariter ad ferias deſtinan-
tur, neq; eadem omnium dierum eſt obſeruantia & conditio, id ordinis &
diſciplinę conſeruandę cauſa inſtitutum eſt: omnia enim honeſtè & ſecun
dùm ordinem fieri decet in Eccleſia Dei, 1. Corint. 14. omneſque verè pij
libenter ſeruant inſtituta, ritus & conſuetudines Eccleſiæ, quę ad pietatem
conferunt, & decorum in omnibus ordinem & εὐταξίαν conſeruant, atque ad
ędificationem faciunt. Vulgus Iudęorum ſibi perſuadebat, verè Sabbatum
obſeruari & ſanctificari ocio, cultiori veſtitu, & lautioribus ac ſplendidio-
ribus epulis. Nos autē Chriſtiani perſpectum habemus, ocio diem feſtum
non ſanctificari: immò verò eſt peccatum, & peccatum adfert, ſi ocium ex-
ternum ad ſpiritalia & ſancta exercitia non conuertatur. Ocium quidem à
laboribus requiritur ad Sabbatum, ſed non ſolùm: exercitia pietatis, cuiuſ-
modi ſunt, audire verbū Dei, Chriſtianis cęremonijs Diuiniſq; officijs in-
tereſſe, Deum precari, Deo gratias agere, dolere ob admiſſa peccata, facere &
dicere ea, quę ad noſtram aliorumq; ſalutem & ædificationem conferant,
hęc nimirùm ſunt, quę Sabbatū ſanctificant. Ocium à manuarijs & ſerui-
libus operibus, ideò requiritur ad Sabbatum, nè ea quę modò cōmemora-
uimus, pietatis officia impediantur. Hęc enim fuit mens legiſlatoris noſtri,
quamobrē Sabbatum inſtituit, vt ſemotis curis & negocijs priuatis, Deo vt
in nobis pro ſua bona voluntate operetur, nos totos ſubmittamus. Quam-
obrem & Prophetæ fœdū illum ſolennitatū & neomeniarum Iudaicarum
abuſum grauiter redarguerunt, qui ociari quidē volebant à corporis labo-
ribus, intereà autem nullis pietatis exercitijs occupari, Ezech. 20. Eſaiæ 1.
Amos 5. De hoc abuſu, Deo fauente, in poſterum nonnihil audiemus. Eſt
enim frequens admodùm in Ferijs noſtris. Atq; vt Eccleſia Chriſti demon-
ſtraret, non retinere ſe Iudaicam ſuperſtitionem, neq; hac perſuaſione du-
ceremur, quaſi ſeptimus dies peculiari aliqua ſanctitudine reliquis diebus
prępolleat, tranſtulerunt primitiuę Eccleſię Patres Ferias Eccleſiaſticas, ſiue Tranſla-
Sabbatum de die ſeptimo in octauum, quô conteſtarentur, vnumquenq; tio Sab-
diem bonum & idoneū eſſe ad exercenda pietatis ſtudia, & quēlibet diem bati.
mundis, pijs & ſanctis operibus ſanctificari. Et hęc eius tranſlationis pri-
ma eſt cauſa.

Secunda ratio, quamobrē octauus dies proximè Sabbatum Iudęorum
ſubſequens, in noſtram Dominicam & Sabbatum tranſlatus ſit, hęc eſt,
quòd Dominus Deus ac Redemptor noſter Chriſtus, hoc eodem die pro-
dijt ex ſepulcro, in quo poſt mirificum ac ſalutiferum noſtrę redemptio-
nis opus quieuerat. Quum itaq; dies Dominicus vel octauus, ſummū hoc
gaudium produxerit, & ampliſſimam illam aduerſùs peccatum & ſempi-
ternam mortem victoriam retulerit per reſurrectionē Ieſu Chriſti: eapro-
pter hunc apud Chriſtianos honorem & pręrogatiuā promeritus eſt, vt pe-
culiariter eum celebremus, & ſalutiferum noſtrę redemptionis opus in eo
cōmemoremus ac meditemur. Vndè & dies Dominicus appellatur, eſtque

hic honos & hæc feſtiuitas diei octauo attributa, eoque modo in Eccleſia Chriſtiana obſeruata, iam indè ab Apoſtolorum temporibus ad nos vſque: id quod non obſcurè declarat D. Iohannes in ſua Apocalypſi capit. 1. Ego Iohannes, inquit, fui in ſpiritu in die Dominica. Iam porrò aduertendum eſt, externas illas ferias & ocium, non eſſe illud quod in hoc tertio Decalogi pręcepto Deus à nobis exigit. Spirituale & internum Sabbatum poſtulat, ſanctasque & ſpirituales ferias, de quibus, fauente Deo, deincèps dicturi ſumus, quomodò nimirùm Chriſtianus feſtos dies ſanctificare & colere debeat. Ad hoc internum & ſpirituale Sabbatum externę illę à laboribus feriæ inſtàr cuiuſdā pædagogi deducunt: & quia homines ſumus admodùm imperfecti, fit vt ſpirituale Sabbatū difficulter obſeruare poſſimus, ſi non à profanis laboribus abſtineremus. Quamobrem externę illæ feriæ etiam neceſſariæ ſunt, & in diuinis literis nobis à DEO præceptæ, vt ſcilicet nonnunquàm intermiſſis corporis laboribus, ſpiritualibus exercitijs toti incumbamus.

Quomodò autem externæ illę ferię ſeruari debeant, ex contrarijs operibus facilè didicerimus, quibus hoc pręceptum præuaricamur. Principiò peccant in hoc præceptum, qui diebus feriatis aliquid externi laboris, aut per ſe, aut familiam ſuam, vel etiam iumenta exercent, idque citra neceſſi-
Lucæ 14. tatem, ex ſola auaritia, lucrique & quęſtûs cupiditate. Nam ſi quandò ne-
Matt. 12. ceſſitas expoſcat, licitum eſt diebus feſtis operari. Eodem modo ſi noſtri labores fraternæ charitati deſeruiant, non violant Sabbatum. Chriſtus ipſe apud Matthæum hoc modo Sabbati ſanctificationem deſcribit, quòd ope-
Matth. 9. ra charitatis gratum Deo Sabbatum efficiant. Miſericordiam volo, inquit,
Oſeæ 6. & non ſacrificium.

Chriſtus Moſaicam legem operibus charitatis fregit: & nobis Legem frangere permiſſum eſt, ſi exigat amor & neceſſitas proximi: quanuìs infringi Lex non dicatur, ſi neceſſitate cogente id fiat. Longè diuerſum eſt, ſi ex noua quadam curioſitate, petulantia ac libidine, & peruicaci, malitioſa & propriæ voluntatis ac libidinis libertate, dies feſtos aliaque vtilia Eccleſiæ ſtatuta infringamus. Execrabilis eſt & ſatanica libido, ſi quem delectet omnes vtiles conſuetudines ac inſtituta ſinè vlla neceſſitate aut cauſa conuellere. Eiuſmodi contentioſos nullo modo in Eccleſia tolerat Apoſtolus, 1. Corinth. 11.

Secundò pręuaricantur hoc pręceptum, qui diebus feſtis ociantur quidem à manuum laboribus, ſed interìm totis his diebus nihil faciunt bonæ frugis, nihilq; exercent, quod ad honorem Dei & ſuarum animarum ſalutem cedat. Sic aūt diebus feriatis, laboribus externis ſe Chriſtianus abdica-
Luc. 10. ret, quemadmodùm Maria Magdalene, Martha ſorore circa frequēs miniſterium ſatagēte, ſedebat ſecus pedes Domini, audiens verbum illius. Hanc ob cauſam inſtitutæ ſunt feriæ & dies feſti, vt verbum Dei audiamus, reliquasque Chriſtianæ religionis cæremonias & officia diuina obſeruemus.

Quicun-

Quicunque hoc aut omninò non faciunt,aut negligentiùs faciunt,ab his equidem vix teruncio emerim, quod ſuis ferijs à Deo promerentur.

Tertiò, tranſgrediuntur, prophanant & violant Sabbatum, qui feſtos dies comeſſationib9,ſympoſijs,alea, choreis, alijsq́; id genus flagitijs, quæ hîc nominari operæprecium non eſt, traducunt. Atque hic tam miſerabilis eſt hodiè abuſus & defectus in Repub. Chriſtiana, vt nemo dignè ſatis eum deplorare queat,quem vtinàm Deus pro ſua miſericordia corrigere & auertere dignetur. Iudæorum Rabbini de Sabbato ſuo gloriabantur,quòd dæmones eo die hominũ cœtus refugerent, & in abſtruſis opacisq́; montium ſpelæis occultarentur: adeò illi reformidabant magnam illam Sabbati ſanctitatem. Nunc feriatis diebus om̃es cacodæmones velut agmine facto ex inferis proruunt, ac turmatìm homines inuadũt, vnaq́; cum illis feſtos agunt dies eo modo, quẽ nunc proh dolor paſsìm videmus. Quandò tartareis illis ſpiritibus per reliquos hebdomadę dies dormitandũ & ociandum fuit,Dominicis & Feſtis diebus in diuorum honorẽ inſtitutis,omnem ſuam explent libidinem. Hîc iam dicendũ erat, quibus rationibus feſta forent ſeruanda, verùm temporis inopia inpręſentiarùm non admittit. Vnico tamen verbo ethnicus ille & peſtilens abuſus indicandus eſt. Si ſancti & Patroni noſtri,quorum feſta colimus, meri forent Plutones, animarũ tortores & cacodæmones, qui omni flagitiorum ac turpitudinis genere delectarẽtur,vix alio modo poſſent eorum feſta celebrari, quàm nunc plerunquè ſeruantur hodiè. Illi omnem in cibo & potu temperantiam,ieiunia & abſtinentiam,verbo & exemplo docuerunt,& ipſi exercuerunt:nos autem colimus eos potando & comeſſando,luxuque intemperatiſſimo. Illi ſimplici veſtitu contenti fuêre:nos vt proci & ſponſi Penelopes omni turpiſſima vanitate eos honoramus. Illi humilitatẽ & mundi contemptum docuerunt, & eorum nos Feſta omni pompa, luxu & voluptate huius mundi tranſigimus. Iuréne Deus tam præpoſteras ferias execrabitur,& comminationẽ illam aliquandò nobis euenire permittet, quæ eſt apud Malachiam: Diſpergam,inquit,ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum, Malach. 2. & aſſumet vos ſecum?

CONCIO XXIX. HABITA

Dominica XXIIII. poſt Trinitatis, Anno 1542.

IN explicatione tertij præcepti de Sabbato, auditores in Chriſto chariſſimi,proximè cauſas ac rationes audiuimus,quamobrem externæ feriæ nobis præceptæ ſint, & à nobis obſeruandæ. Prætereà didicimus quomodò dies Dominicus & Eccleſiæ Feſta, externa à laboribus quiete & ferijs meritò colenda & obſeruãda forent. Principiò miſertus eſt Deus humanæ imbecillitatis & neceſſitatis, & Sabbatum atq; Ferias inſtituit ꝑpter hominem,vt corpora noſtra laboribus fatigata & exhauſta,per quietẽ rurſùm reficiantur ac refocillentur, atq; ità futuro labori ſufficere poſſint. Ità

enim cum omnibus illis, quę ſub cælo ſunt, natura comparatũ eſt, vt quod caret alterna requie, durabile non ſit. Altera Sabbati aut feriarũ cauſa eſt, vt tempus & opportunitatẽ habeamus, qua diuino cultui & ſaluti noſtræ vacare liceat. Siquidem admodùm difficulter animi noſtri eodem tempore duabus diuerſis curis aut meditationibus diſtrahi ſe patiuntur. Nam cùm primùm vni alicui exercitio mẽtem intendimus, ab alio mox ſeuocamus.
2. Tim. 2. D. Paulus exiſtimat eum, qui Deo militare velit, non implicare ſe debere negocijs ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.

Cùm autem noſtra imperfectio non permittat, vt omni tempore à ſecularibus negocijs abſtineamus, & ſoli nos cultui diuino integros mancipemus, æquum eſt tamen occupationes externas certis diebus hebdomadatìm intermitti, quos rebus diuinis tantùm & hominum ſaluti totos impendamus. Si quis ergò eiuſmodi diebus aliquem corporis laborẽ ſubeat ſinè euidenti neceſſitate aut cauſa, hic peculiare crimen cõmittit. Quomodò verò Dei famulus ille cenſebitur, qui temporarium aliquod emolumentum præfert honori diuino & animæ ſuæ ſaluti? qui lucri & quæſtûs cauſa Eccleſiam & congregationem fidelium contemnit, nec illis ſeſe adiungit, vt cæremonias & cultum Diuinum pariter ornet ac celebret feſtis diebus? Porrò ſi iniquum eſt Sabbato & diebus feriatis, poſtpoſito cultu diuino, artibus mechanicis, quæ per ſe tamen vetitæ non ſunt, vacare: quantò ſceleratiùs & horribiliùs peccant illi, qui dies feſtos deterrimis flagitijs traducunt? In hanc ſententiam proxima Concione de ferijs diſſeruimus, vndè quemlibet Chriſtianũ ſufficienter inſtrui poſſe arbitror, quomodò externæ ferię ſint obſeruandę. Iam autem diximus externas illas ferias eſſe duntaxat inſtar cuiuſdam pædagogi, animos noſtros ad ſpirituale Sabbatũ inſtruentis ac dirigentis, quod quidem Deus potiſſimùm à nobis requirit, & in quo demùm abſoluta huius tertij præcepti obſeruatio conſiſtit. Neque hoc ſolùm exigit à nobis Deus, vt dieb⁹ feſtis ab omni corporis labore ocium agamus, & ſimul etiam à peccatis omnibus abſtineamus: Sed eiuſmodi diebus ſingulari quodam ſtudio obſeruanda eſt filijs Dei illa Pſalmographi
Pſal. 36. parænesis: Declina à malo, & fac bonum. Hac enim de cauſa omnia negocia & actiones noſtras intermittemus, vt Deus diuina ſua opera per gratiam ſuam in nobis perficere queat. Huc iam pertinet verbũ ſanctificare, quod teſtatur & documento eſt, omnẽ huius pręcepti vim in ſanctificando, non autem in feriando conſiſtere. Et feriæ ob ſanctificationem duntaxat inſtitutę ſunt & aguntur, vt ocium & opportunitatẽ habeamus huiuſmodi ſanctificationem perficiendi. Sanctificare aũt idem ſignificat, quod ſanctum ſeruare, ſanctum reddere, eiuſmodi ſermonibus & operibus intendere, vt dies ille per opera noſtra ſanctior reddatur pręcęteris diebus. Tum demùm ſiquidem tranquilli totos nos gratiæ diuinæ ſubmittimus ad ſanctificationem. Tunc dies ſanctus appellatur, quandò meliores & ſanctiores fiunt & ſunt homines, quàm reliquis diebus. Hoc ſpirituale Sabbatum & ſpirituales

les ferias paucis in præſentiarùm declarabimus: Deindè ad quarti præcepti explicationem tranſgrediemur.

Audiuimus, dilectiſſimi, externis ferijs ſpirituale quoddam Sabbatum coniunctum & annexum eſſe debere. Quiſquis igitur die feriato à corporali labore quieſcit, iuxta Dei & Eccleſiæ præceptum, is iam multò magìs in eam erit curam intentus, vt ab omnibus operibus malis per gratiam diuinã quieſcat & ocietur, cuiuſmodi opera in ſcripturis diuinis mortua appellãtur. Hæ demùm ſanctę ſunt ferię, quandò quis ità feriatur à peccatis, vt non ſolùm die feſto à malis & flagitioſis operibus abſtineat, ſed & ſi quã peccatorũ labem alijs diebus contraxit, eam conetur tali die abluere, & penitùs cum Deo & proximo in gratiam redire. Hic ſanè verum reconciliationis diem (den Sontag oder Sõnetag) obſeruat. Hæ ſunt feriæ, quas à nobis poſcit Deus apud Prophetã. Lauamini, inquit, mundi eſtote. Qui Eſaiæ 1. grauatus, lęſus & detrimento aliquo à proximo affectus, iram ſuã cohibet, à vindicta abſtinet, iniuriam remittit, & bonum pro malo retribuit, hic demùm bonas agit ferias, dum ab ira & vindicãdi libidine feriatur. Eiuſmodi feriæ Chriſtianis indicuntur Rom. 12. Nemini malũ pro malo reddentes, non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt Deut. 32. enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus, 1. Theſſ. 5. 1. Pet. 3. Qui ab impudicis cogitationibus, verbis & operibus feriatur, hic non minùs ſanctificat Sabbatum, quàm ſi ab omnibus externis occupationibus abſtineat. Auferte malũ cogitationum veſtrarũ ab oculis meis, inquit Do- Eſaiæ 1. minus per Prophetam. Qui die feſto animũ patientia exercet, nec conuicium conuicio rependit, ſed maledicenti benedicit, & bonũ precatur pro malo, non ſolùm lingua, ſed & ipſo cordis affectu, hîc veras agit ferias, quæ nobis pręcipiuntur 1. Pet. 3. Matt. 5. Qui auaritiam & omnia exercitia ac negocia quæſtui & auaritiæ deſeruientia poſtponit, & tradit ſe exercẽdis miſericordię operibus, bonum verumq; Sabbatum is agit. Qui non tantùm abſtinet ab ijs quęſtibus & cõmercijs, quibus proximus grauatur, emungitur & expilatur: ſed & ſubleuat eius neceſſitatem de ſua ſubſtantia in die feſto, hic benè feriatur. Qui de cibo ſuę menſæ parato, aliquid impertit pauperibus & fame affectis, is rectè feriatur. Ite, inquit Scriptura, comedi- Neem. 8. te pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non pręparauerunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt. Et vt in pauca conferam rem omnem, hęc eſt abſoluta verarum feriarum natura & indoles, vt quis carnem cum omnibus cogitationibus & operibꝰ malis domet & coërceat, & ab omnibus ijs cogitationibus, verbis & factis vacet, quæ peccato ſint obnoxia, ſeque totum voluntati & gratiæ Diuinæ ſubmittat, velut organum iuſtitiæ & virtuti deſeruire paratum, vt peculiariter illud Pauli complecamus diebus feſtis: Fratres, inquit, ſicut membra veſtra exhibuiſtis ſeruire Rom. 6. immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitię in ſanctificationẽ. Itidèm & ego vos adhortari potero,

quemadmodùm reliquis diebus vobis & mundo operam nauâſtis atq; ſeruijſtis, ſic æquum fuerit vt diem feſtum DEO & cultui diuino impendatis. Hæc eſt dies Domini, quam ipſemet honorificauit. Faceſſant igitur negocia & actiones huius ſeculi, & ea meditemur, quæ Domini ſunt, in quibus ipſi complacitum eſt.

Eiuſmodi ſanè Sabbathi & feſtorum dierum ſanctificationem vel maximè exigit DEVS, & illius cauſa potiſſimùm externum illud à laboribus ocium & ferias præcepit, vt tempus habeamus & ſpatium, quo hanc ei ſanctificationem præſtemus. Porrò qui feſtos dies ſolo ocio & ferias agendo celebrare, nec ſimul hanc internam ſanctificationem in ſemetipſo Deo præſtare volet, eandem facilè gratiam merebitur, quam Iſraëlitæ ſuis Sabbatis, ieiunijs & alijs externis operibus inibant. Præceperat illis quidem DEVS externas ferias, verùm ea ſolùm de cauſa, vt ocium hoc non niſi pijs & diuinis exercitijs impenderent. Sed cùm externas duntaxat ferias obſeruarent, & Sabbati ſanctificationem intermitterēt, quæ pijs exercitijs fieri debebat,
Eſai. 1. iratus Deus, reiecit eorum Sabbata, tanquàm ſpurcitiem quandam, quam ipſe abominaretur. Neomeniam & Sabbatum & feſtiuitates alias non feram, (inquit per Prophetam) iniqui ſunt cœtus veſtri, Calendas veſtras & ſolēnitates odiuit anima mea, Facta ſunt mihi moleſta, Laboraui ſuſtinēs. Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis oratiōem, non exaudiam. Quæ eſt ratio, quòd reijcit Sabbatum & ferias à ſe præceptas?

Nimirùm idcircò corporis labores certis diebus ceſſare voluit, vt illis temporibus nihil niſi ſancta exercitia tractarent homines. Hoc enim verè eſt Sabbatum ſanctificare. Iudæi autem, iuſtitia, ſanctimonia & pietatis officijs poſtpoſitis, ocio, lautioribus epulis & cultiori veſtitu Sabbatū tranſi-
Eſai. 1. gebant. Hoc ergò illis Deus improperat ſequētibus verbis: Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.

Sed dicat aliquis: Qua ergò ratione ſpirituale Sabbatum obſeruabitur, vt Deo gratum ſit & acceptum? quid faciendum, vti ferias & ſolennitates pro DEI voluntate rectè colant? Audiamus DEVM ipſum apud eundem Pro-
Eſai. 1. phetam luculenter nos erudientem: Lauamini, mundi eſtote, auferte malùm cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè, diſcite benefacere: Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus. Eodem modo & certa ieiunia populo Iſraelitico præceperat, vt ijs tanquàm inſtrumento quodam ad omne virtutis genus vterentur.

Cùm autem illi ſola obſeruarent externa ieiunia, & interim in omni petulantia, peruicacia & malitia perſeuerarent, immorigeroſque ſe præberēt ac rebelles erga DEVM, nec quieſcerent agere peruerſè, atque inhumanos & improbos ſe declararent erga proximos, tunc Deus eorum ieiunijs offenſus, reiecit ea tanquàm polluta & immūda, quæ ſummè abominaretur. Sic enim

enim inquit apud Prophetam: Eccè inuenitur voluntas veſtra in die ieiunij veſtri, & omnes debitores veſtros repetitis, &c. Et Zachariæ 7. Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunâſtis mihi? Et iterùm paulò pòſt: Hæc ait Dominus exercituum: Iudicium verum iudicate, & miſericordiam & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo. Eſaiæ 58.

Hinc iam intelligimus Deum externa illa opera, cuiuſmodi ſunt feriæ & ieiunia, ceu ſigna & inſtrumẽta quędam præcipere, ad ſpiritualia & longè potiora exercenda: Non quòd externo illo velit eſſe contentus, ſed ſpirituale potiſſimùm expoſcit. Externum verò ſimul obſeruandum eſt pro cõmodo ſubſidio & vtili quodam inſtrumento, quo illud ſpirituale commodè & opportunè expediamus. Quamobrem externũ illud non alio loco cenſendũ erit, quàm cuiuſdam pædagogi, qui doceat & demonſtret, vtì corda & cogitationes noſtras à rebus fluxis & temporarijs penitùs auertere, & tum corpora, tum corda & cogitationes noſtras Deo ſubmittere debeamus, quô ſanctiſſimam ille voluntatem ſuam in nobis perficere queat.

Huius iam pulchrè nos admonet ECCLESIA inſtitutis, ritibus & cæremonijs ſuis, quibus Dominicis aut Feriatis diebus vtitur. Principiò, dum in Eccleſiam conuenimus, aqua conſecrata adſpergimur, quo admonemur omnes nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro eſſe Baptizatos. Iam autem nemo eſt qui ignoret, quid ſignificet Baptiſmus. Hoc ipſo, quòd in Baptiſmo aquis immergimur vel abluimur, ſignificatur, veterem illum hominem, vnà cum peccatis, prauis cogitationibus & operibus ſuis, in nobis emori debere. Nam illa in aquas immiſſio, ſimilitudinem quandam habet cum ſubmerſione & ſepultura. Quòd autem repentè ex aquis Baptiſmi educimur, id eam habet ſignificationem, nouum hominem in nobis debere reſurgere in Chriſto, qui iam deinceps non in peccatis, ſed in nouitate vitæ ambulet in omni iuſtitia & pietate. Hanc ſacri Baptiſmi ſignificationem eleganter deſcribit Apoſtolus Roma. 6. An ignoratis, inquit, fratres, quia quicunque Baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte eius Baptizati ſumus? &c. Et Coloſſ. 2. Conſepulti eſtis Chriſto in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta.

Eccè huius Baptiſmi nos admonet Eccleſia adſperſiòne aquæ benedictæ, non aliter àc ſi hoc veluti ſigno nobiſcũ loqueretur hunc in modum: Vos quicunque Baptizati eſtis, expendite quidnam ſitis, & quæ ſit vocatio veſtra. Iam non eſtis de hoc mundo: ſemel mundo & omnibus eius pompis renunciâſtis in Baptiſmo, & in eodem cum Chriſto Domino veſtro ſpiritaliter mortui eſtis. Quamobrem detis operam, nè vetus ille Adam cum noxijs & prauis cogitationibus & operibus ſuis in vobis vlteriùs viuat: ſed quemadmodùm conſurrexiſtis cum CHRISTO in nouitatem vitæ, ità in Coloſ. 2.

eadem

eadem nouitate perſiſtatis, magiſque ac magis progrediamini, ſeruientes iuſtitiæ ad ſanctificationem. Si fortè mundus ſuperioribus diebus, ſuis vos negocijs & ſtudijs implicauit, hodiè rurſum expendite, ſemèl nos mundo renunciâſſe, neciam vobis fas eſſe viuere ſecundùm mundum, & opera illius ſectari. Huiuſmodi enim operibus mortui eſtis in Baptiſmo: quocircà alij mores, alia vita vos tanquàm nouos & renatos homines decet.

Vt autem ſciamus cuiuſmodi noſtra debeat eſſe conuerſatio, en aliam quoquè vſurpat Eccleſia in die DOMINICO cæremoniam, quæ nos per vniuerſam hebdomadam admoneat, qua ratione vitam & mores noſtros inſtituere debeamus. Crux enim nobis pręfertur, & iubemur hâc ſequi per totum Eccleſię ambitum vel periſtylium. quę ſanè efficax & valida eſt admonitio, ſi quis eam recta ſecum velit reputare via. Scire deſideras ô Chriſtiane, quî tibi viuendum ſit? Agè doceat te hæc cęremonia. Eccleſia iubet, vt crucem ſequaris: ſub vexillo crucis Chriſti militię tuæ Sacramētum dixiſti, ſub hoc Imperatore ſtipendia merebis, in huius caſtris militandum eſt: hic ſequendus eſt, hoc duce nunquàm erraueris. In Chriſto Ieſu habes perfectiſſimum omnis virtutis exemplar. Hunc tibi imitandum proponas, ità haud dubiò & recto gradieris itinere, & facies quod te decet, ac virtuti conſentaneum eſt.

CONCIO XXX. HABITA

Dominica viceſimaquinta poſt Trinitatis, Anno 1542.

SVperioribus aliquot concionibus, auditores in Chriſto chariſſimi, prioris tabulæ præcepta explicuimus, quæ tria ſunt, eaque omnia ad cultum diuinum pertinent, diriguntque ad Deum mentem, linguā, & geſtus noſtros, ac docent, quomodò corde de DEO credere & ſentire, eum ſolùm diligere, timere, & in eo ſolo ſpem & fiduciam noſtram collocare, vtì ore de eo loqui, & quemadmodùm actionibus externis & conuerſatione eum colere debeamus: Horum omnium ſufficientem explicationem audiuimus, quatenùs quidem homini Chriſtiano hæc percipere neceſſum eſt. Sequitur nunc ſecunda tabula ſeptem præcepta comprætendens, quibus diuinitùs docemur ea omnia, quæ erga proximos tum facere, tum omittere teneamur. Ex his duabus tabulis vniuerſa lex pendet & prophetę. qui nouit, quo animo & quo charitatis affectu Deum & proximum proſequi debeat, hic benè doctus eſt in lege Euāgelica ſiue Chriſtiana: nec quicquam ferè iam in eo deſideratur, niſi vt diuina fretus gratia, ſcientiam ſuam in rem & opera cōferat. Hæ duæ charitatis partes, putà, Deum amare, itemque proximum ſua in actione neutiquàm errare eum patiuntur, & facilè euadit peccata, qui eo quo debet charitatis affectu DEVM & proximum proſequitur. Grauiſſima horrendiſſimaque ſunt ea peccata, quibus directò in Deum peccamus: hæc quo pacto queamus euitare, tribus prioribus pręceptis docemur. His ſuccedunt, quibus cōtra proximum delinquimus, quę prio-

prioribus illis penè ſunt æqualia: vt cùm proximi vel corpus, vel famam, vel facultates lædimus. Huc iam referuntur ſeptem ſubſequentia præcepta, quibus erudimur, vt vnicuique id tribuere debeamus, quod ſuum eſt.

Inter homines autem, quorum commercio in terris vtimur, primi & præcipui nobiſq; coniunctiſſimi ſunt parentes noſtri, ex quibus corpora & vitam hãc temporariam, & hoc ipſum quòd homines ſumus accepimus. His itaque primum inter homines locum tribuit Deus, quin & ſegregat eos ex numero proximorum, & peculiari, adeoque pręcipuo loco eos conſtituit. Peculiare enim de parentibus pręceptum ſtatuit, idq; primum inter omnia illa ponit, quæ ad homines pertinent, vt vel hinc diſcamus apud DEVM non paruo in precio haberi parentum ſtatum, de eodemque ſtatu eos quoque præclarè & ſublimiter ſentire debere, quãdoquidem inter omnes hominum ſtatus hunc Deus ipſe primum & ſupremum conſtituit. Gene. 2.

Quanuis autem huius præcepti verba ſolos liberos inſtruant, quomodò parentes colere & qui habere debeant, commodè tamen hoc loco doceri ſolet, quomodò etiam erga alios affecti eſſe debeamus, qui à parentibus proximi nobis ſunt, aut ius & officium patrię poteſtatis in nos habent: quales ſunt pædagogi aut ludimagiſtri, maximè verò illi, qui in ijs nos erudiunt, ex quibus animarum noſtrarum ſalus & vita æterna depẽdet, vt ſunt Epiſcopi, Concionatores & Parochi, aut illi quos ſuſceptores vocamus. Præterea illi, qui in rebus externis & politicis nobis pręſunt, qui vitam, famam, & facultates noſtras tuentur, conſeruant, & ab aliena iniuria defendunt, cuiuſmodi ſunt Magiſtratus, tutores etiam & curatores. Et præcipuè ad hoc præceptum pertinet, vt diſcamus, quid famuli & famulæ ſuis dominis & dominabus præſtare teneantur, & quid viciſsim ipſis debeatur à dominis. Nam & hi, qui à miniſterio ſunt, in familia ſunt & in poteſtate patrisfamiliâs. Denique, quid coniuges ſibi inuicèm debeant.

Primo itaque loco de eo mihi dicendum erit, quid liberi parentibus, & è contrario quid parentes liberis præſtare teneantur: quo abſoluto, breuiter ſubiungam etiam de reliquis, quid alij alijs pro ſua quiſque vocatione debeãt exhibere. Et ſanè plurimùm intereſt Reipublicæ Chriſtianæ, vt quilibet ſciat, quid pro ſuo ſtatu ipſum deceat, idque quo poterit ſtudio & diligentia præſtet. Nam alioqui ſi noſtrę vocationis obliti, aliorum ſtatus & ordines cœperimus intueri, perſpicereque quid apud illos vitij ſit, quidve illic deſit, & queramur ac deploremus aliorum vitia & perperàm geſta, porrò interìm negligamus ea, quæ meritò & ex officio noſtro facere debebamus, id verò non leues nec minùs pernicioſos tumultus in Rebuſpub. excitauerit. Tunc autem felices & florentes eſſent Reſpublicæ, ſi vnuſquiſque tam ſuperioris, quàm inferioris cõditionis, Spartam quã nactus eſſet, om̃i quo poſſet ſtudio & induſtria adornaret: Hac enim ratione certò tam apud Deũ quàm apud hoĩes, gratiã eſſet initurus. Quamobrẽ neceſſum eſt diligẽter & ſedulò inſtituere Chriſtianos, quid queq; priuatìm ratioẽ ſtatûs &

conditionis ſuæ maximè deceat. Deus enim ab vnoquoque rationem exacturus eſt, de eo præcipuè, quod illi ratione officij & vocationis mandatum fuit. Vbi ampla eſt & multiplex familia vni DOMINO ſeruiens, omnes in commune tenentur pro virili omne damnum à rebus DOMINI ſui auertere. Ille tamẽ, qui promus condus fuerit, ſiue cellarius & vietor, cui penus aut cellę vinariæ cura commiſſa eſt, peculiariter curabit, nè in cellario quicquam detrimenti accidat. Itidèm cocus rem culinariam adminiſtrabit, &c. Ad hunc modum multa ſunt in Chriſtiana fide noſtra comprænhenſa, quæ communiter omnibus Chriſtianis ſtudioſè obſeruanda ſunt, vt verbi gratia, quo pacto Deum laudare & colere, vt pręſtandis eleemoſynis proximo gratificari, qua ratione ſcortationem, inuidiam, homicidia, auaritiam, furtum, crapulam euitare debeant. ſpeciatim verò Chriſtiani ſibi proſpicere debent, quiſq; pro ſua vocatione, nè quicquam faciant aliter, aut omittant, quàm ipſis à DEO ſit præceptum.

In hoc ergò vobis (auxiliante Deo) meam circa hoc quoquè pręceptum nauabo operam, oſtendamq́ue quid vnuſquiſque ratione ſtatûs & vocationis ſuæ proximo præſtare teneatur: & quidem à parentibus & liberis ſumam exordium, idq; ex imitatione noſtri Legiſlatoris, qui primum & pręcipuum locum tribuit parentibus.

In ſecũda DECALOGI tabula, auditores, qua docere inſtituit DEVS, quomodò poſt Deum erga homines opere & animo nos declarare debeamus, parentum ordinem ſiue ſtatum cęteris omnibus pręponit, & docet nos principiò, vtì nos erga parentes gerere debeamus.

PRAECEPTVM QVARTVM:

Honora patrem tuum & matrem tuam,

HVic pręcepto Deus amabilem & plenam conſolatiõis ſubnectit promiſſionem:

Vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Reliqua præcepta (auditores) eam plerunquè habent rationem, vt iniquũ aliquid prohibeant, idq́ue graui comminatione in tranſgreſſores annexa, Exod. 20. velutì: Non aſſumes nomen DOMINI DEI tui in vanum. Nec enim habebit inſontem DOMINUS eum, qui aſſumpſerit nomen DOMINI Dei ſui fruſtrà. Hoc autem quartum præceptum peculiarem quandam, eamq́ue gratam & iucundam habet rationem & indolem. Iuſtum eſt & ęquitati conſentaneum, quod hoc præceptum à nobis exigit, ad quod alioquì ſponte ſua quilibet meritò propenderet. Et præclarum nihilominùs præmium eis pollicetur, qui hoc pręceptum obſeruârint. Honora (inqt) patrem & matrem. Quàm iuſta eſt, quàm æqua hæc præſcriptio, Honora patrem tuum & matrem tuam? Honora eos, quibus debes hocipſum quod es, qui corpus, mẽbra, intellectum, ipſamq́ue vitam dederunt, per quos homo eſſe cœpiſti, qui te incredibili amoris affectu fouerunt ac conſeruârũt in ætate maximè fragili



fragili & infirma, cùm homo quidem factus eſſes, ſed impotens & imbecillis, qui nec tibijpſi auxilio eſſe, nec fari, nec ingredi, nec cibum capere, nec te erigere, nec tegumẽtis cæli aut frigoris iniuriam propellere, deniquè nihil eorum facere aut curare poſſes, quæ ad vitam conſeruandam eſſent neceſſaria. Tum enim illi res omnes neceſſarias tibi ſuppeditârunt, & id ſanè lubẽtibus animis, ſummo affectu & ꝓpenſiſſimo erga te amore fecerunt. Quid quòd & ipſa vita te chariorem habuerunt, omnemq́; ſolicitudinem in hoc adhibuerunt, nè in fragili illa ætatula vllum perſentiſceres incommodum? Deindè fide & doctrina Chriſtiana te erudiêrunt, ijs te inſtrui curârunt, quibus poſtmodùm vitæ ſubſidia tibi parare poſſes: & quæ ipſi docere non poterant, nihilo minùs vt addiſceres, & prece & precio eos, qui te docerent, cõduxerunt, vel in ſtudijs & artibus liberalibus, vel in arte mechanica. Quemadmodùm vitam ab ijs accepiſti, ſic etiam pro virili ſua ad ea te promouerunt, quibus vitam ab illis acceptã temporaliter tueri & conſeruare, & animam perpetua felicitate beare poſſes. Iuſtúmne ergò fuerit, eiuſmodi homines honore proſequi? Si expendas quantum amoris ac beneuolentiæ tibi in infantia ſit exhibitum à parentibus, etiam iure naturæ ſenties te teneri ad huius præcepti obſeruationem, etiamſi nullam in futuro ſperare poſſes remunerationem.

Sed ſuper hæc omnia, honorem parentibus impenſum in futuro ſeculo remuneraturus eſt Deus, quod meritò te redderet alacrem & promptum ad hoc præceptum obſeruandum. Huius etiam nos admonuit Apoſtolus, dum inquit, hoc primum eſſe mandatũ in promiſſione, vt omninò prompti ſimus & ſtudioſi ad omnem honorem parentibus exhibendum. Ephef.6.

Hîc ingenuus & pius aliquis puer dicere poterit: Nihil dubito iuſtum eſſe honorare parentes, cùm hoc ipſum quòd homo ſum, & hucuſquè enutritus, ipſis debeam. Immò verò exiguum ſatis videtur, quòd pro tantis beneficijs nihil aliud poſtulat Deus, quàm vt illis honorem habeam. Equidem putârim longè ampliora & ſplendidiora à me promeritos. Cui nos ità reſpondemus: Rectè quidem & benè iudicâſti optime fili. Quicquid enim honoris, obſequij & beneuolentiæ in terris vel nominari vel excogitari poteſt, id omne liberi parentibus ſuis debent. Verùm hæc omnia vnico honorandi vocabulo compręhenduntur. Quamobrem perge attendere, vt cognoſcas quid ſit honorare, & quid tibi à Deo pręcipiatur, dum inquit: Honora patrem tuum & matrem tuam.

Primò quidem naturali æquitate docemur, quis & qualis honor parentibus ſit exhibendus. Parentes liberis ſuis omnia ſubminiſtrant vitę degendæ neceſſaria, idq; tanto cum ſtudio, vt omnem ſuam ſubſtantiam, corpora ſua, immò & corda, in eorum tutelam cupiant impēdere. Inſupèr & ventrem famelicum fraudant, & liberis impartiunt, atq; id ſummo cum amore ac voluptate. Eadem itaq; ratione naturalis æquitas expoſcit, vt liberorum erga parentes repēſatio & honoris exhibitio fiat facultatibus, corporibus, adeoq; & cordibus ipſis. Quicquid ergò liberi vel bonis externis, vel corpore, vel corde præſtare poſſunt, id tenentur in honorem & reuerentiam eorum impendere, vt integer & ſerius ſit honor, qui & corpore & corde & facultatibus declaretur, quemadmodùm & parentes ſuum erga liberos ſtudium facultatibus, corpore & corde demonſtrârunt. Hic porrò verus & ſerius honor varia compręhendit. Principiò ſi parentes ex corde ſiue animo honorare velimus, neceſſum certè eſt, vt ex animo quoquè eos diligamus. Quem enim non diligimus, eum nec honorare poſſumus, niſi fortè externo quodam & ſimulato corporis geſtu. Quia autem parentibus ex intimo animi affectu honorem habere debemus, omninò requiritur, vt conſtanti & feruenti cordis amore in eos feramur. Deindè is amor huiuſmodi honorem producit, vt non verbis ſolùm omnē beneuolētiam conteſtemur, ſed & geſtu ipſis nos addictiſſimos & obſequioſos præbeamus, tanquàm illis, qui poſt Deum nobis gratiſſimi ſunt & chariſſimi.

Præterea verus ille & ſerius honor id ſecum adfert, vt de parētibus noſtris ſublimiter & magnificè ſentiamus, perſuaſumq; habeamus, vt etiamſi multi ſint pręclari & pręſtantes in orbe homines, attamē nullos eſſe, quos pluris facere & æſtimare debeamus, quàm eos ipſos parentes noſtros.

Hic autem intimi amoris affectus & ſublimis exiſtimatio erga parentes indè

indè concipitur, ſi cōſideremus quid Deus per hos homines erga nos operatus ſit. Quandò parentes ipſe meos contueor, hæc animum ſubit cogitatio: Equidem in horum corporibus vitę meę officinam conſpicio, in qua me Deus hominem formauit. Sint illi qualeſcunq; velint: ab ijs ego procreatus ſum: eorum naturam refero, ex eorum carne & ſanguine hoc ego corpus accepi. Deindè perpendo, quibus ſumptibus & laboribus ad annos pubertatis me perduxerint, quantis cum doloribus à matre in vtero habitus & in lucem editus ſim, quas curas & moleſtias vterq; parens die ac nocte mea cauſa pertulerit. An igitur quiſquam erit mortalium, de quo tam ſublimiter ſentire, & erga quē tanto amore flagrare debeas, quàm erga parentes? Quis tantū vnquàm beneuolentiæ & amoris tibi exhibuit, vt non debeant eſſe chariſſimi? Per quem alium te hominem fecit Deus, quàm per parentes? Qua ergò fronte non honorabis in illis temetipſum, nec maiori eos loco habebis, quàm alium quenquā? Nec verò quò minùs id illis præſtes, faciet vel infirmitas, vel ſenectus, vel deformitas, aut ſi moroſi ſint vel ſenſu defecerint. Non hęc te moueant: ſunt enim illi æquè parentes tui: noli erga eos eſſe delicatulus: qualeſcunq; demùm ſint, ſine illis hoc ipſum quod es, factus non eſſes: & iam homo factus, vel milliès in ſordibus tuis computruiſſes, ſi non illi cura & labore ſuo te conſeruâſſent. Quamobrem caue nè in minori apud te precio ſint, etiamſi in præſens ſic ſatis miſeri ſint.

Iob 4. Eccleſ. 7. Eccleſ. 3.

Honor quoquè parentum exigit à nobis obedientiam. Qualis enim fuerit honor, ſi quæ mandant, facere detrectemus? Et hanc obedientiā magna cum humilitate & ſubmiſſione pręſtabimus. Perſuaſum enī nobis erit, ijs quæ Deus à nobis requirit, primùm ac pręcipuè expeditis, neminem eſſe in terris, cui potiùs ſit parendum, quàm parentibus. Non eorum mandatis obganniendum aut contentioſè reluctandum, nec ſapientiores nos illis putabimus, ſed Deum in ipſis honorabimus, etiamſi quandoquè contra nos iniqui aliquid proponant. Sic enim inquit ille:

Ames parentem, ſi æquus eſt: ſin aliter, feras.

Aſſentiendum eſt illis in omnibus quæ pręcipiunt, & Deo nō repugnant. Ac tametſi videamur meliùs rem inſtituturi, ſatius tamen eſt illis obtemperare, & iuſſa ipſorum complere. Nam licèt res mandata leuis ſit momenti, ipſa tamen obedientia Deo, omnium quæ in terris fieri poſſunt, eſt gratiſſima. Eleemoſynas pręſtare, orationib⁹ & ieiunijs vacare, viſitare infirmos, vitam, famam & facultates proximi defendere, bona quidem & præclara ſunt opera: atquì obedire parentibus, pręſ his omnibus laudem pręcipuam meretur apud Deum, primoq́ue illud loco Deus requirit. Ad honorem etiam parentum ſpectat remuneratio, vt liberi parentib⁹ tam corpore quàm facultatibus ſubueniant ac ſeruiant. Si parētes morbo, ſenecta aut paupertate premantur, iam liberorum eſt tales ſe præbere in infirmitate parētum, quales hi ſe pręſtiterunt in imbecillitate liberorum. Tu cùm pedum mini-

ſterio vti non poſſes, illi te geſtauerunt. Tu cùm ex ſtercore tuo emergere nequires, illi te leuârunt & abluerunt. Tu cùm opere faciundo vitæ ſubſidia parare nequires, illi labore manuum ſuarũ te enutriêrunt, ſeipſos fraudârunt, famem & inediam perpeſſi, vt te famelicum exatiarent: immò & cibum tibi ex ſuis ipſorum viſceribus præbuerunt exugendum, atque è ſua carne & ſanguine tibi ſubminiſtrârunt, vndè famem expleres tuam. Deniquè nihil in corpore, nihil in bonis habuerunt, cui pepercißent, ſi tuę neceßitati deſeruire potuiſſet. Eundem amoris & beneuolentiæ affectũ tam corpore quàm facultatibus viciſsìm in eos alacri animo declarabis, cum omni humilitate & reuerentia, nõ aliter àc ſi Deo ipſi exhiberes, & ſubindè precaberis, vt hoc qualecunq; tuum ſtudium boni conſulant. Parentibus enim nunquàm à liberis par gratia referri poteſt. Audiuiſtis itaq; quomodò honorandi ſint parentes, & quid Deus à nobis expoſcat, dum inquit: Honora patrem tuum & matrem tuam. Nimirùm honor iſte requirit intimum amorẽ & ſummam erga parentes beneuolentiam, magnificam quoquè de ijs exiſtimationem, obedientiam & repenſationem pro beneficijs ab illis acceptis, immò & patientiam, ſi eos delirare ac ineptire contingat. His omnibus breuem ex ſcripturis diuinis paræneſin ſubijciemus. Eccle. 3. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt, opere, ſermone & omni patientia: Opere, id eſt, retributione alimẽti: Sermone, id eſt, reuerenti alloquio: Patientia, vt ferat defectus. In hanc ſententiam facit illud quoquè, quod ibidèm mox ſubditur: Ne glorieris in contumelia patris tui. Non enim eſt tibi gloria, ſed confuſio. Et paulò pòſt: Fili, ſuſcipe ſenectam patris, & non cõtriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſu, veniam da: & nè ſpernas eum in virtute tua. Item Eccleſ. 7. Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ nè obliuiſcaris. Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodò & illi tibi. Multas eiuſmodi ſententias habemus apud Salomonem, & alia Concione plures proferemus, vbì de promiſſionibus Dei dicemus, & quæ ille pręmia redditurus eſt illis, qui parentibus honorem habent: & quas inflicturus ſit illis pœnas, qui debitum ijs honorem ſubtrahunt.

CONCIO XXXI. HABITA

Dominica prima Aduentûs, Anno 1542.

PRæcedenti Concione, dilectiſſimi, de honore parentibus reddendo audiuimus, quo pacto liberi teneantur honorare parẽtes, nimirùm vt honor ille ſerius ſit & ex intimo cordis affectu proficiſcatur, conſtetque verbis blandis & benignis, geſtibus honorificis & amabili-
Eccl. 3. 7. bus, humili obedientia: patientia quoquè erga defectus, deniq; voluntaria & liberali repenſatione pro curis & beneficijs omnibus, quę à parentibus in proles collata ſunt. Hæc ſunt ἀντίδωρα, quæ liberi parentib⁹ reddere tenentur. Iam autem ſatis non eſt, ſi cognouerimus in quibus verus parentũ honor

nor conſiſtat, & quid hoc præcepto Deus à nobis requirat. Quin hoc potiùs omni ſtudio conãdum eſt, vt iſthuc opere compleamus: tunc demùm enim gratum id erit Deo. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, inquit Apoſtolus, ſed factores legis iuſtificabuntur. Non ſolùm ſcientiam Deus amat in nobis, ſi voluntatẽ & præcepta illius egregiè habeamus perſpecta & cognita, ſed opera diligit. Si faciamus quæ pręcipit, tum deniquè ab illo & perpetuam & temporariam mercedem recipiemus. Rom. 2.

Quamobrem cùm proxima concione declaratum ſit, quomodò liberi parentes honorare debeant, nunc aliquot exempla & pias admonitiões adferemus, quę nos eò permoueant, vt quod alioquì iure meritoq; facere debemus, libentibus animis parentes nos honoremus. Et principiò naturalibus & à brutis animantibus ſumptis exemplis vtemur: deindè teſtatũ faciemus, quo honore & beneuolentia Ethnici olim ſuos parentes proſecuti ſint. Poſtremò ad ſcripturas Diuinas tranſibimus, & vtraque tam eorum qui in parẽtes pij, quàm qui impij fuerunt, exempla adducemus vnà cum pręmijs & pœnis, quas ex iuſto Dei iudicio retulerunt. Eodem modo promiſſiones & benedictiones Diuinas adferemus, & his cõtrarias interminationes & execrationes, quibus tum ad amorem & obedientiam erga parentes alliciamur, tum ab impio eorum contemptu deterreamur.

Naturalia quidem brutorum animantium vel Ethnicorum, qui Deum non agnouerunt, nec vllum de parentum honore mandatum vnquàm acceperunt, ac nihilo minùs eos amore & honore ꝓſecuti ſunt, exempla nobis cognitu neceſſaria non ſunt: poſſumus enim pręſens argumentum & cauſam noſtram, ex hoc pręſertim quarto pręcepto, planam ſatìs perſpicuamq; efficere: ſed nõnihil inſultando & irridendo immites, aſperos & immorigeros liberos, id genus exempla aliquot cõmemorabo, vt meritò iſti apud ſeſe penitùs pudefiant, vbì conuicti fuerint exemplis, ſolam naturam vel animantia rationis expertia, vel incredulos Ethnicos ad amandos honorandosq; parentes inſtituiſſe ac manuduxiſſe, cùm tamen interìm hominis Chriſtiani nimìs quàm durũ & ingratum pectus neq; natura, neq; Dei verbum emollire, eoq; perducere poſſit, vt honoret parentes, & vel aliquam tanti amoris, tantarum curarum, moleſtiarum, deniquè laborum & ſumptuum partem rependat, quæ illi tanto affectu in ipſum donec adoleſceret, cõtulerunt. Inueteratum hoc eſt apud homines vitium, & iam olim à multis deploratum, quo adhuc pleriq; laborant, vt in alijs quod bonum & honeſtum eſt, plerunquè probent, eoq; delectentur magìs, quàm vt ipſi id imitentur & faciant. Eadem ratione contingit in honore parentibus ex Dei iuſſu exhibendo. Quandò in brutis & ἀλόγοις animantibus videmus parentes pullis & catulis, & hos viciſsìm illis affici & delectari, placet id nobis, & ſecreta quadam lætitia corripimur. Legitur de Ciconijs, quòd dum ſeneſcunt, pulli cibos conquirant, & parentibus alimẽta in nidum apportent. Et ſi aliò migrandum ſit, hanc nórũt induſtriam, vt parentes humeris

impoſitos geſtent, nè nimiùm fatigentur. Et hoc eſt ἀντιπελαργεῖν. Hæc eorum natura paſsim omnium doctorum libris plurimùm celebratur, & nemo eſt qui, audita harum auium in parentes pietate, non delectetur, & quendam in Ciconias (ob fidem erga parentes) amoris affectum concipiat.

Hîc quiſpiam fortaſſè dixerit: Si tantam, ô vos mortales, hæc Ciconiarum pietas promeretur laudem & commendationem, vt paſsim in omnibus doctorum virorum monumentis prædicetur, quid vetat, quo minùs imitemini, quod tantoperè commendatis? Prætereà extant hiſtoriæ, vt natura ipſa filios ad parentes amandos mirè incitârit: vt meritò nos, qui Chriſtum profitemur, pudere debeat, qui pręter naturam etiam Dei pręceptum habemus. Et tamen adeò frigidos & torpentes nos declaramus in amore & reuerentia pręſtanda parentibus. Refert Valerius Maximus mulierẽ quandam à prætore capitali crimine damnatam, triumuiro in carcere necandam traditam eſſe: quam receptam is qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinùs ſtrãgulauit, aditum quoquè ad eam filię, ſed diligenter excuſſæ, nè quid cibi inferret, dedit, exiſtimãs futurum, vt inedia conſumeretur. Cùm autem dies plures intercederent, ſecum ipſe quęrens, quidnam eſſet, quòd tam diù ſuſtentaretur, curioſiùs obſeruata filia, animaduertit, illam exerto vbere famem matris lactis ſui ſubſidio lenientem.

lib. 5. cap. 4.

Quæ tam admirabilis ſpectaculi nouitas, ab ipſo ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Conſulum iudicium perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetrauit. Putauerit aliquis hoc contra rerum naturã factum, niſi diligere parentes, prima naturæ lex eſſet. Habebat hęc fœmina domi infantem, ſed illum alijs, vt potuit, alebat cibis, lacte in vſus captiuæ matris ſeruato.

Miltiades dux Athenienſium, cùm in carcerem & vincula coniectus, ibidèm mori cogeretur, & ne ſepulturæ quidem corpus mandari permitterent Athenienſes in pœnam & ignominiam ſempiternam: filius eius Cimon à ciuibus obtinuit, vt ſe paternis vinculis conſtricto, parentem ſepulturę tradi ſinerent.

Valerius max. lib. 5. cap. 3.

Scio equidem auditores animos veſtros huiuſmodi exemplis nonnihil commoueri. Laudatis apud vos hos Ethnicos ob exhibitam in parentes tantam pietatem & beneuolentiam. Quod igitur iuſtum & honeſtum in alijs prędicatis, idipſum imitemini: ſic laudem & pręmium non temporarium duntaxat ab hominibus, ſed & ſempiternum à Deo conſequemini. Porrò ſi quis ex ſacris literis exempla petita, audire atque imitari mâlit eorum, qui quartum hoc præceptum erga parentes fidiſſimè executi ſint, habet Sem & Iaphet filios Noë, habet Iſaacum, Iacob, Ioſeph & Tobiam. Et præclarum ſanè erga parentes obedientiæ exemplum habemus in Rechabitis, quibus pater Ionadab præceperat, nè vinum biberent, nè ſementem ſererent, néve domos ędificarent, quod illi ſolo patris iuſſu ducti diligentiſſimè obſeruârunt cum vxoribus & prolibus ſuis. Adeò autem grata hæc

Hiere. 35.

fuit

fuit Deo illorum obedientia, vt eorum pietatem vniuerſo populo Iſraelitico in exemplũ proponeret, dicens: Nunquid non recipietis diſciplinam? Præualuerunt ſermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum:& non biberunt vſq; ad diem hanc, quia obediêrunt præcepto patris ſui, (hominis vtiquè mortalis.) ego autem locutus ſum ad vos,& nõ obedîſtis mihi, (videlicet ſummo ac præpotenti Deo.) Iam verò in nouo Teſtamento ſanctus ſanctorum, cuius erga parentes obedientiam ſectari debemus, eſt Ieſus Chriſtus Dñs noſter, qui Patri ſuo cæleſti vbiquè & in omnibus, atq; adeò ad mortẽ vſq; obediens fuit, & vbi ſeſe offerebat occaſio, obtemperabat etiam parentibus ſuis in terris, Luc. 2. Malorũ verò & rebellium filiorum exempla habemus in Cham & Abſalon,&c. Quærat aliquis, quid hi omnes ſua vel obedientia, aut inobedientia cõmeriti ſunt? Reſpondeo: Obedientes filij Sem & Iaphet benedictionẽ audiuerunt à patre ſuo Noe,& Dei benedictio manſit ſuper illos in multas vſq; generationes: Immorigerus aũt & irriſor parentis ſui Cham, eiuſdem irati patris ſui maledictionẽ excepit, quæ tum illi, tum omni eius poſteritati cum magna Dei ira & animaduerſione inhæſit. Horrendum quippe exemplum, quod meritò liberis omnibus attendendum foret, vt parentũ maledictiones diſcerent impendiò formidare. Neq; enim talis eſt patris aut matris, qualis aliorum hominum, maledictio. Eo ſiquidem eſt loco parentũ ſtatus apud Deum, vt ſæpenumerò cõfirmet parentum tam benedictiones quàm maledictiones, eamq́ue illis tribuat vim & efficaciam, àc ſi ipſe eas protuliſſet. Ideoq; parentes haud facilè debent maledicere & imprecari prolibus ſuis: porrò liberi parentum ſuorum imprecationes toto debent pectore horrere, memores iſtius exempli Cham, cui patris maledictio inhæſit, Geneſ. 9. D. Auguſtinus terribile refert exemplum, quod ſuo tẽpore Cæſareæ contigiſſe ſcribit his verbis: Decem quidam fratres fuerunt, quorum ſeptẽ ſunt mares, tres fœminæ de Cæſarea Cappadociæ, ſuorũ ciuium non ignobiles, maledicto matris recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab illis factam acerbiſſimè tulit, tali pœna ſunt diuinitùs coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. Præterea verò haud difficilè perſpici licet in Ioſeph & Abſalon, quib⁹ tum præmijs, tum ſupplicijs obedientiam & inobedientiam, honorem & contemptũ erga parentes Deus afficere ſolitus ſit. Ioſeph ad dignitates & honores tẽporarios euectus eſt: Abſalõ cum ignominia perijt. Neq; verò mirum eſt hæc ità fieri. Nam paſſìm in ſcripturis diuinis ꝓmittit Deus honorem & præmia, tam hîc, quàm in futuro, illis, qui parentes piè ac reuerenter tractant: minaturq́ue illis tam temporarium, quàm perpetuum ſupplicium, qui eis ſe præbent immorigeros, atque erga illos ſe improbè ac irreuerenter gerunt. Repromiſſio obedientibus facta, annexa eſt huic præcepto: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus DEVS tuus dabit tibi. Hæc μακροβιότης ſiue longæuitas, multa compræhendit tam temporalia

Auguſt. libr. xxij. de ciuit. Dei, cap. 8.

quàm ſempiterna bona. Principiò cui Deus diuturnam promittit vitam, huic ſemel om̃ia pollicetur, quæ ad vitam diuturnam pertinent. Cuiuſmodi ſunt victus ſeu alimenta, proſpera valetudo, honeſta vitæ conditio & ſimilia. Omnia hæc obedientibus filijs promittuntur in ſacris literis, Prou. 1. Eccle. 3. & 30. Rechabitę, eò quòd fecerant vniuerſa, quæ præceperat ipſis pater Ionadab, audiuerunt à DOMINO: · Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab

Hie. 35. filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Quin adhuc idem vſu venit in mundo, quanquàm id nos non aduertimus, vt interdùm quępiam familia magnis honoribus quàm diutiſſimè floreat, & è diuerſo alia familia, licèt alioquì opulenta & potens, breuì extinguatur & pereat, vt ne vllus quidem nominis hæres remaneat. Quæ verò huius eſt ratio? Videlicet hæc ſunt iudicia Dei. Si quis longæuus eſſe deſiderat, timeat DEVM & mandata eius obſeruet, & Deus illum glorificabit ac honeſtum efficiet. Non enim

Pſal. 108. fruſtrà promittit Deus μακροβιότητα & ætatis longinquitatem. E diuerſo qui DEVM contemnit, hunc viciſsìm etiam Deus poteſt contemnere, & tum temporali ignominia afficere, vt ſit ignobilis, tum ſempiterno & inextinguibili igne punire. Extenditur prætereà hæc longęuitatis promiſſio ad ęuum illud omnium longiſſimum, adeoque perpetuum. Hoc enim verè eſt longęuum eſſe, eam hîc à Deo gratiam quærere & inuenire, vt poſtmodùm perpetuò viuere queas. Hæc eſt illa vitæ longinquitas & diuturnitas, quam hîc Deus pollicetur. Si quis ergò felicitatem & honores deſiderat in terris, & dein ad vitam æternam: honoret parentes, & hæc omnia obtinebit. Qui verò eiuſmodi promiſſionibus & beneficijs Dei moueri nequeunt, hi tamen minas & ſupplicia pertimeſcant, quæ filijs immorigeris tum in hoc, tum in futuro ſeculo minatur Deus Deutero. 21. præcipit DEVS parentibus, vt ſi genuerint filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris & matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit, appræhendant eum, & ducãt ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam Iudicij, vt lapidibus obruatur & moriatur. Et plerunquè fieri videmus, idque ex diſpoſitione diuina, vt quandò liberi parentibus obtemperare nolunt, tandē lictores & carnifices ſequi cogantur, qui tum paruo negocio id efficiunt, quod parentes

Exod. 21. efficere nequiuerũt. Item, QVI percuſſerit patrem ſuum aut matrem ſuam, quique illis maledixerit, illum occídi iubet DEVS: & quanuis fortaſsis carnificum manus euadat, gehennæ tamen ſupplicium non euadet. Eiuſmodi

Deut. 27. comminationes frequentes ſunt in ſcripturis diuinis, quæ liberis diligenter ſunt attendendæ, vt eas effugiant: non eſt enim cum Deo ludendum.

Non enim inſtãr hominis dicit quippiam, nec facit tamen: nec minas intentat, & poſteà pœnas non infligit. Quicquid mali vel boni pollicetur, ſi hîc in terris non euenerit, poſtmodùm cumulatìm & abundè percipiemus. Itaque dent ſinguli operam, vt DEI verbo & præceptis conuenienter ſeſe gerant. Et hæc quidem de illis quæ à liberis iurè præſtanda ſunt parentibus, dicta ſint ſatìs. Nunc reliquum eſt, vt breuiter declaremus, quid è diuerſo

uerſo parẽtes liberis pręſtare teneantur: id ipſum autem ſummo compendio expediemus, nec video quid mihi potiùs faciundum ſit, quàm vt parẽtibus illud Apoſtoli mandatum proponam ad Ephe.6. & Coloſ.3. Vos patres, inquit, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. Duobus modis plerunquè peccant in corrigendis liberis parẽtes. Nonnulli tam ſunt agreſtes & auſteri, vt vel liberos, vel pueros ſuos arti alicui diſcendæ operam nauantes, non niſi verberibus, ictibus, tunſionibus probos, modeſtos & eruditos velint efficere. Cędunt & debacchantur in illos, ſi quid perperàm faciant, cùm tamen liberi ipſi à parentibus nec audiẽrint, nec viderint, nec didicerint vt ſit rectè agendum, vel quid ſit virtuti cõſentaneum. Et hoc eſt quod prohibet Apoſtolus, dum inquit: Nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros.

Alij in corrigendo nimìs ſunt remiſſi ac molles, adeò vt vix ſummis digitis liberos ſuos audeant contingere, vel eos ad bonum vrgere & inſtigare, ſed ſinunt eos in ocio degere ſinè vlla inſtitutione, donec iam grandeſcant & id roboris accipiãt, vt nec caſtigatione, nec eruditione quicquam apud illos poſſint proficere. Eiuſmodi Mitiones & remiſſos parentes excitat Apoſtolus, & eorum officij illos admonet, inquiens: Educate illos in diſciplina & correptione Domini. Ephe.6.

Permultæ in hanc ſententiam admonitiones occurrunt in ſacris literis, Eccle.30. & paſsìm in Salomonis Prouerbijs. Iam autem in Republica Chriſtiana, & præcipuè in noſtra Germania, ingens prorſusque ſupina & horrenda parentum in liberis corrigendis conſpicitur negligentia. Plerũquè enim videmus parentes permittere proles ſuas ocioſas ingredi, nec quicquam penſi habere, recténe in moribus, & illis etiam, quę ad ſacroſanctam religionem noſtram pertinẽt, inſtituantur, an verò ſecùs. Immò nec tantum quidem illis operę impendunt, vt ad ſacras conciones eas adducant, vbi ſinè ſuo ſumptu gratìs ea poſſint addiſcere. Sed teneriores ſunt, inques, quàm vt per ętatem eiuſmodi capere poſſint. Atquì verò equũ tuum aſſuefacis diſcere ea, quæ non intelligit. Quid igitur vetat, quô minùs eandem induſtriam liberis in diſciplina & timore Domini à prima ætate erudiendis impendas? Si tum demùm equum freno patiendo & currui trahendo voles aſſuefacere, vbi grandior & annoſior factus fuerit, exiguam ſanè aut nullam tibi præbebit vtilitatem. Tu vide, nè idem tibi vſu eueniat in prole tua. Vbi omnem huius ſeculi nequitiam, prauos mores, probra & flagitia imbiberit, poſteà ad ſacras conciones eam adducis. Quis tunc, quęſo, Satanam è ſuo domicilio exturbabit? Quis malitiam ex animo euellet, & DEI timorem & diſciplinã inſeret? Nemo profectò. Hoc enim ęgrè admodùm fieri poterit.

Porrò hi negligentes ac remiſſi parentes quanuis culpandi ſint, ſunt tamen alij illis deteriores. Inueniuntur enim nõnulli, qui non ſolùm liberos non erudiant, ſed & corrumpant eos peſſimis exemplis: præſentibus audientibusq; illis maledicunt & execrantur, potant, inebriantur, & quicquid

turpe

turpe & impium eſt, id audiunt ac vident in ipſis ſuis parentibus liberi. Hic longè ſatius eſſet liberos illos aut peſte corripi, aut in Turcarum manus venire, vndè non tantum damni ſenſerint, quantum à patre & matre. Peſtis contagium aut Turcarum truculentia corpus duntaxat & vitam temporariam ipſis adimeret, quod magni detrimenti loco cenſendum non fuerit: Parentes verò malo vitæ exemplo perdunt ac damnant eorum corpora ſimul & animas in gehẽnam. Sed & illi in magno verſantur errore, qui tum probè ſe parentum officio functos exiſtimant, ſi amplam liberis relinquãt hæreditatem: nullius interim penſi habentes, vt in moribus & conuerſatione erga alios inſtituãtur: ſimiles nimirùm medicis illis, qui circa veſtem ægroti ſarciendam occupantur, & ſanitatem eius negligunt. Etſi fortè inueniantur, qui liberos literis addiſcendis applicent, id tamen eo fit ſtudio & diligentia, vt dolendum ſit & miſerandum. Qui canem ad venatum inſtitui cupiunt, non niſi venandi perito tradunt. At liberos noſtros quibuſuis indiſcriminatìm erudiendos committimus. Non expendimus, quis *il*le & qualis ſit locus, quò ablegantur pueri: non conſideramus cuiuſmodi ſit, cui eos formandos & inſtituendos tradimus, cuius ſit eruditionis, quibus moribus præditus, an ſchiſmaticus & hęreticus ſit, an orthodoxus & Catholicus. Nulla hîc ratio, nullus delectus habetur. Et hinc adeò accidit, quòd qui ad ſtudia ablegantur, tam inſolentes & mõſtroſi ad nos redeunt. Alij nobis militem, vel Thraſonem quempiam, alij potatorem, alij aleatorem, & quod longè peius eſt, alij ſchiſmaticum & ſeditioſum referunt ac exhibent. Et plerunquè hac noſtra ætate pauciſſimos videmus, qui bonas literas ſinè malorum morum contagio addiſcant. Neq; hîc vel minimùm ſoliciti ſunt nequiſſimi negligentiſſimique parentes, quomodò in moribus & animis inſtituantur liberi, nõ curant apud quos degant, & quorum vtantur contubernijs & familiaritate. Si veſtibus laceris domum reuerteretur filius, etiam cum ſtomacho iuberes, vt deincèps ab illis nebulonibus abſtineret, qui veſtes eius tam miſerè perdidiſſent. Si autem eorum vtatur cõſuetudine & conuictu, qui animum illius lacerent, mores corrumpant, atq; ea illum doceant, quæ cum ſcelere & turpitudine ſint coniuncta, id tu prorſus ſuſque deque ferre vidéris.

CONCIO XXXII. HABITA

Dominica ſecunda Aduentûs, Anno 1542.

CVM huius præcepti explicationem non ità pridèm aggrederer, Auditores in Chriſto chariſſimi, indicaui vobis me in hoc præcepto de omnis generis Magiſtratibus dicturum, & quid vnuſquiſque ratione ſui ſtatûs & vocationis ſecundùm ſcripta Diuina, & ex Dei mandato teneatur alijs præſtare. Primus Magiſtratus eſt ab ipſa natura, vt parentes agant curam prolium ſuarum, easq; alant, & tam in rebus temporarijs, quàm ſpiritualibus & religionem concernentibus omni quo poſſint ſtudio

dio erudiant. Et ſi in huiuſmodi nolint obedire parentibus liberi, multa ſatìs ſcripturarum extant teſtimonia, quomodò liberorum inobedientiam ex præcepto diuino reprimere & punire debeant.

Liberi autem viciſsim parentibus, vt proximo & naturali ſuo Magiſtratui, omnem obedientiam, amorem, reuerentiam, patientiam & repẽſationem tam corpore quàm facultatibus tenẽtur exhibere. Quod niſi fecerint, iram diuinam pariter & temporales perpetuasque pœnas incurrent, quas DEVS inflicturus eſt illis, qui debitam parentibus obedientiam, honorem, beneuolentiam & amorem non exhibuerint, & neceſſitatis tempore eis non ſuccurrerint. Qua de re multa ſatìs eaque veriſſima & luculenta ſacrarum literarum eloquia audiuimus. Reliquum nunc eſt, vt ad eorum ordinem vel ſtatum tranſeamus, qui proximus eſt à filiorum ſtatu, adeoque etiam non incongruè filiorum ſtatus dici poteſt, nempe famulorum & ancillarũ, vtcũque eos appellare viſum ſit, qui mercede cõducti, operas ſuas elocant, & manui poteſtatique patrumfamiliâs ſe ſubmittunt: hi ſiquidem, quàm diù operarum durat locatio, Dominum ratione officij ſui loco patris habebunt: hinc enim appellatur paterfamiliâs: vxorem autem eius inſtàr Matris venerabuntur, quum hinc vocetur Materfamiliâs. Quocircà famuli & famulæ ad eadem illa ſuo hero & heræ pręſtãda obligantur, quæ liberi parẽtibus pręſtare debent, de quibus eſt antè dictum: Nempe vt Dominos ſuos medullitùs ament, benè illis cupiãt, ſinè vlla ἀντιλογία & calcitratione illis obtẽperent, idq; omni cum humilitate & reuerẽtia: vitam quoquè, famam & facultates Dominorũ ſuorum quò poſſint ſtudio & induſtria conſeruẽt. Contrà verò Patres & Matresfamiliâs eadem illa familiæ ſuæ debẽt, quę ſuprà Parẽtes liberis debere diximus, vt eam tractẽt comiter ac humaniter, & tam corporis quàm animæ ipſorum ſedulam curam gerant. Et hęc quidem generatim de hoc ſecundo ſtatu dicta ſufficiant. Nunc ſpecialia ac propria huius ſtatûs officia audiemus, quid famuli & famulę Dominis, & hi illis iuxta ſacram ſcripturam ac Dei voluntatem & pręſcriptũ pręſtare teneantur. Seruorum famularumque officia erga Dominos & heros ſuos, quæ ratione ſuę vocationis & pro Dei voluntate illis exhibere debent, equidem rectiùs veriusq;, & vndè id illi libẽtiùs diſcere & ſuſcipere velint, ijs indicare non poſſim, quàm ex ipſis Chriſtianę religionis principijs, ex ipſis, inquã, Apoſtolorũ monumẽtis, qui ſpiritu Dei & omni Chriſtiana modeſtia pleni, probè nôrãt quid gratũ & acceptũ eſſet coram DEO. Erant enĩ θεοδίδακτοι illorumq; cordibus & ſenſibus DEVS inſpirauit, & in eorum ore poſuit, vt hominibus ſuam gratam voluntatem & beneplacitum annunciarent, & vt in omnibus ordinibus ac ſtatibus ipſi ſeruiendum eſſet. Audite igitur famuli & ancillæ ſanctos Apoſtolos, immò Deum ipſum in Apoſtolis, quomodò in veſtra vocatione DEI voluntatẽ adimplere debeatis. Sic gentiũ ille Doctor vos inſtituit ſcribens Epheſijs: Serui, obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad Ephe. 6.
ocu-

oculum ſeruientes, quaſi hominib⁹ placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, non hominibus: ſcientes, quoniam vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber. Præclara ſanè eſt hæc Apoſtoli ad ſeruos & miniſtros parænesis & inſtitutio: vndè meritò ſibi ex animo gratulari, & Deo ſummas gratias agere deberent. Iure enim ex hoc magnam conſolationem accipient, quòd Deo non minori curæ eſt ipſorum ſtatus, quàm vel ſummorum ac excellentiſſimorum. Nec minùs eos in regnum ſuum & beatitudinem congregabit, quàm Reges & Principes: ideoq; voluntatem ſuam illis æquè declarat, atquè ſummis: idque non parciùs aut breuiori verborum contextu, quò illos doceat ſuo ordine rectè & probè fungi, quàm ſi vel regio eſſent ſtatu præditi. Habent enim etiam ſerui & ancillę præclaras ac nobiles animas, quas ad perpetuam ſui regni beatitudinem perducere deſiderat. Quamobrem hoc pręceptum diligenter attendite, quo pacto ordinem ſiue ſtatum veſtrum iuxta Dei voluntatem obire debeatis, atq; ità tandèm in ęterna cęlorum tabernacula recipiamini.

Principiò, Serui obedire debetis Dominis veſtris. Hęc eſt enim voluntas Dei, vt vnuſquilibet ſuum Magiſtratum propter Deum colat & obſeruet. Porrò qui poteſtati ſublimiori reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtit, ipſe ſibi damnationem acquirit, Roma. 13. & Dei iudicium ac animaduerſionem in ſe concitat.

Secundò obedietis Dominis veſtris cum timore & tremore. Vbi tamen non agit Apoſtolus de odioſo illo ac maligno timore, quo rei ſcelerum caſtigatorem reformidant. Chriſtianus cum eiuſmodi timore non ſeruit, ſed ex animo & ſponte ſua, atq; ex amore. Hæc autem eſt mens Apoſtoli: famulus Chriſto initiatus, non negligenter ac prorſus incurioſè & perfunctoriè ſuum obibit miniſterium, ſed accuratè & ſolicitè, nunquàm nô metuens, nè fortè non ſit ſatisfactum hero ſuo, nec tam vtilem illi nauet operam, quàm meritò debeat, & quemadmodùm ad hoc Dei præcepto adſtrictus ſit.

Tertiò obedientia & ſeruitus veſtra ex ſimplicitate cordis proficiſcetur, tanquàm quæ Chriſto pręſtetur, & non ad oculum. Quibus verbis omnem infidelitatem prohibet Apoſtolus. Non enim illo ingenio & fraudibus pręditi eſſe debent Chriſtianorũ miniſtri, quibus olim apud Ethnicos ſeruorũ genus, qui plerunquè fallacioſi, mendaces & infidi erant: quos metus ille ſeruilis nonnunquàm ad oculum ſeruire cogebat: Dominis quidem pręſentibus induſtrij erant, fideles ac diligentes: Si quid verò mendacijs tegere & celare poterant, aut alio quodã fuco dominorum oculos perſtringere, vt non aduerterent, hîc iam egregiè fraudabant, fallebant, nocebant, ſuam declarabant infidelitatem, & nihil rectè gerebant. Modò ne Dominus animaduerteret, iam nihil illis curæ erat, nec quicquàm ampliùs pertimeſcebant: quia conſcientiæ erga Deum apud illos nulla ratio habebatur.

batur. Illi autem qui Chriſtiana doctrina imbuti ſunt, habent ſuos conſcientiæ aculeos, neq; ſolùm hoc modo cogitāt, niſi hoc fecero, malè me mulctabit paterfamiliâs: ſed ità potiùs, niſi meę vocatiōis memor, ea fecero quę fidelē decent miniſtrum, offendero Deum, & perpetuis gehennę ſupplicijs mulctabor. Sin aūt ea, quæ mei muneris ſunt, fecero: non ſolùm à Domino carnali gratiam & mercedē promerebor, ſed & Deus ipſe fidele meum obſequium æternis ſtipendijs remunerabitur. Atq; hoc modo homo Chriſtianus in illis quæ agit, longè magìs ad Deū quàm ad homines, quibus ſeruit, attentus eſt. Hoc enim eſt, quod ſubſequentibus verbis ait Apoſtolus: Facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate, ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes quoniam vnuſquiſq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus ſiue liber. Simile mandatum famulis & miniſtris præcipit Apoſtolus ad Coloſ. 3. Serui, obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculū ſeruientes, quaſi hominibus placentes: ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus. 1. Timot. 6. Et Tit. 2. eoſdem vult admoneri Apoſtolus per ſuos diſcipulos Timotheum & Titum, vt Dominis ſuis ſubditi ſint, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: vt doctrinam ſaluatoris noſtri Dei ornent in omnibus, & nè nomē Domini & doctrina blaſphemetur propter ipſorum improbitatem.

Ex his nunquàm non facilè ſeſe commonere poterunt ſerui, quid Deus ratione vocationis & officij ipſorum peculiariter ab ipſis requirat. Quoniam autem ſerui & Domini inter ſe iuncti ſunt, ità vt alij ſinè alijs nomen ſuum tueri non poſſint, iuſta legitimaq; ordinis ratio requirit, vt ſimul & coniunctìm de vtrorunq; tam Dominorum, quàm ſeruorū officijs loquamur. Quamobrem Dominorum & Patrumfamiliâs eſt, animos ſimul & aures huc aduertere, vt diſcant ex Dei mandato, quomodò erga familiam gerere ſeſe debeant. Sic vobis in verbo Dei & ex Domini mandato præcipit Apoſtolus Epheſ. 6. Et vos Domini, eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quòd & illorum & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum. Et alibi: Domini, quod iuſtum eſt, inquit, & æquum, ſeruis pręſtate: ſcientes quòd & vos Dominū habetis in cælo. His verbis compræhenſum eſt munus & officium Dominorum, Patrum & Matrumfamiliâs erga famulos & ancillas. Domini, inquit, eadem facite ſeruis veſtris. Quemadmodùm illi tenentur ex animo & bona fide, omniq; ſtudio & cura ſeruire vobis, vitam, famā & facultates veſtras pro ſua virili vindicare, tueri, defendere, promouere, & conſeruare, &c. ſic & vos tenemini illos medullitùs diligere, & ſolicitè curare ea omnia, quę ad vtilitatem & ſalutem eorum facere queant: neq; pro veſtitu duntaxat & mercede eſſe ſoliciti, ſed etiam de morum diſciplina, vt intereà dum vobis ſeruiunt, benè & ex virtutis præſcripto inſtituantur, nè incurrant in dedecora, & diſcant ea Col. 4.

q quæ

quæ decent homines Christianos, tam foris erga vnum quẽlibet, quàm intrinſecùs & ſpiritaliter erga Deum. Neq; enim Christianum patremfamiliâs decet, vt familiam ſuam aſinorum loco habeat, qui ſolius laboris cauſa retinentur. Recordandum erit, eos licèt famulos ac pediſſequas, homines tamen eſſe, ideoq; humaniter tractandos, & curãdum, vt in ſuo miniſterio etiam ea diſcant, quæ hominem benè & liberaliter educatũ ac modeſtum decent. Memineris famulos tuos Chriſtianos eſſe: atq; eam ob rem in eam curam incumbendum tibi eſſe, vt dum tibi ſeruiunt, diſcant & faciant ea, quę ad Chriſtianam pertineant pietatem. Habent animas coram Deo non ignobiliores, quàm ſint vel potentiſſimorum Principum: itaq; cùm Deus illos tuę curę cõmendauerit, non modò corporibus, ſed & animabus illorũ ſolicitus inuigila. Hac ratione verum te patremfamiliâs pręſtiteris: alioqui ſi eos aſini aut iumenti inſtàr habeas, aut laboris & compẽdij tui duntaxat cauſa, equidem indignũ te arbitror, qui inter Chriſtianos numereris: Auarus planè & Ethnico deterior cẽſendus es, cõuenienter illi dicto Apoſtoli:
1. Tim. 5. co: Si ſuorum, & maximè domeſticorum, curam nõ habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Quòd ſi illi parére tibi nolint, neq; diſcere & facere ea, quę ad Chriſtianũ pertinent, iube eos tua domo excedere: nec vnquàm te eò adigat auaritiæ & quęſtûs ſtudium, vt hominẽ à Chriſtiana pietate abhorrẽtem, tibi inſeruire patiaris, eo ſolo nomine, quòd opera illius tibi lucróſa ſit. Eſt enim probè Chriſtiani hominis, nullũ malignum, vel improbum, vel blaſphemũ ſuo ſub adſpectu, vel in familia ſua ſuſtinere velle. Ad
Pſalm. 14. nihilum, inquit Propheta, deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat. Et Pſal. 100. Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.

Vt autem Patresfamiliâs ex animo ſolicitam familiæ curam habeant, duarum rerum eos admonet Apoſtolus. Primũ eſt, dum ait: Scientes, quòd & illorũ & veſter Dominus eſt in cælis. Secundum, quòd perſonarum acceptio non eſt apud Deum.

Solet plerunquè ſuperbia irrepere in animos mortalium, dum hic Dominus, ille famulus illius appellatur. Hinc enim ſibi perſuadent, ſe famulis ſuis præſtantiores eſſe. Et quidem digniores ac præſtantiores illis ſunt honore & functione: verùm non ideò ſuo in animo tam humili eos loco habebunt, quaſi homines aut Chriſtiani non ſint, eò quòd famuli ſunt & miniſtri. Immò fratris loco eum putabis, ſciens famulũ tuum eiuſdem tecum eſſe æſtimationis apud Deum, ad quem ſi reſpicias, vterq; veſtrûm eſt miniſter, vterq; filius eiuſdem Patris, quia non eſt perſonarũ acceptor Deus, nec
Actor. 10. vlla apud eum eſt heri & ſerui diſtantia: ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiã, acceptus eſt illi. Iam itaq; nôſtis, quod ſit patrũfamiliâs erga domeſticos officium. Si & huius quoddã exemplar videre deſideratis, Ethnicum vobis hominẽ proponam, qui pium ſe & Chriſtianum in familiam ſuam declarauit, priùs quàm ſciret quid chriſtiana religio expoſceret.

Atque vtinam faxit Deus, vt nonnulli aliquãmultis annis Chriſtum profeſſi, tam pios & Chriſtianos ſe declararent in famulos & miniſtros ſuos. Hic eſt ille Centurio, de quo apud Matth. 8. cuius puer cùm iaceret in domo paralyticus, & malè torqueretur, non cõfeſtìm eum domo expulit, ſed curam illius geſſit, & de eius ſalute ſolicitus fuit, adeò vt ipſe domo egreſſus, Chriſtum oraret pro illo.

Diſcant hoc exemplo Chriſtiani domeſticis & familiæ ſuæ condolere. Si incidant in morbos, & labori nequeant ſufficere, non ſtatìm domo extrudantur. Aut ſi non poteſtis eos intra parietes veſtros continere, alibì illos, vbì cura eorum habeatur, collocetis. Non pigeat ad medicum vſq; illorum cauſa accedere, eumq; conſulere, aut certè alium quempiam in huiuſmodi rebus, quàm vos ſitis, peritiorem: imploretisq; ab illo auxilium, ac dicite: Puer meus hoc vel illo morbo correptus eſt: quæſo te, qua illi ratione mederi poſſimus? Hęc demùm eſt vox pectoris verè Chriſtiani, hoc eſt opus miſericordiæ, Deo inprimìs gratum & acceptum: nec dubium, quin qui ità faciunt, & ipſi quandoquè audituri ſint illã iuſti iudicis gratiſſimam ſententiam: Venite benedicti Patris mei, &c. Matt. 25.

Porrò hìc ab vtraq; tam Dominorum quàm famulorum parte eſt defectus. Nam quanuìs vtriq; iuſtum & æquum fateantur Dei mãdatum, vt famuli Dominis fidem & obedientiam præſtent, & viciſsìm Domini famulis humanitatem & beneuolentiam, tanquàm confratribus & perindè vt ipſi ſunt Chriſtianis exhibeant: at tamen vtriq; ſuam inobedientiam aliorum moroſitate & importunitate excuſant. Si talis (inquiunt) vir foret, quales alij: nihil illo iniquius, nihil infidelius eſt. Atquì verò hoc eſt hominis Chriſtiani, quicquid à Deo pręcipitur, illud exequi non ſolùm erga illos, qui digni ſunt, verumetiam erga indignos. Et ſi quid beneuolentię conferamus in indignũ & immeritum, iam demùm veram inierimus gratiam apud Deum. Sic enim inquit ille Apoſtolorum Coryphæus: Serui, ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc enim eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Præterea recordandum fuerit, Deum ab vnoquoq; rationem adminiſtratæ functionis exacturum, & bona retributurum ijs, qui benè fecerint: mala autem, qui malè fecerint. Vndè ad Epheſ. ait Apoſtolus: Scientes quoniam vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber. Et Col. 3. Qui iniuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit. Quamobrem nè hoc prætextu te excuſaueris, quòd Domino præter officium faciente, tibi etiam integrum ſit ac liberum, quæ ad famulum pertinent prætermittere, & econtrà. Hac conditione etiam tenentur omnes mercenarij & mechanici artifices, donec operas ſuas elocant, & alimenta ac mercedem recipiunt, omnem conductori fidem præſtare tenentur. Et è diuerſo Domini, aut qui Dominorum loco eos conducunt, iuſtam eis mercedem debent. Væ illis, qui promeritam detinent mercedem, 1. Pet. 2.

aut pauperes defraudant, ijsq; detrahunt,quod iuſtè debetur. Eccè, inquit
Iacob.5. Iacobus, merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis,clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Væ autem & illis, qui mercedem & alimenta abundè quidem exigunt, in operis verò reddendis nec fides eſt,nec diligẽtia: nihil niſi perfidia,fraudes & impoſturæ. Si daretur opportunitas accipiendi quidem mercedem vel pecuniam,nec quicquam eius nomine vel agendum vel reſtituendum foret, id nulli non eſſet gratiſſimum. De hoc furti genere alibì ſeſe fuſiùs dicendi offeret occaſio.

CONCIO XXXIIII. HABITA
Dominica tertia Aduentûs, Anno 1542.

IN explicatione quarti præcepti, auditores docuimus, quẽadmodùm liberi, & reliqua omnis familia erga patrem & matremfamiliâs ſeſe gerere teneantur ex verbo & præſcripto prępotẽtis Dei. Tum etiam,quid Patres & Matresfamiliâs tam liberis quàm reliquis domeſticis & familiæ pręſtare debeant. Reſtat adhuc vna quædam domeſtica poteſtas, cui etiam ex verbo Dei ſuę leges & inſtituta promenda ſunt, atq; docendũ, vt eaipſa poteſtas vtraq; ex parte adminiſtranda ſit. Eſt autẽ ſtatus coniugalis patris & matrisfamiliâs, de quo ex ſacris literis docebimus, quid cõiuges ſibi mutuò ex Dei pręcepto pręſtare teneantur, quomodò inuicèm debeant eſſe affecti: idq; breuiſſimè expediemus, cùm crebrò indè nobis ſermo habitus ſit. Vt vxores ſeſe exhibere debeant erga maritos, egregijs & prægnantibus verbis proponunt ſancti Apoſtoli. Sic enim inquit ille Apoſtolorum
1.Pet.3. princeps: Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſinè verbo lucrifiant,cõſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo,in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritûs, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquandò & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo,ornabant ſe,ſubiectæ proprijs viris, ſicut Sara obediebat
Gen. 18. Abrahæ, Dominũ eum vocans: cuius eſtis filiæ, benefacientes. In eandem ſententiam loquitur diuus Paulus ad Epheſios, alijsq; multis in locis: Mu-
Epheſ.5. lieres,inquit,viris ſuis ſubditæ ſint,ſicut Domino:quoniã vir caput eſt mu-
Col.3. lieris,ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ:ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ità & mulieres viris ſuis in omnibus, & vxor timeat virum ſuum. Et 1. Tim. 2. Docere,inquit,mulieri non permitto,neque dominari in virum,ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt,deindè Eua:& Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem,ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Ad Tit. 2. vult vt adoleſcentulæ viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, ſobriæ, caſtæ ſint,& domûs curam habentes,benignæ,ſubditæ viris ſuis,

Ex his iam diſcitis vos mulieres,quid ſancti Apoſtoli, immò Deus per Apoſtolos à vobis requirat.Itaque hoc veſtrum munus & officium ſingulari quadam diligentia vobis attendendum eſt, cùm peculiarem eius rationem à vobis exacturus ſit Deus. De cæteris,quæ ad piam & homine Chriſtiano dignam vitam requiruntur, vnà cum vniuerſo Chriſtianorum grege vos oportet eſſe ſolicitos.Hoc autem ſpeciatìm vobis pręcipitur,& pręter reliqua omnia, quorum vnuſquiſque Chriſtianus Deo rationem redditurus eſt, peculiariter id à vobis exigetur, quales vos in matrimonio, in adminiſtranda re familiari, in educandis caſtigandiſque liberis & obedientia erga maritos præbueritis. Neque verò ludicrum hoc aut iocum putetis: habetis expreſſum Dei verbum, quod huiuſmodi à vobis repoſcit. Quòd ſi hîc eritis negligentiores,tranſgredimini mandatum DEI: ſed certò vobis perſuadeatis, hanc negligentiam in ſpeciali eaque graui culpa ponendam. In his autem hoc pręceptum conſiſtit:

Principiò,vt vxores maritos ſuos ceu capita & ſuperiores ſuos ęſtimēt, ijſque ſubditę ſint & pareant tanquàm illis, quos Deus ipſe vobis præpoſuerit:porrò mulier viro non obediens, Dei ordinationi reſiſtit, & ipſa ſibi ſupplicium & damnationem acquirit, Geneſ.3. Rom.13.

Huius autem ſubiectionis & obedientiæ multas allegant rationes ſancti Apoſtoli, quas meritò vxores expenderent, & promptam maritis obedientiam pręſtarent. Vna eſt, DEI ordinatio & conſtitutio, quòd vir primò formatus ſit,deindè mulier,idque ex viro, vt originis ſuæ memor, illi obediret, qui ante ipſam factus eſt,& ex quo ipſa condita eſt. Secunda eſt culpa & peccatum mulieris. Adam (inquit Apoſtolus) non eſt ſeductus: mulier 1. Ti. 2.
autem ſeducta in præuaricatione fuit. Expendat mulier, ánne ſexus eius cōmeruerit,vt fœmina deincèps meritò ſui iuris eſſe non debeat,ſed omni iure & poteſtate priuata, alienæ poteſtati ſubiecta ſit. Illa enim mandati pręuaricationem induxit, illa conſilium ſuum & poteſtatem quam habuit, admodùm pręposterè & perperàm vſurpauit, illa feneſtram aperuit Diabolo, illa peccatum & mortem in mundum intromiſit. Illa Dei mandatum prima tranſgreſſa eſt, & virum, quem tartareus ille ſerpens non audebat adoriri, ſeduxit, & hoc modo illam Pandoræ pyxidem, omni malorum genere refertam,prima aperuit. Porrò qui ſic poteſtate ſua abutitur,is iamiam hoc ipſo dignus ſit,cui nulla vnquàm deincèps functio, nulla poteſtas & authoritas demandetur.

Tertia ratio,quamobrem vxores maritis debeant eſſe ſubiectæ ac morigeræ,eſt earum fragilitas,imprudentia ſiue inſcientia & imbecillitas. Neq; enim ſibi poſſunt imperare ac ſeſe regere, & tam intellectu ac ingenio, quàm corporis viribus ſunt imbecilles. Itaq; neceſſum eſt, vt DOMINOS & tutores habeant qui illas moderentur, dirigant ac defendant:quibus etiam eam ob rem meritò debeant obedire ac obtemperare.

Alterum, quod Deus à mulieribus per ſanctos Apoſtolos ſuos exigit,

eſt vt non ſit extrinſecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed quieti & modeſti ſpiritûs. Illa enim benè compta, ornata & elegans eſt mulier, quę verecundiam & modeſtiam induit. Et hic ornatus nec marito magno ære conſtat, nec ſuſpectam reddit vxoris pudicitiam. Externus verò ille ornatus, illa circundatio auri & veſtimentorum cultus, exhaurit pecunias mariti, & vxorem in eam exiſtimationem adducit, vt quiſquis eam contuetur, aut parùm caſtam, aut admodùm inuitè caſtam arbitretur. Vanus enim ille & procax ornatus offert eas venales,
Gene.38. vt tales æſtimentur, qualis Thamar à Iuda propter cultiorem & iritantem habitum. Expendant autem caſtę matronę & pudicæ virgines, quàm magno eſſent empturæ, nè pro ſcortis & meretricibus habeantur. Certè nulla hanc ignominię notam ſibi libens pateretur inuri. Abſtineat igitur ab habitu procaci & parùm honeſto. Cæterùm hęc iam ólim in Triuijs diù multumq́; decantata ſunt, & nihil profectum eſt tamen. vſq; laues Aethiopem, nec tamen albeſcet vnquàm. Sic mundus ſemper manet ſuî ſimilis: & perit oleum & opera docentium.

Tertium eſt, vt filios ſuos diligant, prudentes ſint, ſobriæ & caſtæ, domûs curam habentes. Porrò & maritis è diuerſo attendendum eſt, vt ſeſe comparare debeant erga vxores, quas Deus poteſtati ipſorum ità ſubiectas voluit. Neq; enim Deus in munijs ſuis nebulones vult aut tyrannos. Magnis honorib⁹ & pręrogatiuis mariti officium cumulauit, eumq́; tanquàm ſuperiorem & dominũ conſtituit ſupra vxorem: Non vt ille interim omnium rerum ſecurus ocium agat, comeſſationibus & ſympoſijs vacet, & deindè vxor ſit illi tanquàm domino à ſeruitijs. Nequiquàm ſanè. Enimuerò mariti munus & officium ſuum à Deo acceperunt, ideoq́; meminiſſe debebunt, Deum ſe habere ſuperiorem ac Dominum: ſicq́; ſuum munus accuratè & diligenter adminiſtrabunt. Duo enim illi, qui matrimonio iuncti ſunt, facti ſunt caro vna. Maritus autem caput eſt: itaq; hæc illius pręrogatiua eſt, vt plus curarum ſuſtineat, vt circunſpectior, prudentior, & ſanioris conſilij ſit, quàm vxor. Vbi autem caput magìs delirat reliquo corpore, hîc neceſſum eſt omnia geri pręposterè. Vbi maritus perpetuò potitat, nec curat vxorem & liberos, ità vt in adminiſtratione rei familiaris minùs circunſpectus ac prouidus ſit, quàm vxor: eiuſmodi in ſanum caput ac ſemiuir delegati ſibi officij duram & exactam reddet rationem, & duriſſimis acerbiſſimiſq́; mulctabitur pœnis. Porrò eo ipſo, quòd maritus caput vxoris appellatur, duarum rerum ipſus ſeſe commonere debet. Primò, quînam erga ſeipſum: Deindè, quomodò erga vxorem, quæ vnum cum illo corpus eſt, gerere ſe debeat. Et quidē quantùm ad ipſum attinet, cùm ſit caput, & penès ipſum ſit dominium, neceſſum eſt vt moderatus, prudens, prouidus, ſolicitus & circunſpectus ſit, ac ſeſe omnis modeſtię & probitatis exemplũ vxori, totiq́; familiæ exhibeat. Qualis aũt debeat eſſe in vxorem, pulcherrimè
1. Pet. 3. docent ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus: Petrus quidem his verbis: Viri ſimili-

militer, cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquàm & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes veſtræ. Plura verò in hanc ſententiam habet Paulus Epheſ.6. Coloſ.3. Ex his nunc animaduertunt mariti, in quo ipſorum mandatum officiumq́; conſiſtat. Cohabitare debent vxoribus ſecundùm ſcientiam, ità vt hęc duo perpendant, infirmitatẽ vaſculi muliebris, & quòd cohęredes ſint gratię vitæ. Propter imbecillitatem earum nonnihil illis indulgebunt, nec ſe aſperos & amaros prębebunt erga illas, non cuiuſlibet dicti cauſa cum eis iurgabuntur. Neceſſum enim eſt, vt coniuges defectus multos vtrinquè ferant & patientia vincant.

Nam ſi maritus quatenùs Chriſtianus eſt, etiam exterorum onera & defectus ferre debet æquo animo, quantò magìs ſuæ coniugis? Cùm autem vxor cohęres ſit gratię vitę, honeſtè habenda eſt, non contemptìm inſtàr ancillę aut iumenti. Eius nanque anima apud Deum eiuſdem eſt nobilitatis, cuius tua. Eſt illa tua miniſtra, eſt ſocia & conſors tua: ideoq́ue illi amorem & honorem debes. Item, cùm ſit cohęres gratię vita, ità cohabitabit vxori maritus, nè alter alteri prębeat occaſionem hanc vitæ gratiam amittendi, & felicitatem ac ſalutem negligendi. Nè impediantur, inquit Apoſtolus, orationes veſtrę. Sanctè & honeſtè cohabitandum eſt vxori, non in paſſione deſiderij, vt inquit Paulus: Sciat vnuſquiſque veſtrûm vas ſuum 1.Pet.4. poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & 1.Theſ.4. gentes, quæ Deum ignorant. Scitis enim & in matrimonio poſſe negligi regnum Dei, Luc.14. Quin & poteſtatem habet dæmonium ſuper eos, qui ſunt in matrimonio, quandò ità coniugium ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ità vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, Tob.6.

Et qui vxorẽ diligit plùs quàm Deum, idolum ſibi ex ea conſtituit, nec Deum diligere, eiq́; ſeruire poteſt: Immò ne dignus quidem eſt, qui ſeruus Dei ſit & appelletur. Atq; hęc de cõiugibus & matrimonio dicta ſufficiant.

Abſoluimus itaq; illam οἰκονομικὴν ἀρχὴν & domeſticam adminiſtrationem, docuimusq́; vtì omnis familia, liberi, famuli, mercenarij erga patres & matresfamiliâs ſe gerere teneantur: ac è diuerſo patres & matresfamiliâs erga ſuos domeſticos, & vterq; illorũ erga inuicèm. Nunc ad eas perſonas tranſeamus, quę extra domum quidem ſunt, at nihilo ſeciùs patriam in nos poteſtatem & officium à Deo ipſis demandatum acceperunt: atq; hîc etiam Dei mandatum vtrinquè audiemus, quid nos illis, & illi nobis ex præſcripto verbi Dei pręſtare debeant. Inter hos primo loco ſtatuemus animarum curatores, Epiſcopos, Parochos, & concionatores, quemadmodùm & horum officio nullũ eſt excellentius in tota Repub. Chriſtiana. Illorum enim munus & functio ad id refertur, quod in nobis optimum ac præcipuum habemus, nimirùm ad animas noſtras. Siquidem illi ſunt, quorum opera & miniſterio in nouos DEI filios regeneramur in Chriſto Ieſu. Illi ſunt,

qui nos educant & enutriunt ad capeſſendam vitę ęternę hęreditatem. Illi deniquè ſunt, qui Chriſtum in nobis gignũt, dum inſtruunt nos in ijs, quæ ad fidem Chriſtianam, & veram Dei agnitionem & cultum, vitamq́ue in vera pietate & ſanctimonia tranſigenda requiruntur. Et hinc iurè illi vocētur patres ſpiritales, cùm nos ex filijs Adæ in ſpiritales Dei filios regenerēt. Quemadmodùm à carnalibus parentibus id accepimus, quòd homines ſumus, itemq́ue omnia, quæ ad vitam corporis pertinent: ità ſpiritualium patrum miniſterio inter Chriſtianos cooptamur, eaq́ue adipiſcimur, quæ ad animam & ſpiritum pertinent, quos hîc ſalutari doctrina & ſacramentis paſcunt & enutriũt in vitam & beatitatem ſempiternam. De hac tam ardua & excellenti functione deincèps nõnulla dicemus, quid eiuſmodi Patribus ſecũdùm ſpiritum debeamus, & vt illi ſuum erga nos officium exequi debeant. Cæterùm hîc idem mihi poſſit euenire, quod amicis optimi Iob.
Iob. 2. Qui audiẽtes omne malum quod accidiſſet ei, venerunt vt viſitarent eum & conſolarentur: & videntes dolorem eius eſſe vehemẽtem, oblíti conſolationis, neſciērunt vndè petẽdum eſſet cõſolandi principium: ſederuntq́; cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Si mihi dicẽdum ſit, vt vulgares Chriſtiani erga ſpiritales ſuos antiſtites & præpoſitos, eorumq́ue munia ſeſe gerere, & vt ij rurſùs ſuo fungi officio debeant, comperio vtrobiquè tãtum fœditatis, miſerię & defectûs, vt pariter lugere ac lamentari magìs libeat, vtpotè ceu rem perditam, cui ꝓpemodùm docendo nullum poſſit adferri remedium.

Magnæ ſunt querimoniæ in Paſtores & Pręlatos Eccleſiaſticos, nec poteſt quiſquam pro illorum culpa ac merito ſatìs conqueri: magno enim Reipublicę ſcandalo ſua munia obeunt. Neque tamen interìm vulgus hominum excuſare poſſum: immò dicere compellor, qualis eorum eſt deuotio & pietas, tales eos habere ſacerdotes & Paſtores: vt locum habeat DEI iu-
Eſai. 24. dicium apud Eſaiam: Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos. Illi ſua lucra & faſtum potiùs aucupantur in functionibus Eccleſiaſticis, quàm ſalutem gregis Dominici: vulgus nec Eccleſiarum miniſtros, nec officia eorum alicuiùs penſi habet. Si Deum haberent, qui illis vitæ neceſſaria abundè ſuppeditaret, & omnes ſacerdotes vnà cum Eccleſiaſticis miniſterijs è mũdo tol-
Ezec. 34. leret, quid illi cultum diuinum curarẽt? Queritur Dominus apud Ezechielem de auaritia & negligẽtia paſtorum, & veriſſima eſt hac tempeſtate querela: Sed & queritur de populo, quòd proterui ſint & faſtidioſi, nec ſatìs illis ſit paſcua bona depaſci. Inſupèr, inquit, & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcâſtis pedibus veſtris: & cùm puriſſimam aquam biberitis, reliquam pedibus veſtris turbabatis. O nimìs veram in Republica Chriſtiana hoc noſtro tam infelici ſeculo querimoniam. An nõ pinguia paſcua nobis dedit in Eccleſia DEVS ſanctiſſima Sacramenta ſua, quæ hominem interiorem & animam omni ſpiritali voluptate paſcant & exatient? An non puriſſimã verbi ſui aquam nobis reliquit? Nos autem pedibus illam conculcamus & tur-

bamus tum contemptu, tum omnis generis petulantiſſimis erroribus. Inſupèr & veneranda Sacramenta, pinguia illa paſcua, pedibus conculcamus & nauſeabundi faſtidimus, nec ea libet percipere. Vnum huius rei profe-ram exemplum, quo comperiatis quàm viluerint optima hęc paſcua apud Chriſtianos. Inſtat nunc ſacroſanctus Dominicę natiuitatis dies, primaria ſolēnitas, caput & origo noſtrę ſalutis: quo die magnum illud myſterium patefecit Deus orbi terrarum, nimirùm filium ſuum in carne. De quo myſterio Paulus admirabundus exclamat: Manifeſtè magnū eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, &c. Ea olim huius diei exiſtimatio & celebritas fuit in Eccleſia Catholica, vt ſi quis hac die ſingulari quadā ratione ſe Deo non oblectâſſet, vel non eſſet delectatus in Domino, ac ſacroſancto corporis & ſanguinis Dominici Sacramento animam ſuam non pauiſſet, hominis Chriſtiani loco minimè haberetur. At nunc faſtidioſi ſumus, immò & pedibus paſcua Domini cōculcamus, eaq́; nihilipendimus, nec noſtrum palatum afficiunt, nec vllo eorum deſiderio tenemur. 1. Tim. 3.

Sed ego vos, optimi Chriſtiani, oro per miſericordiam Dei, & admoneo per veſtrā ſalutem: aperiamus oculos noſtros, excutiamus hanc ex animo pariter & oculis caliginem, & videamus quæ vndiquè nos circunſtent pericula: perpendamus, quàm nobis ſummè neceſſaria ſit gratia Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri. Ideoq́; magno ſtudio in hoc aduigilemus, nè externis duntaxat colēdis ferijs ad ipſum accedamus in hoc eius die natalitio: ſed recipiamus eum intra nos, & certam proculdubiò conſolationem ab eo percipiemus. Porrò dixerit quiſpiam: Ego verò noui me eſſe impurum peccatorem: Quid ergò profuerit, ſi hoc feſto natalitio accedam ad ſacram corporis Dominici cōmunionem? Quin potiùs metuendū fuerit, nè hoc ipſo magìs me reum efficiam apud Deum, iuxta illā Apoſtoli ſententiā, 1. Cor. 11. Verùm tibi, quiſquis es ô Chriſtiane, reſpondeo, ne eſſe quidē conſultum, vt cum peccatis eò accedas. Illud aūt conſuluero, vt peccatis nuncio remiſſo, ità demùm ad hęc ſacroſancta paſcua venias, iſq́; te exaties: ſic enim ex huius perceptione ſacroſancti edulij, & ſalute & gratia locupletaberis. Supereſt tibi adhuc octo dierū ſpatium, quibus & à peccatis abſtinere, & delicta confiteri, & pœnitētiam agere potes: nè cogites, tempus eſſe exiguum: ſed multo magìs ea in cogitatione verſeris, Deum benignum & miſericordem eſſe, patientem & multę miſericordię, & pręſtabilem ſuper malitia: vtì ſanè pulcherrima breuis quidem, ſed tamen veræ pœnitentię exempla videre eſt in Oſee & Ioele Prophetis. Quòd ſi tam breui ſeriam peccatorum pœnitentiam, dolorem & diſplicentiam in animum tuum nequeas inducere, conare ſaltem & annitere, vt vel pronam habeas ad pœnitentiam voluntatem, veliſque libenter dolere ob malefacta tua, & animo demiſſo teipſum caſtiges & expies tua peccata, prout facilè potes, ieiunādo, vigilando, & corporis cōmodis ſubtrahendis. Vade, & humiliter oſtende te ſacerdoti, ob mala perpetrata, & vel ſemèl rubore ſuffundaris pro cōmiſſis peccatis: humi- Oſeæ 14. Iohel. 2.

humilietur & verecundetur ille tuus externus homo coram ſacerdote, & ſic temetipſum dijudices, nè à Domino iudiceris, 1. Cor. 11. Dic tibijpſi: Vtinàm tam animo & ſpiritui meo poſſem imperare, quàm corpori: equidem qua poſſem humilitate animum meum coram Domino ac Deo meo in imum vſque abijcerem: cor animumq́; meum ad terram vſq;, immò infra terram demitterem. Sed quia illud in animum & ſpiritum meum imperiũ non habeo, corpus tamen parére debebit: illud mulctari, & quatenùs ferre potero, ob admiſſa peccata humiliare oportebit. Illud ieiunijs, vigilijs, & duriori ſtrato hoc octiduum macerabitur. Genua coram ſacerdote flectentur, lingua peccata planget & confitebitur. Hæc nimirùm fuerit præclara ob anteacta peccata pœnitentia: nec dubium, quin ſi Deus ſic te humiliari videret in illis om̃ibus, in quib⁹ tete humiliare & abijcere potes, eam quoquè mẽtem tibi adſpiraturus ſit: vt ex animo doleas te peccaſſe: & ità venerabile Sacramentum non abſque ingenti fructu percipias. Vtinàm vel decem ità affectos homines nobis largiatur Deus, qui hoc pacto ſeſe compararent ad ſacram percipiendam ſynaxim in Natali Domini. Nanque ſperare tum licebit, fore vt propter hos decem Deus parcat peccatis noſtris, & eorum exemplo plures deincèps ad omnem pietatem ſectãdam permoueat.

Experiamini, auditores optimi, ea quæ iam dixi, in his feſtis natalicijs nec quicquam vos remoretur, quòd fortè metuitis, nè poſſitis perſeuerare: & licèt ad venerabile Sacramentum accedatis, breuì priſtinos ſitis mores repetituri. Verùm auditores, tametſi quiſpiam fortaſsis metuat, nè in peccatum relabatur, ideóne fuerit in ſordibus vſquè manendum? Immò vel ſemèl exurge, ſi fortè Dei benignitate conſerueris. Quamobrem cùm tanta ſit vndiquè calamitas & miſeria in Repub. Chriſtiana, volui vos obitèr huius admonitos, idque animo ſanè fido & integerrimo. Eſt enim ſummè ne-

Eſai. 59. ceſſarium, vt gratiam & auxilium à Deo poſtulemus. Nec eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat: neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat: ſed iniquitates noſtræ inſtàr altiſſimi parietis diuiſerũt inter nos & Deum noſtrum, vt gratiam & miſericordiã ſuam nõ poſſit in nos effundere. Euertamus ſemèl hunc parietem, & quandoquè diuina adſpiráte gratia, res noſtræ haud dubiè meliori loco erunt &c.

CONCIO XXXIIII. HABITA

Dominica quarta Aduentûs, Anno 1542.

HAeremus adhuc, auditores optimi, in explicatione quarti pręcepti, quo nobis præcipitur honor, reuerentia & obedientia erga parẽtes: vndè occaſionem ſumpſi proponẽdi generalem quandam inſtructionem de om̃is generis magiſtratibus ac ſuperioribus. Cœpimus autem ſuperiori concione dicere de poteſtate Eccleſiaſtica, de officijs & magiſtratu Eccleſiaſticorum præpoſitorum, putà Epiſcoporum, prælatorum, paſtorum & parochorum: de quibus nunc porrò ex verbo Dei edocendi eſtis,

quid honoris & obedientiæ ex mandato & voluntate diuina illis præſtare teneamur: Et è diuerſo, quomodò illi ſuum officiũ exequi & erga nos obire debeant. Sed hîc mihi materia admodùm perplexa & intricata offertur, nec ſatis ſcio, vndè telam hanc ordiri, aut vbì deſinere debeam. Non quòd obſcura ſit veritas, aut quòd neſciamus, quæ in his ſit DEI voluntas. Quinimò DEI præceptum de functionibus Eccleſiaſticis luculentum eſt & apertum, multiſque ſcripturæ locis perſpicuè teſtatur DEVS, quid vtrobiquè fieri velit, quo pacto tum Eccleſiarum præſides præeſſe, tum ſubditi obtemperare debeant. Verùm hinc naſcitur rei perplexitas & difficultas, quòd hoc Dei preceptum apud vtroſque in fœdos abuſus & penè in obliuionem abierit. Adeò turpiter hoc noſtro æuo tam Eccleſiarum præpoſiti, quàm ſubditi à Dei præcepto deuiârunt, & tam longè lateq; aberrârunt, vt haud ſciam an ſalubribus monitis, ad rectam regiamq; viam reuocari & reduci queamus. Equidem vereor, nè hîc oleum pariter & operam perdam, & fruſtrà admoneam eorum quæ ferè nemo ſuſtinet audire: adeò iam in conſuetudinem venêre vitia, vt quod iniquum eſt, ceu ius faſque defendere, ſeruare, mordicusq; retinere plerique velint. Quòd ſi vulgus hominum ad priſtinam erga Eccleſiam obedientiam reducere coner, quemadmodùm ab initio fuit in Chriſtianitate, & DEI verbum ab illis exigit, quam putatis me gratiam initurum apud populum, cùm tam multi hodiè ſint Chore, tam multi Num.16.
Dathan, tam multi Abiron, tàm multi ſuę libidini obſequentes, & curioſi- 2.Tim.3.
tati dediti, quemadmodùm eos deſcribit Apoſtolus, ſeipſos amantes, elati, ſuperbi, ad omnem rebellionem & in obediẽtiam procliues, quorum præſtantiſſima eſt ars & ſcientia, vndè etiam nomen habere volũt, vt per temeritatem & audaciam conuellant & cõtemnant, quicquid ante ipſos Chriſtiani in magno precio & honore habuerunt, & ſolicitè obſeruârunt? E diuerſo metuendum eſt, nè Domini mei, præſides & prælati Eccleſiaſtici, grato animo ſuſcepturi ſint, ſi à ſuaui, delicata, & iucunda viuendi conſuetudine arceantur, ad officia ſua reuocentur, & curis laboribuſque onerentur. Non minùs eorum palato amarum & acerbum erit, ſi ità debeant regere & adminiſtrare, vtì par eſt: quàm vulgum malè habebit, ſi ad priſtinum obedientiæ iugum adigantur: quam tamen obediẽtiam ex iuſſu & voluntate DEI magiſtratui Eccleſiaſtico præſtare tenentur. Quamobrem haud credidero vtranque partem ex his tam magnis vitijs & erratis ad debita ſua præſtanda officia paucis verbis reduci poſſe. Itaque huic tam arduo difficiliq; pertractando negocio aliâs opportunum captabo tempus, quo indè liceat pro rei neceſſitate dicere. Nunc pauca quędã breuiſſimè & non niſi ſummatim de vtriſq; dicemus, vt & populus parêre, & paſtores paſcere & regere debeant.

Eccleſiaſtica functio, ſiue munus miniſtrorum Eccleſiæ in hoc conſi- Acto.20.
ſtit, vt attendãt gregi & Eccleſiæ, quam Deus acquiſiuit & mercatus eſt ſanguine ſuo. Sic enim ſuam illis Eccleſiam commendauit Deus, vt rationem pro animabus populi ſui de manibus præpoſitorũ ſit exacturus. Quamob-

rem

rem ſuos illi conatus, curas & labores eò conuertere & intendere debent, nè per ipſorum incuriam vlla anima pereat, quam Christus Dominus ſuo ipſius ſanguine comparauit & redemit: ſed potiùs memores ſuæ functiõis in hoc aduigilent, vt ſummo illi ἀρχιποιμένι paſtori paſtorum, Domino ac Deo noſtro omnes Eccleſiæ animas in eius regnum & beatitudinem ſempiternam exhibere & adducere queant. Nam ſuas ipſorum animas in ſummum periculum conijciunt, ſi vel vnica defuerit anima, quæ per ipſorum indiligentiam periêrit.

Porrò vt hanc Dei Eccleſiã, quandiù hæc vita durat temporaria, in Dei obedientia contineant, & ab omni fœditate & ſqualore conſeruent, atque tandèm ad æternam felicitatem introducant, ad hoc duobus quibuſdam medijs vtuntur, in quibus etiam Eccleſia Dei illis obedientiam præſtare tenetur. Si quis enim velit eſſe obſtreperus & immorigerus, veniet ſanguis

Ezec. 33. illi ſuper ipſum, & in hac inobediẽtia & iniquitate ſua morietur: paſtor autem innoxius eſt, & quãtùm ad rebellem illum attinet, animam ſuam liberauit. Audiamus itaque hęc duo media, quibus Eccleſiaſtici præpoſiti ad legitimam & vtilem gubernandi rationem vti debent, & diſcamus quam in his obedientiam eis teneatur præſtare Eccleſia.

Primum quo Dei Eccleſia regitur, & in Dei obedientia conſeruatur, ac tandèm ad beatitudinem fruẽdam perducitur, eſt verbum Dei, eaq; omnia quæ Dei verbum luculenter ac ſeriò præſcribit & præcipit. Hîc iam extra omnem controuerſiam eſt, vnumquemlibet Chriſtianum, qui animam ſuam in vitam ęternam ſeruare velit, neceſſariò obedire debere ſuo prępoſito in illis, quæ is ex DEI verbo ab illo exigit ac requirit. Atque hoc caſu Eccleſiaſticum præpoſitum exiſtimare oportet non vt hominem, ſed vt organum DEI, per quod DEVS ſanctam & æquiſſimam ſuam voluntatem nobis aperit ac reuelat. Nec putãdus eſt ex ſeipſo loqui, ſed DEVM loqui per illum. Itaque qui eum ſpernit, eique immorigerus eſt, is non hominem ſpernit, ſed Deum: nec homini immorigerus eſt, ſed DEO, qui per Eccleſiæ prępoſitum, velutì inſtrumentũ quoddam, ipſi loquitur. Huc faciunt ea, quę Chriſtus Dominus dixit de ſuis diſcipulis, Luc. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me, Matt. 10. Nec quicquam hîc vel accedit vel decedit virtuti verbi DEI, ratione miniſtri, qualiſcunque demùm ſit ille. DEI enim eſt organa ſibi deligere: verbo autem eius ſua manebit authoritas, ſuaq; dignitas, qualiſqualis tandèm ſit ille, per quem illi viſum eſt illud patefacere. Fuit olim & Balaam inter Prophetas, & Iudas ille Iſchariotes inter Apoſtolos: & multi in die no-

Matth. 7. uiſſimo comparebunt ad tribunal Chriſti, qui in nomine eius prophetârint, immò & ſigna & prodigia fecerint, quorũ tamen mores & vitam nunquàm approbârit DEVS. Si itaque Balaam, Iudas, & prophetæ illi purum & ſyncerum DEI verbum annunciẽt, id apud nos habebit ponderis, quod par eſt habere verbũ DEI, nec minùs ſanè quàm ſi Eſaias, Petrus, Paulus, aut angelo-

gelorum quiſquam illud prædicaret. Verbum Dei docet me ſapientiam ſalutarem, vt ad beatitudinem pertingere poſſim: cui vſquequaquè integrã debeo præſtare obedientiam. Quiſquis ergò præpoſitum Eccleſiaſticum contemnit, nec illi obtemperat, cùm ipſi annunciat verbum Dei, cùm ex verbi Dei pręſcripto ipſum ducit ac dirigit, is iam ſua inobedientia conſciſcit ſibi ac promeretur mortem ſempiternam, & ſanguis eius erit ſuper ipſum, & in iniquitate ſua morietur, teſte ſcriptura diuina apud Ezechielẽ cap. 3. & 37. Hoc ergò primum eſt medium in Eccleſiaſtica adminiſtratiõe, in quo ſubditi præpoſito ſuo citra vllum dubium obedire tenẽtur, nempè verbum Dei, eaq́ue omnia, quæ certò & efficaciter præcepta ſunt in ſcriptis diuinis.

Alterum medium, quod ad moderandam Eccleſiam requiritur, neceſſarioq́ue vſurpandum eſt ad vtilitatem & profectum Eccleſiæ Dei, ſunt ſtatuta & conſtitutiones Eccleſiaſticæ, quæ tametſi ad verbum in ſcripturis comprẹhenſę aut præceptæ non ſunt, eò tamen faciunt, vt ea quę in ſcripturis mandantur, commodiori ordine tradantur, & tanto commodiùs ab Eccleſia Dei ſeruanda obtineantur. Non quidem per ſe omnes neceſſariæ ſunt ad ſalutem: ſed plurimùm conferunt ad ea, ſinè quibus ſalui & beati effici non poſſumus. Suprà diximus, ocium & ferias agere Dominicis ac feſtis diebus, non eſſe rem ſimpliciter & per ſe neceſſariam: nec enim vllis ſcripturis adſtringimur ad ocium.

Porrò vacare Deo & rebus diuinis, Deum peccatis offenſum placare, Dei verbum audire, eiuſq́ue voluntatem diſcere, Deum colere ac honorare, Deo gratias agere, ea verò neceſſaria ſunt ad ſalutem, & præcipiuntur in diuinis literis, atque huc nobis inſeruit ocium dierum feſtorum. Nam ſi quis tum velit externis vacare laboribus, haud ſanè ſpatium opportunũ habuerit huiuſmodi ſacris exercitijs ſeſe occupandi. Præterea certis temporibus ab eſu carnium abſtinere, & ciborum delectum obſeruare, non eſt id quidem per ſe neceſſarium ad obtinendam ſempiternam felicitatem, nec in ſacris literis pręceptum eſt: verùm laſciuiã carnis domare, caſtigare corpus & in ſeruitutem redigere, quẽadmodùm ſuo nos exemplo docet Apoſtolus 1. Cor. 9. id profectò neceſſarium eſt beatitudini comparãdę, & plurimis ſacrarum ſcripturarũ locis ſeriò à nobis exigitur. Ad hoc autem plurimùm cõfert, & vtile inprimìs ac opportunum medium & adminiculum eſt, carnes aliasq́; libidinem inflammantes eſcas interdùm vitare, ieiunijs corpus afficere, carni aliquid ſubtrahere, & genium defraudare. Hinc ergò manifeſtũ eſt, etiamſi Eccleſiaſticę ſanctiones & traditiones non ſint ſemper per ſe in ſcripturis diuinis expreſſè præceptæ, plurimùm tamen eas cõferre ad hoc, vt quæ expreſsè in ſacris literis mandata ſunt, ea bono legitimoq́ue ordine obſeruẽtur: eodemq́; modo quanuìs per ſe quidem ad ſalutem neceſſarię non ſint quędã Eccleſiaſticę cõſuetudines, cõferre tamẽ ad ea, quæ ſaluti & beatitudini obtinendę conducibilia ac neceſſaria ſunt.

Cùm itaque diuinitùs præceptum ſit præpoſitis ac miniſtris Eccleſiæ, vt ſummo ſtudio in hoc incumbant, quomodò gregem ſuæ fidei commiſſum, ſiue Eccleſiam Dei, in Dei obedientia regant & paſcant, illorumque animas Domino ad beatitudinem adducant & annumerent, optimo ſanè iure Eccleſię ſibi commiſſę eiuſmodi leges & conſtitutiones poſſunt pręfigere, per quas verbo Dei præſtanda obedientia, itemque Chriſtiana, pia, honeſta ac benè compoſita viuendi ratio & conuerſatio faciliùs & rectiùs conſeruetur, atque animæ ſubditorum commodiùs à peccatis & offendiculis pręſeruentur, & ad felicitatem perducantur. Sic enim primi illi Eccle-
Actor.15. ſiarum miniſtri ſeu præpoſiti legem ſanxerunt, vt Chriſtiani abſtinerent à ſuffocatis & ſanguine: idque abſque vllo ſcripturę diuinę pręcepto, ea ſola cauſa ſtatuerunt, quòd id temporis Eccleſiæ Dei vtile ac ſalutare eſſet.

Veruntamen id genus ſanctiones Eccleſiaſticæ haud prorſus æqualem cum expreſſo verbo Dei apud nos obtinebunt authoritatem, ſed quandocunquè ſimul cum pręceptis diuinis ità concurrũt, vt ſibi mutuò obſtent, hoc caſu poſtpoſitis Eccleſiæ ſtatutis, parendum eſt Dei præceptis. Itemq; quotieſcunquè vel noſtra, vel proximi vera neceſſitas id efflagitat, ſemper eiuſcemodi conſtitutiones cedent neceſſitati & charitati proximi.

Quoniam itaq; hoc pacto ſe res habet cum Eccleſiaſticis ſanctionibus, vnuſquilibet Chriſtianus ſpiritali ſuo magiſtratui in illis, haud ſecùs atquè ipſi Deo, ſinè vlla contradictione obtemperare tenetur, niſi quem vel vrgens neceſſitas, vel proximi charitas excuſet. Qui ſe ſentit habere opùs, vel ſibi id eſſe neceſſarium, is Eccleſię cõſtitutiones ſeruabit in bonum ſuum. Qui autem non indiget, ſed abſq; illis ſanctionibus nouit Chriſtianæ pietati conuenienter ſeſe gerere, is nihilominùs illis morigerum ſe præbebit, vt illa εὐταξία & bonus ordo in Dei Eccleſia perſeueret, & nè cui offendiculo
1.Cor.14. ſit, 1.Corin.14. 1.Cor.8. Atque vt ſimpliciores & vulgares homines intelli-
1.Cor.8. gant, quid vel boni vel mali inſit in obediẽtia vel inobedientia erga huiuſmodi conſtitutiones, exemplum hoc animaduertãt: Abſtinere à carnibus certis diebus, non eſt per ſe illud bonum, quod Deo acceptum eſt: Bonum autem eſt, carnis edomare laſciuiam: bonum quoquè eſt, ab eſu carnium abſtinẽdo, magiſtratui à Deo in Eccleſia conſtituto parére, eiq; reuerentiã à Deo nobis præceptã præſtare. Qui nulla compulſus neceſſitate, carnibus veſcitur, quandò ab ijs abſtinendum pręcepit Eccleſia, hìc quidem eſus ille carnium per ſe non eſt peccatum: illud autem peccatum eſt, quòd abſque neceſſitate, præpoſitos ſuos contemnit, quòd nulla re neceſſaria adactus ſe rebellem præbet & immorigerum, quòd nulla cogente neceſſitate & ſinè vtilitate aliqua proximo ſcandalũ præbet, in cuius tamen gratiam meritò à carnibus illis temperare ſibi deberet: immò potiùs non manducaret carnẽ in æternum, quàm citra neceſſitatem ſe declararet immorigerum, aut fra-
1.Cor.8. trem ſcãdalizaret. Sed dicet quiſpiam: Equidem non puto gratam me Deo poſſe exhibere obedientiam illis in rebus, quæ in diuinis literis præcepta

non

non ſint. Cui ſic reſpondemus: Bona verba quæſo frater: nè nimiùm tibi arrogare velis. Ex ipſis ſcripturis diuinis docere poſſum, placere DEO obedientiam etiam illis in rebus, quas in ſacris Biblijs nuſquàm neque iuſſerit, neque vetuerit. Nuſquàm prohibuit Deus vinum bibere. Extitit autem vir quidam, nomine Ionadab, qui filijs ſuis vini vſu planè interdixit. Paruerunt illi præcepto patris ſui, idque adeò Deo gratum fuit, vt hanc illis promiſſionem faceret: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. Quid autem hîc Deo placuiſſe putamus? Certè non illa per ſe vini abſtinētia, cùm hanc non præcepiſſet, ſed illa filiorum erga patrem obedientia, quam præceperat. Eadem ratione Eccleſia Catholica ante multa ſecula eam ſanciuit legem, vt certis temporibus ab eſu carnium abſtineamus. Itaque ſi hanc ego legem vel præceptum Catholicæ Eccleſiæ audiens, illis temporibus nolim veſci carnibus, proculdubiò gratum Deo obſequium præſto. Quid autem hîc ei acceptum eſt? non quòd tempero mihi ab eſu carnium: nam hoc mihi nuſquā præcepit: verùm obedientia illa erga ſuperiores meos, erga ipſam Catholicam Eccleſiam. Hanc enim iuſſit vt præſtē poteſtatibus ſublimioribus & ſuperioribus meis. Nec minùs æquum puto, vt ego membrum Reipub. Chriſtianæ, vniuerſam audiam Eccleſiam, quàm æquum erat Rechabitas patris ſui Ionadab, vnius nimirùm hominis, voci obtemperare.

Hier. 35.

Rom. 13.

CONCIO XXXV. HABITA

Dominica intra Natiuitatem & Circumciſionē Domini, Anno 1543.

IN explicatiōe quarti huius præcepti varios ſtatus commemorauimus, auditores, & vt illi ex vtraque parte tam à ſuperioribus, quàm inferioribus debeant obſeruari.

Reſtant adhuc nonnulli, quos pauciſſimis dūtaxat indicabo, vt tandèm aliquandò in Decalogi præceptis progredi poſſimus. Superiori concione audiuimus, quàm ſeriam obedientiam vnaquæque Eccleſia præpoſitis ſuis Eccleſiaſticis præſtare teneatur. Quæ ſi ijs non deberetur, longè periculoſiſſima eorum foret functio & adminiſtratio. Si patri in filios animaduertere, eoſque caſtigare liberum non eſſet, nec fas haberet illis obſiſtere, vel ſeſe interponere, ac nihilo minùs ratio liberorum ab ipſo foret apud DEVM exigenda, quāto quæſo cum diſcrimine coniuncta eſſet hic ſtatus & ordo? aut quis vnquàm patris nomen optaret?

Eodem modo niſi Eccleſia Dei præpoſitis Eccleſiaſticis obedire teneretur, nec ipſi Eccleſiæ miniſtri & paſtores ius docendæ, regendæ & caſtigandæ Eccleſiæ Dei haberent, & nihilo minùs ratio illis reddenda foret prò animabus ſubditorum, quis nō videat, quàm periculoſus illorum eſſet ſtatus? cui verò tum libèret paſtorem aut præpoſitū agere? Omni itaq; iuri diuino, humano ac naturali, atque etiam rectæ rationi conſentaneum eſt, vnamquanq; Eccleſiā ſuis parére debere præpoſitis, idq; in illis omnibus,

quæ ad animarum ſalutem vtiliter & ſalutariter præcipiunt & proponunt. Porrò hîc vos præpoſiti, quæſo, id diligenter animaduertite, ſi Dei Eccleſia ad vobis præſtandam obedientiam ſub comminatione iræ & vindictæ diuinæ tam grauiter adſtringitur, quanto vos fortiùs & impenſiùs obligati ſitis ad accuratam ſolicitamque adminiſtrationem. Vos Eccleſiarum antiſtites & paſtores habetis Dei verbum, habetis omnis generis ſalutares Eccleſiæ ſanctiões, quibus gregem vobis cõmiſſum regatis, inſtruatis ac ducatis. Habetis anathemata veſtra & excommunicatiões in pœnam malorũ, quibus rebelles & obſtreperos à communione fidelium arceatis & excludatis, donec in ſeipſos deſcẽdant, & ad cor reuerſi, ob malefacta ſua agant pœnitentiam, ſeſeq; in viam ad bonam frugem humiliter recipiant. Quòd ſi in his omnibus peruicacem ſe & immorigeram præbeat Eccleſia, iram Dei in ſe concitat, & in die nouiſſimo duras admodùm & acerbas pœnas pendere cogetur. Sin autem vos hiſce in rebus indiligentes, ſocordes, deſides, infidi fueritis, quomodò iram Dei ſuſtinebitis in illo die, quandò reddẽda fuerit

Actor.20. ratio adminiſtratæ villicationis? Vobis iam olim dictum eſt: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spirituſſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Vos eſtis de quibus dictum

Heb.13. eſt: Ipſi peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Expendite itaque quid ſit muneris veſtri, quid à vobis poſtuletur. Alius è vulgo Chriſtiano vitam viuit iniquam, & ſecùs quàm deceat Chriſtiana religione initiatum: ſed væ tibi, quiſquis Eccleſiaſticum ſuſcepiſti miniſterium, nec illi inuigilas, ità vt tua incuria ille pereat: certè ſanguinem illius de manu tua requiret Deus. Alius DEI verbum non audit, & perditè viuit. Tu qui paſtorem & præſidem agis, non illi annuncias, ſed & longè viuis ipſe deteriùs. Nam quomodò ille audiet vocem paſtoris ſui, cùm ipſe paſtor ſit canis mutus, neque ſciens, neque volens latrare? Suſcepit officium paſtorale, non vt gregis curam gerat, & paſcat gregem, ſed vt ſemetipſum paſcat. Quæſo diligenter penſitent huiuſmodi paſtores, quàm grauiter illis comminetur Deus apud Ezechielem cap. 34. Grauiſſima erit illorum damnatio, ſi populi ignorantia ex ipſorum incuria fuerit prognata: prout facilè cõtingit, vt vulgus in errores & quęuis vitia & ineptias proruat, ſi deſint paſtores. Verùm Eccleſiaſticas functiões & miniſteria hactenùs deploraſſe & lamẽtatos eſſe ſufficiat: precibus & oratiõibus plùs fortaſsè profecerimus. Erigamus itaq; animos pariter & manꝰ & voces ad Deũ, & obſecremus, vt ille ſummus omniũ paſtor DEVS & ſeruator noſter Chriſtus Ieſus ſuo ouili, vniuerſæ Reipub. Chriſtianę tales largiatur paſtores, & animos ſubditorũ ad obedientiã, ſtudiũ & amorem veritatis & iuſtitiæ cõuertat, vt non ſolùm vnitate fidei, ſed & puritatẽ vitę & omnigenis pijs exercitijs efficiamur ei hîc in terris populus acceptus: quô ſacroſanctũ eius nomẽ in pia noſtra cõuerſatione prædicetur & glorificetur apud infideles, & vt poſt hanc vitã hæreditatẽ regni cęleſtis adeamus & poſſideamus cum omnibus electis, Amen.

Iam

Iam porrò circa hoc ſpiritale munus patrium, meminiſſe debent Chriſtiani etiam patrinorum vel ſuſceptorum ſuorum, qui in Chriſtianæ religionis Sacramentis Baptiſmi & Confirmationis, ipſis ſuam nauârũt operam. His amor, honor & obedientia debetur, tanquàm illis qui partem paternæ ſolicitudinis in ſe tranſtulerunt erga nos recenter iam Chriſto initiatos. Et vice verſa patrini hoc debent illis, quos ex baptiſmo ſuſceperunt, vt magna cura & ſtudio in hoc aduigilent, vtì ij ipſi in diſciplina & timore Dei educentur, quò vita & moribus ſe tales præbeât erga Deum & proximum, quales decet Chriſtianos. Neque enim iocus aut res ludicra eſt, pueris in perceptione ſacramentorum aſſiſtere & pro ijs fideiubere. Expendas Chriſtiane frater, cui ſpoponderis, & quomodò: & comperies, quàm hęc grauis & ſeria res ſit. Siquidem palàm in conſpectu totius Eccleſię, ipſius DEI miniſtro ſacerdoti, iurâſti & profeſſus es infantis nomine, cùm de fide interrogareris, atque ità dixiſti: Credo in Deum, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum. Et in ſpiritum ſanctum. Iam porrò hęc fides nõ ſola quadam cordis opinione conſtat. In Deum credere, eſt Deum diligere, ei confidere, cogitationibus, verbis & opere ſanctam eius voluntatem exequi: & hi demùm verè in Deum credere dicũtur, qui ore & opere eum confitentur, 1. Cor. 4. Non illi in Deum credunt, qui ore & lingua eum cõfitentur, factis autem negant, Tit. 1. Perpendas itaq;, quid in Baptiſmo pro infante ſpoponderis.

Præterea interrogatus à Sacerdote, quo in poſterum modo vitam tranſacturus eſſet infans, denuò in Dei totiuſque Eccleſię conſpectu promiſiſti ac fideiuſſiſti infantem Satanæ & omnibus pompis & operibus eius renũciaturum. Hæc enim ſponſionis tuæ verba fuerunt: Abrenuncio Satanę, & omnibus pompis & operibus eius: idque nomine infantis baptizâdi dixiſti. Hîc ergò vos Chriſtiani vosipſos commoneatis, obſecro, & ſeriam hâc actionem recta vobiſcum reputetis via. Si quid in rebus temporarijs pro altero ſpopõderis, diſcurre, inquit Sapiens, feſtina, nè dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebrę tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de inſidijs aucupis: defixiſti enim manum tuam apud extraneum, & illaqueatus es verbis oris tui. Longè autem magis illaqueatus tu es, cùm Deo ſpoponderis, non pro pecunijs, ſed pro anima nobili, quæ longè precioſior eſt apud Deum omnibus huius mundi theſauris. Si pro debito pecuniario tuam interponas fidẽ, quàm ſæpenumerò legis & relegis ſyngrapham tuam? quotiès illius venit in mentem? quotiès admones & adhortaris debitorem, vt ſatisfaciat, nè tu aliquandò illius cauſa damno ſis obnoxius? Si enim ille non ſoluerit, creditor à te debitum omne repoſcet. Prou. 6.

Vos autem infantum ſuſceptores, infantis nomine Deo ſpopondiſtis, honeſtam, probam, piam & Chriſtiano dignam vitam veramque & orthodoxam fidem. Curate igitur, vt quod vos Deo promiſiſtis, id puer præſtet. Diſcurrite, feſtinate, nè dederitis ſomnum oculis veſtris, nõ ceſſetis adhor-

tari ſuſceptos à vobis in Baptiſmo, donec id Deo reddat, pro quo fidem veſtram apud Deum interpoſuiſtis, nè vos apud Deum debito illo teneamini obnoxij, ſi illi veſtra incuria & indiligẽtia quod promiſſum eſt non præſtent. Sed dixerit hîc aliquis: Si ſic ſe res habet, patiar alium tenere pueros ad Baptiſma. Sed heus tu frater: Quid eſt, quamobrem nolit quis ſaluti proximi libẽs deſeruire? Immò verò magnam apud Deum gratiam hac re promeremur, & eſt vltra modum ingens eleemoſyna, vereq́ue Chriſtianum opus, nec cum vllo periculo coniunctum, niſi prorſus negligens & ſupinus eſſe velis. Adhortando animam tuam liberare potes: quòd ſi ille ſequi non vult, ſanguis eius ſuper caput illius erit. Timeas ergò DEI animaduerſionem, ſi rogatus infantem promouere ad Baptiſmum, id facere detrectes, quòd nonnihil moleſtum ſit & cum ſolicitudine cõiunctum: non poteris iram & ſuppliciũ diuinũ effugere, ſi tam ſis deſes & ab omni φιλανθρωπία & humanitate alienus, vt tam pium & ſalutare opus ſubterfugias, ea ſola cauſa, quòd aliquid laboris, curæ ac diligentiæ requirat. Si laborẽ detrectas in negocio proximi, quomodò in te manet charitas? Quid profuerint illę Apo-
Rom.15. ſtoli parænеſes? Non debemus nobis placere: Vnuſquiſque noſtrûm pro-
Galat.6. ximo ſuo placeat in bonum, ad ędificationẽ. & iterùm: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Reſtat adhuc de Magiſtratibus ciuilibus dicẽdum, quorum functio ad corporum noſtrorum & rerum externarum defenſionem vtilis eſt & neceſſaria, qui vitam, facultates, liberos, amicos, & quicquid prætereà in terris charum habemus, protegunt, tutantur, & conſeruant. Hi ſunt patres patriæ, Principes, DOMINI, & eorum præfecti, pręſides & iudices, quibus etiam paternum honorẽ debemus vigore huius quarti præcepti, Honora patrem tuũ. Honorandi ſunt ex præſcripto & mãdato Apoſtoli, 1. Pet. 2. Timere quoquè illos debemus, & illis eſſe ſubiecti & ſubditi, 1. Pet. 2. Rom. 13. Tit. 3. Tributa etiã illis & ſubſidia pecuniaria præbere ad regiminis & imperij conſeruationem, Tit. 3. Matt. 22. Militarem itidèm expeditiõem non negare, quotiès res poſtulauerit, ſiue intùs
1.Tim.2. aduerſùs improbos rebelles ſubditos, ſiue foris aduerſùs hoſtes. Itemq́; precari pro illis DEVM, vt eorum conſilia fortunet & confirmet, vt ſub illorum nos tutela ac pręſidio, quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Et hęc omnia non tantùm bonis & modeſtis dominis, ſed etiam dyſcolis debemus, 1. Pet. 2. Et quidem malis & dyſcolis idcircò parẽdum eſt, quòd DEVS ipſe faciat regnare hypocritam propter peccata populi, Iob 34. Nec expedit nos aduerſùs DEI flagella calcitrare & obſtreperos nos prębere, quæ ſola patientia ac humilitate poterimus effugere, 1. Pet. 5. Itaq; hoc ſtatuendum eſt, quicunque poteſtati ac magiſtratui ſuo reſiſtit, qualiſcunq; ille demùm ſit magiſtratus, eum diuinæ ordinationi reſiſtere, & DEI in ſe iudicium prouocare. Quòd ſi eiuſmodi aliquis impunè euadit, vanus ſit oportet & mendax Deus ipſe & verbum illius, Num. 16. Interìm tamen magiſtratus habet ſuos gradus, ſuumq́; ordinẽ, & eſt alius alio ſuperior, do-

nec

nec tandèm DEVS ſit ſupremus omnium. Eatenùs ergò ſubditi parebũt ſuo magiſtratui in omnibus, quatenùs ſuperior & eminẽtior aliquis non imperet diuerſum. Imperator intra limites imperij ſummus eſt poſt Deum magiſtratus in cauſis ciuilibus: atq; illi obedientiam debemus. Verùm ſi quid imperet, quod Deo cõtrarium ſit, iam non Imperatori, ſed Deo tanquàm ſupremo omnium principi parendũ eſt, Act. 5. Hoc enim caſu Chriſtianus dicere poſſit Imperatori: Si tecũ conferar, O imperator, ſubditus tuus ſum: ſed ſi ad DEVM conferamur, vterq; ſubditi ſumus, & Deo obedire tenemur. Quòd ſi tu Deo obtemperare non vis, ego tamẽ illi obtemperabo, & à tuo interim mãdato diſcedã, cùm Deus velut ſublimior magiſtratus, aliud præcipiat. Sic deincèps in cæteris fuerit dicendũ. Proximus ab Imperatore magiſtratus, cuiuſque eſt Princeps ſub quo degit, cuius pręceptis etiam parendum eſt. Atquì ſi Imperator, vtpotè ſuperior magiſtratus, aliud tibi pręcipiat, poſtponenda ſunt Principis placita, & legibus Imperatorijs mos gerendus. Imperator enim & tuus eſt, & principis tui DOMINUS. Potes hîc dicere principi tuo: Tecum quidem, ô princeps, compoſitus, ſubditus ſum: at Imperatori collati, ambo ſubditi ſumus, & obedientiam illi debemus. Si tu deſerto ordine, illi, qui te ſuperior eſt, Imperatori parére recuſas, at mihi nihilo minùs erit parendum, tuaq́ue iuſſa poſthabenda, quãdò Imperator, tanquàm ſublimior magiſtratus, aliud imperat. Nam qualis mihi eſt Imperator Dei cõparatione, talis tu mihi es comparatione Imperatoris, quem Deus tam tibi quàm mihi DOMINUM conſtituit. Huiuſmodi ergò ordo & gradus inter òmnes magiſtratus fuerit obſeruãdus, vt ſummo ac primo omnium principi Deo prima & ſumma præſtetur obedientia: deindè proximo poſt Deum magiſtratui, & ſic deinceps vſq; ad nouiſſimum. Hæc de obedientia dixiſſe ſufficiat.

Nunc è contrario breuiter de Magiſtratûs officio dicendum fuerit, & vt ex verbo & mandato Dei erga ſubditos ſeſe gerere debeat. Atq; ea quidem, quæ ex mandato è verbo DEI facienda ſunt Magiſtratibus, in duobus conſiſtunt, quorum prius eſt, quomodò ſe gerere debeant in ſua functione vel officio, atque hoc præcipuum eſt: alterum, vt vitam, mores, ſtatum & aulæ adminiſtrationem inſtituere & componere oporteat. Nam & hæc aliquid momenti adferunt ad conſeruandum Reipublicę ſtatum, in quo magiſtratus capitis locum obtinet. Officium verò magiſtratûs, in duobus ſitum eſt, vt malitiam, vitia & peccata coërceant, & virtutem & quicquid iuſtum, vtile ac bonum eſt, promoueant. Principiò quilibet Magiſtratus cogitare debebit, quòd quam habet poteſtatem, eam à DOMINO habeat, Roman. XIII. Prouerb. 8.

Porrò Deus non vult nec patitur iniquitatem, Pſal. 5. Idcircò perquàm ſeriò in hoc aduigilabit Magiſtratus, vt bonis legitimiſque ſanctionibus flagitia & peccata omnia prohibeantur & profligentur. Quòd ſi leges & ſanctiones non deterreãt quempiam à maleficijs, & nec Deum, nec magi-

ſtratum reuereatur: erga huiuſmodi incōditum, peruicacem ac præfractum hominem vtendum eſt gladio, idemque ſupplicijs ac tormentis eò adigendus eſt, vt ſit quietus, nec pacis perturbationi, diſcordiæ & flagitijs in Re-
Rom.13. publica anſam præbeat. Et hoc eſt quod dicit Apoſtolus: Si malum feceris, time: non enim ſinè cauſa gladium portat. Deindè tenetur Magiſtratus iuré æquali vti indiſcriminatim erga omnes tam diuites, quàm pauperes, tam in leuibus quàm arduis cauſis & negocijs, nulla habita ratione nec perſonarum nec munerum, nec amicitiæ, nec fauoris. Nanque in ferenda ſententia Magiſtratus non debet ſeruire affectui, nec quenquam amare: hoc eſt, non pro ſua opinione, aut animi vel cordis propēſione, ſed pro Dei voluntate & ſecundùm legitimas ſanctiones & iuris præſcriptum iudicabit. Huius rei multa extant in ſcripturis teſtimonia, Leuit. 19. 16. Deut. 7. 17. Speciatim verò, quandoquidem viduæ & pupilli, pauperes & peregrini, facilè contemnuntur, opprimuntur & fraudantur, Magiſtratus eiuſmodi homines ſibi habebit commendatos, dabitque operam, vt ius ſuum obtineant. Leges præterea & ſanctiones bonas condet, quę ad diſciplinam & vtilitatem ſubditorum vel ciuium ſuorum faciant & conducant, eoſque charos habebit, qui ſe rectè gerunt, &c. Apud ſeſe vel domi ſuæ & in familia gubernanda aulicoque apparatu cauere debet, nè erga ſubditos faſtuoſus, ſuperbus ac tumidus ſit: quin potiùs omnes nos eſſe fratres, & vnius Patris Dei filios. Deniquè inutiles ſuperuacaneoſque vitabit ſumptus, nè plebem non neceſſarijs exactionibus ſupra modum exhauriant, Deut. 17.

CONCIO XXXVI. HABITA
Dominica prima Epiphaniæ, Anno 1543.

VNiuerſus Decalogus, auditores in Chriſto chariſſimi, duabus tabulis compræhenditur, quod & ſuprà admonui, quarum prior erga Deum, poſterior erga proximum nos erudit inſtituitque. Atq; hoc modo decem his pręceptis inſtruimur, qua pręcipuè ratione cùm erga Deum, tum erga proximum nos gerere debeamus, adeoque in veram abſolutamq; ea iuſtitiam nos deducunt ac dirigunt, pulcherrimoq; procedunt ordine, ſi penitiùs aduertamus. Quemadmodùm enim Deo nihil melius eſt, ità nec charius illo quicquam nobis eſſe debet. Hinc ergò tria priora Decalogi mandata de Deo primùm diſcimus, quæ animos noſtros erga DEVM erudiunt ac inſtruunt. Primum eſt, vt Deum corde agnoſcamus, ei confidamus, & ſublimiter de eo ſentiamus. Alterum, vt Deum, quem corde credimus etiam verbis ità contineamus, vt non niſi honorificè & reuerenter de illo loquamur, vel illum nominemus. Tertium, vt quem corde & ore confitemur, externo etiam cultu & cæremonijs colamus, quô Deus in cordibus, verbis & operibus noſtris iuſtum debitumque ſibi honorem & cultum obtineat. A Deo porrò deducimur ad homines, & primò quidem ad eos, qui loco Dei nobis præſunt, qui Dei vices & iuſſa erga nos exequū-
tur:

tur:quibus amorem,honorem,& obedientiam debemus cauſa Dei, cuius erga nos vices gerunt. Inter hos primum locum ſortiũtur parentes:ex quibus corpus & temporariam hanc vitam accepimus, quique ea,quæ ad corporis ſuſtentationem requiruntur,nobis procurant. Alij,ſpiritales ſunt parentes,qui veram Dei agnitionem & fidem per annunciationem verbi DEI nobis quodammodò ingignunt,atque ex filijs Adæ, hæredes & filios Dei per miniſteria Eccleſiaſtica nos efficiunt. Tertiò,huc referuntur Magiſtratus ciuiles, qui corpora & poſſeſſiones noſtras tuentur:leges, ordinem & tranquillitatem publicam conſeruant. De his omnibus hactenùs, quod ad neceſſitatem ſit ſatis, dictũm eſt. Iam ſex alia præcepta tractanda veniunt, quæ ſimpliciter ad proximum nos dirigunt, iuxta nos & nobiſcum in hoc mundo degentem:docentque vti erga illum nos gerere debeamus. HORUM autem ſex præceptorum obſeruatio ex præcedentibus prománat.

Quicunque Deum,& eos,qui à Deo ipſi præfecti ac præpoſiti ſunt,debito amore,honore & obedientia proſequitur,hic citra controuerſiam etiam proximo ſuo ſibi ſimili tribuet quod illius eſt. Qui autem Deo,parentibus & magiſtratui parére recuſat, quàm facilè idem ipſe etiam nocet & lædit proximum ſuum? Quandoquidem qui Deum, parentes & magiſtratus non curat, quid illius intereſt, ſi etiam proximum ſibi ſimilem & parem contemnat? Neque enim aliter fieri poteſt. Nam qui in Deum reus fit peccatum mortiferum perpetrando, is ſeſe à Deo abalienat, cor eius nudum eſt,& omnis diuinæ gratiæ expers ac vacuum,& ipſe Dei maledicto obnoxius viuit, & in poteſtatẽ Satanæ redactus eſt, qui tam cor quàm opera eius dirigit. Quid iam,quæſo,hic aliud poteſt ex ſeipſo,quàm in omne genus flagitiorum præceps corruere,& proximum per omne ſcelus dehoneſtare, fœdare,lædere ac detrimento afficere? Itaque aio ego, quòd quales nos priora præcepta finxerint ac formauerint,tales nos habebunt poſteriora. Si priora nos ad veram charitatem, cultum, reuerẽtiam & obedientiam erga Deum & ſuperiores noſtros permouerũt, facilè ex ſequẽtibus didicerimus, quod æquum & bonũ ſit,in proximum declarare. Sin illa ventis & & auræ commiſimus,nec amorem,timorem,cultum, reuerentiam & obedientiam erga Deum & magiſtratus ex illis animo concepimus,equidem vereor,nè in poſterum quoquè operam & oleum perdamus. Longè tamen meliora de pleriſque veſtrûm mihi promitto, ſperans Deum pro ſua benignitate minimè permiſſurũ, vt hic conatus & labor veſter, quem audiendis eius præceptis impenditis,abſq; fructu pereat. Itaq; ad quintum nunc præceptum noſtra proficiſcatur oratio. Admonui vos paulò ſuperiùs,auditores,ſequẽtia præcepta nos etiã ad homines dirigere,verùm aliter quàm quartũ, quod quidẽ de hominibus quoquè loquitur, ſed illis qui Chriſti vicem ſuſtinẽt, & eius erga nos miniſterium obeũt. Cùm appello Patrem,hominem quidem appello,ſed qui non nihil ſit ſupra hominẽ. Dei enim vice fungitur erga liberos. Si vel ciuilem vel Eccleſiaſticũ præfectum nominẽ,hominẽ vtiquè

 nomi-

nomino, ſed aliquid plus, quàm hominem: Ratione enim officij & adminiſtrationis ſuæ, Deus quodammodò eſt. Atque ità ſanè nobis perſuadere debemus, quales in illũ ſumus, tales nos erga Deum eſſe, Matt. 10. Luc. 10. Pſalm. 81. 2. Paral. 19. At verò quæ deincèps ſequuntur pręcepta, ſimpliciter ad hominem nos dirigunt nobiſcum in corpore manentem, non attento eo, vtrùm aliqua functione prẹditus ſit: omniaq; ea prohibentur his ſequentibus quinque mandatis, quę aliqua ratione proximum lędere poſſint. Vnicuique autem corpus ſuum, vita ſua, chariſſima poſſeſſio eſt. Huic proxima eſt vxor. Tertio loco ſuccedit exiſtimatio & fama. Ad hęc tria bonorum genera ſequens Decalogi pars refertur: Et primò quidem præcipitur, nè proximi corpus lædamus. Secundò, nè torum eius polluamus, aut pudicitiam coniugis eius expugnemus. Tertiò, nè facultates & bona eius temporaria iniquis rationibus captare ſtudeamus. Quartò, nè famam, dignitatémve eius ſuggillemus. Hęc ordine ſingulatìm explicabimus: & primò, quomodò cauendum ſit, nè corpus aut vitam proximi violemus. *De quo ſic habet quintum præceptum.*



QVINTVM PRAECEPTVM:

Non occides.

Inter

INter omnia peccata quibus mundus venit contra præcepta Dei, auditores in Chriſto dilectiſſimi, nullum eſt immanius, nullum ab omni humanitate alienius, quàm homicidium, quod non ſolùm præceptis diuinis, ſed & lege naturali prohibetur. Nihil eñ minùs vult quilibet mortaliũ, quàm vt ſuo in corpore ab alio lædatur: iure igitur nec alium lædere debebit, vel ex ipſius rationis præſcripto. Immò tametſi nullæ forent neq; naturę, neq; Dei leges, clamant tamen omnia humani corporis membra, Non occídes. Cur igitur cędere, ferocire, enecare vis homo? Tamen Deus & natura ipſa ad pacem, minimè verò ad cędendũ & debacchandum te finxit. Ipſum corpus tuum cõtemplare, & in toto illo nihil comperies, quod ad bellum, ſed ad pacem potiùs & tranquillitatem hortetur. Neque enim cornibus armatus es, more taurorum: nec dẽtibus inſtructus ad morſum inſtàr lupi: Non vngulas habes leonis aut vrſi, quibus pugnare & occídere te iuuet: abſtineas igitur à cædibus, nec frena animo permitte calenti. Molles habes manus, & quæ facilè poſſint lędi: itaque quæ pacis ſunt ſectare. Eccè adeò nudum & imbellem te Deus ſecundùm naturam cõdidit, vt iam occídere nequeas, nec ad bellum accingi, nec ad arenã deſcẽdere poſſis, niſi duce Satana aliam porrò [illegible] indueris, & in alium hominem transformeris. Statuamus hominem armis & rebus bellicis inſtructum in palæſtra vel diribitorio, & comperimus, quicquid bellicum eſt, id à Deo ipſi tributum non eſſe. Videbimus galea, thorace & lorica munitum, gladium, lanceã vel tormentum ęneum, ſiue bombardam manu tenẽtem. Ecquid verò hoc monſtri eſt? Non nouit illud DEVS, cùm non ſit ab eo eiuſcemodi animal vnquàm conditum. Thoracem, arma, enſem, bombardas à Deo non habet, nec aliud poſſunt dici, quàm artes & inuenta Diaboli. Ille hanc armaturam confinxit, eaque ſuam cingit & munit familiam, canesque ſanguinarios ad cædem inſtruit & armat.

Homicidium enim eius eſt muneris, quippe qui ab initio fuit homicida, vt eſt apud Iohan. 8. cap. Nunc ergò intelligitis, quàm horrendum, ferũ, inhumanum, naturæque & rationi contrarium ſit homicidium, à quo etiamſi nulla contra illud eſſet promulgata lex Dei, tamen vel ſola nos natura retrahere deberet. Porrò ſi audire quoquè libeat, quàm impiũ nefariumq; ſcelus ſit homicidium, & quàm homicidas omnes Deus oderit, ſcripta diuina ſcrutemur, obſeruemusque verba illa iracũdiæ plena, quibus illic Deus vtitur aduersùs ſanguinarios homines: horrendá quoquè & grauiſſima ſupplicia, quibus Deus id genus ſanguinarios canes vult affici, ac demùm prius extingui. Gen. 4. dicit ſcriptura, vt & vox ſanguinis effuſi clamet in cælum: quod eſt, Deum nullam eis permittere requiem, nec poſſe illũ obliuiſci homicidij, donec vltus ſit homicidas. Multis p̃tereà alijs in locis mirè inuehitur in eos Deus, quorum pedes veloces ſunt ad effundendũ ſanguinem, & quorum manus ſanguine ſunt plenæ, Eſai. 1. Prouerb. 19.

Quibus autem ſupplicijs Deus affici velit homicidas, manifeſtum eſt ex

ſcri-

ſcripturis diuinis, Gen. 4. Maledictus eris (inquit Dominus ad Cain) ſuper terram, quę aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Et hęc maledictio etiamnùm homicidis omnibus inhæret. Nam quibuſdam intemperijs & conſcientię perplexitatibus exagitantur: efficiunturq́; ab omni humanitate alieni, in quorum pectoribus mali dęmones habitãtes, non ſinunt eos eſſe quietos.

Nec his contentus Deus: vult etiam gladio in illos animaduerti, & capitali ſupplicio ab hominibus affici. Gen. 9. Quicunq; effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe DEI factus eſt homo, Leuit. 19. 24. Deut. 5. Hoc DEI iudicium hodieque in mundo vt plurimùm ſuum robur obtinet. Nam perrarò euenire ſolet, vt ſanguinarij illi canes homicidæ, non etiam miſerum, horrendum atque calamitoſum ſortiantur exitum. Quæ autem illos ſupremi iudicis ęterna maneat ſententia, equidem cęleſti & iuſto ipſius Dei iudicio committo. Metuendum profectò eſt, admodùm difficulter homicidium apud Deum expiatum iri, cùm eas omnes conditiones habeat, quę cor hominis longiſſimè à Deo abducunt. Præſertim verò de illis, qui cędibus & homicidijs vſqueadeò aſſueuerunt, qui hominem non pluris quàm canem faciunt, qui non verentur abſque vlla neceſſitate bella ciere, totq́ue cædes & humani ſanguinis profuſiõem procurare: de illis, inquam, dicere compellor, vereri me, illos ęgrè admodùm, immò nunquàm, ſaluos eſſe futuros. Et hactenùs quidem didiciſtis, homicidium ab omni humanitate abhorrere, & eſſe crimẽ planè impium: quantò igitur ab omni Chriſtiana pietate eſt remotius? Expendite id quęſo, auditores optimi, & ex vobiſipſis percõtamini, quidnam in Chriſtiana religione præcipuum ſit. Videbitis nimirùm, id eſſe charitatem & concordiam.

Quotquot Chriſtianam fidem profitemur, non homines ſolùm inter nos ſumus, ſed & fratres: & quocunquè vel oculos vel mentem conuertamus ad ea, quæ ſunt ſacroſanctæ & Chriſtianæ religionis noſtræ, ea omnia dirigunt nos ad amorem eorum, qui vnius nobiſcum ſunt religionis, hortanturq́; ad concordiam. Si memoria repetamus, vt Chriſtiani facti ſimus, comperiemus vno eodemq́ue Baptiſmo nos omnes eſſe renatos, & à peccatis ablutos, in illoq́ue omnes nos exuiſſe veterem hominem, & nouum induiſſe, atque ità pariter filios DEI & inter nos fratres effectos eſſe. Si porrò expendamus illa, quę nos in Chriſtiana religione conſeruant, manifeſtum euadet, iiſdem nos omes vti ſacramẽtis in Eccleſia, de vno pane nos omes participare &c. omnes vnam fidem, vnumq́ue Deum habere. Deniquè ſi futura contemplemur, omnes vnam eandemq́; expectamus hæreditatem: vnus eſt pater omniũ & vnus DEVS, ad quem omnes in vnum illius regnũ & eãdem beatitudinem perueniemus. Quid ergò tales fratres, quibus mutuæ pacis & concordię tot cauſæ & rationes ſuppetunt, ad mutuam diſſenſionem excitare debet? Quęramus vlteriùs quàm grauiter Dominus DEVS,

&

& ſalutis noſtrę aſſertor Chriſtus Ieſus, concordiam & charitatem nobis mandârit ac præceperit, & inueniemus eum hoc ſuum mandatum appellare. Hoc eſt, inquit, mãdatum meum, vt diligatis inuicèm, ſicut dilexi vos. Ioan. 15.
Et Iohan. 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, &c. Et iterùm: In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicèm, &c. Hîc iam è regione opponamus homicidiũ, & perſpicuò videbimus, nullum ſcelus, nullũ peccatum in terris religioni Chriſtianę adeò prorſus eſſe contrarium. Ioan. 13. Ibid.

Homicidium enĩ charitatem omni ex parte labefactat in homine. Nullus eſt angulus, nulla latebra, nullum in toto homine membrum, vndè homicidium non pertentet & profliget penitùs fraternã charitatem. Vbi ergò charitas illa prorſus extinguitur, ibi nec ſcintilla quidem remanet Chriſtianę pietatis: ibi iam nihil eſt aliud, quàm regnum & ſpiritus ſatanæ: nihil niſi infernus ac damnatio. Qua autem ratione homicidium charitatem in toto homine diſsipet ac diſperdat, quiuis facilè poteſt animaduertere. Principiò cor hominis inuadit. Ante cædem enim efferueſcit cor ira, odio & vlciſcendi libidine, penitusq́; exacerbatur, nihilq́; iam meditatur aliud, quàm nocere & lædere: nec vllis rebus patitur ſe placari & conciliari. Lingua porrò laxatis habenis prorumpit, conuicijs, maledictis, contumelijs proſcindit tum Deum, tum ſeipſum, tum aduerſarium. Deniquè membra omnia tartareo complentur ſpiritu: & proculdubiò author ille & parens homicidij totum priùs occupat animum & cor hominis, membraq́; corporis vniuerſa, donec tandèm eò manũ eius impellat, vt proximo vitam eripiat, quam nec dedit, nec vnquàm reddere poteſt. Ex his omnibus manifeſtum euadit, quàm immane, horrendum, inhumanum, impium & nefarium ſcelus ſit homicidium. Qui ergò vel humano ſaltem animo præditus eſt, homicidium haud ſecùs atquè omnium maximè abominabile facinus auerſabitur ac deuitabit: multo autem magis is, in cuius pectore ineſt Dei timor, quiq́ue vel ſcintillam habet Chriſtiani ſpiritûs, longè lateq́ue ab omni homicidio diſcedet.

CONCIO XXXVII. HABITA

Dominica ſecunda Epiphaniæ, Anno 1543.

SVperiori Concione, auditores in Chriſto chariſsimi, quinti pręcepti explicationẽ, Deo auſpice aggreſsi ſumus, atq; inhumaniſsimi & impijſsimi ſceleris, nempe homicidij, quod hoc quinto præcepto prohibetur, immanitatem audiuimus: vt qui hominẽ ſe agnoſcit, & nihil humani à ſe alienum exiſtimat, ipſo naturę ductu ab homicidio abhorreſcat. Longè verò magis, qui Deum timet, & vel ſcintillulam Chriſtiani ſpiritûs habet in pectore, homicidium velut rem maximè abominandum fugiat. Nunc porrò ſummè neceſſarium fuerit, vt vulgares homines diligenter & accuratè edoceantur, quid ſit homicidium, & quid Deus homicidij loco & habeat,

habeat, & puniat, vt nè quis inſciens & ignorans, animam ſuam hoc tam immani flagitio contaminet & condemnet. Porrò hîc non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes ambulare nos oportet, & vt intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Nam ſi quis perſuaſum habeat, nullùm eſſe apud Deum homicidij genus aliud, quàm quod manu & opere perpetratur, is errat periculoſe & ſibijpſi imponit.

Ephe.5.

Quamobrē hac concione principiò docebimus, quid ſit homicidium: & vt ſimpliciores ſingula clariùs intelligāt, deindè ipſa etiam opera ſeu exempla indicabimus, quibus homicidium coram Deo cōmittitur: vt hac ratione ſimpliciores quiq; animas ſuas, diuinę gratię freti ope & auxilio, conſeruare nôrint. Prępotens Deus omni ex parte noſtrū dignetur colluſtrare intellectum, & dirigere in ſacroſanctū verbum ſuū, vt pſpiciamus quid rectum & acceptū ſit coram ipſo: atq; etiā ſancto, locuplete & fortiſsimo ſpiritu ſuo nos cōfirmare, vt quod iuſtum & gratū eſt in oculis eius, id ſemper exequi & efficere queamus, freti gratia & miſericordia Chriſti Dñi noſtri.

In hoc quinto præcepto, Auditores optimi, ſpeciatìm admonendi eſtis eius, quod Apoſtolus de omni lege Diuina teſtatur, dicens legem eſſe ſpiritualem: Hoc eſt, pręcepta om̄ia, quę Deus ac Dominus noſter ſua lege complexus eſt & compręhendit, illa ſpiritū requirunt: vt non ſolùm foris actione & opere, verumetiam intrinſecùs in ſpiritu, mente, corde & voluntate ea obſeruemus. Neque mirum videri debet, quòd ſpiritum, mentem, corda & voluntatem noſtram ad pręceptorum ſuorum obſeruationē adſtringat Deus, non ſecùs àc ipſum corpus. Omnia em̄ Dei ſunt, quæcunq; nos habemus, tam ſpiritus & cor, quàm corpus. Vtrunq; Deus creauit, tam internum ſpiritū, quàm corpus externum. Vtrunq; eius eſt opificiū & creatura. Iuſtum ergò eſt, vt vtraq; Dñi & creatoris ſui voluntatem obſeruent: nanq; & vtriq; Deus operum ſuorū reddet mercedem ad tribunal Chriſti: Tunc em̄ corpus & ſpiritus ſimul vel in gaudia regni Dei recipientur, vel in ignem illum inextinguibilē pręcipitabuntur, quēadmodùm luculenter hoc expreſsit Chriſtus, Matt.10. his verbis: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam aūt non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animā & corpus perdere in gehennam. Nulla ibì erit vel in mercede vel in pœna ſeparatio: ſed quę corpori, eadē quoquè animę & ſpiritui ſunt euentura. Simili modo nullum eſt diſcrimen operum coram Deo, ſiue animo, ſiue corpore perficiantur. Qui manu interimit proximum, cōmittit in legem Diuinam. Deus em̄ hunc in finem manus hominis cōdidit, non vt occidant, ſed vt ijs Deum colat, eiusq; mandata ſeruet, dicentis ad hominē: Non occides. Iam ſi cor, animus, ſpiritus & voluntas hominis in necem conſentiant, æquè peccatur in legem Diuinam, nec minùs homicidiū perpetratur coram Deo, quàm ſi manu vel corpore cædes fiat. Creauit enim Deus animum, cor & ſpiritū hominis, vt ijs creatorem ſuum colat, & mandata eius obſeruet, dicentis: Non occides: Hoc eſt, tu totus & integer homo,

Rom.7.
Gen. 2.
Sap.13.
1. Cor.15.
Exod.20.

non

non occides, neque corde, animo, aut voluntate, neque manu. Pronomen enim, Tu, quod hîc ſubintelligitur, nō ſolùm ad manum, ſed & ad corpus, ſpiritum, cor, voluntatē, linguam, & quicquid in te eſt, refertur. His omnibus dictum eſt, Non occides: Tametſi quidem iudicio humano non tam videtur immane facinus, ſi quis proximum corde oderit, & mortem ac infortunium ei imprecetur, quàm ſi mortem aut aduerſi aliquid manu inferat. Habemus enim & intellectum & oculos, ſed tales, qui non tam cernāt acutùm, vt volūtatem hominis perſpicere queant, & peccatum cognoſcere, quod corde & volūtate committitur. Sed num propterea exiſtimas Deum quoque inſtar hominis videre & iudicare? Quanuis horrendū homicidium in corde alterius tu neque cernere, neque æſtimare queas: at Deus illud videre poteſt, quippe qui hominis etiam intima quæq; conſpicit, ſcrutaturque corda & renes, & nouit abſcōdita cordis. Ille non minùs abominatur ſpiritûs & volūtatis, quàm corporis peccata: immò verò peccata voluntatis interna, grauiora ſunt apud Deum, quàm quæ corpore & externo opere fiunt. Nanque peccata animi & voluntatis, peccatis corporis præbēt occaſionem: ſuntque velut fons & origo quædam, vndè omnia corporalia & exitialia peccata proficiſcuntur. Niſi enim primò voluntas improbam ſe præberet erga Dei legem, paruo negocio corpus à peccato purum & incontaminatum ſeruare poſſemus. Atquì in corde, ſpiritu & voluntate primùm exiſtit & oritur peccatum: deindè ex corde in opus procedit. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta &c. Et hæc eſt plenitudo illa, quam Chriſtus legi addidit, ſicut ipſe dicit: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Et quî id tandèm? Lex Moſaica exigebat, vt corpore tantùm legis ipſius præcepta obſeruarentur, quæ fuit dimidiata & ſemiplena obedientia. Chriſtus autem docuit, debere nos etiam ſpiritu, animo, corde & voluntate præcepta diuina obſeruare: & hoc verè eſt adimplere legem. Atque iſthuc iam homini Chriſtiano ad plurima deſeruit, vt ſciat Deum non minùs acriter ſpiritûs & volūtatis, quàm actualia corporis peccata puniturū. Lex enim ſpiritualis eſt, inquit Apoſtolus.

Pſal.7. Pſal.43. Matth.15. Matth.5. Rom.7.

Ex his iam ſatis patet, non ſolùm illud homicidiū & eſſe, & appellari, quod reipſa manu perficitur: ſed etiam ſpiritu, corde & volūtate poſſe homicidiū perpetrari. Id quod nec ab vllo rectiùs didicerimus, nec vlli tutiùs crediderimus, quàm Chriſto Domino: qui huius quinti præcepti luculentam adfert explicationem, docetque quis verè dicatur homicida. Homicidium in corde oritur, quandò quis ea indignatione in proximum efferueſcit, vt ſe de illo cupiat vlciſci, modò poſſet, & adeſſet facultas. De hoc loquitur Chriſtus: Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. 1. Iohan. 3. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

Matth.5.

Si ergò eſt homicida coram Deo, qui proximum odit, eique iraſcitur, quàm grauiter peccant illi, ô bone Deus, qui conceptum odium diù ſuo ex animo deponere nolunt? O admirādam miſeriam. Quicunq; ille es, qui

odio & liuore tabeſcis, te quiſquis intuetur, ſemper homicidam & Dei inimicum adſpicit. Et ſi vno die vel milliès te conſpiciat, totiès homicidij reũ te comperit. Qui enim proximũ odit, perpetuus eſt homicida & latro coram Deo, eiusq́; peccatum ne momento quidem ſilet & intermittitur coram Deo. Hæc verò de illis dixiſſe nolim, qui proximum, quem oderunt, verbis & factis nunquàm non lædunt: ij enim manifeſtè & re ipſa ſunt latrones ac homicidæ. De illis loquor, qui proximo iraſcuntur, & odium ac liuorem ſuo in pectore gerunt erga illum.

II. Secundum homicidij genus eſt, cùm ira geſtibus & verbis aſperis declaratur: quod eſt peius homicidium illo, quo liuor & odiũ in corde quidem ſeruatur, ſed comprimitur tamen. De hoc inquit Chriſtus: Qui dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio.

Matt.5.

III. Tertium homicidium, quod duobus prioribus etiam peius eſt, tum cõmittitur, cùm odium & inuidẽtia palàm erumpit in conuicia & contumelias, quibus proximi fama & exiſtimatio læditur, & quadam afficitur ignominia. Hoc Chriſtus ſignificare voluit, vbi ait: Qui dixerit fratri ſuo, Racha, vel fatue, reus erit gehennæ ignis. Quod tamen hoc moderamine eſt accipiendum, vt iraſci & aſperis verbis culpare aliquem, eatenùs peccatum eſſe cenſeatur, quatenùs malo fit animo, & ex vlciſcendi & proximum lædendi libidine proficiſcitur. Nanque alioquì ſinè peccato quandoquè poſſumus iraſci, repræhendere ac obiurgare, ſi alterius commodum, emendationem & meliorem frugem ſpectemus. Pater enim filium, Magiſter diſcipulum, concionator populum rectè obiurgat.

Poſt tria hęc homicidij genera illud omnium immaniſſimum eſt, quod re ipſa manu committitur: quanquàm didiciſtis ex ſupradictis, illud ſolùm appellatione homicidij non contineri, ſed id quoquè & eſſe & dici homicidium, nec alio quàm homicidij loco haberi apud Deum, quandò proximo quis iraſcitur, eum odio proſequitur, erga illum ſæuus eſt & immiſericors ac immitis & aſper. Et vt rem in pauca cõferam, id omne homicidium appellatur, & Chriſtianis interdicitur, quicquid actuali, vt ità dicam, homicidio præbere poteſt occaſiõem. Porrò eius hìc meminiſſe debebitis, quod ſæpiùs iam admonuimus, vbì Deus iniquũ aliquid vetat, ſimul illum quod æquum & iuſtum ſit, imperare & exigere. Itaque vbì nobis Chriſtianis dicitur, Non occides: ſimul pcipitur, vt beneuolos ac benignos nos inuicèm præbeamus. Diligite, inquit Chriſtus, inimicos veſtros, benefacite his qui

Matth.5. oderunt vos. Itemq́; vt pacis & cõcordiæ ſtudioſi ſimus. Beati pacifici, quo-

Ibidèm. niã filij Dei vocabũtur. Et iterùm: Si offers mun⁹ tuũ ad altare, & ibì recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſũm te: relinque ibì munus tuũ ante altare, & vade, priùs recõciliare fratri tuo: & tũc veniens, offer munus tuum. Prętereà, vt pacẽ cum omĩbus habeamus, quantùm quidẽ in nobis eſt, Rom. 12. Matt. 5. Vt ſimus patiẽtes, nec vindictę cupidi. Rom. 12.

1.Pet.3. Non reddẽtes malũ pro malo, nec maledictũ pro maledicto: ſed è cõtrario bene-

benedicentes ac beneprecantes ex animo inimicis noſtris, & quoàd eius fieri poſſit, illis gratificantes ac benignè faciẽtes. Breuiter omni ſtudio operam demus illis omnibus, quæ pacem & mutuam charitatem ac beneuolẽtiam conciliant, vouent & conſeruant: Quæ autem diſſidia & contentiones pariunt, illa prætermittamus ac fugiamus.

Nunc porrò recenſere incipiemus modos, quibus homicidium committitur: nec opùs eſt magiſtratus hinc excipere, cùm nemo ſit neſcius, Magiſtratũ ex Iuris pręſcripto in maleficos animaduertentẽ, non eſſe homicidio obnoxiũ. Hic enĩ lex ipſa & Ius ſontes interimit, nõ quiſquã mortaliũ.

Primò igitur homicidæ ſunt, qui manu hominẽ re ipſa occídunt: quos vult Deus ſinè vlla miſericordia extremo ſupplicio puniri. Si quis per induſtriam occíderit proximum ſuum, & per inſidias: ab altari meo auelles eum, vt moriatur, Exod. 21. I.

Secundò, qui mendacijs & calumnijs proximo necis ſunt cauſa, mortemque illi conciliant. Quàm verò frequens eſt iſthuc? Quid, quęſo, diſcriminis eſt inter eum, qui gladio interficit, & te qui per calumnias & mendacia alteri mortis es author & occaſio? Et ille nanque mortuus eſt, quem lingua occídis. Pſal. 59. Lingua eorum gladius acutus. Et Pſal. 51. Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum. II.

Tertiò, qui dum poſſunt, de vita periclitantibus non ſuccurrunt. Illi enim coram Deo mortis eorum culpam ſuſtinent. Si in eodem oppido, cuius tu incola es, pauper aliquis ea de cauſa moriatur, quòd non habeat, qui ſuî curam gerat: tu qui locuples es, voca ad calculos & expende facultates tuas: ſi tam proſpectum erat tibi, vt haberes quod ad conſeruãdam illius vitam requirebatur, certè immunis non es à ſanguine eius, ſed vitam illi ſuam præripuiſti, & per auaritiam eum enecâſti. Quo enim vitam ille conſeruare potuiſſet, id tu ciſtis & capſis tuis incluſiſti: quamobrem ſanguinem eius de manu tua requiret Deus. Eccle. 34. Panis egẽtium vita pauperis eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Eodem modo alterius mortis rei fiunt, qui cùm cernant & perſpectum habeant quempiam contra ius fasq; & citra meritum duci ad mortem, non liberant eum pro viribus, Prou. 24. III.

Quartò, qui occidẽdi iam habent propoſitum & voluntatem, faciuntq; quicquid poſſunt vt cædem perficiant, tametſi conatum ſucceſſus non ſequatur, vtì ipſi ſperârant. Venefici & incantatores, qui conantur artibus magicis hominem enecare, etiamſi non ſuccedat, ſunt homicidæ, & vt homicidij rei poſſunt iudicari. IIII.

Quintò, qui alios ad homicidium prouocant & inſtigant, & in mutua odia irritant, vndè porrò cædes & homicidium conſequitur. Itaque immaniſſimi omnium quos orbis habeat, homicidæ ſunt principes, qui abſque neceſſitate bella mouent, vt ſuæ libidini & faſtui morem gerant, non iuſtitiæ & pacis publicæ propugnandæ ac aſſerendæ cauſa: immò verò contra omne ius fasque & Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem, qui tot ſunt V.

cædium & homicidiorum rei, quot in bellis ab eis ſuſceptis occumbunt. O cædes innumeras, ô horrenda latrocinia, ô clamorē ſanguinis illius, qui noctes ac dies aures DIVINAS appellat, & ipſi terrę vindictā imprecatur, quę tam ſanguinarios canes ferat, Geneſ. 4.

VI. Sextò, ſuprà diximus Magiſtratum in hoc præceptum non committere, ſed illa conditione adiecta, quandò ex iuſtitię & legis præſcripto in ſontes animaduertunt. Vbi autem iudices iuſtitiam poſtponunt, & ſub prætextu functionis ſuæ ſuis affectibus & libidini indulgent, & odio ac inuidia ad cædem extimulantur, iam tum vt homines agunt, & non vt miniſtri Dei: homicidiumq́; cōmittunt erga miſerum illum, in quem ex ira & odio vel liuore ferunt mortis ſententiam, non ſecùs àc illi, qui proximum occidunt. Et hoc loco nebulones illos excuſare non poſſum, qui ex pigritia & libidine in lictorum & carnificum miniſteria ſeſe ingerunt, eaq́; ſola cauſa maleficos interficiunt, vt ocium agendo nūmos ſibi conquirant, quos deindè pari turpitudine & leuitate prodigunt. Hos nemo rectiùs, quàm latrones & homicidas appellauerit. Nam etiamſi quis ratione iuſtitiæ mortem cōmeritus ſit, tua tamen voluntas iniqua eſt, nec vlla tibi honeſta ſuppetit ratio, quę te adducat ad illum occidendum.

VII. Septimò, & illi homicidæ ſunt, qui ſibijpſis manus inferunt, quâcunq́; tandèm id fiat ratione. QVI tamen ex ęgritudine aliqua mente capti, necem ſibi inſcientes adferunt, ab homicidio excuſantur. Illi verò qui ſe vel alios ſcientes potando interimunt, nulla ratione ſunt excuſabiles.

CONCIO XXXVIII. HABITA
Dominica tertia Epiphaniæ, Anno 1543.

IN explicatione DECALOGI, auditores chariſſimi, ſæpenumerò vos admonui, ſæpiusq́ue de eo diſſerere & admonere vos libet, quàm varijs modis Deus ſummum ardentiſſimumq́ue amorem ſuum erga hominem declaret hoc ipſo, quòd corpus, facultates, famam & quicquid is charum habet, tam fideliter ac diligenter ab omni incōmodo, dolore, ac detrimento protegit ac defendit ſanctiſſimis præceptis ſuis. Longè nanq́; plura præcepta propoſuit, quibus proſperitatem & ſalutem noſtram, atq́; noſipſos tueatur, quàm quibus gloriam & honorem ſuum à nobis exigat. Diues & aſſiduus eſt Deus ſuo erga nos amore. Principiò corpus creat, illudq́ue deindè inſtruit ſpiritu & anima vitali: nec habet vllum homo carius aut precioſius bonum & κυρίως corpore & vita. Neque verò Deus hîc ſuæ bonitati & amori finem facit, non putans eſſe ſatis, corpus & vitam dediſſe nobis: ſed & protegit, tutatur ac manu tenet eadē contra aduerſarios noſtros, prohibens nè alter alterum occidat. Immò vſqueadeò aliorum ab alijs illæſam vult eſſe vitam & corpus, vt perpetuo gehennæ incendio mulctaturus ſit illos, qui vel corde & cogitatione tantùm meditantur proximo vitam eripere, aut læſionem inferre.

Deindè

Deindè largitur homini Deus, quicquid ad commodam vitæ ſuſtentationem pertinet. Inter omnia autem, quæ ad vitam ſuſtentandam habere & vſurpare poſsit, nihil eſt præſtantius, nihil homini propinquius, nihil charius, quàm vnicuique ſua coniunx, quam Deus ei pro ſancta voluntate ſua aſſociat, quę cum marito vnum corpus & vna caro effecta eſt, quę vitæ & fortunę tam proſperę quàm aduerſæ, gaudij & mœroris, tranquillitatis & miſerię ſocia & particeps, omnia cum marito habet communia vſq; ad extremum vitæ. Hic ergò rurſus ſuum erga hominem amorem & ſolicitudinem declarat Deus, præceptum inſtituens, quo vniuſcuiuſque vxorem ab aliena iniuria & contumelia tutam, illęſam & incontaminatam conſeruat: quod quidem ordine ſextum, his verbis continetur:

SEXTVM PRAECEPTVM:

Non mœchaberis.



HOC eſt, proximum in vxore ipſius, à Deo ipſi deſtinata, non violabis, lædes, aut dedecore ignominiáve afficies. Atque hîc ſciẽdum eſt, Deum non ſolùm adulterium & impuritatem illam, quæ cum aliena coniuge committitur, ſed omnem immunditiem, præcipuè tamen adulterium, hoc præcepto prohibere, de quo paulò fuſiùs ſub finem huius

præcepti dicemus. Confirmat etiam grauiſſimè multis ſcripturarum locis hanc ſuam legem ſiue præceptum, acerrima ſupplicia comminans omnibus adulteris & impudicis, quibus hîc quidem temporaliter, illic autem in perpetuũ eos excruciabit & perdet: quemadmodùm & temporariam pœnam plurimis horribiliter ſępè irrogauit. Et hęc quidem pœna, qua in hoc ſeculo mulctantur adulteri & impudici, terribiliter nobis ob oculos ponitur in ſcripturis diuinis, cùm Deus pœnitudine quadam ductus creati generis humani, vniuerſos diluuio abſorpſit & perdidit: cuius primam atque
Gene.6 & 7. potiſſimam cauſam commemorat ſcriptura, quòd omnis caro corrupiſſet viam ſuam ſuper terram, & fœda immundities apud homines in immenſum penè excreuerat. Quòd itidèm ſuper Sodomam & aliquot circuniacentes
Gen.19. ciuitates pluit Dominus ignem & ſulfur, cauſa præcipua fuit, quòd adulterijs & ſpurciſſimæ libidini turpiſſimè indulſiſſent. Ob hæc eadem flagitia vigintiquinque millia hominum ex tribu Beniamin vno die deleta ſunt, Iud.20. Eodem modo cùm populus Iſraeliticus fornicaretur cum mulieribus Moabitarum, Deus iratus, furore & amentia eos percuſſit, ita
Num.25. vt ipſi ſeſe perderent vſque ad vigintiquatuor millia. Hoc tam horrendum exemplum Apoſtolus omnibus Chriſtianis loco præmonitionis ob oculos ſtatuit, inquiens: Hæc in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupièrunt, 1. Cor.10. nè in nos quoquè Deus itidèm atquè in illos animaduertat.

Qua autem ſententia æterni iudicij ſui Deus condemnaturus ſit adulteros & impudicos, nequaquàm celant ſcripturæ diuinæ. Apud Malachiam ipſe Deus dicit ſe proprio ſuo teſtimonio adulteros condemnaturum. Ac-
Mala.3. cedam, inquit, ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me. Item Hebre.13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Diuinus ille Paulus, qui vtiquè certò ſpiritum Dei habuit, multis locis teſtatur omnes impudicos & adulteros regnũ Dei non poſſeſſuros, nec ęternam hęreditatem conſecuturos,
Cur malũ adulteriũ. niſi à peccatis ſuis reſipiſcant, 1. Cor.6. Epheſ.5. Gal.5. Facilè autem cauſam ipſi aduertere poſſemus, quamobrem Deus immunditiem, & præſertìm adulterium, tam atrocibus & ſeueris ſupplicijs ſit vindicaturus: facilè, inquam, nôſſe poſſemus, Deum optimo iure, afflictionibus, indignatione & ſupplicio in eos animaduertere, qui præceptum hoc tranſgrediuntur, quod habet, Non mœchaberis.

I. Principiò, Deus fraternum amorem inter nos, & quidem pręomnibus ac præcipuè ſummoque ſtudio vult obſeruari. Meritòne igitur puniet adulterium, quod charitati proximi tantoperè aduerſatur? Quid frugi marito moleſtius aut inuiſum magis euenire poteſt, quàm ſi vxorem violatam intelligat, quæ vnum cum ipſo corpus facta eſt? ſi, inquam, hęc à marito auerſa, in alienum amorem pelliciatur, quam illi Deus ſociam & auxiliatricem

attri-

attribuit ad leuandas vitæ moleſtias, ſiue in ſolatium vitæ huius? Eodem modo quid triſtius frugi vxori accidere poteſt, quàm ſi maritum alienis & ignominioſis amoribus dementari cognoſcat, qui ipſi à Deo peculiariter attributus eſt, quique vitæ ipſius quoddam adiutorium & ſolatium, atque etiam caput ipſius eſſe debeat?

Deindè cùm Deus coniugij author ſit & inſtitutor, & coniuges conſociet & coniungat, iuſtámne habiturus eſt occaſionẽ & authoritatem perdendi adulterum, qui diuinam ordinationem non veretur conuellere, ac diſſoluere & ſeparare quod Deus coniunxit? Quod quidem diligenter circa adulterium expendendum foret. Nimirùm violatur per hoc flagitium ordinatio diuina: & tametſi occultum maneat & lateat mortales omnes, nihilominùs à Deo vindicabit ac punietur. Nec idcircò ſecuriores ſint adulteri, quòd in obſcuris latebris non conſpiciantur ab hominibus, quod ſegnis & negligens ſit maritus, cui facilè imponatur. Deus ille eſt, qui vxorem & maritum in vnum corpus coniunxit & copulauit: ille hanc temeritatem proculdubiò ęterni ignis incendio puniturus eſt, quòd audeas ſeparare & diſtrahere quod ille coniunxit. II. Gen. 1. Ephe. 4.

Poſtremò etiam hinc nefaria adulterij iniquitas facilè eluceſcit, quòd neq; maritus, neq; vxor corporis ſui poteſtatem habent, ſed eam inuicèm alter in alterius poteſtatem tradiderunt ex præſcripto Dei, 1. Corinth. 7.

Iam porrò coram Deo iniuſtum eſt, vt corpus cuius quis poteſtatẽ non habet, cum alterius iniuria, alienæ libidini, turpitudini & amori ſubijciat. Atque hæc iniuſtitia grauiter à Deo vindicabitur, quocunq; demùm loco ab hominibus habeatur. Huc & illud referendum eſt, quòd omnes nos non ſumus noſtri, quòd corpora noſtra non ſunt iuris noſtri: ſed Dominus & Deus noſter Chriſtus illa nobis creauit, ac deindè etiam ſanguine ſuo mercatus eſt & redemit. Quamobrem minimè decet nos corporibus noſtris ad noſtram libidinem abuti: ſed illis ipſis ad eius honorem ſeruire debemus, qui tantum pro illis precium dependit, atque adeò proprio ſanguine ſuo mercatus eſt. Præter iam dicta quàm atroces & contumelioſæ in proximi dilectionem iniuriæ inuehantur per adulteria, non eſt difficile æſtimatu. Non ignotum eſt, quæ moleſtiæ, quę curæ, qui angores, qui labores, ſumptus, impendia conferenda ſint ſingulis parentibus in liberos ſuos, donec veniant ad maturam ætatem. 1. Cor. 6.

Quanta igitur, quamq; probroſa iniuria vel hoc nomine queat inferri proximo per adulterium, id ego cuilibet expendendũ relinquens, ità planè ſtatuo, ſecundùm homicidium, nullum adulterio execrabilius, flagitioſius & contumelioſius peccatum in terris cõmitti poſſe: adeò vt penè affirmare non dubitem, illos populos opinionis & ſententię ſuę probabilem cauſam habuiſſe, qui adulterium homicidio flagitioſius putárunt. Nam ſi circunſtantias omnes rectè conſideremus, longè magis lædi charitatẽ proximi, plusq; tædij, mœroris & luctûs inferri proximo, eidemq; maiorẽ ignomini- Matth. 5.

miniam, iniuriam & contumeliam inuri per adulterium, quàm per homicidium, liquidò comperiemus.

Hæc de immanitate adulterij in præſentiarùm dicta ſufficere exiſtimo. Nunc eundem, quem in quinto præcepto obſeruauimus, ordinem perſequemur, quem Chriſtus nos docet, vt intelligamus, quid ſit adulterium, & quid coram Deo adulterij loco & habeatur, & puniatur. Quod quidem omnibus Chriſtianis diligenter animaduertẽdum eſt, nè quiſquam ignorans animam ſuam perdat. Nam ſi non rectiùs nos hoc præceptum intelligere, nec maiorem circa illud obedientiam & iuſtitiam, quàm olim Iudæi, declarare ac præſtare velimus, certum eſt, nos in regnum cælorum neutiquàm intraturos. Illorum enim ſcribæ & Phariſæi hoc mandatum ſic intelligebant, quòd nihil hîc præter actuale (vt ſic dicam) adulterium prohiberetur. Qui verò cogitationibus & concupiſcentia flagraret erga alienam vxorem, tametſi illicitam & indecentem animi libidinem interim ſignis & geſtibus declaraſſet, quãdiù tamen ipſe actus ſubſecutus non eſſet, hunc ab adulterio immunem pronunciabant, ſentiebantque minimè obnoxium legi, quæ habet: Non mœchaberis. Hæc erat Phariſaica iuſtitia, quæ externam ſolùm ſpeciem habebat, & dimidiatam prorſuſque mancam Deo pręſtabat obedientiam, vbi corpus duntaxat in officio continebatur: internus verò homo ſpiritu, animo, corde, voluntate contra pręcepta Dei ſumma inobedientia ſęuiebat. Alius verò legis interpres & Doctor ad nos è cęlis deſcendit Chriſtus Ieſus, æterna Dei patris ſapientia, docens Dei legem eſſe ſpiritualem, quemadmodùm Paulus inquit: hoc eſt, omnia Dei pręcepta ſpiritum quendã ab homine depoſcere, & non ſolùm extrinſecùs opere, ſed & intrinſecùs ſpiritu, animo, corde, cogitatione & voluntate ea eſſe adimplenda. Quamobrem ſciendum, ſentiendum, credendum eſt, coram Deo inter adulteria numerari, & tanquàm adulteria puniri omnia illa, quæ animũ hominis ad adulteria pelliciunt & extimulãt: pręſertim autẽ cordis improbã voluntatẽ, prauamq; & impurã libidinẽ ac concupiſcentiam, qua quis alterius vxorem concupiſcit. Hoc enim manifeſtis verbis ipſe Chriſtus teſtatur apud Euangeliſtam: Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierẽ ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Ex quibus licet animaduerti, ſi præcepto Dei veram obedientiam præſtare velimus, nec in adulterium prolabi: neceſſum eſſe primùm, vt corda noſtra in bona cuſtodia ſeruemus, iuxta illud: Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Si quis enim tantiſpèr oculos conſcelerare velit, & locũ tentationi præbere, donec cor praua & illicita concupiſcentia refertum ſit, planeque conflagret, is præter hoc quòd Deum interno in adulterium ſpiritale conſenſu offendit, non diutiùs ab externo actuali adulterio ſibi temperabit, quàm data ſit opportunitas. Nam quãtùm quidem in ipſo fuit, adulterium iam perfecit, vt indè Chriſtus apud Matt. 5. cap. loquitur, & coram Deo

Matth. 5.

Rom. 7.

Adulteriũ cordis. Matt. 5.

Prou. 4.

Deo factus eſt adulter. Verùm hoc loco id conſolationis cauſa ſciendũ eſt, non propterea quempiam venire contra hoc ſextum Domini pręceptum, nec eo nomine mox à Deo condemnari, quòd malis & obſcœnis cogitationibus impugnetur: tantùm ſeruet cor ſuum, nè malis & illicitis cogitationibus conſentiat: atq; ità cogitationes illę improbę non illi ad damnationem imputabuntur. Et quanuis virtus non ſit, ſed vitium quoddã & defectus deprauatę naturę noſtrę, quòd ſemper quandã in nobis ad vitia propenſionem ſentimus: interìm nihilo minùs hic defectus & morbus remiſſus & condonatus eſt nobis per gratiam & miſericordiã Ieſu Chriſti in Baptiſmo: ſolùm hoc curandum eſt, vt à Deo gratiam petamus, nè idem ipſe morbus & defectus quandoquè noſtris in cordibus conſenſum obtineat, ſicq; nos peccato reddat obnoxios. Qui primum illud pręſtare non poteſt, quod ſcriptura iubet, Non concupiſces: det operam, vt aſſequatur alterum illud Eccleſ. 18. Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: Quanquàm indubitata veritas eſt, neminem ſuis viribus, & ſinè gratię diuinę auxilio peccatum luxurię & impudicitię poſſe ſuperare, Sap. 8. Sed propè eſt Dominus cum gratia ſua omnibus inuocantibus eum: & qui gratiam & auxiliũ eius implorant, citra dubium obtinent illud. Ex his breuis poterit capi inſtitutio de cogitationibus, quę certè contemnenda non eſt, quandò Chriſtus tam ſeriò cogitationum meminit. Principiò, vbi indecentes, obſcœnę & impurę cogitationes cordis conſenſum obtinent, etiamſi actus externus non ſequatur, nihilo minùs à Deo commiſſum cenſetur damnatione dignum adulterium, illa pœna plectendum, quam ſcriptura commemorat, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus: itemq; illa, Neque auari regnum Dei poſſidebunt. Immò adulter habendus eſt, qui licèt non proponat adulterium opere complere, interìm tamen obſcœnis cogitationibus cum delectatione inhæret. E diuerſò autem non ſtatìm deſpondendus animus, quaſi damnare te velit Deus, dum malarum cogitationum tentatione impeteris. Bellator enim tempore pacis fortem & ſtrenuum non ſe declarat, ſed vbi cum hoſte manus conſerenda eſt: optimaq; & Deo gratiſsima patientia eſt in tentatione. Ità ergò & caſtitatem poteris tueri tuam, etiam cùm tentatione pulſaris. Primò quidem danda opera, nè prauę cogitationes animo tuo incidant: tum vitandę occaſiões & loca: adhibenda quoquè in potu & cibo temperantia: deniquè orandus Deus, vt à pernicioſis cogitationibus te conſeruet & cuſtodiat, iuxta illud cuiuſdam ſapientis: Aufer Domine à me ventris concupiſcentias, & concubitũs concupiſcentiæ nè appræhendant me, Eccleſ. 23.

Tentari nõ eſt peccatũ, ſed vinci.

Exod. 20.

Pſal. 144.

Heb. 13.

1. Cor. 6.

Quòd ſi adhibito huiuſmodi ſtudio prauę cogitationes intra te extiterint, hoc ſolùm curandum, nè animo inhæreant, ſed vt pellantur ac profligentur ſeriò, priùs quàm vires accipiant. Allide paruulos tuos ad petram. Si exurgant in animo tuo cogitationes malæ, allide eas ad lapidem angularem Chriſtum, dum adhuc paruulæ ſunt, nec altas egêre radices. Fac vt ille

Pſal. 136.

dicę-

dicebat: Tolerandum erit, ſi caput tranſuolent aues: ſin autem in ipſo pileo nidum extruant, iam pellendæ erunt.

CONCIO XXXIX. HABITA
Dominica Septuageſima, Anno 1543.

IN DIUINIS pręceptis, auditores chariſſimi, tritum illud prouerbium verum eſſe comperimus, Ex malis moribus bonæ leges procreatæ ſunt. Nam, vt & ſuprà memini, cùm natura noſtra vitiata ſit & fragilis, atque multis modis in noxia prauaque vitia propendeat ac prolabatur, fuit hæc humani animi malitia ſanctiſſimis & æquiſſimis Dei præceptis edendis occaſio, atq; ob improbitatem noſtram optima Dei præcepta, quibus malum arceatur, in Dei populo promulgata ſunt. Ira eſt iniuſtus & iniquus quidam animi affectus, quo quis perniciem, vindictam & damnum alterius appetit ac molitur. Aduerſùs hanc prauam & improbam affectionem & cupiditatem Deus iuſtus ſanctum & iuſtum propoſuit edictum, Non occides. Cuius explicationē ſuprà audiuimus, quam cuiuis homini Chriſtiano ad neceſſitatem ſufficere poſſe exiſtimo. Proxima, eaque illicita & maligna naturæ noſtræ concupiſcentia, eſt praua libido, qua quis alterum cum peccato & ignominia concupiſcit. Aduerſùs hanc concupiſcentiam legem ſanctam & æquiſsimam Deus ſanxit his verbis, Non mœchaberis. In huius præcepti explicatione proximè audiuimus de flagitioſiſsima atq; omnium maximè deteſtabili impudicitia, qua quis vxorem alienam ad nefarium amorem & dedecus pellicit: idque vocatur adulterium. Ingens profectò abominatio coram Deo, & apud homines ignominioſa & acerba læſio mutuæ charitatis, quæ alteri ab altero debetur. Huic peccato pœnam conſtituit Deus, priuationem regni cęleſtis, & perpetuam damnationem: quam non ſolùm illis minatur, qui re ipſa & opere cōmittunt adulterium, ſed & illis, qui animo illud meditantur, & quantùm in ipſis eſt, ſuū illi præbent aſſenſum. Porrò fornicatio, quæ extra matrimonium perpetratur, quanuis adulterio æquiparari nequeat propter multas easque aggrauantes circunſtantias, quę plures conſpiciuntur in adulterio, quàm in quibuſdam alijs ſcortationibus: nihilo minùs tamen omnis fornicatio eiuſcemodi eſt peccatum, quod priuet hominem regno Dei, & præcipitet in gehennam. Non ſolùm enim de adulteris, ſed & de omnibus impudicis & ſcortatoribus pronunciauit Apoſtolus: Iudicabit eos Deus, Hebr. 13. Nec regnum Dei poſſidebunt, 1. Corinth. 6. Eandem etiam abominationem, labem & vitium ſecum adfert fornicatio, quam adulterium: putà quòd corda hominum à Deo auertit, eosq; conſilij & mentis inopes reddit. Vndè Propheta ait: Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. Quælibet fornicatio eam facit abominationem, quam tantoperè horret, & vndè nos pręmonet Apoſtolus, nè quis tollat membra Chriſti, & faciat mēbra meretricis. Quoniam qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur: nec CHRISTI membrum

Ira.

1. Cor. 6.

Fornicatio.

Oſeę 4.

1. Cor. 6.

membrum eſſe poteſt, & à Chriſto ſeparatus eſt, quandiù conſuetudinem habet meretricis. Quamobrem apprimè neceſſaria eſt Apoſtoli eodem in loco admonitio, qua ait: Fugite fornicationem. In alijs peccatis ſatìs eſt, ſi ea omittamus, neque ea conſectemur. Fornicatio autē fugiendo ſuperanda eſt: alioquì nemo ab illa immunis manet, niſi qui fugerit. Amor, ardor eſt & ignis: quiſquis ardere nō vult, neceſſè habet vt fugiat. Quæ ſententia cōmodam præbet occaſionem materiæ inpræſentiarùm mihi propoſitæ, videlicet vt hoc peccatum vitandum & fugiendum ſit. Quicunq; adulterium & fornicationem volet euitare, nec in hoc præceptum impingere, is à pluribus abſtineat ſeque contineat oportet, quàm à ſolo illo externo actu: (ſunt enim & alia multa, quæ Deus prohibita voluit per hæc verba, Non mœchaberis) & qui adulteri aut fornicatoris apud Deum iudicium & pœnam volet effugere, huic ab alijs illis æquè abſtinendū fuerit, atquè ab ipſo opere. Illa enim ſunt, quæ operi ipſi occaſionē præbent, & ex quibus adulterium & fœdi ac obſcœni actus proficiſcuntur. Atq; hîc noſtrā ipſorum veſaniam vix ſatìs poſſumus admirari: immò calamitatem & miſeriam noſtram circa hoc vitium ſatìs deplorare nequimus. Fornicationem quidem omnes ceu grandè nefas inclamamus & carpimus, nec vlla ratione diuerſum aſſerere poſſumus. Nanque Dei verbum luculenter vetat fornicationem, & exigit caſtimoniam. Iure igitur fornicationē ceu graue crimen inclamamus & condēnamus. Atquì verò è diuerſo, quicquid huic vitio præbet anſam, quicquid libidinem accendit, quicquid ad hoc peccatum inuitat, extimulat, trahit, impellit, hoc omnibus vſitatiſsimum eſt: nemo illud repręhendit, nemo refugit. Atq; in hoc ipſo cæcitas & veſania mundi conſpicitur. qui verò fornicationem & impudicitiam ex orbe Chriſtiano profligatam optare audemus, cùm interìm quicquid huic flagitio fomenta & occaſionem miniſtrat, nullo in Republica Chriſtiana ſupplicio afficiatur? Immò in eam iam conſuetudinem eiuſmodi abiêre, vt cuilibet conceſſa ſint, & pro iocis & decoro habeantur. Hæc eſt ergò ſtultitia huius ſeculi, aduerſùs quam inquit Spirituſſanctus apud Sapientem: Nunquìd poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam. Prou. 6.

Vbì igitur publicanda ac denuncianda erit hæc lex, Non mœchaberis, ibidèm prohibenda ſimul erunt omnia illa, quæ ad impudicitiam hortantur & extimulant: oportebitque certam rationem & diſciplinam perdiſcere, qua vnuſquiſque ſe ab hoc turpi flagitio tueri & conſeruare queat. Et quanuìs fatendum ſit, neminem ſuis viribus & proprio ſtudio caſtitatem poſſe tueri, ſed ſola gratiæ DIUINÆ ope & auxilio id fieri: at interìm tamen Dei gratia per diſciplinę ſtudium inquirenda & ambienda eſt, vtì nunc latiùs declarabimus. Hanc enim rationem & diſciplinam luculenter ac multis modis Deus in DIUINIS literis depromit. Chriſtus DOMINUS & conſerua- Sap. 8. Prou. 2.

t tor no-

tor noſter in huius explicatione ſexti præcepti, Matth. 5. vbi docet vitandum adulterium, principiò oculis ſuam præſcribit legem ſuosque limites, eosq; incuſat, quaſi & illi in culpa ſint adulterij: Quicunq;, inquit, adſpexerit mulierem ad concupiſcendũ eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.

Non quòd adſpectus per ſe culpę obnoxius ſit, ſed quòd animo incauto per oculos ſępenumerò malarum cupiditatum afferatur occaſio, ex quibus deindè peccatum nonnunquàm etiam prorũpit in actum. Huic oculi ſunt quaſi quidam internuncij mentis, qui cordi nuncium adferunt, vndè porrò animus in prauam voluntatem & peccatum ſeducitur. Eam ob rem infinita penè ſcripturarum loca monent habendam eſſe accuratam cuſtodiam oculorum, Eccleſ. 9. Auerte faciem tuam à muliere compta, & nè circunſpicias ſpeciem alienam. Noli intendere in faciem virginis, nè te confundat vultus eius. Et Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem quidẽ de virgine. Hieremias quoquè lamentatur & queritur, per oculos

Hier. 9. los homini detrimentum & perniciem adferri. Mors, inquit, aſcendit per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras. Et Thren. 3. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. quin & exempla ac ſcripturę declarant, quan-

2. Reg. 11. tùm nocere poſsit adſpectus. Dauid Bethſabee lauantem conſpicatus, horribiliter lapſus eſt: vndè deindè adulterium & homicidium, grauiſsima ſcelera conſecuta ſunt. Prætereà filij Dei videntes filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant, Gene. 6. Ex his omnibus liquidò conſtat, ei qui hoc præceptum cupiat obſeruare, neceſſum eſſe, vt oculos ſuos in diſciplina contineat, ità vt cernere atque conſpicere nolit, vndè poſſet ad peccandum illici ac prouocari. Equidem vanam ac cõmentitiam eorum iactantiam ſentio, qui caſtos ſe prædicant, cùm impudicos habeãt oculos: nec adulterij culpã poſſunt effugere, quandò oculos habent plenos adulterij & inceſſabilis delicti, 2. Pet. 2.

Secundum, quod hoc ſexto præcepto itidèm, ceu libidinis materia & occaſio prohibetur, eſt immoderatus cibi ac potionis, præſertim delicatioris, vſus cum ocio coniunctus. His enim homo facilè ad illicitas volupta-

Hier. 5. tes pellicitur. Saturaui eos, (inquit Propheta) & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Vbi magna adeſt vitæ temporariæ felicitas, rerum opulentia atq; ocium, ægrè caueri poteſt, nè libido & petulantia indè proficiſcatur. Ità de Sodomitis nullum aliud ſcriptura peccatum comme-

Ezech. 16. morat, quo Deum offenderint, niſi ſuperbiam, & ſaturitatẽ panis, & abun-

Eccleſ. 33. dantiã, & ocium. Item Sapiens quidam, Ocioſitas, inquit, multam malitiam docuit. Hinc natum eſt verum illud Prouerbium: Crapula & ebrietas lignã ſunt fouentia libidinem. Et Sapiens ait: Cùm defecerint ligna, extin-

Prou. 26. guetur ignis.

Tertium, quod fornicationi & impudicitiæ magnũ præbet iritamentum & anſam, eaq; de cauſa ꝓhibetur in ſcripturis, eſt αἰσχρολογία ſiue turpiloquium, quo nonnulli ſua aut aliorum commemoranda turpitudine, ſeſe mutuò

mutuò oblectant ac tempus terunt, contra grauiſſimam illam admonitionem, qua Spirituſſanctus per os Apoſtoli Chriſtianos omnes appellat his verbis: Fratres, om̄is ſermo malus ex ore veſtro nō procedat: ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritumſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, ſed magìs gratiarum actio. Ephe.6.

O quàm longè ab hoc Spirituſſancti Canone deflexímus & exorbitauimus nos Chriſtiani. Vbì vel inter multos inuenitur vnus aliquis, qui modeſtiam ac verecundiam diligat, & ſermones ſuos dirigat ad præſcriptum Apoſtoli? Quin potiùs ſcurriles eiuſmodi & impuri ſermones iam decori & vrbanitatis loco habentur. Qui id genus turpiloquijs alios oblectare nō nouit, is moleſtus & oneroſus conuiua, nec inter lepidos congerrones adhibendus, vt qui non didicerit exporrigere frontem. Nec hîc alicui vel parcitur, vel alicuius ratio habetur: dicitur de quibuſlibet apud quoſlibet abſq; vlla vel modeſtia vel verecundia. Si quis ſciat proximum in peccatum aliquod aut vitia prolapſum, illud in pleno narratur conuiuio inſtàr lepidæ fabellæ, quæ riſum moueat audientibus. Neque verò ratio vlla habetur eorum qui audiunt: ſed qua poſſunt obſcœnitate & turpitudine deblaterant ſingula, nullius penſi habentes, vtrùm vel matronæ, vel virgines, vel etiam innocentes pueri, vel iuuenes adſint. Hæc eſt cæca petulantis mundi veſania: qui fateri certè cogitur, fornicationem & impudicitiam eſſe peccatum, & nihilo minùs turpiloquium & impudicos ſermones, oblectationis cuiuſdam ac decori & vrbanitatis loco habet. Agnoſcimus noxium eſſe calorem, nec intereà veremur igni aſſidere. Expendat (obſecro) vnuſquiſque, quæ incommoda ex id genus ſcurrilibus colloquijs proueniant. Principiò omne turpiloquium aduerſatur modeſtiæ Chriſtianæ: atq; etiamſi nemo indè læderetur, tamen qui id profert, & ſeſe, & Deum, & fidem ſuam cōtumelia, pudore ac dedecore afficit: cuius nos admonitos voluit Apoſtolus, dum inquit: Vt decet ſanctos. Deindè turpiloquium incitat Ephe.5. & inflammat ad immunditiam & ſcortationem tum ipſum dicentem, tum auditores & ſæpenumerò magnis præbet peccatis anſam, quæ alioqui admiſſa non eſſent. Hoc qui velit redarguere, ipſum Paulum redarguat, dicētem: Nolite ſeduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala: idq́ue præſertim, ſi eiuſcemodi obſcœnè dicta iuuenum auribus hauriantur, qui iam naturali calore æſtuant, atque eò faciliùs turpi oratione inflammantur ac permouētur. Et reuerà vel vnicum obſcœnum verbum tenerum animum adeò poterit inficere, vt nullū illi vnquàm poſſit remedium afferri, adeoq́; cogitationibus flagret & æſtuet, donec tandèm in externam turpitudinem ac dedecus prolabatur. Quamobrem omnes illi turpia loquentes, eodem plectentur iudicio, quòd innoxios iuuenum animos ſuis ſermonibus cor- 1.Cor.15.

ruperint, ác ſi ad opus obſcœnum eos ꝓmouiſſent, vel an ſam ſuppeditáſſent. De huiuſmodi ſcandalis grauiſſimè loquitur Chriſtus apud Euange-
Matth.18. liſtam: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundũ maris. Et iterùm: Videte nè cõtemnatis vnũ ex his puſillis. Dico eñ vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciẽ patris mei, qui in cęlis eſt.

Poſtremò turpiloquium coarguit animum planè impium, & fraternæ charitatis prorſùs inanem. Comperiſti proximum huic vel illi vitio obnoxium, & nôſti prætereà ex ſcripturis diuinis, eum ob eiuſmodi peccatum æternis ſupplicijs mancipandum, niſi conuertatur ad pœnitentiam, atque interìm nihilo ſeciùs illius culpam tu in ludum & iocum vertis, & tãquàm in re ludicra & ioco rides: Quis te Chriſtianum dicat, qui in tanto proximi diſcrimine ridere potes? Si vel exiguum corporis incommodum ſentiat proximus, non cenſeberis Chriſtianus, niſi dolenti condoleas. Si quid patitur vnum membrum, inquit Apoſtolus, compatiuntur omnia membra,
1. Cor. 12. Vbi verò animæ periculum longè grauiſſimum imminet proximo, & tu interìm rides, quomodò manet in te Chriſtiana charitas? Certè nullus hîc riſui locus eſt, ſed alij pro alijs orare debemus, vt Deus per gratiã ſuam ex hac ſpurcitie populũ ſuum velit extrahere. Hoc igitur tertium eſt quod ad impudicitiam & libidinem prouocat, & prohibetur his verbis, Non mœchaberis. Eſt autem præter hæc aliud quiddam, quod libidini & impudicitiæ fomenta miniſtrat, videlicet ſuperbus & petulans veſtium ornatus, quem nouis identidèm multigeniſque artibus effingunt, vt placeát mundo, & aliorum oculos in ſe prouocent. Quantùm autem eiuſcemodi veſtes libidini excitandæ inſeruiant, nemo eſt qui neſciat.

Cùm videret Iudas Thamar cultioribus veſtibus indutam, & mutato
Gene.37. habitu ſedentem in biuio itineris, ſuſpicatus eſſe meretricem, allocutus eſt eam. Sed nũquàm tam ille fuiſſet temerarius, vt eam alloqueretur, ſi in honeſto & pudico ac modeſto habitu eam cõſpexiſſet. Vel hinc animaduerti licet, quid poſſit habitus. Qualem quiſque ſuſpendit hederam, hoc ipſo ſignificat, quales apud ipſum proſtent merces. Veſtes plerunquè vel pudicũ, vel impudicum animum produnt & arguunt.

Hæc iam dicta ſufficiant de vulgarioribus & manifeſtioribus libidinis ac impudicitiæ cauſis & incitamentis: ſub quibus etiam ea omnia & accipi & comprænhenſa velim, quæ aliquam huic peccato occaſionem præſtent, quæ omnia his verbis prohibentur, Non mœchaberis. Qui autem in hoc mandatum committere nolit, is non ſolùm actum ipſum venereum, ſed &
Matt.5. & 18. omnes pari diligentia occaſiones euitabit. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, ait Chriſtus, erue eum & proijce abs te. Bonũ tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Hîc iam opùs non eſt porrò enumerare & indicare, quinam violent hoc præceptum. Nam ex ijs, quæ iam diximus, aduertiſtis adulterium & fornicationem

cationem poſſe patrari. Primò, opere: Secundò, in corde, cogitationibus & concupiſcentijs illicitis: Tertiò, oculis & incauto adſpectu, de quo 2. Petri 2. Quartò, ſermone: Quintò, quibuſlibet impudicis & laſciuis geſtibus, omnesq́; illi in hoc præceptum impingunt, qui in his iam dictis Chriſtianæ diſciplinæ & pudoris obliti, in horum aliquo vel pluribus delinquunt.

CONCIO XL. HABITA

Dominica Sexageſima, Anno 1543.

QVO longiùs in Decalogo explicando progredimur, auditores, eo maiori erga Deum charitate accendi debemus: qui in his ſuis præceptis tam ſtudioſè id agit, poſsit vt efficere, vt ſocietati humanæ, & hominibus inter ipſos quàm optimè ſit conſultum, & in quiete ac ſecuritate quilibet tum corpus & vitam, tum vxorem, famam & facultates ſuas ſeruare queat. Hactenùs quidem corpus & vitam hominis tutatus eſt ab eius aduerſarijs, pręcipiens nè alter alterum occídat. Deindè cùm vnicuique vxor poſt corpus ſuum ſit chariſsima poſſeſsio, volens itidèm vnicuique ſuam vxorem illæſam & inuiolatam permanere, præcipit, Non mœchaberis. Vitæ & vxori ſuccedunt facultates & bona temporaria, quæ etiam diligit homo, vtpotè quibus ad vitæ ſuſtentationē neceſſariò vtendum eſt. Abſque cibo, potu, veſtitu & alijs quibuſdam rebus nemo, dum in corpore eſt, vitam tueri poteſt. Hæc igitur vitæ adminicula & ſubſidia, poſſeſsiones, inquam, & facultates ſeu bona temporaria, etiam cuique ſalua & tuta vult eſſe Deus, ſtatuitq́ue pro eorum defenſione ſeptimum præceptum, quod eſt eiuſcemodi:

SEPTIMVM PRAECEPTVM:

Non furtum facies.

HOC eſt, proximū in facultatibus & bonis ſuis nullo modo lædes, nec quicquam vlla ratione ex ſubſtantia illius contra ius fasq́; vel palàm, vel ſecretò ſubduces, ſubtrahes aut corrumpes: verùm pro virili eius bona ſeruabis, tueberis, & augebis, eiq́ue hac in parte facies, quod tibi ab alijs fieri velis. Quàm luculenter iam æternam Diuinorum pręceptorum æquitatem agnoſcimus, vt qui ſecundùm verum & genuinū intellectum ea obſeruet, habeat vitam: neque ſolùm illam æternam, ſed & hîc in pręſenti vitam honeſtam, condecentem, ac benè compoſitam. Si mores & vitam noſtram ad mandatorum Dei præſcriptum dirigeremus, quanta in pace mutua & tranquillitate viueremus: ſi alter alterum nec in corpore, nec vxore, nec bonis aut fama læderet, violaret aut contriſtaret, quemadmodùm illud exigunt præcepta Diuina: quàm iucundus, quàm amicus, quàm concors & vnanimis foret hominum conuictus? quantis miſerijs, quantis calamitatibus leuaretur humana ſocietas, quas nunc mutuò ſibi irrogant homines,

dum tam facilè alij erga alios violant pręcepta Dei? Perſpicimus itaq;, quid Deus ſpectet & intendat in ſuis legibus vel pręceptis, nimirùm rem & proſperitatem noſtram. Eſt quidem mens & intentio Dei, vt etiam in pręſenti felicem & tranquillam vitam viuamus: atq; talis ſanè tum quoquè reuerà futura eſſet, ſi prauas propenſiones & corruptos animorum noſtrorum affectus, gratia & auxilio Diuino freti compeſceremus, atque iram, laſciuiam & auaritiam propudiaremus. Hæc ſunt ergò verba ſeptimi præcepti:

Non furtum facies.



Hæc eſt voluntas Dei noſtri, Auditores dilectiſsimi, vt charitatem proximi inconcuſſam ac indiuiduam conſeruemus, eumq́; nullo nec damno, nec iniuria vnquàm afficiamus. Cùm autem etiam bona externa vnicuiq; chara & neceſſaria ſint, propoſuit Deus hoc ſeptimum pręceptum ad defenſionem & conſeruationem facultatum & poſſeſsionum noſtrarum: & dicens, Non furtum facies, Furti nomine omnis generis fraudem, impoſturam, damnum, & iniquas machinationes, quibus res aliena contra ius fasq́ue tollitur, aut alioquì diſperditur ac læditur, quocunque demùm modo id fiat, voluit compręhendere ac prohibere. Quamobrem non oportet hoc præceptum nimiùm contrahere, ſed ad omnes ſtatus & negocia longèla-

gè lateque extendere. Deterrimus enim morbus ille argentarius, adeò iam vulgaris eſt, adeoque inualuit, vt omnes vitæ huius ſtatus & ordines innumeris furtis compleuerit: eſtq́; cumprimìs neceſſarium, vt hoc præceptum luculẽter & perſpicuè tractetur, vtì mundus & ſua peccata, & iram Dei poſſit agnoſcere. Adeò mundus iſte iniquus, vafer eſt & verſipellis, vt quod ſemèl in conſuetudinem duxerit, id deindè ius fasq́; eſſe velit, nec reprꝯhenſionem admittat, quantumcunquè etiam ſit vitioſum & iniuſtum. Eadem ratione furtum quoquè eò perduxit, vt quanuìs plateæ omnes fures redoleant, nemo tamen furis nomẽ ſibi velit impingi. Ratio hæc eſt, quòd furta diutina conſuetudine inoleuerint, & in omni vitæ genere ſint vulgatiſſima. Quandò igitur mundus furtum in conſuetudinẽ vertit, iam perſuaſum habet, honeſtum illud eſſe, iniquum minimè. Aduerſùs hanc prauam, iniquam & falſam mundi opinionem, Dei verbum & ſententia producenda eſt, atq; in mundi aures luculenter inclamandum, furtũ eſſe peccatum, & prætereà indicandum, quid appellatione furti contineatur, vt mundus verbo Dei inſtructus, diſcat ſuæ opinioni & voluntati obluctari: vel certè nè vllam poſsit excuſationem prætexere coram Deo in die illa, quandò is de omnium iudicaturus eſt actione mortalium, ſi iam antè ipſam veritatẽ fideliter & apertè cognouerint. Explicabimus itaq; principiò, quale peccatum ſit furtum, & quibus ſupplicijs à Deo vindicandum, vt nemo ſemetipſum fallat, quaſi hoc genus impoſturæ, quod in bonis externis cõmittitur, non adeò ſeuerè & acriter ſit à Deo vindicandũ & puniendũ. Deindè docebimus, quid appellatione furti comprꝯhendatur, & quid prohibeatur hoc prꝯcepto, Non furtum facies: quid item ſit furtum, & quàm varijs modis committi poſsit: quꝯ omnia paſsìm ſcripturꝯ ſacrꝯ teſtimonijs & inſtitutionibus communita proferemus. Deus Opt. Max. dignetur animos & opera noſtra ad regnum ſuum cæleſte & voluntatem ſuam dirigere.

Principiò, ſi quꝯratur ex mundo, an illa circunuẽtio, qua alter alterius res interuertit & ad ſe adducit, grande ſit coram Deo flagitium, ipſis ſuis factis inſinuat & ſubindicat, ſe id exiguæ cuiuſdã culpꝯ loco habere. Quiſquis id arte quadam & cõmodè efficere poteſt, is ab hoc vitio nihil abhorret. Putat enim mundus, diuitias illius eſſe, qui eas obtinere poſſit, & pulchrum eſſe multas poſſidere opes, quocunq; etiam modo partas. Sola tantùm clandeſtina ſubtractio non nihil malè audit apud homines mũdanos: & ferè tamẽ potiùs ignominia quꝯdam cenſetur, quàm peccatum. Verùm ſi Dei ſententiam & voluntatẽ perquiramus, ſcripta diuina nos inſtituunt, Deum furtũ, vtì alia omnia peccata capitalia, æterno igni punitur ũ: adeoq́; haud ſecùs & temporario, & ſempiterno ſupplicio in illum eſſe animaduerſurum, qui alterius bona vel eripit vel lædit, quàm qui corpus aut famã proximi damno afficit. Temporales quidem pœnas furibus aliquotiès Deus legitur inflixiſſe: æternas autem crebrò admodùm & grauiter furibus omnibus multis ſcripturæ locis comminatus eſt. Legimus in Ioſue, quòd

Ioſuæ 7. Deus populum Iſraeliticum in bello ſuccũbere fecerit ea ſolùm de cauſa, quòd furem inter ſe haberet, nullo adhuc merito ſupplicio affectum. Cùm autem Ioſue Deum conſuleret, quo mortis genere plectẽdus eſſet ille reus furti, mandauit vt ipſum cum omni ſua ſubſtantia comburerent. Giezi famulus Heliſæi cùm per mendacium à Naaman veſtes quaſdam & argẽtum 4.Reg.5. accepiſſet, perpetua lepra percuſſus eſt. Apud Prophetas quàm acriter Deus incuſat furtum, & peccatis capitalibus paſsìm cõnumerat? Oſeę4. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Et Zacha.5. Omnis fur, omnis iurans iudicabitur. Quòd ſi iudicium ſinè miſericordia erit illi, qui non facit miſeri-Iacob.2. cordiam, quas illi pœnas dabunt, qui bona aliena interuertunt, & ad ſeſe transferunt? Voluite & reuoluite om̃es ſcripturas diuinas: nihil aliud comperietis, quàm vel maximè exoſam eſſe Deo auaritiam. Et quid ipſa peius eſt auaritia, qua tibi corradis, quod nullo iure tuum, ſed potiùs alterius eſt? Neq; verò opùs eſt longè vt petantur teſtimonia, quibus planum fiat, furtum eſſe execrabile flagitium. Vnica illa Apoſtoli ſententia meritò mortalium animos perterreret, atq; ab auaritia & vſuris reuocaret, qua is ait: Nolite errare. Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum Dei poſſide-1.Cor.6. bunt. Huc iam denuò adhibenda eſt generalis illa paræneſis, quam neceſſariò ſæpiùs vſurpo, nimirùm vt quæ peccata ſint, & quæ non ſint, non æſtimemus ex opinione & arbitratu noſtro, ſed ex legibus & verbo Dei. Quod Deus prohibet, id tanquàm peccatum vitandum eſt, etiamſi apud mundanos homines in more poſitum ſit, & ab omni iniquitate & vitio alienum putetur. Certè coram tribunali Dei iudicabimur ſecundùm opera noſtra, non in mundi foro vel iudicio. Iudicet quidem hîc interìm mundus pro arbitratu ſuo: at Deus in die illa ad pręſcriptum verbi ſui ſentẽtiam laturus eſt. Id quod vnuſquilibet certò perſuaſum habere, atq; ſecundùm hoc gerere ſe debebit. An non itaque furtum nefarium erit flagitium, cùm palàm pronũciet Apoſtolus, fures & rapaces & auaros regnum Dei minimè poſſeſſuros? Quæ ſententia tam grauiter prolata, iurè mundanos homines à falſa ipſorum opinione abſterrere deberet, qua ſibi perſuadent, furari & fallere prorſus nihil habere iniquitatis & culpæ. Mundus quidem multos ꝓbos iudicat & frugi homines, qui tamen à circunuentione proximi ſibi non temperent. Cæterùm quid prodeſt, eiuſmodi fœneratores & proximum circunuenientes, coram mundo quidem ſuum honorem & exiſtimationem ſaluam retinere, at coram Deo haberi pro furibus?

2.Cor.10. Scriptum eſt: Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Itaque etiamſi eò res redeat, vndè iam haud procùl abeſt, vt mundus clamitet furtum virtutis loco cenſendum, fixum nihilominùs manebit, & de illis iudicabit verbum Dei: Fures & auari & rapaces regnum Dei non poſsidebunt. Quanquàm non ignoro, quodam in loco

ſcri-

ſcripturam eum in modum loqui de furto, tanquàm non niſi leuis quædã culpa ſit. Ait enim Prou. 6. Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt eſurientem impleat animam, &c. Sed hoc de extremè neceſſario furto pronunciat ſcriptura, cùm quempiam magna fames compellit furari panem, quem alioqui nec emere, nec laborando parare ſibi poteſt. Verùm ne id quidem tantæ neceſſitatis furtum impunitum relinquit, ſed huiuſmodi eum pœna mulctat. Depręhẽſus, inquit, reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domûs ſuæ tradet, & liberabit ſe. Quibus ergò pœnis in eos animaduertet Deus, qui praua animi libidine & improbitate ducti, illis pauperem eorum ſubſtantiam contra æquitatem extorquent, qui etiam dempto hoc, longè inferiores habent fortunas, quàm opulenti illi fures? Præterea cùm dicit ſcriptura non eſſe grãdem culpam, cùm quis neceſſitate cogente furatus fuerit, comparatione adulterij id vult intelligi: & verum id eſt. Furtum enim adulterio comparatum, exiguum eſt facinus: & tamen ſimpliciter & per ſe cõſideratum, adeò enorme eſt peccatum, vt furem à regno Dei excludat: quanuis ſententia & condẽnatio adulteri, longè grauior & inclementior futura ſit, quàm furis: Permittitur etiam ſecularibus iudicibus, vt in fures laqueo animaduertant, idque ex iuris ciuilis præſcripto: ſed hoc in iudicijs ciuilibus non immeritò repræhenditur, quòd miſeri fures canabaceis laqueis innodãtur ob leuius crimen: adulteri verò, qui longè atrociùs delinquunt, adeò nullam pœnam incurrunt, vt propemodùm laudem & gloriam mereantur.

Non poſtulatur à Magiſtratibus & iudicibus, vt fures non adigantur in malam crucem: ſolùm admonentur, ſi quem magna neceſſitate vrgente fortaſsis furari contingat, & ſpes emendationis affulgeat, vt hoc caſu non adeò vrgeant vltimum ſupplicium: Multò verò magis hunc iuris rigorem in libidinoſos fures, in homicidas, in adulteros exerceant. In his puniendis nunquàm errauerit magiſtratus, quantũcunquè acribus eos ſupplicijs afficiat & excruciet. Hæc neceſſariò dicẽda putaui, vt cognoſcat mũdus, quàm execrabile & exoſum ſit coram Deo flagitium furtum: pręſertim cùm videam fœnerari, circunuenire & fallere in rebus temporarijs, vſqueadeò paruipendi apud homines mundanos.

Nunc reliquum eſt vt diſcamus, quid ſit furtum, quis verè coram Deo dicatur furari, quid furti loco habeatur apud Deum, & quàm varijs modis furtum committi poſſit: deniquè quid Deus tanquàm furtum puniturus ſit. Et vt quidem ſummatìm dicam, vniuerſa huius præcepti mens & ſentẽtia in hoc cõſiſtit, furtũ illud non ſolùm & dici, & eſſe, quod clanculũ ex bonis proximi ſubducitur & interuertitur: ſed omne illud furti appellatiõe cõpręhendi, quo quouis modo proximũ aliquo detrimẽto in illius bonis afficimus. Hic vel ille mos nec furem facit, nec à furti crimine purgat: quãdocunquè proximo damnũ infertur pręter ęquitatẽ, illud cenſetur furtum, quocunq; demùm modo aut calliditate ad nocendum quis vtatur. Ad hanc

ergò ſententiam veluti Lydium lapidem admoueamus mundi cōmercia & negocia, & comperiemus nulla penè eſſe, quę furtis permixta nō ſint: nec vllum ferè eſſe vitę genus vel ſtatum, qui non aliqua ex parte furto obnoxius ſit. Damnum dare vel inferre contra ius fasq́ue, furtum appellatur. Agè igitur animum aduertamus. Quot modis damnum irrogari poteſt proximo in bonis temporarijs, totidem furtum committitur: & quanuis mundus non ſemper furti loco habeat, Deus nihilo minùs imputat in furtum: idq́ue ſatis eſt ad damnationē & pœnam furum eiuſmodi, quòd apud Deum non alio, quàm furum loco cenſentur.

Principiò, furtum ſecundùm appellationē vulgarem, eſt quandò clanculum res aliena aufertur, & indè quantùm per occaſionem licet, tollitur. Secundò, poteſt furtum committi, etiamſi nihil auferatur, vt cùm res proximi deſtruitur vel vitiatur, vt dein dè illi non poſsit eſſe vſui: vel quocunq; demùm modo id fit, vt ex rebus ſuis proximus debitam non capiat vtilitatem. De his latiùs audituri ſumus, vbi venerimus ad exempla. Tertiò, committunt furtum, qui magna arte & ſagacitate alienis bonis inhiant, tamq́; ſubtiles tendunt laqueos captandę alienę pecuniæ, vt nemò facilè ab his fraudibus ſibi cauere queat. Huiuſmodi furta varijs modis fieri aſſolent: alia craſsiùs, alia ſubtiliùs cōmittuntur, ſed ſemper alia alijs deteriora. Craſſa illa ſunt furta, quę iniuſtis ponderibus & menſuris ac vlnis iniquis & adulterinis, aut etiam bonarum malarumq́ue mercium confuſione & mixtura patrantur. Subtiliùs illi furantur, qui id efficere nôrint, vt merces maioribus precijs diuendant, quàm æquitatis ſinat ratio. Quartò, inter craſſiora furtorum genera cenſendū eſt fœnus & vſura. Quintò, furtum committunt, qui proximum mercede promerita defraudant. Sextò, qui mercedem non promeritam recipiunt. Septimò, qui erga indigos nimiùm tenaces ſunt rerum & facultatum ſuarum. Octauò, qui ſuas facultates inutiliter prodigunt, abliguriunt, & poſtmodùm mēdicando alijs oneroſi ſunt. Hęc omnia prohibentur hoc præcepto, Non furtum facies. E diuerſo autem requirit hoc præceptum, vt in bonis proximi tuendis ac cōſeruandis omnem pro viribus induſtriam & diligentiam adhibeamus, eumq́ue iuuemus vel mutuum dando, vel largiendo aliquid, aut Eleemoſynam præſtando: & qui eas corporis habent vires, laborent operando manibus ſuis, nè cuiquā oneri ſint, vt habeant vndè tribuant neceſsitatem patienti. Hæc eſt ſum-
Ephe. 4. matìm mens & ſententia huius præcepti, quam fuſiùs, Deo volente, explicabimus die ab hinc octauo, cùm omninò neceſſarium ſit, vt præceptum hoc ſedulò tractetur & vrgeatur.

CONCIO XLI. HABITA Dominica Inuocauit, Anno 1543.

SVPERIORI concione, Auditores, ſeptimi præcepti tractationem Deo auſpice inchoauimus, quo furta prohibentur. Eo autem loci diximus

mus Deum non ſolùm clandeſtina furta, quæ nos ſola ita appellamus, hoc mandato interdicere ac profligare, ſed plenam quoquè & abſolutam atq; adeò certam ſuarum cuique facultatum ſecuritatem & ſecuram poſſeſſionem procurare velle. Et hæc eſt Dei noſtri mens & ſentētia, vt nè quis vlla ratione in negocio circũueniat fratrē ſuum, aut res & bona eius, quocunq; id demùm poſſit modo fieri, corrumpat aut lædat, neque in minimo, neq; in maximo. Quotiès ergò aliquis ex bonis alterius iniuſtè ſubducit ac detrahit, totiès id admittit, quod Deus vetitum eſſe voluit, cùm ait: Non furtum facies: Quamobrem vltra modum & crebrò & promiſcuè atque communiter in hoc præceptum committitur in omnibus negocijs, commercijs & ſtatibus hominum: & nihilo minùs adeò nullius ferè pēſi habetur, vt horrori ſit vel cogitare. Atqui verò, ô Chriſtiani, ſi nolimus excludi à regno Dei, pręceptũ hoc preſſiùs & attētioribus animis conſideremus oportet, & tum Dei iram, tum noſtra peccata rectiùs nôſſe, eaq; habere religioni, nobisque timere diſcamus. Si circunuentiones in rebus temporarijs, in ea forent æſtimatione apud Deum, qua ſunt apud homines, eſſentque tam exigua peccata, quàm ſibi perſuadent homines, equidē lubens ſuam mundo conſuetudinem & morem relinquerem, meque intra ſilentium continerem. At quia perſpectum habeo, Deum omnem circũuentionem vindicaturum, cur ego cōmonere ac præmonere non debeam? Cùm expreſſè eam Deus vetet, quidni culpari, repræhendi ac arceri debeat verbo Dei? Quandoquidem Deus hac re offenditur, riſus & iocus faceſſat oportet, dicente Propheta: Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus eſt, quis non prophetabit & denunciabit? Immò quanto hoc in peccato ſibi magìs tuti videntur eſſe homines, minusque metuunt, eo magìs neceſſarium eſt eos iniquitatis ſuę admonere, admonendoque oculos eorum aperire, nè ignorantes in hac perniciosa ſecuritate pereant, eueniatque eis illud Apoſtoli: Cùm dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Nam vt ſæpè admonui, non pro opinione noſtra, ſed ſecundùm verbum & præcepta ſua nos iudicabit Deus. Quamobrem auxiliante Deo in hoc quoquè præcepto explicando id ſtudij & operæ ponam, quòd nemo ignorantia ſua ſe tueri poterit. Ac tametſi equidem ſuperiori concione pro neceſſitate ſatis demonſtrauerim, quàm graue crimē ſit furtum coram Deo, & quid pro furto apud Deum habeatur, & ceu furtum vindicandum ſit, at nihilo minùs nè ſimplicioribus quicquam ſubtractum eſſe videatur, nec prætereà quid deſiderare queant, negocia illa quæ magìs in vſu ſunt, quibus in hoc præceptum homines impingũt, commemorabo: non quidem omnia, nam hoc foret impoſſibile, ſed tamen ad eum vſque numerum, vt quilibet vulgaris laicus alia omnia iniuſta commercia ad hæc queat dirigere & æſtimare, adeoque agnoſcere, quid furtum ſit coram Deo, & quibus modis peccetur aduerſùs hoc præceptum. Porrò nè hîc nimiam mihi videar conflare inuidiam, grandi illi & hactenùs receptæ conſuetudini nonnihil tribuam, nomenq; furti turpiſſimum in nonnullis mundo remittam,

1. Theſ. 4.
Amos 3.
1. Theſ. 5.

nec dicam omnia illa furtis adnūmeranda, quę deinceps receſſebimus. Mihi ſufficerit, ſi hoc animis veſtris perſuaſum & inſculptū reliquero, omnem læſionem & circunuentionē in bonis temporarijs, inter furta coram Deo cenſeri. quamobrem facilè admiſero, vt quiſque ſicut volet illam appellet, dummodò talis peccati loco habeatur, quod prohibitum Deus voluerit his verbis: Non furtum facies. Et qui ità proximum circunueniunt, inter illos
1. Cor. 6. numerentur, de quibus inquit Apoſtolus: Nolite errare: neque fures, neq; rapaces, neque auari regnum DEI poſsidebunt. Clandeſtinis illis ac peruulgatis furtis, quę tum à Deo prohibentur, tum à magiſtratibus ſuſpendio puniuntur, proximè ſuccedunt illi, qui etſi nihil proximo auferunt, res tamen illius corrumpunt, vel negligentia peſſundant, vt debitum ex ijs fructum & commodum non capiat. Hoc vitio haud vulgariter ſeſe obſtringunt infidi & negligētes famuli, & deſides operarij. Et hi clandeſtinis furibus vel millecuplò ſunt pernicioſiores. Furem enim ſeris, peſſulis & clauſtris excludis: porrò aduerſùs fraudulentam & pigram familiam, aut incurioſos ac ſocordes operarios, quibus aditum ad res tuas patefacias, ijsque fidas oportet, qua tandèm ratione communire te poteris? Atque etiamſi nihil auferant, ſi quid tamen negligentia ac incuria corrumpant & perdant, id vtiquè pro perdito habendum eſt. Quis tandèm grauiùs lædit patremfamiliâs? illéne, qui decem coronatos clanculùm ſuffuratur, an verò qui dum in famulum receptus eſt, incuria & culpa ſua viginti deperdit? Ille ablatis decem laqueum & crucem commeretur: qui tandèm igitur iſte viginti coronatorū reus, nulli erit peccato obnoxius? aut cur iſthuc nulli religio eſt, nec cuiuſquam angit conſcientiam? Quæ tamen de illis dicta nolim, qui caſu aliquo, aut inuiti & contra ſuam voluntatem quippiam negligunt, aut negligentia ſua perdunt. Sed hæc ſibi dicta exiſtiment operarij ſegnes & negligentes famuli, qui ſæpenumerò vel ex proteruia quadam, vel deſidia ea prætermittunt, ad quæ ſciunt ſe ex officio eſſe obligatos. Qui quidem præter præceptum hoc omnipotentis Dei, Apoſtoli quoquè mandatum
Ephe. 6. quęſo perpendant, quo ille multis locis eos iubet ſeruire dominis ſuis cum
Coloſ. 3. timore & tremore, ſicut Chriſto Domino, ſcientes, quoniam vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.

Eodem modo ab omnibus domeſticis, operarijs & mercenarijs requirit hoc pręceptum, nè mercedem non promeritam recipiant, neque etiam merces aut operas ſuas cariùs inſcribant aut elocent, quàm pro vſitata mercede vel precio. Id enim Diuinæ eſt aduerſum voluntati, quę res aliorum ab alijs prorſus illæſas eſſe vult, & vindex eſt in illos, qui fratrem circunueniunt, 1. Theſ. 4. E diuerſò autem Chriſtianę pietati planè contrarium eſt crimen, Deoque vehementer exoſum, cùm quis erga familiam & operarios ſuos tam eſt aſper, iniquus & inhumanus, vt familiæ quidem res neceſſarias, cibum, potum, veſtes & mercedem ſubtrahat, vel operarijs de iuſta mercede quicquam detrahat, aut alioquì duriùs cum illis agat: quorum alterum Apoſto-

Apoſtolus Paulus perſtringit his verbis: Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit &c. Alterum increpat Iacobus: Agitè nunc, inquit, diuites, plorate, vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis. Theſaurizâſtis vobis iram in nouiſsimis diebus. Eccè merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quę fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. Vtinàm vel hoc vnum mundus perpendere, & multarum calamitatum ac Diuinorũ flagellorum cauſam poſſet cognoſcere. Ille operariorũ & omnium pauperum clamor, quas vindictas, quæ ſupplicia, & quid non mali adfert mortalibus? Nam dum inopes & egeni potentia & fraude diuitum opprimuntur, nec vllius hominis patrocinia ſentiunt contra illos diuites, nec habent quenquam, cui id conquerantur, tunc demùm occaſio illis præbetur, hac de re apud præpotentem Deum deplorandi & cõquerendi, qui tum pauperum clamores audit, & omnibus pœnarum & vindictæ generibus affligit mundum. Hinc Tobias filium ſuum ità inſtituit: Quicunque, inquit, aliquid tibi operatus fuerit, ſtatìm ei mercedẽ reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat, Tob. 4. Leuit. 19. Deut. 24. Porrò quæ de vnaquaque familia, & quomodò Domini & Famuli inuicèm ſe gerere debeant, nè in hoc Decalogi præceptum, Non furtum facies, impingant, hactenùs dicta ſunt: eadem de magna illa domo, hoc eſt, vnaquaque Republica, de Magiſtratibus & ſubditis in huius præcepti explicatione & poſſunt & debent dici. Nam ab vtraque parte (non auſim furta dicere, cùm iam antè inuiſum hoc nomen in multis me declinaturum receperim) doli tamen & damna ac detrimenta contra æquitatem, itemque rerum detractiones, interuerſiones, direptiones, expilationes ſupra modum committuntur. Ob minima ergò damna Deus iraſcetur, atq; hæc maiora approbabit? Et cùm ſinguli quiq; ob ſuam infidelitatem repræhendantur, diſsimulandá ne erit illa infidelitas, quę cum ſumma pernicie coniuncta eſt? Ad conſeruandam Reipublicæ adminiſtrationem Magiſtratui debentur reditus, tributa, vectigalia, aut ſi qui ſunt alij legitimi prouentus, Rom. 13. Matth. 22.

Quandò itaque horum quippiam ſubditi mala fide vel malignè præbent, aut interuertunt & ſubtrahunt, quocunq; demùm modo id appellare viſum ſit, certè periculoſum & graue crimen contra hoc præceptũ, Non furtum facies, cõmittunt: idemque in eorum numero cenſetur, de quibus Apoſtolus: Nolite, inquit, errare: neq; fures, neq; rapaces, neq; auari regnũ Dei poſsidebunt. Vbi autem præter ſolitos reditus Magiſtratus exactiones & onera imponit, id duabus de cauſis fieri poteſt. Interdùm quidem ex caſu quodam & calamitate, ſinè Magiſtratûs culpa accidente, vt ſunt bella ab externis hoſtib⁹ illata, aut alij caſus & clades ineuitabiles, quæ ſolitis ac vſitatis reditibus non poſsint ſuſtineri: Hîc nimirùm & rebus & corpore Magiſtratui aſsiſtere tenentur ſubditi, vt communis Patria his incommodis liberetur. Porrò ſi indè id accidat, quòd ex incurioſa rei familiaris admini-

1. Cor. 6.

v ſtratio-

ſtratione,aut non neceſſarijs ſumptibus, rei pecuniariæ inopia premit Magiſtratus,dum in pace prodigũt omnia, vt necopinato emergente caſu nihil ſibi prouiſum vel proſpectũ habeant: tum verò vtrúmne iniquè agant, contraque hoc præceptum ſeptimum veniant exactiones & onera imponendo, id Deus quandoque iudicabit. Non quòd omnes exactiones Magiſtratuum,quas præter ſolitos reditus ſubditis imponunt,velimus improbare: ſed quòd eos admoneamus, vt ab iniquis exactionibus abſtineăt: aut etiam dent operam, nè ad iuſtas & neceſſarias exactiones ex cauſis non iuſtis deuoluantur ac deueniant. Danda opera eſt,inquit Cicero,nè propter
2.Offi.16. ærarij tenuitatem,aſsiduitatemq́; bellorum, tributũ ſit conferendum: Sin qua neceſsitas huius muneris alicui Reipub. euenerit, danda erit opera, vt omnes intelligant,(ſi ſalui eſſe velint) neceſsitati eſſe parẽdum &c. Hîc ſimul admonẽdi ſunt Magiſtratus, Iudices & præfecti omnes, vt pacem,conſtituta,& iuſtitiam cõſeruent in Repub. idque citra grauamẽ & rerum temporalium detractionem. Quod non hoc ſenſu duntaxat dixiſſe velim, nè pro muneribus venalem habeant iuſtitiam:hoc enim manifeſtę eſt iniquitatis:ſed nè de miſerorũ ſudoribus emungant ſumptus. Si dicant,ergò gratìs noſtro fungemur munere:reſpondendũ eſt, et quî tãdẽm gratìs? Nónne dantur reditus,tributa,vectigalia,& decimæ? Hæc ſunt Magiſtratũs ſtipendia:porrò iuſtitiam,conſtituta,& pacem tueri & conſeruare,hoc eorum eſt opus & officium. Sumant ergò ſtipendia,ſed vnà etiam ſubeant labores,& benè fecerint. Conductio enim functionum omniũ eò pertinet, quò etiã reditus & tributa conferuntur. Verùm cùm DEVS in bonis temporarijs omnem illicitam oderit ſubtractionem & circunuentionẽ omnem, quæ proh dolor in bonis Eccleſiaſticis tam turpiter,fœdè,multisq́; modis exercetur: quanto magìs pia & ſanctior prima eiuſmodi bonorum eſt inſtitutio & collatio,tanto peior & damnabilior eſt eorundem abuſus. Quę verò, inquis, eſt inſtitutio & prima origo bonorũ Eccleſiaſticorum? Cenſus Eccleſię ſunt patrimonia Martyrum & confeſſorum,qui ſanguinẽ ſuum Deo, facultates ſuas Eccleſiæ obtulêre: ſunt item donaria piorum hominum & deuotæ plebis:qui bona ſua Eccleſiæ dedêre,hac ſola mente & intentione, vt illorum adminiculo cultui Diuino & poſterorum Chriſtianorum ſaluti inſeruiretur. Quomodò autem piorum illorum hominum voluntati ſatisfit, aut qua ratione æquum & bonum dici poteſt, quandò eiuſmodi homines theſauros Eccleſię abliguriũt,qui cultui Diuino perparùm,ſaluti verò & ædificationi aliorum prorſus nihil deſeruiunt? Et quidẽ nonnihil diſſimulari fortaſsìs poſſet,ſi iſthæc ocioſorum turba cum operarijs aliqua interdùm fructuũ parte gauderet, ſi non omnia ſimul ad ſe raperent, & omnes Eccleſiarum reditus ac prouentus ad ocioſas functiones adducerẽt, porrò neceſſarijs Eccleſiæ miniſterijs nihil præter famem & inopiam relinquerent. Apoſtolus dicit: Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni
1.Tim.5. habeantur,maximè qui laborant in verbo & doctrina. Iam verò honorem & cen-

& cenſus Eccleſiæ hi ſoli rapiunt, qui præeſſe neſciunt, alijs contemptum & famem relinquentes. Sed de hoc aliâs.

Quia autem adhuc verſamur in illis cõmemorandis furtis, quę à mortalium omniũ opinione ac perſuaſione remota & abſcondita ſunt, nec furtorum loco cenſentur, vnum adhuc cogor inſerere, quod Apoſtolus Magiſtratui ſummo ſtudio puniendũ mandauit: nimirùm, vt Magiſtratus neutiquàm ferat, vt quiſquã ocium agendo ſuas facultates inutiliter perdat ac dilapidet: ſed potiùs ocioſos illos adigat ad labores, vt opere faciundo, panem ſuũ manducent: alioquì enim peccant in hoc præceptum, Non furtum facies. Sed obijcies: Num igitur mihi non licet ità vt libet, res meas expendere? Reſpondeo: Si ex Iuris præſcripto tecum agere vellet Magiſtratus, non tibi id liceret: non quidem tua cauſa, cuius hîc minima ratio habetur: ſed cauſa aliorũ, nè poſteà cum alijs poſsis, immò & cogaris edere, atq; cum totius Reipub. grauamine in mendicitate alendus ſis, poſtquàm tua omnia decoxeris. Vide hinc 2. Theſ. 3. Sanè aduertendum eſſet, qua ratione quiſq; ad mendicitatẽ ſit redactus: & qui ex cauſis parùm bonis aut propria culpa, aut nulla adacti neceſsitate mendicarent, illi etiam pro merito tractandi eſſent, vt non niſi egenis eleemoſynę pręſtarentur. His ergò modis aduerſus hoc pręceptũ delinquitur, qui non abſurdè intelligi poſſunt hoc compręhenſi pręcepto, quo dicitur, Non furtũ facies: quanquàm pro mundi opinione vix illiciti putantur, tantum abeſt vt pro furtis habeantur. Neque ego quicquam dubito, quin mundani homines has meas conciones ſubſannent, dicantque: ohe, iſthęc nec in furtis habenda ſunt. Verùm hęc eadem obtigerunt Chriſto, Luc. 16. qui cùm grauiter dãnaret auaritiam & ſtudium rerum temporalium, audientes hęc Phariſæi, qui erant auari, deridebant illum. Mirum igitur fuerit, meam ab hominibus mundo deditis rideri concionem, quandoquidẽ iniquum dico, quod illi æquum cenſent? Ego autem vnà cum Chriſto illis reſpondeo, aut etiam Chriſtum ipſum hîc ſuam pariter & meam cauſam agere patiar, qui hunc in modum id genus auaris reſpondet: Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum. Futura Concione plura de grandi illo & manifeſto furto dicemus. Lucæ 16.

CONCIO XLII. HABITA
Dominica Reminiſcere, Anno 1543.

LAborauimus aliquot concionibus in explicatione Septimi præcepti, auditores chariſsimi, neq; parùm multos huic mundo deditos, eſſe puto, qui exiſtiment me paucioribus hoc præceptum abſoluere potuiſſe, quàm vllum cæterorum. Nam quid multis opus eſt verbis in huius explicatione pręcepti, quo dicitur, Non furtũ facies? Tantum adhuc proculdubiò frontis, tantum adhuc probitatis & virtutis habet mundus,

vt pauci admodùm ſint, qui alteri, quod illius eſt, furari velint. Atqui verò ſi quis opes conquirere, & quęſtum facere cupiat, hoc pro opinione mundi ius faſq; eſt. Siquidem eſt receptæ conſuetudinis, omnes id faciunt: quomodò ergò flagitioſum & turpe cenſebitur, vt neceſſum ſit tot concionibus aduerſùm hoc deſudare? Hoc eſt mundi de hoc præcepto iudicium. Si autem rem ipſam recta nobiſcum reputemus via, & iuxta Dei mentem & ſententiam hoc pręceptum perſcrutemur, immanes illius tranſgreſsiones in commercijs & ſtatibus ſeu ordinibus omnibus, vltra omnem modum comperiuntur. Certum enim eſt & indubitatum, quòd omnis circunuentio, qua alterius bonis præter fas & æquitatem aliquid detrahimus, ſiue parùm hoc ſit, ſiue multum, peccatum ſit, quod Deus prohibitum velit hoc præceptum, Non furtum facies. Quiſquis nunc oculos intendat in hominum commercia & negocia, prout nunc ea gerũtur, quot fraudes, circunuentiones, & iniquas ſubtractiones cõperiet, quibus alter alteri imponit? Equidem ſi mundum iuxta commercia & negocia ſua aliquo ſimili verè adumbrare deberem, videtur mundus, quaſi amplum quoddam theatrum, in quo varij ludi exercentur. Quiſq; aũt hoc ludi genus ſibi deligit, in quo plurimùm ſperat fortunę, omneſq; in hoc adhibet doloſas artes, qua ratione aliorum pecunias in ſuum marſupiũ colligat, vt hoc pacto die trãſacto aliquid lucri fecerit, quod ſub exortum ſolis adhuc ab alio poſsidebatur. Quemadmodùm autem in ludicris certaminibus alterum vinci, alterum vincere contingit, eodem modo euenit in commercijs & negocijs humanis, vt hic ad diuitias emergat, ille ad inopiam redigatur. Et ſicut inter omnia ludicra certamina nullum tam eſt ſimplex, quin ſuas habeat artes & fallacias: ità nunc vix vllã ſcio actionẽ vel negocium in vniuerſo mundo, quod ea ſimplicitate, candore & integritate geratur, vt non aliquandò circunuentiones & grauamina, & plerunquè etiam iniquę ſubtractiones admiſceantur: ità vt de Mundo dicere compellar, omnes ludere, & inter mille vix vnũ me comperire, qui panem ſuũ abſq; vlla iniquitate comedat, quique res & bona ſua adeò ſinè vllo aliorum grauamine acquirat & vſurpet, vt non interdùm aliqua ex parte huius præcepti de nõ furando reus ſit. Verùm conſuetudine primùm excęcati ſunt homines, vt ne agnoſcere quidem & ſentire poſſint peccata, quandoquidẽ adeò ſunt vulgaria. Quamobrem neceſſaria eſt prolixior oratio, & multis opùs eſt verbis, quibus huius pcepti explicatio clarè ac dilucidè tractetur, vt tandèm pelle ab oculis detracta, diſcãt mundo addicti hoĩes, tam ſua peccata, quàm irã Dei agnoſcere, qui huius flagitij cauſa multis modis mundũ affligit & premit. Progrediemur itaq; in enarratione eorum, quibus hoc pręceptũ violatur. Superiori concione die ab hinc octauo, de ijs peccatis audiuimus, quibus tametſi contra ſeptimum hoc præceptum venitur, iuxta hominũ tamen opinionem nequaquàm talia cenſentur, quæ vllã cum iniquitate & peccato habeant affinitatem: quæ tamen ſi penitiùs conſiderentur & examinentur, comperiemus eiuſmodi homi-

homines,de quibus iſthuc dicitur,res & facultates ſuas non omninò ęquo iure,& citra aliorum grauamina,acquirere & vſurpare. Nunc reliquum eſt, vt cætera enarremus, quibus aliquantò apertiùs & deteriùs in hoc præceptum delinquitur.

Proximum igitur, quo hanc Decalogi legem tranſgredimur,eſt fraudulenta in negocijs circunuẽtio,de qua Paulus ad Theſſalonicenſes:Hæc, inquit, eſt voluntas Dei, nè quis ſupergrediatur, neq; circunueniat in negocio fratrem ſuum:quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus. Mutuæ autem circunuentiones tam multis fiunt modis,vt recenſeri non poſſint: idque ea de cauſa, quòd indiès nouæ captiones & nouæ artes inueniantur in grauamen aliorum,quibus alij alijs per circunuentionem quippiam detrahant. Sacræ literæ quoſdam in negocio proximum ſupergrediendi & circunueniendi modos demonſtrant, eosque grauiter & prohibent & puniunt:putà,ſi quis pôderibus, ſtatéris,vlnis aut menſuris iniquis vtatur. Aduerſus eiuſmodi inquit Deus:Non habebis in ſacculo diuerſa pondera,maius & minus. Et Leuit.19. Nolite iniquum aliquid facere in iudicio,in regula,in pondere,in menſura. Statéra iuſta & æqua ſint pondera, iuſtus modius æquusque ſextarius. Prou.11. Statéra doloſa abominatio eſt apud Deum,& pondus ęquum voluntas eius. Aliam prætereà circunueniendi formam indicat ſcriptura,qua merces viliſſimæ,aut etiam corruptę & adulteratę pro bonis & incorruptis extrudũtur. Tertiò circunuenitur proximus, quandò opera datur, vt merces non pro precio ipſarum,ſed quàm poſſit fieri carè diuendantur. Ex hac poſtrema circunueniendi forma alius quoquè ſuppullulat dolus, quo merces recentiores aſſeruantur & recludũtur,donec precia earum in immenſum excreuerint. Et dum intereà corrũpuntur, nihilominùs ità corruptas longè maiori precio obtrudunt empturiẽtibus,quàm valebant quũ integrę adhuc eſſent & recentes. Vtranq; fraudem hanc, nimirùm qua merces recluduntur, donec creſcant earum precia,& illam qua vitioſas & corruptas ſanis & integris immixtas vænundant,grauiter repræhendit Deus apud Prophetam Amos,& iurans inquit: Si oblitus fuero vſque in finem omnia opera eorum. Nunquid ſuper iſto non commouebitur terra,& lugebit omnis habitator eius? Audite hoc qui cõteritis pauperem,& deficere facitis egenos terrę,dicentes: Quandò trãſibit meſſis, & vænundabimus merces:& ſabbatum,& aperiemus frumentum:vt imminuamus menſuram,& augeamus ſiclum,& ſupponamus ſtatéras doloſas,vt poſſideamus in argento egenos,& pauperes pro calceamẽtis,& quiſquilias frumẽti vendamus? Eccè tria hîc redarguit Propheta, tanquàm fraudulenta & rationi contraria, & quæ coram Deo magnam cum furtis habeant affinitatem. Principiò honeſtos illos & probos fures, qui furari quidem nolint, verùm in mundi theatro eas nôrunt adhibere artes, vt cum lucro decedant: nôrunt obſeruare tempus, vt non priùs vænundẽt quicquam,quàm magno conſtet. Et niſi quid aduerſi metuerent,ſum-

1. Theſ. 2.
Deut. 25.
Amos. 8.

mam annonæ caritatem diutina aſſeruatione priùs inueherent, vt precio quàm fieri poſſet maximo ſuas merces diuenderent. Primum hoc fraudis genus adeò vulgare eſt, non ſolùm apud eos, qui negociatores & propolæ vocantur, ſed & omnes illos, qui habent quod proximis vendere poſsint: putà, vinum, frumentum & ſimilia: vt mirum non ſit, ſi Deus hac infidelitate permotus, fame & inedia enecaret mundum vniuerſum.

Agè videamus iam ô belli & integri homines, quàm longè à furtis abſint animi veſtri. Si frumenti modius vno valeat aureo, tu autem duos extorqueas proximo, videberíſne pernicioſè & contra fraternam charitatem admodùm grauâſſe fratrem tuum? Si vini dolium decem aureis væneat, tu autem viginti recipias à proximo, an non minimè fraternè eum grauaueris? Immò reuerà eum dicéris grauâſſe. Sed inquis: Neutiquàm ego id facio, cùm tantídem vænundem, quanti cõmuniter inſcribitur. Cæterùm ſi decem aureos valeat, iam tuum ipſius animum appello, malléſne viginti vendere? Maximè verò: &, ſi cõmodè poſſes, triginta, quadraginta, immò quinquaginta ambabus manibus promptiſsimè reciperes. Eccè iam dudùm tuum animum in furto dephendo. Quòd enim proximo non tantum extorques, ea in re non te remoratur voluntas, ſed quòd deſit modus & opportunitas, qua poſsis ſub prætextu quodam & cõmodè id agere. In corde & animo tuo nihil tibi nimium eſt: adeoq; ſi vel pro vini ſextario vniuerſam proximi tui ſubſtantiam poſſes acquirere, equidem putauerim voluntatem tibi minimè defuturam, facileq; te perſuaſurũ tibi, neq; ſic nimium illum dare pro tantilla vini menſura. Id genus integros & probos homines paſsìm reperire eſt in oppidis & pagis, qui eiuſmodi annonæ caritatem expectent, nec cuiquam res ſuas, vinum aut frumenta ſua communicent, niſi ſumma ſit eiuſmodi rerum charitas. Ità iam, proh dolor, mundus nihil eſt aliud, quàm ſpoliariũ quoddam, vbi alter alterũ emungit & expoliat omnibus quibus poteſt artibus, dolis & inſidijs, omniq; circunuentione & infidelitate vel mala fide, aut quibuſcunq; alijs, quæ illi poſsint eſſe adminiculo ad adducendas ad ſe aliorum res & facultates. Sed inquies: Adeóne ergò fuerit iniquũ, merces ſuas carè vænundare, cùm vbiquè magno væneant? Reſpondeo: Mundus quidem tam ſibi probus & integer videtur, vt facta illius omnia non auſim reprehendere. Et iuris quidem eſt publici, omneſq; populi his legibus & moribus vtuntur, vt carè diuendere liceat, quod magno emitur vbiquè. Verùm enimuerò legem quandã in noſtra religione Chriſtiana cõperio, quę fortaſsis eiuſmodi negociatorũ ſtomachum nonnihil offendere queat. Eſt aũt talis: Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris. (Tob. 4.) Si hanc legem cõſulamus, pulchrè admodùm & velut digito demonſtrauerit, quid magno, quid paruo vęnundare debeamus. Si vini aut frumenti caritas ex anno ſterili & parùm fœcundo proueniat, iam tum minùs poſſum incuſare earũ rerum venditores. Sin aũt (id quod vtplurimùm euenire ſolet) annonæ caritati ipſi anſam prębeant, efficiantq; ſua aſſeruatione, vt rerum

rum precia augeſcât, iam cõmerentur maledictionẽ illam, de qua loquitur Sapiens Prou.11. qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio aũt ſuper caput vendentium. Eiuſmodi annonæ caritatẽ iam aliquot annis pertulimus, quę non ex aliqua terrę ſterilitate, ſed ex diuitum duntaxat mala fide prouenit. Si Chriſtiani forent, & ſua bona alijs cõmunicarẽt ſecundùm normã voluntatis diuinæ, & ad Euangelicæ legis præſcriptum, Matth. 7.
quę habet, Omnia quęcunq; vultis vt faciant vobis homines, itá & vos facite illis: Hæc, inquam, ſi inuicẽm facerẽt homines, facilè eiuſmodi annonæ difficultates anteuerterent. Poſſent enim in vnum conuenire, & communicatis inter ſe conſilijs, itá dicere: Necdùm, Deo ſit gratia, adeò magna eſt cõmeatûs penuria: tantum frumenti & vini ſupereſt nobis. Quamobrem non eo modo nos hac in re comparemus, vt impij illi apud Prophetam, dicentes: Poſsideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus &c. Recordemur eos eſſe fratres noſtros, & mediocri precio neceſſaria illis præbeamus: Quandoquidẽ Deo ſit gratia, largam ſatis etiamnùm vini & frumenti copiam habemus. Hoc igitur eſt vnũ, quod Deus de diuitibus & negociatoribus conqueritur, nimirùm iſtiuſmodi cõmeatûs aſſeruationem. Alia ſunt craſſę impoſturæ, veluti ſtatéræ iniquæ, pondera & menſurę adulteratæ, vitioſæ & parùm integræ ac deprauatę merces. Eiuſmodi technę & fraudes hodiè permultę in praxi habentur. Et quidẽ variæ adhuc propolarum & negociatorum fraudes & impoſturę proferri poſſent, quarũ non meminit hoc loco Propheta. An non & hoc furtum redoleat, quandò quis emptorẽ obſeruat, & animaduertens quis ſit, cum quo negocium habet, non mercẽ reſpicit, quid illa valeat, ſed imperitiam hominis conſiderat, & obtrudit eam illi ſtrophis, mendacijs & periurijs quàm poteſt cariſsimè. Huiuſmodi artes magnæ induſtriæ loco cenſentur hodiè, & quę ab omni peccato longiſsimè abſint. Quiſquis hac ratione ſimplices nouit in fraudem impellere, hic rerum ſuarum ſatagit, & vendendi cenſetur peritus. Væ tibi cæca mortalitas, quibus tenebris quàm turpiter te immerſit idolum illud tuum tartareus Mámon? Equidem cogor hîc demõſtrare, quàm penitùs excæcet homines auaritia, vt nec videre ſuã poſsint turpitudinem, & manifeſtum certumq; peccatũ pro nullo crimine habeant, modò lucri cauſa cõmittatur. Sin alio caſu quempiã peccare contingat, à quolibet accuſatur, iam turpe & grande piaculum cõmiſſum eſt. Nemo ignorat ꝓbroſum ac nefariũ eſſe crimen mendaciũ, Coloſ. 3. Prouerb. 6. 12. Nunc aũt quis mentiri erubeſcit cauſa auaritiæ? Interroges aliquem, quẽ putes virtute & probitate cõmendabilem, atq; frugi hominẽ, quanto precio merces ſuas inſcribat, & ſinè vllo rubore maniſeſtũ mendacium proferet. Rem enĩ, quam octo aureis diuendet, duodecim indicabit, penè excedens dimidiũ iuſti precij. Si in alijs negocijs eadẽ ratione tecum ageret, & tam palàm & procaciter tibi in faciem mẽtiretur, næ tu illũ haud magni faceres. Verùm Optimus Maximus Mãmon, ſancta Auaritia, facilè

Lucæ 6.

Amos 8.

huiuſmodi peccata remittit. Nemo mendacium appellare audet, quandoquidem in ſancti illius Dei, Mammonis inquam & Auaritiæ, gratiam & honorem admittitur.

Sed hæc de negociatorum ingenijs & moribus ſuffecerint, cùm adeò occultæ eorum non ſint impoſturæ, vt præmonitione ſit opùs: Immò toti orbi iam olim innotuit, quàm obſeruent Chriſtiani in ſuis commercijs le-
Tob. 4. gem illam Euangelicam: Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris. quod autem Dei ſit de huiuſmodi commercijs iudicium, ſatis expreſsit Prophetica illa comminatio, & nos quotidianis experimentis reipſa diſcimus. Iurauit
Amos 8. Dominus, inquit Amos, Si oblitus fuero vſque in finem omnia opera eorum. Nunquid ſuper iſto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius? Verùm de hoc aliâs. Poſt haſce iniquas ſtrangulationes ac direptiones, quæ in negociationibus committuntur, aliud quoddam peccatum eſt, non fortaſsè grauioribus afficiens damnis, ſed longè execrabilius tam coram Deo quàm hominibus, quàm malæ fidei negociationes. Id verò eſt infelix illa vſura, magnum mundi grauamen, & immanis ac abominabilis iniquitas in conſpectu Dei. Hic quidē latiſsimus ſe aperiret dicendi campus, neque minùs neceſſarium foret hinc pluribus agere, ni metus eſſet, neque paucis neq; multis verbis huic tam nefario facinori poſſe occurri. Experientia compertum eſt, varios eſſe cacodæmones, variasq́; eorum molitiones & actiones: at nullus ex vniuerſa cacodæmonum turma adeò ſuum vrget vitium in mundo, atquè mammon, nummarius ſiue pecuniarius dæmon, execranda illa auaritia. Hic enim ſe arceri non patitur: & ſi quid nouæ fraudis cōminiſcatur, id omninò ſibi vult fas eſſe, nec vllam fert propterea repræhenſionem, quaſi quicquam præter ius fasq́ue admittat. Hoc tum in negociationibus, tum in vſuris ita vſu venit. Breui res eò deuoluetur, vt vſuras vix quiſquam apud muudi homines peccati auſurus ſit inſimulare: aut ſi id omninò fiat, illi hoc ſusq́ue deq́ue ferant. At nihilo minùs tamen carpendum interim eſt Tartareum fœnus: à quo ſi neque ſic mundus velit abſtinere, certè tamen teſtimonium coram Deo ſecum adducet, quòd veritatem audiuerit, nè vllam habeat excuſationem. Si quem legere delectat, quàm grauiter execretur Deus vſuras, & quàm ſeuerè eas prohibeat, videat Exod. 22. Leuit. 25. Ezech. 18. 22. Pſalm. 14. In lege noua tam planè prohibentur vſuræ, vt gehennę ſupplicio mancipet eum, qui neceſsitatem patienti ſuis facultatibus nō fuerit opitulatus: tantum abeſt, vt cuiquam fas eſſe velit, alteri quod illius eſt, per vſuras extorquere. Eſt autem vſura, (ſi quis fortaſsè id nōſſe velit) quicquid vltra id recipitur, quod mutuò datum ſit: nec excuſaueris te, ſi reſpondeas, plùs te pręſenti pecunia potuiſſe intereà lucri facere, quàm pro fœnore receperis. Prorſùs elumbis ac ficulnea iſthæc ratio eſt. Pecunia enim pullos non edit: quicquid vltra id quod mutuò dediſti, vel vltra ſortem receperis, nullo iure tuum eſſe poteſt: ſed iniquè illud recipis, haud ſecùs àc rem furto ſublatam: atque eo nomine

minie reus es pœnarum omnium,quę tum diuino,tum humano iure in fœneratores conſtitutæ ſunt. Deus ipſe apud Ezechielem cap. 18. his verbis depingit vſuram: Qui ad vſuram, inquit, non commodauerit, & ampliùs non acceperit,hic iuſtus eſt & vita viuet.Et iterùm paulò pòſt: Filius vidēs omnia peccata patris ſui,& timuerit,& non fecerit ſimile eis:vſuram & ſuperabundantiam non acceperit,hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed viuet.Item Ezech.22. Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & auarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es,ait Dominus Deus. Eccè complosi manus meas ſuper auaritiam tuam &c.dices:Quis ergò mutuum dabit,ſi gratis ſit facturus? Equidem mâlim mihi pecuniam ſeruare meam, & ea interim proprijs ſeruire commodis,aut ex ea voluptatem capere, nec cuiquam dare mutuò,ſi paululùm pręter ſortem recipiēdo,tam iniquè agere videbor.ſed interrogabo & ego ex te vnum.Tu quidem dicis:Ecquis alteri velit mutuum dare gratis? Reſpondeo igitur:Quis ergò cæleſtem conſequetur beatitudinem, ſi nemo gratis velit mutuare neceſſitatem patientibus? Itáne Chriſtum ꝓfiteris,vt pecunia tua fratri ſubuenire nolis ex miſericordia & charitate,ſed ſolius lucri cauſa? Sit ergò pecunia tua tecum in perditionem,eamque qua potes tenacitate retineas, donec audias,Ito maledicte in ignem æternum,&c. Matt.25.

CONCIO XLIII. HABITA
Dominica Oculi, Anno 1543.

EQuidem non poſſum adhuc huic præcepto colophonem imponere, auditores optimi: alioqui non immeritò quiſquam meas culpauerit cōciones,quòd in exigua furta magna inuehar grauitate, & ꝑquàm acriter,grandia verò ſinè vlla repræhenſione prætercam. Quamobrem de illo furto, plus aliquid dicere compellor, quod iam omnibus perſpectum eſt:ſed id paucis tamen expediam. Proxima concione de vſuris diximus, quæ haud minimum eſt hac tempeſtate grauamen & oppreſſio, qua tenuioris fortunæ homines ſupra omnem modum bonis & facultatulis ſuis exuuntur, expilantur, perduntur, laniantur,& tandèm penè adeduntur, deuorantur & abſorbentur à diuitibus quibuſdam prorſus inhumanis. Nec quicquam habet abominabilis hæc vſura vel æquum, vel tolerabile, nihil quo aliqua ſaltem ex parte queat defendi,præter nudam eamq; fœdiſſimam conſuetudinem, quæ illam contra omnia tum diuina, tum humana iura tuetur. Tantum valet fortis ille DEVS, ille tartareus Mammon, vt contra voluntatem & præcepta veri DEI, & inuitis omnibus bonis & honeſtis viris, vſuræ inter homines vigeant & valeant. Et vt mundi peccata peccatis penſentur, vtì æquum eſt,aliud vſura peperit & excitauit furti genus, multo deterius furtis & vſuris. Nam vbi in vrbibus quibuſdam videndum & tolerandum eſt,pleroſque negociatores opulentos ſuis commercijs, negocijs, & vſuris vniuerſum orbem vltra omnem modum

modum grauare & fallere, nec ob huiuſmodi tamen flagitia puniri à Magiſtratibus, inueniuntur nonnulli, qui huius tantę iniquitatis pertęſi, eodem modo agant cum negociatoribus & fœneratoribus in agris, campis & vijs, quo illi ſe gerunt in oppidis erga alios. Illi aduerſus Deum & ius omne vſuras exercent: Iſti verò, vt aliquo modo puniatur fœnus, prædantur, diripiunt & ſpoliant illos: nec in hoc alicuius penſi habent neque pacem publicam, neque vllum ius vel naturale, vel humanum, vel diuinum. Atqui verò quanto flagitioſior eſt rapina furtis & vſuris, tanto & honeſtior. Haud quilibet ad eum dignitatis gradum peruenit, vt raptorem eſſe liceat: ſoli enim equeſtris ordinis viri, eò admittuntur. Quin & gloriari non dubitant tales, ſe hoc modo iniquitatem vindicare, & iuſtitiam defendere ac manutenere. Si autem res inſpiciatur penitiùs, comperiemus ſummam illi adiunctam eſſe iniquitatem & iniuriam, quæ nec apud Turcas, nec apud Ethnicos vllos defendi poſſit. Principiò prætexunt illi, ſe hac ratione mercatorum fœnerationes vlciſci ac multare debere. At videre licet, eos lucri cupidine lōgiùs prouehi: nam quiſquis aliquid habet, ſi in eorū manus incidat, is mercator & vſurarius ſit oportet: atque etiamſi non niſi vſurarijs res tollerent, quod illud, quæſo, quamque planè barbarum Ius foret, ſi ſceleratis fas eſſet in ſceleratos animaduertere? Quod hoc honeſtatis & virtutis genus, ità alterius iniquitati infenſum eſſe, vt longè maiori ipſe ſe iniquitate obſtringat, & odio nocentis, nocens fiat? Item ſi cui ab alio vis illata ſit, is conqueritur apud hos æqui ac boni & iuſtitiæ tam amantes homines: qui prædādo & comburendo tam diù ſæuiunt, donec ille ius obtineat ſuum. Egregia verò etiam iſthæc eſt probitas: dum vni alicui ius ſuum impetrare volunt, ipſi innumeros alios iniūria afficiūt: vt vnum aliquem locupletem hominem ad recuperandas res illi ablatas, vel ab alijs detentas adiuuent, depopulātur, ſuccendunt & euertunt plurimorum aliorum res & facultates omnes. O ſummam vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ ignominiam: Quo nos iure, quibúſve legibus vtimur, vt tam immania ſcelera nulla apud nos pœna plectātur, quæ nec inter Turcas quidem & Ethnicos tolerātur? Iactitamus Euangelicam doctrinam, quæ cælitùs ad nos peruenerit, & perſuademus nobis nullum eſſe populum in vniuerſo terrarum orbe, cui perindè ſuam voluntatem reuelauerit Deus vt nobis Chriſtianis, nec vllam eſſe in terris gentē, quę tam puram & ſynceram habeat doctrinam in omnibus, quę vel Deum vel proximum concernunt, quàm vti nos ſacras habemus literas in noſtra Religione Chriſtiana. Et vera quidem ſunt hæc: nec enim vlla gens in toto terrarum orbe tale ius habet, quod tam benè moratum reddat, vel bonis moribus æquè inſtruat & erudiat hominem, atquè doctrina Chriſtiana. Quàm verò interim nos ſumus rudes, inhumani, feri ac barbari, vt nullus penè ſit populus ſub ſole deterior ac peruerſior? In hac tanta Euāgelij luce, tantis adeoque Cimmerijs tenebris ſumus inuoluti, vt ne lumen quidem naturæ videamus. Tam craſſa & nefaria inter nos conſpiciuntur flagitia, vt melio-

melioribus moribus imbutos reperire liceat pleroſq; mortales in mundo, qui nullam habeant doctrinam aliam, quàm quæ luminis naturalis prælucente ſcintilla eis præſtatur. Iurè ſanè conqueri poſsit Deus de iſtiuſmodi populo:Ingreſsi ſunt ad gentes ad quas introiêrunt,& polluerunt nomen ſanctum meum:cùm diceretur de eis,Populus Domini iſte eſt:Itâ & nobiſcum ſe res habet, dum ad alios populos venire nos contingit: Hoc eſt,quocunquè peruenit fama Chriſtianorum, atq; itidèm morum & vitæ noſtræ cõmemoratur barbaries & turpitudo,dicunt:Illáne eſt Chriſtianorum doctrina? talí ne iure viuitur apud Chriſtianos? hæccine eſt Chriſtiana modeſtia? Sequitur iam poſt raptores alia quędam execrabilis familia eorũ, quos itidèm fœdiſsimus ille morbus argentarius, nempe Auaritia, ad horrenda peccata impellit & prouocat. Hoc eſt atrox & immane illud & pluſquàm beluinum ſcelus,latrocinium & cędes,quod in multis Chriſtianę ditionis locis horrendũ in modum graſſatur. Id genus latrones propemodùm ſunt tribules, collegę & ſodales prædonum, niſi quòd prædatores equis vehuntur,latrones pedibus ambulant. Et prædones quidem, cùm equis inſideãt, quibus facto impetu, poſsint acta præda aufugere, arces prætereà habeant, quibus ſe tutentur, nõ tam ſubitò ſuos hoſpites interficiunt. Latrones verò cùm ſuos captiuos abducere nequeant, aut in arcibus detinere, continuò iugulant, & vel aquis immergunt, vel ſcrobibus effoſſis inijciunt. His exceptis, prædatio & latrocinium paria ferè ſunt peccata, & omnium immaniſsima flagitia, quę quidem in hoc præceptum cõmitti poſsint, quod habet, Non furtum facies. Sanè dubium non eſt,latrocinia & prędationes eiuſmodi eſſe peccata, de quibus meritò & Deus & orbis vniuerſus queratur. Sed illud longè magìs deplorandum & quiritandum eſt,illic rapinas & latrocinia iam honori eſſe, vbì omium ſunt craſsiſſima & pernicioſiſsima. Id quod ego de non neceſſarijs,iniquis,& quadam libidine ſuſceptis bellis dictum accipi velim, qualia plerunquè exiſtunt inter Chriſtianos, vbì certatim rapiunt, furantur, cædunt & perimunt omni qua poſſunt immanitate. Et hæc tamen nemo auſus eſt peccati inſimulare: quiq; ea faciunt, & illis ſuam nauant operã,feruntq; auxilium: ij inter nos honeſti, probi, integri,ſtrenui & pręclari vt ſint ſinamus oportet.Iohannes certos terminos & limites præſcripſit, intra quos in bellis iuſtis ſe continere debeant milites: Neminem, inquit, concutiatis. Proculdubiò libenter meliora eos docuiſſet, ſi hoc hominum genus eiuſmodi foret, apud quos modeſtia, diſciplina, honeſtas,& pię adhortationes & admonitiones locum haberent. Iuſta & neceſſaria bella, ſi rectè & legitimè gerantur, equidem non poſſum improbare. Verùm in noſtris bellis nihil niſi merus infernus, & vniuerſa cacodæmonũ phalanx cum omnibus improbis commercijs & ſtudijs conſpicitur. Hęc itaq; qui ſecũ ipſe perpendit, an nõ cor illius prędolore rumpi poſsit, dum videt ſatanã cõſcientijs noſtris vſq;adeò illudere? An nõ manifeſtè aduertitis dilectiſſimi, vt diabolus omniũ hominũ mentes peruerterit & tene-

Ezech. 36
Rom. 2.
Lucæ 3.

& tenebris inuoluerit, præſertim circa ſeptimum hoc præceptum? Quãto maiora ſunt peccata, tanto minùs pro peccatis habentur. Qui nullam vult reformidare vel expectare mundi animaduerſionem & reprehẽſionem, is peccet craſſè ſatìs & propalàm, atque ità non eſt cur vllam propterea vel ignominiæ notam, vel caſtigationem ac pœnam metuat. Furtum, quod vulgariter furtum appellatur, minimum eſt aduersùs hanc Decalogi legem peccatum: & tamen hoc ſolum peccati ac probri loco ducitur, & ſuſpendio dignum iudicatur. Cætera omnia in hoc ſeptimum præceptum grandia peccata, etiam cum honore perpetrantur, nec vllum merentur ſupplicium. Non admodùm multa irrogantur damna per furtum, quæ caueri nõ poſſint: porrò circunuentiones in emendo & vendendo longè ſunt nocentiores: & plura dant damna, nec tamẽ eam ignominiæ notam inurunt apud homines, quam furta. Fœnerari etiam peius eſt, quàm circunuenire in negocio: & tamen non tam inhoneſtum ducitur, vt circunuẽtione vti. Longè deterius eſt rapere & prędari, quàm vel furari, vel fœnerari: attamen leuius & honeſtius putatur. Bella gerere iniqua, millecuplo exitioſius & peius eſt prædationibus, rapinis & latrocinijs: & quis tamen id iniquum eſſe & iniuſtum cenſere audeat? Væ mundo ob tenebras quibus immerſus eſt: quandoquidem ſtudia & facta illius nihil iam valẽt, pars eius erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure, Apoc. 21. Hæc autem non ſolùm de illis accipienda ſunt, qui ipſi talia committunt, ſed de illis etiam qui opem & auxilium ferunt: & præcipuè qui prohibere & auertere poſſunt & ex officio debent, at nihilominùs tamen ferunt, conniuent & diſſimulant. Quamobrem peccant in hoc præceptum Principes & magnates, qui vſuras tolerãt, graſſatoribus & prædonibus non præcludunt itinera, vias ab infeſtatione latronum minimè tuentur ac repurgant. Ad hos pertinet illud Prophetæ
Eſai. 1. elogium: Principes tui infideles, ſocij furum. Hi diligenter attendant illud
1. Cor. 6. Apoſtoli: Nolite errare: neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.
Rom. 1. Item q; illud: Qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolùm qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Neceſſarium inprimis putaui, Auditores, vt hoc ſeptimum præceptum diffuſè, perſpicuè & pingui (vt aiunt) Minerua explicarem, nè in multis adeò ſimus ſecuri, quibus contra charitatem fraternam & voluntatem diuinam in bonis temporarijs reuerà venimus & agimus. Si itaque ſeruandi ſint homines, nè tandem pereant, neceſſum eſt, vt demonſtretur illis tum ipſorum iniquitas, tum ira Dei, ac ſedulò illis inculcetur, quid iniquum ſit & iniuſtum in ipſorum negocijs & commercijs. Vt autem animi hominum maiori Dei timore & religione obſtringantur, & multiuarias auaritiæ ſpecies meliùs fugere & cauere diſcant, pauca ſubnectemus de ſupplicijs, quibus Deus in aliorum erga alios auaritiam, malam fidem, malignitatem & circunuẽtionem animaduertit, ſi fortè vel pœnę ab hac infidelitate & aliorum circunuẽtione animos noſtros queant auertere, cùm alioquì Dei timor & fraterna charitas parùm apud

apud nos valeat. Atque hîc cuilibet expendendum relinquam, quàm ſeriò & terribiliter pronunciet Apoſtolus, auaritiam & cupiditatem omniũ malorum eſſe radicem & occaſionem, per quam incidant homines in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Has auaritiæ miſerias & calamitates cõmemorat Apoſtolus 1. Timoth. 6. quæ quidem ad pœnam & ſupplicium poſſunt eſſe ſatis, adeò vt quilibet cordatus & prudens, hunc tam impotentem & perniciosũm morbum, haud ſecùs àc gehennam vitet & exhorreſcat. Eas autem pœnas duntaxat in præſentiarùm cõmemorabo, qua ipſi quotidiana experientia coràm cõſpicitis, quo pacto illas harpyias, auaros, inquam, punire, & perfidiam ac malignitatem, qua erga fratres ſuos in bonis tẽporarijs vtuntur, vindicare nôrit. Principiò dicat mihi aliquis, vbì viderit quenquam vnquàm, qui furtis, impoſturis, & cum oppreſsione ſiue grauamine aliorum magnas opes corraſerit, vt non vnà cum ipſis opibus maledictionem & execrationem diuinam ſibi conflauerit. Quæ Dei maledictio in hoc perſpici poteſt, quòd cum aliquo fructu & iucunditate vti nequeãt rebus illis, nec vllam ex ijs capiant voluptatem, ſed ſemper aliquid eiuſmodi incommodi & aduerſi Deo diſponente patiantur, vt non immeritò quilibet ſapiens debeat exhorreſcere. Accidit nonnunquàm, vt quis multa ſibi corradat & cõuerrat, multa obtineat & occupet, multis fraudem ob illorum res ſibi conquirendas imponat, neque tamen vllum indè lucrum vel commodum ſentiat, nec vllum in illis habeat ſucceſſum, neq; illi bono ſint. Alij fraudes quidem & impoſturæ cedunt ad temporariam felicitatem, vt magnum rerum temporalium aceruum cõgerat, ſed intereà Deo ſic volente, morbo affligitur, vt illis frui non poſsit: adeoque caſtigatur, vt quilibet miſerum non poſsit non exiſtimare, etiamſi totius mundi opes poſsideret. Alij Deus aufert poteſtatẽ & mentem, vt rebus partis frui admodùm non poſsit, nec illis auſit vti. Lucrum omne quod capit ex bonis ſuis, eſt moleſtia & labor in acquirendo, cura, ſolicitudo & anxietas in conſeruando, dolor in expendendo, vbì accidit, vt aliquid indè detrahere oporteat. Hæc nimirùm ſcripturæ magnorum ſuppliciorum loco habent, quæ proculdubiò Deo authore eueniũt illis, quos infidelitatis & malignitatis ergô punire inſtituit. Eſt & aliud malum, inquit Sapiẽs, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animę ſuę ex omnibus quę deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miſeria magna eſt. Et porrò ait: Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis ſubſtantię ſuæ, ſepulturaque careat: de hoc ego pronuncio, quòd melior illo ſit abortiuus, &c. Audite, quæſo, vt puniat illum Deus, qui cùm multa adeptus eſt, Deus illũ eorum priuat vſu. Quicquid ex facultatibus vtilitatis & cõmodi capiendum eſt, eo iſte caret, Eccleſ. 6.

nec eo fruitur. Ex facultatibus veſtes parandæ ſunt: at iſte inſtar mendici laceris tegitur veſtibus. Ex opibus alimēta corporis petenda ſunt: at hic oculis ipſis famem indicat, confectus macie, & quouis mendico ſordidiùs victitans. Rebus & fortunis ſuis debet vnuſquiſibet & ſibi, & amicis ſuis eſſe honori: at iſte nec ſibi, nec alijs honori eſt. Quid poſſet eiuſmodi homine eſſe pauperius & miſerius? Quid diſcriminis eſt inter illum, qui non habet, & patitur penuriam, & illum qui habet quidem, ſed in maiori etiam viuit egeſtate? En iuſtam DEI in auaros animaduerſionem. Item diuitię organū ſunt & inſtrumentum ad quæuis opera & exercitia miſericordiæ: hic enim germanus illarum eſt vſus, vt de ijs mutuū demus, largiamur & ſubueniamus illis, quos premit inopia: Hoc eſt enim theſaurizare ſibi fundamentū
1.Tim.6. bonum in futurum, vt appręhēdamus vitam ęternam. Vbi autem hic diuitiarum longè feliciſſimus vſus cōſpicitur apud eos, qui per fraudem, impoſturas, iniuriam & iniquitatem ſibi parant opes? Nuſquàm ſanè. Facultates illorum non niſi inſtrumentum quoddam conciliandę mortis ſempiternę illis ſunt, & in teſtimonium contra ipſos coram tribunali DEI, quòd inſtrumentum parandæ æternę felicitati deſtinatum, tam liberaliter & inhumaniter ſibi retinuerint, Matth.25. Sanctus ille Dauid illud quoquè ceu pœnam & vltionem quandam auaritiæ commemorat, quòd auari tametſi ad vltimam vſque ſenectam viuant, nunquàm tamen fruantur diuitijs ſuis, ſed ſinè vllo earum fructu moriantur, &, quod peculiare eſt flagellum, extraneis ſuas relinquant facultates, nec ijs vita functis, in eum conuertantur vſum quem ipſi voluiſſent. Pſal.48. Relinquent, inquit Propheta, alienis diuitias ſuas. & Pſalm.38. Veruntamen in imagine pertranſit homo: *ſed &* fruſtrà cōturbatur. Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Alia prætereà calamitas & vindicta Dei conſpicitur in diuitijs per fas & nefas conquiſitis. Multi ſunt, qui Deum pariter & homines offendant, vt liberis amplā relinquāt hęreditatē, & tamē de malè quęſitis non gaudet tertius hęres.

Semper enim tale quid infortunij incidit, vt malè parta, malè dilabantur. Neque raro accidit, vt eiuſmodi malè quæſitæ opes hęredibus ſint in laqueum: ſiquidem ſępenumerò in probrum, dedecus aut damnum incidunt, adeò vt longè pręſtiterit, nè teruncium quidem ipſis à parentibus fuiſſe relictum. Hîc iam ſatis declarat DEVS, proſperitatem & diuitias ex ſola ipſius gratia & benedictione pendere, & ſinè ea plùs incommodare quàm commodare poſſe. Prou.14. Corona ſapientium, diuitię eorum. Hęc igitur ſunt peculiaria illa flagella, quibus Deus quandoquè affligit nonnullos propter perfidiam & fraudem, qua vtuntur in bonis temporarijs. Sunt tamen etiam grauiores pœnę & flagella ob variam & multiplicem perfidiam & infidelitatem, quam alter in alterum exercet in bonis externis. Inueniuntur homines, ijque non pauci, qui in hoc ſolùm intenti ſint, vt omnia ad ſe rapiant: nihil illis ſatis eſſe poteſt, adeò vt ſi duplo plùs haberent, nullus tamen rebus & bonis eorum frui poſſet, niſi ſummo dato precio non abſque

abſque miſeria ac detrimento. Hanc ergò perfidiam & malignitatem penſat & vlciſcitur Deus ſterilitate agrorũ,& magna annonę caritate,eademq́; parcitate nobis largitur bona ſua, qua ea nos proximo cõmunicamus. Et queádmodùm deterrima & viliſsima quæq; impertimur proximis noſtris, ſic etiam Deus creſcere facit fruges acerbas,& vſibus noſtris parùm accommodas, vt contracta erga Deum fronte ijs victitemus, ſicuti nec pauperes vlla charitate & beneuolentia noſtra in ſuî ſuſtentatione frui poſſunt. Atq; hoc iam olim minatus eſt Deus per Prophetam Eſaiam, ſe fœdiſsimam infidelitatem & auaritiam noſtram, ſoli ſterilitate & annonæ caritate vindicaturum. Væ,inquit, qui coniungitis domũ ad domum,& agrum agro copulatis vſq; ad terminũ loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In auribus meis ſunt hæc Domini exercituum. Quo aũt modo vindicabit hæc Deus? Niſi, inquit, domus multę deſertę fuerint, grandes & pulchræ abſq; habitatore. Decem enim iugera vinearum facient laguncùlam vnam, & triginta modij ſemẽtis facient modios tres. Et apud Prophetam Amos, Nunquid,ait,ſuper iſto (putà eiuſmodi fraude & malignitate) non cõmouebitur terra,& lugebit om̃is habitator eius? Videamus quęſo, quanta cum ſeueritate his flagellis hac tempeſtate in nos deſæuiat Deus. Fraudum, circumuentionum & turpiſsimarum vſurarum,tanta paſsìm eſt copia, vt legitima ratione omnes puniri non poſsint. Quis, oro, multis ſatis patibulis, lictoribus ac carnificibus parādis ſufficiat? Quamobrem eiuſmodi caſtigatores nobis immittit Deus, qui ſimul in om̃es nos queant animaduertere. Alios inuadit Turca: alibì Chriſtiani alij alios magno obruunt exercitu: hi vno impetu ſemèl diripiunt, quicquid longo tẽpore per fraudes & impoſturas contra Dei voluntatem corraſum eſt: flammis & ignibus populantur & perdunt ea quę auferre nequeunt: vim pręterea afferunt prolibus & vxoribus, immò & vitam non rarò cum bonis eripiunt.

Eſaiæ 5.

Amos 8.

Hoc eſt venari & perſequi fures, & infidos ac malignos caſtigare, quandoquidem adeò nulli curant illud præceptum Dei: Declina à malo, & fac bonum. Qui furabatur, iam non furetur: magìs autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vndè tribuat neceſsitatem patienti, Epheſ. 4.

Pſal. 35.

CONCIO XLIIII. HABITA *Dominica Lætare, Anno* 1543.

HActenùs, auditores, tria Decalogi pręcepta cõtinenter audiuimus, quintum, ſextum & ſeptimum: quibus Deus ſuam cuiq; vitam, deindè vxorem, poſtremò res & facultates temporarias ab omni læſione, iniuria, damno ac dedecore tuetur, munit atq; conſeruat: vultq́; nè quiſquam alterius vel vitam, vel vxorem, vel bona & facultates vllo modo lædat, aut damno vel iniuria afficiat. His iam octauũ ſubiungit pręceptum, quod itidèm ſeruandę erga proximum charitati deſeruit: & eſt eiuſmodi:

OCTAVVM PRAECEPTVM:

Non loquéris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

TAntum vos ex Decalogi præceptis iam didiciſſe exiſtimo, dilectiſsimi, vt ipſi facilè queatis apud vos cauſas expēdere, quàm cōmodè, & quàm vtiliter, & quàm pulchro & apto ordine hoc octauum mandatum tribus præcedentibus ſit annexum. Hæc ſiquidem eſt mens & intentio legiſlatoris noſtri in præceptis ſuis, vt proximi charitatem inter homines certam, tutam, integram & inuiolatam conſeruet: nec ferre vult, vt quiſquam lędat proximum vlla in re quam is charam habeat.



Iam autem præter vitam, vxorem & facultates chara eſt vnicuiq; fama, honor & exiſtimatio ſua, adeò vt non minùs inuitus famam velit perdere ſuam, quàm bona externa, immò quàm vitam ipſam. Nam ſatiùs eſt nō viuere, quàm cum dedecore, ignominia & contēptu ſuî viuere. Iacturam eñi facit omniū pernicioſiſsimā, quiſquis famā, exiſtimationē & bonū nomē amittit. Facultates & diuitiæ ſemèl amiſſæ, poſſunt recuperari, aut mutuò ab alijs accipi: fama ſemèl amiſſa, recuperari vix vnquàm poteſt, nec quiſquam hanc mutuò dare poteſt, vel illam in integrū reſtituere. Nam etiamſi

conetur

conetur quis alium in priſtinum honorem & exiſtimationem reſtituere, & ignominiæ nota eximere: at manet tamẽ perpetuò inuſta macula, quam reliqua vita eluere non poſsit. Cùm ergò Deus hominem in pace ac tranquillitate conſtitutũ velit, idque penè in omnibus, quæ illi chara ſunt, non minùs illi ingratum eſt, ſi proximi famam falſis teſtimonijs labefactemus, quàm ſi corpus, aut vxorem, aut bona eius lædamus. Eam ob rem octauum hoc pręceptum promulgauit, Non loquéris contra proximum tuũ falſum teſtimonium. Altera huius pręcepti cauſa hæc eſt, vt præcedentia pręcepta inter homines abſolutè & perfectè perpetìm obſeruẽtur, octauũ hoc velutì quoddam auctuarium & acceſſionem præcedentibus addit, edícens: Non loquéris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Vetitum eſt in Decalogo, nè alter alterum occidat. Atquì verò etiam lingua cõmitti poteſt homicidium, falſum dicendo teſtimonium. Proſequeris odio proximum, nec eam habes facultatem, vt cõmodè queas eum interficere: porrò nomen illius falſò defers de hoc vel illo perpetrato crimine, quo in ſummum vitæ diſcrimen adducitur. Quid tandèm hoc aliud eſt quàm homicidium? Modò proximo necis ſis cauſa, ſiue id lingua facias, ſiue gladio, ille certè mortuus & peremptus eſt. Vetitum eſt furtum: ſed ſi falſo teſtimonio facultates proximi imminuas, & in damnũ eum adducas, quid quęſo id furto præſtabilius eſt? Par eſt voluntas, ſolùm inſtrumentũ mutatum eſt: illud enĩ manu, hoc lingua conficitur: porrò vtriuſq; idem & par eſt affectus.

Manifeſtum ergò eſt, præcedentia præcepta ſinè hoc octauo necdùm ſufficere, nec eſſe abſoluta, nec mutuæ hominũ charitati ſatìs eſſe proſpectum, niſi itidèm vetitum eſſet, Non loquéris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Tertia ratio, quamobrem cõmodo ordine hoc præceptum ſequatur, hæc eſt: Superiori præcepto vetantur furta: iuſtum itaq; eſt, vt proximo loco mendacia & falſa teſtimonia prohibeantur. Hæc nanque duo deteſtanda vitia libenter ſibi mutuò cohærent, furtumq́; & mendaciũ pariter iuncta eſſe volunt. Non ſatìs egregiũ ſe præſtat furem, qui non nôrit mentiri. Qui autem benè mentiri nouit, penè impoſsibile eſt, vt minimùm à furtis abſtineat. Has ergò ob cauſas legiſlator noſter hoc præceptũ octauum condidit: nunc reliquum eſt, vt Dei benignitate freti, eius quoq; mentem & explanationẽ audiamus. Miſeram illam & fragilem noſtræ naturæ cõditionem, primorum parentũ lapſui acceptam ferre oportet, quòd ſenſus & cogitatio humani cordis in malũ prona ſunt ab adoleſcentia ſua, vti Deus ipſe teſtatur Geneſ. 8. qui & creauit nos, & figmentum noſtrum ipſe cognouit. Et ſi ὁρμὰς illas φυσικὰς, hoc eſt, naturę noſtrę propenſiones & Pſal. 102.
affectus ſequamur, nihil vnquàm ferè rectè & ſinè peccato fecerimus. Vt autem boni aliquid præſtare queamus, neceſſarium eſt nobis gratię Diuinę adiutorium: & vt ſciamus quid iuſtum & bonum ſit, ex Dei verbo de omnibus inſtitutio petenda eſt. Omnis enim ſcriptura, in quit Apoſtolus, Diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad

erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, 2. Tim. 3.

Hucuſquè audiuimus, quàm multis modis in Deum & proximum peccare poſſimus: prætereà ex Dei verbo didicimus, vtì homo Dei eadem peccata, gratiæ diuinæ ſuffultus preſidio, & debeat & poſſit euitare, atque quomodò tum erga Deum, tum erga proximum corde & opere iuſtitiam colere debeamus. Vnum adhuc reſtat humani corporis membrum, de quo ex diuinis literis necdùm ſatis inſtituti eſtis, tametſi præ alijs membris omnibus inprimis laſciuum, petulans, & ad iniquitatem & omnia inſtructū eſt. Ipſum nimirùm lingua eſt, quam Iacobus pronunciat vniuerſitatem iniquitatis, malum inquietum, plenam veneno mortifero, quam nullus hominum domare poſſit. Et quanuis variæ ſint peccatorum ſpecies, lingua tamen cum ſua cohorte, ità ſuperat vniuerſa, vt admodùm diligenti refrenatione ac domitura indigeat, & ſi quis ſuæ ità imperare poſſit linguæ, vt verbo non offendat, hic demùm perfectus eſt vir. Huic itaque inquietæ, indomitæ & nocentiſſimæ beſtiæ frenum inijcit Deus, & in DECALOGO peculiare præceptum eius cauſa cõſtituit, iſthuc videlicet: Non loquéris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Porrò hoc loco rurſum admonendi mihi eſtis moris ſiue conſuetudinis illius, quæ familiaris admodùm eſt ſcripturæ diuinæ. Requiritur enim ad verum vniuſcuiuſque pręcepti intellectum, vt ſciamus cùm Deus de multis rebus generatìm loquiť, quæ om̃es ad vnum aliquod genus pertineãt, non eum ſingulas ſingulatìm exprimere, ſed ex ijs quandam præcipuam nominare, cuius appellatione cæteras omnes velit compræhenſas: vt, verbi gratia, cùm prohibet, nè alterum in corpore lædamus, læſio autem multis fiat modis, præcipuum ponit læſionis genus, dicens: Non occídes. Sub quo vno accipi vult, nè quis proximum vllo pacto in eius corpore lædat. Sic vbì damnum in bonis & facultatibus temporarijs, vult à nobis auertere DEVS, alter autem alterius bonis varijs modis queat officere, furtum nominat, quo ſimul om̃es dolos, fraudes, damna & iniurias vult prohibitas. Eadem ratione quãdò anteuertere vult, nè quiſquam verbis proximū vel in corpore, vel in facultatibus, vel in exiſtimatione lædat, oris quoddam opus exprimit, quo plerunquè proximus læditur, nempe falſum teſtimonium, quo omnia ſimul oris opera & loquacitatem omnem vult vetitam, quæ in detrimẽtum proximi vergere poſſit, ſiue in corpore, ſiue in anima, ſiue in rebus & fama illius. Quandò itaque pręcipit, Non loquéris aduersùs proximum tuum falſum teſtimonium, idipſum de omni oris peccato generatìm dictum putabimus, quaſi illud Prophetæ dicat: Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua nè loquantur dolū. Vide nè quandoquè contra fraternam charitatem verbo offendas proximum. Hic eſt verus & genuinus huius præcepti intellectus. Vt autem homines vulgares commodiùs iſthuc percipiant, modos aliquot quibus in proximum peccare, & Deum offendere, atque ità noſtras ipſorum animas lin-

Iaco. 3. Ibid. Pſal. 33.

lingua perdere queamus, è ſcriptis diuinis cômemorabimus. Et primo quidem loco indè dicam, quòd cõmuniter ex huius præcepti verbis accipi ſolet. Primum & vulgatiſsimũ in hanc præceptionẽ peccatum, eſt falſum teſtimonium, ſiue id in iudicio proferatur, ſiue extra iudicium. Grauiùs tamẽ & frequentiùs obiurgantur illi (vtpotè nocentiores) in ſcripturis, quemadmodùm audiemus, qui in iudicio aduerſùs proximũ, ità vt plerũquè fit, aliquid loquũtur, quod vel vitæ, vel famæ, vel facultatibus eius pnicioſum ſit. Solent iudices reum minimè condẽnare, niſi teſtibus antè conuictum. Hîc aũt plerunquè contingit, homines eſſe affectos aliter atq; aliter, vt vnus ex odio, alter ex neceſsitudine vel amicitia, alius ꝓ fauore, deniq; alius ob munera & proprium emolumentũ ferat teſtimoniũ. Atq; hac ratione non rarò vel verbo vno grauãtur inopes, vt aut mortis ſententiã immerentes ſubire, aut iniquũ aliquod in ſuis facultatibus damnũ facere, aut famæ ſuæ diſpendium & ignominiam ferre cogãtur, aut quocunq; tandèm modo res cadat, innoxios aliquid perpeti oporteat. Vel etiã accidit, vt reo adulantes, per mendacium eum pœnæ cõmeritæ eximant. Hęc ſanè omnia falſa ſunt teſtimonia, quibus tum veritas, tum Deus ipſe læditur, & proximus grauatur: quæq; æternæ dãnationi reddunt obnoxios eos omnes, qui illa perhibent, ac ore depromũt. Aduerſùs hęc loquitur hîc ſcriptura: Non dices contra proximũ tuum falſum teſtimoniũ. Et Prou. 19. Teſtis falſus non erit impunitus, Prou. 21. Teſtis mendax peribit. Et Prou. 6. inter ea quæ odit Dominus, cõnumeratur teſtis fallax. Exod. 23. Non iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium. Leuit. 19. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio. Et paſsim apud omnes Prophetas, de nulla hominum malitia tam grauiter conqueritur Deus, atquè de peruerſis & iniquis iudicijs, præcipuè ſi ferantur contra miſerabiles perſonas, quæ nullo alio in hoc mundo, prçterquàm ſolius Dei & iuſtitiç patrocinio nituntur: cuiuſmodi ſunt viduæ & pupilli, pauperes quoquè & peregrini, quos nemo non pedibus conculcare contendit, quandoquidem neminem habent, qui ipſos tueatur ac defendat. His igitur iura ſubueniant, atque ab immeritis, iniquis & iniurioſis damnis ſeruent ac vindicent oportet. Quòd ſi ius illis peruertatur, vt iniqua ſententia condemnentur, hoc ægrè admodùm Deus ſufferre poteſt. Exod. 22. Viduę & pupillo non nocebitis: ſi lęſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, &c. Eſaiæ 1. Zacharię 7. Iam verò inſita eſt hominum animis natiua quædam eaque fallax adulatio. Nanque potentibus, diuitibus & illis qui in nos fauore, beneuolentia ac amicitia propendent, libenter blandimur & adulamur, libenter obſequimur & gratum facimus, & ægrè offendimus. Ediuerſo verò pauperes & inopes nullo in numero habentur, & exiguum cenſetur, ſi quid iniqui aduerſùs illos geratur. Ex hac adulatione exiſtunt & oriuntur falſa teſtimonia, vt plerunquè vel authoritate perſonarum, vel alioquì fauore & amicitia ſeduci

De iudicijs iniqs cõtra miſerabiles perſonas.

nos patiamur,cogitemusq́ue:Si quod iuſtum eſt,ſimpliciter & apertè pronunciemus,hunc vel illum offendas neceſſe eſt: illi vel illi,cui ſtudemus & benè cupimus, damno futurum eſt. Hîc iam quæruntur exceptiones, quibus veritas flecti & contorqueri poſſit, nè omninò malam gratiam ineamus:& intereà patiuntur miſeri ac inopes.Et proculdubiò hęc innata adulatio & perſonarum acceptio vel reſpectus, ingens eſt & vulgare apud homines vitium:atque optârim equidem vel ex millibus videre vnum,quem acceptio perſonarum non faciat adulationi obnoxium,qui vbiuis veritatē liberè pronunciet,nulla eius habita ratione, quis vel audiat, quem vel tangat,vel malè habeat. Hinc eſt,quòd perſonarum acceptio multis locis grauiter ꝓhibetur in ſcripturis diuinis. Deut.16. Non accipies perſonam nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum, Iob 34. Prouer. 24. Iacob.2. Tanta cum ... & grauitate prohibet Deus acceptionem perſonarum: facit enim omnes nos adulatores. Equidem perquàm velim videre eum, qui ſit immunis à falſis teſtimonijs, non ſolùm illis,quæ feruntur in iudicio, ſed illis etiam, quæ perhibentur extra iudicium. Verbi gratia:Audis interdùm proximum traduci, vel criminis alicuius falſò inſimulari: nôſti quoquè vt tuendus & purgandus ſit, idq́ue facilè potes: ſed quia ille,qui talia profert, tibi vel coniunctus,vel commodus eſt,non libenter eum mendacij arguis,atque ità pateris proximum innocentem in illa iniqua ſuî traductione & infamatione hærere. E diuerſò hominem flagitioſum audis defendi, & pro illo ferri ſententiam, quem tamen certò noueris eſſe iniquum & reum, ſed taces: vtroque modo es reus falſi teſtimonij. Vides iniquum aliquid vel in factis, vel in verbis,nec liberè quod æquum eſt pronuncias,obnoxius es adulationi & falſo teſtimonio. Has ergò adulationes coërcere, & veritatem apud nos promouere voluit hoc præcepto Deus, dum inquit: Non loqueris aduersùs proximum tuum falſum teſtimonium: non ſolùm in iudicio, ſed & extra iudicium. Hîc magnus arripiendus eſt animus,atque cum Dei timore commemorādæ illæ ſcripturę diuinæ ſententiæ, quas Deus protulit aduerſùs falſa teſti-
Prou.19. monia,quę ille nulla ratione ferre poteſt. Falſus teſtis,inquit,non erit im-
Prou.21. punitus. Teſtis mendax peribit. Abominatio eſt Domino labia mendacia.
Prou.12. Atque indè ſumendus animus,ſicq́ue cogitandum: Quid verò poſſit totus hic mundus contra Deum? ſimulq́ue cum veritate recta pergendum via, atque per omnia penetrandum, ſiue id in iudicio ſit,ſiue extra iudicium, quencunque vel tangat, vel malè habeat in terris. Hanc magnanimitatem à nobis depoſcit Deus: Sic enim agere decet hominem probum & hone-
Actor.4. ſtum. Vbiquè vera teſtimonia dicere vel perhibere, eiuſmodi opus eſt, vt meritò cum Apoſtolis precari debeamus, vt Deus omnem mundi formidinem & perſonarum acceptionē tollat & eximat ex animis noſtris,eamq́; libertatem nobis adſpiret ſuo ſpiritu,vt quouis loco & tempore veritatem fidenter profiteri,& falſa teſtimonia vitare poſſimus. Verùm hîc rurſus ad

communem illam & grauem querimoniam deſcendendum eſt, quòd erga præcepta diuina horribiliter cæcutimus. Quis hanc in proferenda veritate libertatem & alacritatem à Deo poſtulabit, cùm nemo adulationẽ habeat peccati loco? Si verò agnoſceremus, quàm apud Deum adulationes omnes & mendacia fœteant, facilè animaduerteremus, quid hîc nobis deficiat, & quàm rarus ſit numerus eorum, qui hoc præceptum obſtruent. Indicaui quādoquè vobis, qualem oporteat eſſe iudicem, qui quod æquum ſit, ſimpliciter, nullius habita ratione, iudicare velit. Principiò cæcum eſſe & oculis captum oportet, ac ferreo pectore. Eadem quoquè in teſte ſunt neceſſaria. Cæcus erit, vt neque potentem ab humili, neque diuitem à paupere, nec amicum ab inimico queat diſcernere. Deindè ferreum pectus habeat neceſſum eſt, nè vel cuiuſquam potentiam formidet, vel erga pauperes miſeratiōe moueatur, ſed incōcuſſo animo, ſinè omni perſonarū acceptione ferendo teſtimonio ſuo ſimpliciter conſtanterque procedat, inſtàr veritatis ſimplicis atq; rectę, quencunq; demùm id attingat. Quamobrem om̄es in ſcripturis diuinis ſententiæ, quæ ad iudicis officium pertinent, ad teſtes quoquè referuntur. Eccle. 7. Noli quærere fieri iudex. Sic etiam nec teſtis. Exod. 23. Pauperis non miſereberis in iudicio. Quæcunque autem de falſis teſtibus hîc dici queant, eadem generatìm referenda ſunt ad omnes illos, qui iudicijs adiuncti ſunt: vt ſunt Iudices, Aduocati, Procuratores, Notarij, qui ſcientes plerunquè ſynceram & iuſtam cauſam impediūt ac diſtinent, aut iniuſtā defendunt, aut promouent & procraſtinant quęſtûs & lucri gratia. Hi omnes in hoc præceptum committunt. Deniquè quiſquis in cauſa eſt, quo minùs veritas ſuos habeat liberos & expeditos progreſſus, à Deo haud ſecùs àc falſum teſtem ſe nouerit puniendum.

CONCIO XLV. HABITA

Dominica Iudica, Anno 1543.

QVI mundo & mortalibus conſultum cupit, auditores optimi, & ſalutis omnium æternæq; beatitudinis cupidus eſt, hic inter multa quę illis neceſſariò precari poſſet à Deo, meo iudicio nihil priùs aut magìs neceſſariū poterit optare hominibus, quàm illud quod 2. Mac. 1. Iudęi ſuis fratrib⁹ precant̄ his verbis: DEVS det vobis cor om̄ibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatē corde magno & animo volēti. Adaperiat cor veſtrū in lege ſua & in pręceptis ſuis, & faciat pacem. Vna eademq; res ſępiùs quandoq; mihi repetenda eſt. Nihil tam eſt pernicioſum in orbe vniuerſo, nullus tam periculoſus laqueus, quo citiùs implicantur, inuoluūtur, & tandèm in damnationē pertrahunt̄ miſerę animę, quàm quòd corda noſtra erga Dei leges & præcepta clauſa ſunt, & mētes ac ſenſus noſtri adeò ſunt obſcurati, vt plurima, quæ verè peccata ſunt, nullius iam peccati loco putemus. Habemus Dei verbū, legem & præcepta: & tamen quid vel ſit, vel nō ſit peccatū, ineptiùs & inſulſiùs, quàm ethnici, iudicamus ac ſtatuimus.

Cenſe-

Cenſemus iuſtum & iniuſtum, fas & nefas, peccata & non peccata, ex conſuetudine & opinione noſtra, neutiquàm autem ex voluntate, verbo, lege, præceptiſque diuinis. Sed quid futurum eſt, dilectiſſimi, cùm venerimus ad Chriſti tribunal? Ideóne peccatum non peccatum cenſebitur, quia nos in peccatis id numerare noluimus? Minimè gentium. Non ex conſuetudine, vel arbitrio & iudicio noſtro, ſed ſecundùm verbum & præcepta ſua iudicabit, & in peccatis numerabit, quæcunque contra illius præcepta admittūtur, etiamſi apud homines in more poſita fuerint, tanquàm à peccato aliena. Sic peribunt Ethnici omnes cum impietate ſua & flagitijs ſuis. Eodem modo perdentur deſides ac negligentes Chriſtiani, qui Dei verbum & præcepta paruipēdunt, quibus curæ non eſt quæ ſit voluntas Dei, ſed vitam ſuam pro mundi more, vſu & conſuetudine tranſigunt. Aduerſum hunc periculoſum laqueum, contra hanc immanem erga Dei præcepta occæcationem, ſinè intermiſſione ꝑpetuis à Deo pro tota Chriſtianitate contendendum eſſet precibus, atque ità dicendum: Aeterne & miſericors Deus Ieſu Chriſte, quos ſanctiſſimi nominis tui participes facere dignatus es, illis etiam da cor omnibus, vt te colant, & tuam faciant voluntatem corde magno & animo volenti. Adaperi cor eorum in lege tua & in præceptis tuis, & fac cum illis pacem. Nemo enim cum Deo pacem habere poteſt, qui voluntatem & mandata eius neque nouit, neque obſeruat. Hic illa Pauli parænеſis grauiſſimè foret in omnibus Chriſtianorum cœtibus inculcanda, atque ità hominum ſenſus & cogitationes ad verbum DEI dirigendæ, vt hoc ſolieiti ſecum ipſi perquirerent, vt rectè ac iuxta Dei beneplacitum viuendum ſit. Eò ſuos Epheſios hoc modo hortatur Apoſtolus: Videte, inquit, fratres, quòmodò cautè ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes. Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit volūtas Dei. Quæ quidē rurſus ex huius octaui, quod iam in manibus eſt, pręcepti occaſione repeto, quo omnigena linguæ peccata nobis interdicuntur. Fortaſsis enim pſuaderi ſibi ſinant homines, vt putent homicidia, adulteria & furta eſſe peccata, quæ Deus ſit vindicaturus. Sed quotuſquiſq; eſt, qui ad mentē reuocet, vel pro peccatis ducat ea, quæ quotidiè lingua committit? Sed quanuìs illi nolint ea peccati loco habere, non tamen proptereà immunes eos à peccatis pronunciare poſſum, cùm verbum & præceptum Dei ſeſe opponat, eaq́; vetet. Equidem lubēns dicerem nullum eſſe peccatum, cùm ocioſis verbis, quæ ad ædificationem non pertinent, tempus terimus, niſi minaretur Chriſtus: Dico vobis, quoniam omne verbum ocioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Si verba ocioſa non ſunt immunia & libera, quibus ergò ſupplicijs afficientur tot infrugifera, mala, noxia verba, quæ ex conſuetudine nunquā non & nuſquàm non effutimus, idq́; ſinè vllo conſcientiæ ſcrupulo, vtrùm nos deceant, num Deo grata ſint, an proximum vel meliorem, vel deteriorem reddant? Quamobrem ſummè neceſſarium exiſtimo, dilectiſſimi,

Ephe.5.

Matth.12.

ſimi, horum vt vos admoneam. Qui conſultum cupit animæ ſuæ, coërceat linguã, & precetur cum Pſalmographo: Pone Domine cuſtodiam ori meo. Pſal.140. Clamet cum ſapiente quodam ad Deum: Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis, & lingua mea perdat me? Ecclē.22. Nè contempſeris linguam tuam frater, quia parua eſt: ſed ità tibi perſuadeas, non eſſe vllum laqueum periculoſiorem, qui te procliuiùs pertracturus ſit in damnationem: nec hoſtem vllum capitaliorem, qui te citiùs perditurus ſit, quàm ipſam tuam linguam, quantunuis illa exigua ſit. Eccè, quantus ignis quàm magnam ſyluam incendit, inquit Iacobus. Et lingua Iacob.3. ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis, quæ (licèt modica ſit) maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, & ſæpè grauiſſimorum criminum cauſa eſt. Quod vos admonendi gratia dictum volui, chariſſimi, nè velitis dare in ventos, & ceu nullius precij contemnere ea, quæ circa hoc octauum præceptum de linguæ peccatis dicuntur vobis. Neque enim ego noua peccata fabricabor, nihil hìc vobis commemorabo, niſi quod ſcripta diuina vetant & caſtigant. Proximè primum audiuimus modum, quo in hoc præceptum peccatur, nempe falſum teſtimonium, ſiue illud in iudicio dicatur, ſiue extra iudicium, quãdò tuo ſermone præter fas alterius vel corpus, vel facultates, vel fama & exiſtimatio læditur. Iam porrò etiam aliud peccatum audiemus, atque ità hac vice, Deo benè volente, finem huic præcepto imponemus. Superiori concione vos admonui, Dominum Deum hanc legem de peccatis omnibus, quæ lingua committãtur, velle intelligi, quibus proximo vel in corpore, vel bonis externis, vel fama & exiſtimatione officere poſſumus. Quamobrem longè & latè ſeſe porrigit & extendit hoc præceptum, & omnes nos peccatis facit obnoxios, vt iam in communi omnes cogamur agnoſcere & confiteri: In multis offendimus omnes. Iacob.3. Falſo teſtimonio proximum linguæ peccatum ſubiungemus, vitium illud fœdum, impium & execrabile, obtrectationem ſiue detractionem, qua quis alterius peccata & vitia profert in publicum & propalat, apud omnes eum traducit, peccatis alienis commemorandis ſeſe alioſq; oblectat & recreat, nec alijs delectatur ſermonibus, præterquàm qui commaculẽt & infament ac ignominia afficiant proximum, idque contra charitatem proximi, contra indolem Chriſtianam, contra naturam membrorum, quorum nullum ridet malam valetudinem alterius, ſed condolet ægrè affecto, & de procurando remedio cogitat, quo poſſit ſanitati reſtitui. Detractores grauiter perſtringit Scriptura Pſal.100. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Eccle.10. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit. D. Paulus detractiõem comparat veneno, quo alter alterum in mortẽ ſempiternã poſſit conijcere. Galat.5. Si, inquit, inuicèm mordetis & comeditis, videte nè ab inuicèm cõſumamini. D. Iacobus monet & rogat, vt Chriſtiani ab hoc flagitio abſtineant: Nolite, inquit, detrahere alterutrùm fratres mei. Chriſtus etiã minis detonat in detractores:

Nolite

Nolite iudicare,inquit,& non iudicabimini,Matth.7.Quiſquis ergò peccanti proximo parcere aut ignoſcere non vult, nec illius peccatis parcet Deus. At dicas fortaſsis: Si ſciam vera eſſe quæ dixero, cenſebórne proximo detrahere? Reſpondeo: Ego verò etiam de illis loquor quæ nôſti. Ea nanq; de alio dicere,quę neſcias,calumniari eſt,& eſt peculiare peccatum. Sed alterius peccata ꝓpalare, detrahere dicitur, & id ſcripta diuina vetant.
Matth. 7. Chriſtus inquit,Nolite iudicare:non dicit,Nolite calumniari.Tametſi vera dicis de proximo, abuteris tamen generoſa veritate, quæ hunc ſcopum ſibi propoſitum non habet,vt per ipſam alterius famæ & exiſtimationi detrahatur. Si nemini compateris, nec quenquã tolerare potes,niſi eum quẽ vitijs nullis ſcias eſſe obnoxium,quę demùm hæc eſt patientia?Condolentia & patientia Chriſtiana erga eos declaranda eſt, qui fragiles ſunt & peccant:aduerſus probos & iuſtos nulla opus eſt patientia. Quanquàm hæc ad magiſtratus tam Eccleſiaſticos quàm ciuiles dicta nolim. Ij enim ex officio ſuo tenentur in hominum peccata & flagitia verbis & factis animaduertere. Sed potiùs iſthęc mea oratio ad priuatos homines pertinet, quibus neq; mandatum eſt, neq; ea poteſtas attributa eſt, vt ſontes plectant. Hi etiamſi ſciant & videant peccata, facient tamen inſtàr membrorum, quorum alia aliorum deformitatem celare & tegere conantur, & vitia multò libentiùs ſanant,quàm exaggerent & deteriora reddant.

Vt autem nôris Chriſtiane, quid faciendum tibi ſit in peccatis alienis,
Galat.6. audi Apoſtolum hoc modo Galatas ſuos inſtituentem: Fratres, inquit, & ſi pŏccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, nè & tu tenteris. Eccè tibi piam & per omnia Chriſtianam doctrinam: ſic affectos eſſe oportebat,qui ſe non dubitant appellare membra Chriſti.

Primò quidem,ſi pręoccupatus,inquit,fuerit homo:vbi admonet nos fragilitatis humanæ, vt cogitemus eum hominem, ideoque non adeò importunè nos in illum inuehi ac ſæuire debere,cùm peccat. Deindè addit:Si pręoccupatus fuerit in aliquo delicto. Eccè ſi contingat peccare proximũ, cogitabimus non ex deſtinata malitia,eum peccâſſe: quis enim cognitum
Serm.40. habet,quibus tentationum ſtimulis ad peccatum ſit inductus? Præclarè D.
In Cantic. Bernardus inquit: Etiamſi perperàm actum quid depræhendas, nec ſic iudices proximum,magìs autẽ excuſa. Excuſa intentionem,ſi opus non potes, putà ignorantiam, putà ſubreptionem, putà caſum. Quòd ſi omnem omninò diſsimulationem rei certitudo recuſat,ſuade nihilo minùs ipſe tibi,& dicito apud temetipſum: Vehemens fuit nimìs tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem? Et hoc eſt, quod dicit
Galat. 6. Apoſtolus:Conſiderans teipſum,nè & tu tenteris.Peccatum alterius nihil aliud eſt, quàm quædã tuæ imbecillitatis admonitio. Cuiuſmodi nunc eſt proximus,talis tu aliquandò fuiſti,aut es,aut certè fieri potes,Hinc quidam vir ſanctus Chriſtiana pietate inſignis, cùm audîſſet quendam in graue & horren-

horrēdum crimen lapſum, acerbè illachrymans, & pectora palmis concutiēs, Quid eſt homo, inquit? Qualis hic eſt hodiè, talis ego cràs futurus ſum, niſi gratia diuina me prçueniat & conſeruet. Quamobrem non opùs eſt inſultatione: συμπάθεια & condolentia requiritur, vt quilibet etiam conſideret ſeipſum. Præthereà nec te probum nec beatum reddet, quòd alienam noueris referre improbitatem. Si ad felicitatem adſpiras, da operam, vt tua ipſius bona opera & rectè facta coram Deo poſſis adducere: peccatum & improbitas aliena te non purgabit, aut beatum efficiet. Opus ſuum probet vnuſquiſque, inquit Apoſtolus, & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero. Hçc autem eſt ſumma quçdam Chriſtianç rationis, erga aliorum peccata obſeruandæ: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Sed dices: Num igitur tacendum eſt & ferendum, vt me diſſimulante & reticente, proximi in peccatis ſuis iaceant? Reſpōdeo: Minimè verò. Detrahere & obtrectare clandeſtinò, vndè non emendantur, ſed exulcerantur & augentur peccata, id tibi interdicitur. Hoc enim nihil vtilitatis adferre non ignorauit Spiritus ſanctus. Nanque ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 31. In conuiuio vini non arguas proximum. Aliam emendandi & corrigendi peccata rationem nobis præſcribit Chriſtus Matt. 18. Corripe, inquit, eum inter te & ipſum ſolum. Si te audiêrit, lucratus eris fratrem tuum. Obloquendo & clàm detrahendo perditur & deterior redditur tam dicentis quàm audientis anima, nec emendatur is cui detrahitur. Fida & amica admonitione lucrifacimus animas. Si te non audiêrit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos. Si non audiêrit eos, dic Eccleſiæ: dic Superioribus & Magiſtratibus, penès quos poteſtas eſt animaduertendi in eiuſmodi homines, quique ſunt ea arte & ſcientia præditi, vt nôrint quo pacto ægrè affecto mederi debeant: eoque erga proximum amore flagrant, vt infirmis & lapſis libenter conſulant & opitulentur. Illis dicito, non iſtis ventribus vino madidis, vt inſulſa & maledica ora ſua proximi peccatis proluant. Sed eccè malitiam ſeculi, nemo illud detrahēdi ſtudium reprimere poteſt: quilibet libenter deterrima quæque dicit de alijs, omniumque aures ijs audiendis delectantur. Si quid in ſympoſijs rectè factum dicatur de altero, ſedetur diductis labijs, & rarò aliquis eſt, qui ſe alterius laudatori adiungat, pariterque laudet proximum. Si quid verò mali, ſi quod probrum de aliquo dicatur, omnes quaſi expergiſcuntur, & linguarum omnium laxantur habenæ, cunctique narranti conſonis vocibus ſuffragantur. Ità nos agitat tartareus dæmon contra verbum præpotentis Dei.

Galat. 6.

Ibidèm.

Verùm vt quis proximum adeat, & in ſecreto amicè ac comiter repræhendat & corripiat illius erratum, id horum nemini integrum eſt, quantunuis à Deo præcipiatur. Itaque iſthuc adulari eſt, & in peccatis conniuere. Porrò qui vitijs infeſtus eſt, eaque odit, hàc via ingrediatur & ab execrādis obtrectationibus abſtineat. Quæcunque autem de detractoribus hîc dicta ſunt, eadem referenda ſunt etiam ad illos, qui obtrectatores libenter

auſcultant, etiamſi ipſi non detrahant, Eccle.28. Pſal.14. Prouerb.25. Triſtis facies diſſipat linguam detrahentem.

Impingunt porrò in hoc præceptum Suſurrones & adulatores. Priores illi importuno tempore & non legitima ratione ad alios deferũt, quicquid viderint vel audiêrint, idque omni qua poſſunt improbitate vel peruerſitate: ſicque alios perturbant, & mutua inter illos diſſidia ſeminant, vt ex illorum ſuſurrationibus plerunquè ingens odium & inuidia naſcatur, immò non rarò etiam cædes & homicidia. Quemadmodùm Doeg Idu- 1.Reg.22. mæus ſacerdotes omnes in Nobe ſua futilitate in ſummum vitę diſcrimen adduxit. Contra eiuſcemodi ſuſurrones ſcriptum legimus: Suſurro & bi- Eccle.28. linguis maledictus: multos enim turbauit pacem habẽtes. Contra eoſdem militat Pſalmus 51. & inumera alia ſcripturæ loca. Poſteriores verò, nempe adulatores, omnia aſſentantur: approbant omnia & æqua, & iniqua & alios in peccatis confirmant, prorſusque animum induxerunt alieno inſeruire arbitrio, & ad alterius ſeſe voluntatem accommodare, & ſi in principum aut magnatum amicitias ſe inſinuauerint, omnia probãt, omnia ęqua & bona prædicant, quæcunque illi inceptent ac moliantur, nihil morati, quencunque demùm ea ſortiantur euentum. Si dicant cælum eſſe calidum, ſudario faciem detergunt: ſi frigidum, tremunt & cõcutiunt ſeſe, nec quicquam omninò eſt, quod non ceu æquum ac bonum probent. Eiuſmodi aues, vbì plurimùm nocere poſſunt, ibì turmatìm nidulantur, nimirùm in aulis regum & principum, apud quos illi innumera mala in Reſpublicas deuoluunt. Si quis affirmet, quicquid in mundo eſt oppreſſionũ, grauaminum, calamitatum, id maxima ex parte adulationi acceptum ferendum eſſe, haud magnam ſanè illi fecerit iniuriam.

Hanc calamitatem deplorat Regius ille Pſaltes, dum ait: Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Pſal. 9. Idem ipſe longè mâuult probos miniſtros, qui veritatem fateri, & peccantem arguere au- Pſal.140. deant, quàm illos, qui vbiquè & ſemper applaudunt & palpant. Corripiet me, inquit, iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Alijs prætereà modis peccatur in hoc pręceptum, videlicet, turpiloquio, & impura loquacitate de probris magnisq; flagitijs, putà, ſcortatione, impudicitia, auaritia, & horum vitiorum incitamentis ac iritamentis: peccatur item ſcurrilitate verborum, ſtultiloquio, futilitate, & illis omnibus verbis, quæ ad rem non pertinent, nec ad ædificationem ſpectant. Ephe 4.5. Simul etiam mendacijs omnibus, nedùm perniciosis, (hæc enim numerantur inter capitalia peccata) ſed & iocoſis, quæ cuiuſdam voluptatis cauſa dicantur. Horum enim frequenti nimiùm vſu Eccle.20. venitur cõtra hoc pręceptum. Potior eſt fur, inquit Sapiens quidam, quàm aſſiduitas viri mendacis. Et Eccle. 7. Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona.

Perniciosiſſimum & maximè deteſtabile inter omnia falſa teſtimonia, poſtremo loco reſeruauimus, cui obnoxij ſunt perditiſſimi ſectarum architecti, & ſectarij concionatores, qui à veritate homines abducunt, & in errorem & hæreſes inducunt. Alij mendaces & teſtes falſi ſuis mendacijs & calumnijs vel bona temporaria, vel apud homines bonam famam & exiſtimationem nobis adimunt: coram Deo autem nulli quicquam poſſunt officere & incommodare. At pſeudoprophetæ & vani concionatores deſpoliant nos gloria ſempiterna, quam corã Deo eramus habituri, & corpus pariter & animam in ignem illum inextinguibilẽ ſuis falſis teſtimonijs præcipitant. Filij hominũ, inquit S. Dauid, vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et alibi: Decidant à cogitationibus ſuis, &c. Pſal. 4. Pſal. 5.

CONCIO XLVI. HABITA
Dminica Quaſi modò geniti, Anno 1543.

Reſtat vltima Decalogi pars, auditores in Chriſto chariſſimi, quam ob ferias Paſchales intermiſſam, DEO volente, abſoluemus, vt ſic tandèm vniuerſo Decalogo ſupremam manum imponamus, & tanto celeriùs ad vtilem & neceſſariam de Sacramentis inſtitutionem perueniamus, quæ Chriſtus ſeruator ſponſæ ſuę Eccleſię reliquit, quibusq́; eadem ipſa Eccleſia filios (quos per verbum Dei Chriſto ſuo Domino ac ſponſo parit) donec in hoc mundo degunt, conſolatur, confirmat, mundat & conſeruat tandèm in vitam ſempiternam, quemadmodùm Deo fauente latiùs percipiemus, vbi aggreſſi fuerimus tractatum Sacramentorum. Nunc nonum & decimum præceptum ſimul tractanda ſuſcipiemus. Nam cùm eiuſdem ferè ſint argumenti, poſſumus vna exegeſi vtrique ſatisfacere, licèt differant inter ſe peccata, de quibus loquitur vtrunque præceptum.

Hæc duo præcepta prauas & illicitas hominum cupiditates vetant & coërcent, atque ideò eandem ferè habent verborum formam. Porrò cupiditas vel concupiſcentia non eſt in vno aliquo duntaxat iniqua, & Deo cõtraria: ſed bipartita ea eſt, & vtrobiquè diuinæ volũtati aduerſa. Alia ad lucrũ fertur, alia ad voluptatem & libidinem. Quandoquè enim concupiſcentia incitat hominem ad carnis captandas voluptates: aliàs ad inexplebilem ſectandam auaritiam. Atque hæc ipſa ſunt vulgaria & communia vitia, quibus maximè laborat mundus: hæ ſunt radices, ex quibus omne malum ſuppullulat, ex quibus omnia peccata naſcuntur, quæcunque vel in Deum vel proximum committi poſſunt: Quemadmodùm & Diuus Iohannes peccata omnia duplici concupiſcentiæ includit, nimirùm, concupiſcentiæ carnis, & cõcupiſcentiæ oculorum, id eſt, auaritię. Omne quod eſt in mundo, inquit, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non ex patre, ſed ex mundo eſt. Eccè voluptas & lucrum 1. Ioh. 2.

omnia mundi peccata producunt. Vtranq; igitur concupiſcentiam hanc coercere debuit Deus præceptis ſuis: & ad lucri quidẽ cupiditatem vel auaritiam refrenandam pertinet nonum præceptum, quod tale eſt:

NONVM PRAECEPTVM:

Non concupiſces domum proximi tui.



DEcimum præceptum carnis concupiſcentiam reprimit, & denuò repetit ac vetat infidam ac illicitam auaritiam his verbis:

DECIMVM PRAECEPTVM:

Nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

SCopum itaque & finem vtriuſque præcepti audiuimus, nunc ad explicationem accingemur. Mentem & ſententiam, quam Deus in ſeptem poſterioris tabulæ præceptis à quarto vſque ad finem nobis proponit, ſæpenumerò hactenùs audiuiſtis, & in omnibus præceptis penitùs animaduertiſtis, DEVM ſuis legibus mutuum inter homines amorem integrum

& incolumem velle conſeruare, vt nemo alterum lædat in aliquo, quod ſibi charum & gratum ſit. Iam autem alter alteri beneficium vel maleficium præſtare, officere vel proficere, prodeſſe vel obeſſe poteſt trifariàm: opere, verbo, & voluntate animoque. Quinto, ſexto & ſeptimo præcepto prohibetur, nè quis actu & reipſa vel in corpore, vel in bonis externis, vel vxore, vllo damno & incômodo afficiat proximum. Octauo præcipitur, vt non



ſolùm non actu, ſed nec verbis proximo vel damnum vel contumeliam irrogemus. Supereſt cor & animus, quem ſibi vendicans Deus, his duobus poſtremis præceptis coërcet, exigitque vtì nec corde quidem proximi damnum deſideremus. Non concupiſces, inquit, &c. Hinc nunc reipſa diſcitis, Auditores, legem Dei eſſe ſpiritalem, hoc eſt, nô externo ſolùm opere, ſed intrinſecùs etiam corde & cogitationibus obſeruãdam, & internam quandam & promptam obedientiam à nobis depoſcentem. Ità nunc animaduertitis & creditis, intelligentiam & mentem mandatorum Dei multò latiùs patére, quàm nos pro humano iudicio plerunquè exiſtimare velimus: & proindè admittendum iam eſt, velut homicidia, adulteria, furta iurè redargui, non tantùm quæ nos pro eiuſmodi cenſemus, & cùm actu externo & reipſa eadem ſcelera committuntur, verumetiam vbì cor & co-

gitatio ab huiuſmodi peccatis non ſeruatur munda & immunis. quis verò libidinem & proteruiam hominũ vſqueadeò auderet reſtringere & coërcere, niſi Deus ipſe id faceret? Sed dices forſitan: quandò nemini vllam iniuriam aut incõmodum adfero, cuius intereſt, quid mecum ipſe cogitem? Cui cogitationes meæ officiunt? Reſpondeo: Ipſius Dei intereſt, is cor animumque tuum creauit, & vult eum etiam cogitationibus rectum & integrum, atque ſuis præceptis ſuæq; voluntati accõmodatum & conformem eſſe. Itaque eum inclementem & iratum habiturus es, quantiſpèr malum cogitationũ tuarum non abſtuleris ab oculis eius, Eſaiæ 1. Ille enim eſt, qui intuetur cor, & non minùs abſcondita cordis, quàm ea quę foris ſunt, iudicare poteſt. Inſtruant ergò te hæc duo præcepta, quomodò non ſolùm externa iuſtitiæ opera, ſed & cordis innocentiam, & cogitationum munditiem debeas DEO in omnibus ijs, quæ tum ad illum, tum ad proximum pertineant.

Itaque duo hæc præcepta mundum exactè admodùm excutiunt & explorant, tolluntque ab hominibus quandam excellentiam: atque cum illis res eis eſt, ad eosque pertinent, qui alioquì honeſti inprimìs amantes eſſe videntur. Superiùs furta prohibita ſunt, quod præceptum contra illos editum eſt, qui bona aliena ſibi vſurpant, ad quæ nec iuris quicquam, nec opportunitatis vel rationis habent. Hìc verò rei alienæ concupiſcentia vetatur: eſtq; hæc ſententia & intentio Dei, quòd quicquid ex ipſius benignitate cuipiam collatum eſt, vt id alij ſaluum illi eſſe cupiant, nec auferre moliantur, etiamſi honeſtè & cum ratione quadam ea ſibi vendicare & obtinere poſsint, ſed non ſinè vllius dãno ac detrimento. Sexto pręcepto adulterium interdictum eſt, nè quis alienæ vxoris concubitum inhoneſtè & illicitè appetat: hìc verò nec hoc fas cuiquã vult eſſe Deus, vtì iuſtis alioquì & apud homines licitis rationibus, vxorem alteri deſponſam ità concupiſcat, vt ſuam facere conetur. Porrò vt vtriuſq; præcepti manifeſtior ſit explicatio, vtrunq; ſeparatim tractabimus. Primum eſt: Non deſiderabis vxorem proximi tui. Inhoneſta ac turpis fœminæ concupiſcentia ſexto præcepto prohibita eſt: hìc verò Deus illam vetat cõcupiſcentiam, quę extrinſecùs poſsit honeſtam habere ſpeciem, & quandam præ ſe ferre æquitatem & probitatem: quæ quidem apud Iudæos alia fuit, quàm ſit apud nos. Illis propter duritiem cordis eorum, ob auertendas ſcilicet neces, aut alia mala erga vxores, permiſſum erat vxorem repudiare, & alteram ducere: ſimiliter conceſſum erat & vxori, dimiſſo priori marito, alteri nubere. Qui itaque adulterij ſcelere obſtringere ſe nolebant, quandò alienã concupiſcebant coniugem, efficiebant apud illam, vt ità ſe erga ſuum maritum gereret, vt non poſſet non illum tædere talis matrimonij, ſicq; illam à ſe dimitteret, dato repudij libello. Quo facto, poterat alius & iure & honeſtè ducere ſic repudiatam. Longè diuerſum eſt apud Chriſtianos, quibus à Chriſto præ-
Matt. 19. ceptum eſt, nè homo ſeparet, quod Deus coniunxit: quo fit, vt coniugia apud

apud Chriſtianos ſint indiſſolubilia. Nihilo minùs peccatur in hoc præceptum, ſi alter alteri inuideat, quòd forma, probitate, induſtria præſtantiorem, quàm ipſe, habeat vxorem: aut ſi mortem alterius optet, vt vxorem eius ducere poſsit. Et vt paucis expediam, præceptum hoc charitati accommodatum eſt, vt proximo tuo cupias, quicquid illi cupit Deus: quicquid habet boni, tam tibi ſit gratum, quàm ſi ipſemet illud habeas, vt erga eum illam Euangelij legem etiam corde perfectè adimpleas: Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris. Grauiſsimè peccat in hoc præceptum, qui virginem alteri deſponſam præripit, quæ alioquì deſponſa illi fuiſſet, niſi ipſe illum impediuiſſet & extruſiſſet. Alterum præceptum reſpicit ſeruos & ancillas, & itidèm aliter ſeruatur hodiè, atquè olim apud Iudæos, qui ſeruis & ancillis, ceu mancipijs eodem ferè iure, quo iumentis vtebantur: vndè & damnum erat grauius, ſi quis alterius familiam ſibi vſurpâſſet vel allexiſſet. Apud nos famuli & ancillæ non ſunt mancipia, ſed fratres noſtri & ſorores, & penès ipſos eſt ſeruiendi & non ſeruiendi arbitrium. Interìm tamen aduerſatur fraternæ charitati, & peccat in hoc præceptum, qui videns famulum aut ancillam alterius magìs frugi, pluſque induſtrium, quàm ſuum, dat operam, illum vt permouere poſsit, quò relicto priore DOMINO, ſibi operas ſuas elocet. Hoc quidem apud mundi homines nefas non eſt, nulla id lex ciuilis vetat, vnicuique liberum eſt familiam pro ſuo arbitratu ſibi conducere. DEVS autem prauam cordis tui cupiditatem intuetur. Quandò enim alterius familiam integram & frugi tibi potiùs cupis, quàm illi, iam impingis in hoc præceptum: Non deſiderabis ſeruum aut ancillam proximi tui. Et in illam legem Euangelicam: Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris. Tertiò exigunt à nobis hæc poſtrema duo præcepta, vt non concupiſcamus bona & facultates proximi, neque omnia quæ illius ſunt, ſiue ſint intra, ſiuę extra parietes eius, ſiue animata, ſiue inanimata, mobilia aut immobilia: nam in auaritia, eſt humana concupiſcentia inexplebilis, & libenter appetit, quicquid penès alios pulchrum eſt aut vtile. Huic autem concupiſcentiæ vbiquè Deus ſuos opponit obices, vt ſuo cogatur eſſe contenta, nec vlla ratione proximi bona queat inuadere, niſi Dei præcepta contemnere, & procaciter ac proteruè contra illa venire, & ſciens iram vindictámque Dei in ſe concitare velit. Ait enim: Non concupiſces domum proximi tui. Hæc nunc ad illos pertinent, qui homines integri ac probi videntur, nec furtum committere, nec in negocio quicquam iniquum admittere volunt: & interìm tamen appetunt, quę apud alios conſpiciunt, & quadā iuris ſpecie, & honeſto prætextu ea ad ſe adducere nituntur, non abſq; proximi iniuria & detrimento: ſed ea tamē ſcilicet integritate & licitis rationibus, vt à nemine reprehendi queant: immò & inſtrumenta, ſigilla, & literas nanciſcuntur à Magiſtratu, quòd bono iure poſſideant. His fortè circa ſeptimū DECALOGI præceptū perſuaderi non potuit, ipſos iniquè agere, ſed putant potiùs illud pręceptum, NON FURTŪ FACIES,

Tob. 4.

Matt. 7.

ad ipſos nullo modo pertinere. Sed quo tandèm modo hinc ſeſe extricabunt, vbi idem ille legiſlator inquit, Non concupiſces domũ proximi tui? Atque hæc ſanè poſteriora præcepta longè magis pertinent ad nos Chriſtianos, quàm ad Iudæos. Apud nos enim multo deteriùs violantur, quàm ab vlla vnquàm gente alia in terris, idque in dies magis ac magis. Neq; hîc poſſum aut volo omnes illas adinuentiones indicare, quibus tam lepidè, acutè ac ſubtiliter alij aliorum facultatibus inſidiãtur ac inhiant, & ſub pulchra ſpecie & optimo prætextu eas ad ſe adducunt.

Verùm enimuerò, generatìm hinc loquendo, peccant in hoc pręceptũ omnes illi, quicunque ad res alienas ſibi vendicandas modò ignorantia, modò incuria, plerunquè neceſsitate alterius abutuntur, vt damnum nul-
Eſaiæ 5. lo pacto declinare queat. Apud Eſaiam Prophetam caſtigatur auaritia eius farinæ hominum his verbis: Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid vos ſoli habitabitis in terra? Eiuſmodi infauſta animantia & infelices homines etiam inter nos inuenire eſt, qui ſoli vicum vnũ inhabitare, aut ſi fieri poſsit, vrbem aliquam totam occupare, vel agrum totum ſoli excolere cupiant. Si quiſquam agrum habeat ipſis conterminum, haud ſecùs illius cruciantur deſi-
3.Reg.21. derio, atquè olim Achab vineæ Naboth. Sed cùm furari, & per vſuras extorquere ſciant eſſe illicitum, alias cõminiſcuntur artes & adinuentiones: ſinunt vicinum ad inopiam redigi, nec quicquã illi dant mutuò, niſi priùs ipſis vendat rem, quam illi concupiſcunt. De huiuſmodi loquitur Dominus, cùm ait: Non concupiſces rem proximi tui, non domũ, non agrũ &c. Id genus calliditates & verſutiæ nimis frequentes ſunt in negocijs forenſibus, vbi interìm præceptum hoc cedat, ſeq; premi patiatur oportet, multaque ceu æqua & iuſta diſsimulet, quibus tamen fraterna charitas impendiò læditur: dum remedia Iuris inquiruntur & vſurpantur, non quòd ſpes ſit, cauſam propoſitam poſſe iure obtineri, ſed eam prorogandi animo, & partem aduerſam multis illis ambagibus & ſumptibus defatigandi ac exhauriendi, vt plerunquè cedere mâlint, eoque fruſtrari, quod ipſis iure debetur, quàm talibus impendijs & moleſtijs aduerſùm tot tamque multiuarias acutas adinuentiones & Iuris apices id tandèm obtinere. Huiuſmodi artes & verſutiæ admodùm hodiè ſunt in mundo vſitatæ & vulgares, quarum qui eſt callentiſsimus, hic demùm habet laudem præcipuam: ſi quis autem iuſtum dicat quod iuſtum eſt, ne quidem pro dimidio agnoſcitur Iureconſulto. Qui in precio volet haberi, eum neceſsè eſt eſſe πολυμήχανον neceſſum eſt, exquiſitiſsimum acutiſsimumque eſſe practicum, & qui apices ac remedia Iuris vndiquè magna arte cõquirere nôrit. Sed his ire obuiàm
Leuit.19. aliter vix poſſumus, niſi vt Dei verbum illis opponamus, ità dicentis: Ni-
Deut.16. hil facies iniquũ in iudicio. Et: Iuſtè, quod iuſtum eſt, pſequéris. Et: Quod
Matth.7. Tob.4. ab alio oderis fieri tibi, vide nè tu aliquãdò alteri facias. In aulis Principum id genus perniciosæ adinuentiones vocantur lites vicinorum, quibus alij

alijs

alijs quicquid poſſunt detrahunt,auertunt,diſtinét,& tanquàm ſuum iure exigunt. Quibus equidem circa hoc præceptum modum aut terminum præſcribere nequeo. Eorum enim vita & inſtitutum eò ſortaſsis non pertinet,vndè hæc pręcepta promanârũt:Hæc enim è cęlo ad nos delata ſunt: illorum verò practicę & adinuentiones iniquę ad profundiorem aliquem locum pertinent,quàm qui ſit ſuper terram.Deus Opt. Max.corda & conſcientias eorum illuſtrare dignetur, vt agnoſcant in arduis negocijs non minorem, immò etiam maiorem iniuſtitiam poſſe committi,quàm in leuibus.Hæc itaque contra prauam voluntatem & illicita deſideria dicta ſint. Enimuerò ſola cõcupiſcentia,etiam ſinè conatu,eſt culpabilis:Atque eam iam Chriſtianis omnibus duo hæc pręcepta adferre debẽt vtilitatem, eoq; inſeruire: Primò quidem, quàm corrupta & vitiata ſit humana natura per peccatum,& vt ex nobiſipſis in vitia ſimus propenſi,Gene.6.8,Deindè vt hanc naturæ noſtræ vitioſitatem & prauam concupiſcentiam non modò nôſſe diſcamus, ſed caueamus quoquè atque edomemus, ſi iuſtæ Dei animaduerſioni nos obnoxios reddere nolimus. Quorſùm enim attineat manu tenere arma, niſi illis aduersùm hoſtes pugnare velimus? Nam eò ſpectant omnes illę ſcripturæ parænеſes, vt fortiter cum his naturę vitijs colluctemur:Vigilate & orate,vt non intretis in tentationem. Et Ephe.6. Induite vos armaturam Dei,vt poſſitis ſtare aduerſùs inſidias diaboli. Et Iacob.4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Fractæ & eliſæ ſunt hoſtis noſtri vires virtute diuina,ità vt nõ poſſit quicquã in eos,qui illi reſiſtunt.Aſtutus verò eſt & pernicioſus erga pigros ac deſides. Contrà obluctando ac repugnando multùm poteſt effici contra illum hoſtem malignum, & prauas animi cupiditates.Ad Rom.6. Non dominabitur vobis peccatum,inquit Apoſtolus: Non enim ſub lege eſtis,ſed ſub gratia.Sciendum eſt autem,hanc gratiam & virtutem non niſi à ſolo Deo proficiſci, qui ſpiritum & gratiam ſuam infundit cordibus noſtris, & charitate ſua ea perfundit & accendit, quæ porrò extinguit in nobis prauas omnes cupiditates & malam concupiſcentiam.

Mar.14.

Rom.6.

Rom.7.5.

Solùm hoc omnibus ſummo ſtudio cũrandum, nè gratiam ſibi collatam in vacuum acceperint: quam qui conſeruare, & ea vtiliter ac ſalutariter vti volet,neceſſum eſt,vt & occaſiones euitet,quibus ad praua deſideria inflammari queat:alioqui enim Deum tẽtare dicetur.Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu,vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas,vt non comburantur plantę eius? Eadem eſt ratio & cum illicitis deſiderijs ac concupiſcentijs. Nam ſi illis in nobis exurgentibus nos diſſimulemus,compreſſiſque ſedeamus manibus,donec animum ſiue cor penitùs ſuccẽderint & inflammârint, fieri non poteſt,vt etiam in peccati conſenſum nos non pertrahât. Itaq; ſolicita circũſpectione & cautela, dum adhuc paruulæ ſunt, & necdùm viribus acceptis nobis præualuerunt concupiſcentiæ,elidere & peſsùm premere eas debemus, cõuenienter illi

Prou.6.

ſcriptu-


Eccle.10. ſcripturæ ſententię: Si ſpiritus poteſtatem habentis aſſcenderit ſuper te, locum tuum nè dimiſeris: quia curatio faciet ceſſare peccata maxima. Audiuiſtis itaque auditores præcepta prępotentis Dei, & ipſius Decalogi explicationem, quantùm quidem homini Chriſtiano ad neceſsitatem poſsit eſſe ſatis. Atque in his Domini præceptis breuis quædam & præcipua diuinæ inſtitutionis ſumma continetur, iiſdemque legiſlator noſter Deus ſatis innuit, quid in tota vita noſtra facere, quid omittere debeamus, vt opera, cogitationes & verba noſtra grata & accepta ſint apud DEVM, qui in omnium quandoquè inquiſiturus & ſententiam laturus actiones mortalium, ſuam vnicuique tribuet mercedem, prout quiſque geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Nè ergò facilè horum præceptorum memoria animis veſtris excidat, id vobiſcum (oro) cogitetis, vitam ſimul & mortem hîc vobis propoſitam, Deut. 11. Præcipuè autem perpendatis (quæſo) appendicem illam, quam Deus ipſe ſuis præceptis adhibuit, ità dicens: Ego
Exod.20. ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes: qua appendice conſolationem pariter & terrorem animis noſtris apponit. Ipſi ſeriò penſitetis, quid fieri oporteat, quandoquidem Deus ipſe locutus eſt. Clementiſsimus benigniſsimusque Deus, qui præceptorum ſuorum intellectum nobis præſtare dignatus eſt, Spiritu ſuo ſancto corda noſtra cõfirmet, & illuſtret, vt cor-
2.Mach.1. de magno & animo volente faciamus voluntatẽ eius omnibus diebus vitę noſtræ, & tandèm ſempiternam cum ipſo lętitiam & beatitudinem capiamus, Amen.

SEQVITVR ORTHODOXA, PIA ET SALVTARIS DE SACROSANCTIS SEPTEM SACRAMENTIS INSTITVTIO, VT EA SANctiſsima Chriſti paſsione confirmata, & nobis ad ſalutem propoſita ſint: ſuccinctè & Catholicè in vſum & conſolationem omnium Chriſti fidelium, eo qui ſequitur ordine deſcripta.

CONCIO XLVII. HABITA *Dominica Miſericordia Domini, Anno 1543.*

ORDO noſtri Catechiſmi, auditores in Chriſto dilectiſsimi, prætereà fides à me data, nunc porrò ad Sacramentorum Eccleſiæ tractationem, quæ ea à Domino & ſponſo ſuo Ieſu Chriſto in ſalutem, conſolationem & ſuſtentationem filiorum ſuorũ accepit, me remittunt. Quoniam autem nos illi Eccleſiæ filij ſumus, quorum bono & commodo hic ſponſalitius matris noſtræ theſaurus deſeruit, & ſinè quo partẽ hæreditariam à Chriſto nobis promiſſam non poſſumus adipiſci, accurata ſan

Extrema vnctio. Matrimonium.



ta ſanè ac diligenti inſtitutione fuerit opùs, vt diſcant Chriſtiani omnes, quę dona & chariſmata ſuę Eccleſię in ſanctiſsimis ſacramentis ſuis offerat ac proponat Deus: diſcant etiam, vtì ijſipſis rectè & cum fructu vti debeant. Equidem nunquàm coram Deo purgare me poſsim, nec quietam obtinere conſcientiam, ſi non omni ſtudio & diligentia de his ſalutiferis Sacramentis vos inſtituere ac edocere curauero. Deus Opt. Max. hoc meum deſiderium & promptam voluntatem ſua gratia adiuuare dignetur ad veſtram vtilitatem, & cor atque intellectum meum ſuo ſpiritu illuſtrare, vt cogitare poſsim de his venerandis Sacramentis, quę vobis ſalutariter atq; vtiliter pro concione depromam: gratiam quoquè tribuere orationi meæ, vt vos libenter eam auſcultetis, & veſtris animis diligenter affigatis. Neq; enim in vlla religionis Chriſtianæ parte æquè neceſſarium eſt, admoneri & erudiri homines hac noſtra tempeſtate: atque ità etiam ex conſequenti nulla doctrina illis fuerit vtilior & ſalubrior, quàm quę eſt de vero & legitimo vſu Sacramentorum. Duę autem ſunt cauſæ, quę hanc de Sacramentis doctrinam his temporibus apprimè neceſſariam reddunt. Et prior quidem iam indè ab initio ſemper durauit, quòd Eccleſia Chriſtiana nihil vnquàm ſalubrius, nihil vtilius à Deo acceperit, quàm venerabilia Sacramenta cum vero ac legitimo vſu coniuncta, qualem nobis demonſtrant & pręſcribunt diuinæ ſcripturæ. Hęc eſt illa munifica arrha & donatio ſponſalitia, quam Chriſtus Dominus dedit ſponſę ſuę Eccleſiæ, longè ſanè precioſior, quàm vllus huius mundi rex vel princeps ſuę ſponſę queat elargiri. Quemadmodùm enim Dei opulentia omnes huius mundi gazas antecellit, ità hic dotalicius Chriſti theſaurus anteit omnia dona & munera humana. Hic eſt ille omnis ſalutis theſaurus. Veneranda Sacramenta ſunt vaſa, quibus Deus multiformia & larga ſua dona & chariſmata incluſit, per eaq; nobis miſeris ac multùm indigis filijs ſuis elargitur, quicquid vel ad temporariam, vel ad perpetuam felicitatem requiritur. Hęc ſunt illa fortiſsima arma, quibus nos induere, confirmare ac communire poſſumus aduerſùs atrocem omnem & periculoſum tartarei hoſtis incurſum. Hęc ſunt illa ſaluberrima pharmaca & medicinæ, quibus Deus naturę noſtrę imbecillitatem ſanat & confirmat, de quibus diuinus ille ſpiritus olim prędixit: In his

Eccleſ.38. curans mitigabit dolorem (Chriſtus Dominus,) & velut vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiet ſanitatis. Hęc Sacramenta, ſunt ſolida & firma illa anchora, qua ſubnixi veri & legitimi Dei filij, in obedientia Dei ſui, puraque & ſancta conuerſatione perſiſtunt aduerſùs omnium peccatorum aſſultus & impugnationes. Sunt etiam baculus, quo ex peccatorum ſordibus eriguntur illi, qui per inſidias & tentationes Diaboli, & ex imbecillitate carnis in limum peccatorũ ſunt prolapſi. Hęc deniquè ſunt veluti filum quoddam Theſeium, quo peccatores palantes errabunda regunt tali veſtigia filo, & ad Deum ac dominũ ſuum, à quo auerſi ſunt, reducuntur, & recuperant omnium chariſmatum fontem quem de-

relique-

reliquerant. Et vt hanc DIUINAM & abundantiſsimā Sacramentorum virtutem paucis verbis compræhendam, ſunt organa & inſtrumenta ſalutis, ſinè quibus Deus neminem ad illam vitam perducturus eſt, quę ſola eſt vera vita. Sunt illa media, quibus Deus iuxta DIUINAM iuſtamq́; ſuam voluntatem, omnia Chriſti ſeruatoris noſtri merita incluſit, atque ità præordinauit & diſpoſuit, vt per ea ipſa precioſiſsima ſaluberrimaq́ue Chriſti merita, largifluaq́ue ſua chariſmata, in ſancta Eccleſia ſua ſingulis quibuſque velit diſtribuere & impartiri. Nemini dubium eſt, Chriſtum DOMINUM, agnum Apoc. 13.
illum Dei immaculatum, generalem & æternam redemptionem confeciſſe in ſuo ſanguine per ſanctum illud ſacrificium, cùm ſemetipſum Deo Patri offerret in cruce pro omnibus totius mundi peccatis. Et merita quidem Epheſ. 1.
illius per ſe abundè ſalutifera ſunt & efficacia, ad vniuerſa omnium hominum peccata expianda. In meritis Chriſti eſt efficax illa ſalus, quæ mortales omnes ſeruare poteſt. In gratia & miſericordia Chriſti mortalibus omnibus tutiſsimum eſt aſylum, certiſsimumq́ue pręſidium & adiumentum aduerſùs peccata & omnia Satanæ tentamenta. Cæterùm quòd in multis nullam vtilitatem aut fructum producit, multiq́ue dum aduerſùs peccata & hoſtium incurſus dimicandum eſt, nullā ſentiunt conſolationem & opem, indè accidit, quòd precioſum illum chariſmatum & meritorū Chriſti the- Epheſ. 6.
ſaurum ſibi non applicent, neque media illa velint ſuſcipere & vſurpare, per quæ illa Chriſti merita & chariſmata ſibi applicare, & ad fructum vtilitatemq́ue ſuam conuertere, ſibiq́; propria efficere poſſent. Paratus eſt theſaurus, partus & promeritus atque conflatus per Chriſtum DOMINUM noſtrum. Neceſſum autem eſt, vt accedamus, & eiuſmodi vaſis indè hauriamus & ſumamus, quibus ille continetur, illisq́ue medijs vtamur, per quæ Deus gratiam & merita Chriſti paratus eſt hominibus impertiri. Tunc demùm enim Chriſti merita & chariſmata præſtant ſalutem, conſolationem & iuſtificationem omnibus illis, qui eadem merita Chriſti ſibi applicant per media à Deo deſtinata. Diſcamus ex quadam veteris inſtrumenti figura, qua ratione gratiam Dei & merita Chriſti ſinguli quique ad nos adducere debeamus. Moſes ex iuſſu DIUINO confecit populo Iſraelitico aquas lu Num. 19.
ſtrationis vel expiationis ex cineribus & aquis viuis. Has autem aquas ſic confectas & pręparatas eſſe à Sacerdote, nequaquàm ſufficiebat: ſed ſi quis mundari deſiderabat, huic neceſſum erat, vt ipſe ſumpto hyſſopi faſciculo, eoque aquis illis hauſtis, ſe adſpergeret: atque ſic mundabatur. Eodem modo parata quidem eſt Dei gratia in ſalutem & conſolationem omnium hominum. Habemus in meritis Chriſti peccatorum remiſsionem, virtutem & fortitudinem aduerſùs carnis noſtræ impugnationes, vitam prætereà & ſalutem ac beatitudinem æternā nobis propoſitam. Sed ſumendus eſt hyſſopi faſciculus, quo gratia capeſsitur: vtendum eſt illis medijs, per quæ Deus eiuſmodi virtutem & gratiam paratus eſt impartire, atque hoc demùm pacto iuuari poterimus. Hæc autē media, ſunt veneranda illla Eccleſię Sa-

cramēta,per quæ gratiam & merita Chriſti ad nos adducimus,& nobis applicamus. Nam tametſi DEVS mun era & gratiam ſuam etiam ſine his Sacramentis queat elargiri, placuit tamen eius Diuinæ & æquiſſimæ voluntati, atque ità ab illo ſancitum & conſtitutum eſt, quòd ipſius gratiam per hæc media inquirere & capeſſere debeamus. Quæ ſanè voluntas & inſtitutio Dei vtiquè nobis grata eſſe debebit, iiſdemque Sacramentis vtemur,quatenùs iis frui licebit. Nam cui datur occaſio & facultas vtendi,huic exiſtimandum non eſt, Deum alia quadam peculiari & prodigioſa ratione gratiam ſuam ſibi elargiturum. Semel ità Deo decretum eſt, vt ſuam gratiam per hęc vſitata media velit ſuis fidelibus communicàre. Porrò quæ hactenùs ſummatìm & compendiò de virtute & efficacia Sacramentorum diximus,ea deincèps,Deo per ſuam gratiam adiuuante, ex ſcriptis diuinis ſolidè & luculenter proferemus & confirmabimus. Hæc itaque vna eſt ratio, quamobrem diligens Sacramentorum pertractatio & explicatio, vehemēter neceſſaria eſt, nimirùm quòd vſqueadeò vtilia ſunt & ſalutaria. Quid alacriùs, quid accuratiùs apud Chriſtianos doceri & vrgeri conuenit, quàm quod illis tantam vtilitatem,ſalutem & conſolationem adferre poteſt?

Altera ratio,cur extremè neceſſum ſit, vt Chriſtiani hac tempeſtate de Chriſtianę religionis Sacramentis diligenter inſtituantur,eſt horrēda illa eorundem incuria,quę paſsim apud omnes ferè conſpicitur ac perſeuerat. Et quod horribilius eſt, hac non contenti incuria impij & Lucianici quorundam animi,apertum etiam contemptū & manifeſtas blaſphemias moliuntur aduerſùs Sacramenta. Incuria Sacramentorum apud vulgus hominum ex inſcitia & ignorātia naſcitur,quòd non ſint inſtituti nec ſatis edocti,quam virtutem & gratiam Deus nobis miſeris & egenis mortalibus paratus ſit impartiri, per veneranda hæc Sacramenta iuxta ſuas promiſſiones, quæ citra omnem ambiguitatem fide dignæ ſunt & veraces. Vndè fit,vt qui non agnoſcit, nec credit quæ bona in illis lateant, non poſſit magnoperè ea expetere. In omni enim re ex ignorantia naſcitur incuria. Verumenimuerò ego in ſpem erigor, diligenti inſtitutione hanc incuriam, quæ hactenùs fuit,apud vulgus aliquantulùm poſſe amoueri. Porrò contemptus & blaſphemia,quæ apud ſectas has & hęreſes aduerſùs Sacramenta eſt exorta, citra omnem controuerſiam duce & coryphęo Diabolo,ex inferis profecta eſt:quem vtinàm Deus arcere velit. Difficulter eiuſmodi homi-
Tit. 3. nes ad ſanitatem reduci poſſunt,cùm (vt inquit Apoſtolus) ſubuerſi ſint, & proprio iudicio condemnati. Diuini operis eſt, iſtiuſmodi ſubuerſos corrigere:illum deprecabimur, vt diras illas Satanæ machinas conterat, & cōfringat, & has aliaſq; omnes blaſphemias à populo ſuo clementer auertat. Nam qui non omninò iudicij expers eſt,facilè animaduertit,quid hîc torqueat Diabolum, quanti ſua interſit, & cur tam ſeriò conetur veneranda Sacramēta in contemptū adducere. In prōptu cauſa eſt, quia in his arma illa inſunt,quibus ipſe profligatur. In his virtus illa continetur,qua ipſius poten-

potentia confringitur, & vires eneruantur. Si iam hæc ſalutifera Sacramẽta ſemèl ex orbe Chriſtiano poſſit profligare, haud minimam Chriſtianæ religionis partem expugnauerit, ſed ſummo præcipuoq́ue auxilio,& firmiſſimo nos prędidio nudârit. Et proculdubiò hæ ſunt fraudes & artes diaboli, quandò religionem Chriſtianam vna irruptione vndiquè funditùs euertere nequit vniuerſam, vt per partes rem tentans, ad aliquod latus copias ſuas admoueat, alterum intereà integrum inconcuſſumq́ue relinquens, donec vnum illud latus euerſum ſit: quo facto, deindè aliud tanto commodiùs poteſt impetere & oppugnare. Hac noſtra tempeſtate ſanguinarius ille hoſtis omnia penè fidei Chriſtianæ capita in quandam incuriam adduxit, & ſolùm inconcuſſum reliquit auditum & auſcultationem verbi diuini. Ipſum autem Chriſtianiſmum & Chriſtianam viuendi rationem, in has ferè anguſtias redegit, vt de Chriſtiana fide nihil iam præterea noſtro ſapiat palato, præter ſolas conciones. Faſtidiuntur & contemnuntur bona opera, euaneſcit omnis modeſtia Chriſtiana, nulla viget Eccleſiæ diſciplina, ieiunia, orationes, pœnitentia, confeſſio Sacramentalis in nullo iam precio ſunt, atque adeò Sacramenta omnia horrendum in modum euiluerunt. In Repub. Chriſtiana nihil Chriſtianæ religionis ferè inuenitur ampliùs, quàm ſolus verbi Dei auditus: reliqua omnia Chriſtianæ pietatis exercitia prorſus iacent. Sed penitiùs conſideremus, Auditores, truculentas illas mali dæmonis fraudes & dolos: vbì alia omnia ſatìs in contemptum adduxerit, tandèm etiam conciones inuiſas reddere & in nauſeam vertere conabitur: tum verò de Chriſtianiſmo prorſus actum erit. Sed non ſic ſeſe res apud nos habere debet, dilectiſſimi. Chriſtianiſmus omnibus ſuis partibus integer apud nos ſeruari debet. Tunc enim verbi Dei auſcultatio vtilis eſt, & qualem eam eſſe conuenit, quandò vnà cum concionibus, verus legitimusq́ue Sacramentorum vſus & cætera omnia Chriſtianæ pietatis exercitia pleno gradu & vigore concomitantur. Verbum enim Dei docet vſum Sacramentorum, cæteraq́ue Chriſtianæ pietatis exercitia. Atque idcircò inutilis eſt & ſuperuacuus verbi Dei auditus, ſi vſum Sacramentorum & reliqua Chriſtianę pietatis exercitia non habeat ſibi adiuncta. Hæc in præſentiarùm in defenſionem venerandorum Sacramentorum aduerſùs blaſphemias ſectariorum dixiſſe ſufficiat. Nunc ad illos tranſeundum eſt, qui non ex malitia, ſed ex ignorantia in errorem prolapſi ſunt, apud quos ſacroſancta Sacramenta ex inſcientia vel ignorantia in horrendũ iam contemptum venêre. Aduerſùs hunc tam ingratũ Chriſti populum non immeritò vtendum foret ſeuera obiurgatione, & prophetica illa comminatione: Vos (faſtidioſi) greges mei, (populus improbiſſimus) nónne ſatìs vobis erat paſcua bona depaſci? inſupèr & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcâſtis pedibus veſtris: & cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquam veſtris pedibus turbabatis. Ezec. 34. Magnámne ó Chriſtiani gratiam promeretur, quòd DEVS vnigenitum filium ſu-

um Ieſum Chriſtum donauit mundo, & vnà cum eo gratiam omnem &
Col.2. bona omnia?In Chriſto enim omnes ſunt ſapientiæ & ſcientiæ & diuitiarum Dei theſauri abſconditi. In illo omnium gratiarum habemus abundantiam,tutelam deniquè & præſidium,& æternam redemptionem. Hæc ſua tam copioſa merita Chriſtus incluſit venerandis Sacramentis. Hæc tam ſalutifera Dei myſteria nobis propoſita ſunt,vt iam ijs vti,& admiſſorum peccatorum remiſſionem ex illis conſequi poſſimus, virtutem etiam & robur aduerſus peccata impendētia.Paratum nobis in illis eſt Dei præſidium aduerſus omnes inſidias,& ſæuas ac infeſtas diaboli tentationes.Sed ecce hæc tam ſalutaria paſcua fruſtrà nobis appoſita patimur,immò verò ea quoquè faſtidimus: nemo eſt qui ea appetat: Non vtimur illis:immò pedibus ea conculcamus,contemnimus & conuicijs inceſſimus. O impiam & horrendam ingratitudinem. An non ſeueriſſimam repræhenſionem iſthæc ipſa ingratitudo iurè commereatur? Mihi verò decretum eſt,à repræhenſione acerba in præſentiarùm abſtinere, idque duplici de cauſa. Prior eſt, quòd ob hunc Sacramentorum contemptum,Chriſtianum orbem horribilia Dei flagella iam tergo ſufferre cōſpiciam, & proindè commiſerandum potiùs & condolendum,quàm conuicijs agendum,ſi res pe-
1.Ioh.5. nitiùs conſideretur.Conqueritur D.Iohannes ſua ætate, totum mundum in maligno poſitum eſſe. Cuius autem hominis memoria tam penitùs in poteſtatem & iugum diaboli redacta eſt Reſpub.Chriſtiana,quàm hac noſtra tempeſtate? Quandò magis abundauit iniquitas? Quandò tam atrocia immaniaque viſa ſunt flagitia, vt iam neceſſariò fatendum ſit,non ab humano animo, ſed ex aperto Diaboli molimine eſſe profecta? Quandò tot diſſidijs,contentionibus & perturbationibus mundus arſit? Quandò ſpiritus ille malignus tot homines in deſperationis barathrum præcipitauit, vt nullam nec à Deo, nec à ſemetipſis opem vel conſolationem ſentientes vel expectantes, crudeles ſibijpſis manus afferrent, vt hodiè fieri videmus? Cui autem iſthæc acceptum ferenda ſunt? Nempe quia deſerimus DEI præſidium & patrocinium, & hinc ſuperati, redigimur ſub tyrannidem Satanę. DEVS virtutem & gratiam ſuam in medijs quibuſdam cōſtituit,nimirùm in Sacramentis. Hæc autem quia faſtidimus, proindè etiam virtute & gratia diuina deſtituimur & caremus.Nolumus nos aduerſus infirmitatem noſtræ naturæ & contra peccatum, Sacramentorum præſidio communire: & hinc turmatim in profundum omnium flagitiorum cœnum præcipites corruimus. Non petimus nec inquirimus à diuinis Sacramentis conſolationem aduerſus poteſtates illas tenebrarum, quamobrem illis de nobis triumphantibus, ſuperamur, proſternimur, & vſque in abyſſum deſperationis impellimur.

Aſpernamur ſacroſancta illa pacis ſigna,illa Chriſtianæ cōcordię ſymbola, illa veneranda Sacramenta;quo fit, vt ſpiritus ille diſſenſionis Chriſtianorum animos perturbet, & in mutua odia concitet & committat,

vt iam

vt iam videamus vniuerſum orbem Chriſtianum odio, inuidia & diſsidijs conflagrare. Quòd autem huiuſmodi DIuinis flagellis cauſam prębeat contemptus Sacramentorum, patet 1. Corinth. 11. Quamobrem cùm eiuſmodi flagella & vindictam patiatur Reſpublica Chriſtiana propter Sacramentorum incuriam & contēptum, συμπαθείᾳ potiùs & cōmiſeratione opùs eſt erga miſeros mortales, quàm importuna obiurgatione. Altera ratio, cur in præſens à ſtomacho & repręhenſione temperandū duxerim, hæc eſt, quòd hanc Sacramentorū incuriam apud bonam Chriſtianorū partem ex ignorantia videam proficiſci: itaque illis non tam acris obiurgatio, quàm inſtitutio neceſſaria eſt. Vbi verò DIuinam in Sacramentis virtutem ex verbo Dei didicerint, ipſorum animi vltrò quodam deſiderio tenebuntur & extimulabuntur ad percipienda Sacramēta: tum verò nec obiurgatione, nec calcaribus vlteriùs indigebunt.

CONCIO XLVIII. HABITA

Dominica Iubilate, Anno 1543.

SVperiori Concione, AUDITORES, ordinem Catechiſmi noſtri ſecutus, tractatum Sacramentorum in gratiam veſtram aggreſſus ſum: atque ibidèm nonnulla de vtilitate, virtute, efficacia & fructu Sacramentorum generatìm indicaui: Præterea inuectus ſum in immanem ingratitudinem, & craſſam ignorantiam & inertiam noſtram, quòd tam vberem & multiplicem Dei gratiam, in Sacramentis nobis propoſitam, vſqueadeò paruipendimus & tam parùm curamus, quodq́ue animorum noſtrorum palatum adeò fatuum eſt & corruptum, vt nulla iam appetentia & deſiderio teneamur erga hęc tam ſalutifera Dei myſteria, quibus Deus omnia ſua dona & munera & gratiam omnem incluſit. Eſtq́ue hæc illius voluntas & inſtitutio atque ordinatio, quòd gratiā ſuam per hæc ipſa media nobis impertiri velit, vtq́; nos eius gratiam, auxilium & tutelam per hęc eadem media inquiramus & conſequamur, quàm diù nobis ad hęc patuerit acceſſus. Nam qui ad hęc DIuinitùs deſtinata, inſtituta ac vſitata DIuinę gratię media pertingere poteſt, huic putandum non eſt, Deum ipſi quiddam peculiare præſtiturum, aut ipſius cauſa miracula editurum, vel inuſitata & prodigioſa ratione ipſi opitulaturum, & gratiam ſuam elargiturum. Quoniam itaq; hęc deſtinata gratię DIuinę media in Repub. Chriſtiana cœpimus aſpernari, indè adeò accidit, quòd tam multiplici nòbis propoſita Dei gratia, nos nihilo minùs miſeri, pauperes & inopes permanemus. Hinc illa omnium malorum πανσπερμία: Hinc acerba illa Dei flagella aſsiduò nos exercent & premunt: Hinc tot miſerijs, tot calamitatibus & terroribus concutimur. Si olim varijs morbis Deus afflixit Corinthios, adeoq́ue etiam morte ipſa & peſtilentia, ob vnius tantùm Sacramenti abuſum, quemadmodùm indicat Paulus 1. Corinth. 11. quanto iuſtiorē hac ætate putabimus Dei in nos animaduerſionem & vindictam, cùm non vnum aliquod Sacramentum,

ſed vniuerſa, non ſolùm in abuſum, ſed & in ſummã deuenerint incuriam: immò non ſinè immani Dei contumelia & blaſphemia, fœdiſſimò contemptui habeantur? Hæc omnia ſuperiori cõcione fuſè ſatis & prolixè vobis propoſui, vt animos veſtros accenderem ad verum legitimumq́ue Sacramẽtorum vſum cognoſcendum, vt ſic & gratiam & virtutem diuinam ex venerandis Sacramentis conſequi, & pariter grauem Dei iram & vindictam declinare queatis. Ad hoc equidem, fauente Deo, operam opemq́ue meam pro virili vobis fideliter impendam, atq; interim pauca quædam adhuc de Sacramẽtis in genere adſeram, quid ſit, & quid ſignificet Sacramentum, cur à Chriſto inſtituta ſint, & vndè virtus & gratia Dei in iſthæc externa Sacramentorum ſigna prománet. Et quidẽ de Sacramenti nomine primo loco dicemus. Priſci illi Germani, qui ante noſtra ſecula iam olim Chriſtianæ fidei myſterijs imbuti fuêre, hoc nominis mutuati ſunt à Latinis, vocantq; Sacrament/ quemadmodùm Latini Sacramentum. Significat autem Sacramentum, iuxta vocabuli ꝓprietatem, aliquid ſacrum, aut rem ſacram aut ſanctam. Verùm in vſu ſacroſanctę religionis Chriſtianæ appellatur & eſt Sacramentum, externum ſenſibile & viſibile ſignum internę & inuiſibilis gratiæ. Signum, quod diuina promiſsione & Dei verbo confirmatur, per illud ipſum internam quandam ac diuinam gratuitamq́ue operationem & affectum certò & efficaciter fieri, ad ſalutem hominis idem ſignum ſuſcipientis & percipientis deſeruientem.

Ad perfectam autem Sacramenti conſtitutionem duo ſemper requiruntur: Nimirùm creatura, materia ſiue elementũ, in quo idem Sacramentum Chriſtus inſtituit: tum quoquè verbum, quod diuinę promiſsioni innititur, & per nominis diuini ac ſacroſanctæ Deitatis inuocationem illam virtutem & gratiam confert, quam Deus ſe per hoc daturum promiſit. Exemplo res fiet manifeſtior. Baptiſmus eſt Sacramentum, & duabus rebus conſtat, nimirùm creatura ſiue elemento aquæ, & verbo Dei, inuocatione ſeu nuncupatione ſacroſanctæ Deitatis, dum ſcilicet miniſter dicit: Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti: Hoc verbũ innititur promiſsiõi Chriſti, dum inquit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Marc.16. Et Iohan.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto, &c. Prætereà eius mandato, Matthæi 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.

Hoc itaque modo Sacramentum eſt externum & ſenſibile ſignum. Videtur enim & tangitur aqua, & audiuntur verba. Signum autem hoc externum, internam quandam Dei gratiam, effectum & operationem certò & efficaciter ſignificat: quæ quidem videri nequit, quadam tamen ſimilitudine per ſignum nobis extrinſecùs inſinuatur & denotatur. Nam vt aquæ naturalis operatio eſt, purgare & mũdare, & ſordes ab externis rebus abluere: ità hoc Baptiſmi ſacramentum, intrinſecùs animam hominis lauat, mundat & purgat ab omni peccatorum ſqualore, & vitæ ſempiternæ eum

capa-

capacem efficit. Hanc autem internæ ablutionis & expurgationis virtutem non habet aqua ex ſua natura, ſed ex virtute verbi Diuini. Deus enim cùm in verbis ſuis fidelis, conſtans & verax ſit, intrinſecùs per ſuam omnipotentiam operatur & efficit, quicquid circa vnumquodque Sacramentum promiſit. In Sacramentis ergò non ipſę externę res ſeu elementa ſpectanda & cogitanda ſunt, ſed fide appræhẽdenda Dei præſentia, & ſancta eius voluntas conſideranda eſt, qui omnia in Sacramentis operatur & efficit iuxta ſuas promiſsiones, idq; potentia ſua Diuina & ſpiritu ſancto: cùm hęc Sacramenta ipſe ordinârit & inſtituerit, per quę ſuam gratiam paratus eſt elargiri. Huiuſmodi promiſsioni ac inſtitutioni ſeu ordinationi Diuinæ innititur fundamentum Sacramentorũ, & indè vis eorum omnis proficiſcitur. Hanc ſanctam Dei voluntatem perpendere & laudare debemus, ſic dicentes: Ità Pater, quoniã ſic placitum fuit ante te, Matt. 11. Itemq; illud: Omnia quęcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, Pſal. 113. Talia igitur ſigna ſunt omnia Sacramenta, quæ per virtutem verbi Diuini certam infallibilemq; habent operationem & efficientiam, illudq; Dei virtute & potentia in homine efficiunt, quod neutiquã poſſet creatura, in qua Sacramentum conſiſtit. Hinc ergò diſcimus, quãobrem Sacramenta magnipendere, venerari & ſuſpicere, ſummoq; ac ardenti deſiderio ſumere debeamus, nimirùm propter virtutẽ & gratiam Diuinam, quę in Sacramentis nobis promiſſa eſt, & per eorundem vſum nobis confertur. In rebus ciuilibus quandò Imperator nouum aliquem principem creaturus eſt, eiq; ditionem traditurus, regalia quoquè & priuilegia illius cõfirmaturus, annulo induit digitum eius, in ſignum inſtitutionis & confirmationis in Principem. In leuioribus negocijs ea eſt in quibuſdam locis conſuetudo: Si pater filio, aut alij cuipiã ſub emendi ratione vel titulo res ſuas tradere velit, accedit in iudicium, & ſumit in manum ſtipulam ſiue calamum frumenti, eumq; porrigit illi, cui res ſuas traditurus eſt, ità inquiẽs: Cum hac ſtipula res meas tibi planè proprias trado, vt tu deincèps eis ſinè mea aut cuiuſquã alterius interpellatione vel impedimento in perpetuũ vtaris & fruaris ad cõmodum & arbitrium tuũ, &c. Eccè quẽadmodùm hîc nouus ille Princeps annulũ, & plebeius homo ſtipulã æſtimat & recipit, eodẽ modo & nos Chriſtiani Sacramenta noſtrę religionis exiſtimabimus & ſumemus. Annulus quidẽ per ſe exigui eſt precij, ſed eſt tamen ſignũ magni cuiuſdã boni, conferens ius totius dominij & principatûs. Eapropter gratulabundus eum ſuſcipit, ſummæq; benignitatis & clementię loco ducit, cùm hac mente & intentione ipſi annulus donatur ab Imperatore. Simili modo ſtipula per ſe quidem res eſt nullius momenti: quanti autem ęſtimat eam filius? quanta cum gratulatione & gaudio eam ſibi à patre traditam recipit, cùm ſciat per hanc ſtipulã ius feudi paterni in ſe transferri? Itidèm & nos Sacramenta ęſtimare & amplecti debemus, nõ quatenùs extrinſecùs in ſeipſis ſigna quędã ſunt, ſed ſecundùm gratiam, quæ in ipſis promittitur & certò tribuitur: prout

circa ſingula Sacramenta ſpeciatìm docebimus, quę illa ſit abundans & locuples Dei gratia, quam vnumquodq; Sacramentum nobis apportat. Itaq; ſurdis auribus prætereamus blaſphema illa conuicia & ſannas, nec vllum eis in pectus noſtrum aditum præbeamus, quandò illi Sacramentorum hoſtes in eorundem contemptum & contumeliàm ea non niſi ex ſignis nominant, ità dicentes: Quid ſibi volunt illi cum ſua aqua, pane & oleo? Naa-
4. Reg. 5. man idololatra & princeps militiæ Regis Syriæ, qui virtutem verbi Diuini nec comprehendere, nec credere poterat, in eandem ſententiam loquebatur, cùm à Propheta Heliſæo iuberetur ſeptiès lauari in Iordane: Nunquid non meliores ſunt, inquit, Abana & Pharphar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſraël, vt lauer in eis & munder, ſi quas vires habent aquæ? Sed vos, qui Chriſto nomen dediſtis, ſinite Naaman idololatram, Turcas, ethnicos, deniquè & hæreticos, hunc in modum loqui de Sacramentis venerandis: Quid ſibi vult iſthæc aqua? quid exigua panis albi buccella? quid rancidum oleum? Vos potiùs verbum & virtutem Dei cogitate, & hæc Sacramenta vel viſibilia ſigna, eo in precio habete, tantiq; facite, quanti facienda eſt ſalutaris illa Dei gratia & dona, quæ Deus nobis per huiuſmodi Sacramenta promiſit, & quia verax eſt in promiſsis, certò præſtat omnibus illis, qui his Sacramentis rectè legitimeque vtuntur. Vt autem tanto certiores ſimus, Deum per hæc viſibilia ſigna intrinſecùs operari, voluit Deus hanc internam efficientiam & operationem per quædam viſibilia miracula declarare atque teſtatam reddere.

In Baptiſmo Chriſti videbatur Spirituſſanctus, in ſpecie columbæ ſu-
Matth. 3. per ipſum deſcendens, & vox Patris audiebatur: Hic eſt Filius meus dilectus &c. vtiquè non propter Chriſtum, qui nunquàm fuerat ſinè Spirituſancto, cum quo etiam vnius ſubſtantiæ erat, & iam indè ab omni æternitate à Patre dilectus. Noſtrì autem cauſa factum eſt, vt diſceremus, quid Deus nobiſcum operetur, quandò aqua Baptiſmatis in verbo & cum verbo Dei tingimur. Certa enim eſt Spirituſſancti in Baptiſmo præſentia, qui omnes in homine peccati ſordes intùs abluit: & vox illa Patris pertinet ad vnumquemlibet Baptiſma percipientem: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Iam ſiquidem pertinet ad regnum Dei, & in ius Filij à Deo cooptatus, expectat hæreditatem regni cæleſtis. Simili modo venit Spirituſſanctus cum ſpiritu vehemẽti & in linguis igneis in die Pentecoſtes, in euidens argumentum, quomodò Deus corda credentium corroborare, & ad om̃em pietatem inflammare velit per Sacramentum Confirmationis.

Quanuìs itaque eiuſmodi miracula foris nunc quidem non conſpiciantur, nihil tamen de interna efficientia & operatione dubitamus. Miraculis & prodigijs egent, quorum adhuc fides eſt imbecillis. Eccleſia Dei, quę in fide confirmata & corroborata eſt, nec quærit, nec deſiderat miracula: ſufficit illi in omnibus Dei promiſsio. Chriſtus vt Phariſæis ſubindica-

ret

ret ſe poſſe remittere peccata, curabat hydropicum quendam illis adſpe- Matt.9.
ctantibus. Si ergò rem non videamus geri externo miraculo, ideóne pec- Luc.5.
catorum remiſſionem per Chriſtum obtinere nos poſſe dubitabimus? Ab-
ſit. Sic virtutem omnem Sacramentorum credimus propter Dei promiſſi-
ones, etiamſi nulla miracula aut prodigia videamus externa.

Quærat fortè aliquis, cur diuinam gratiam & Chriſti merita in eiuſmodi externis ſenſibilibus ſignis neceſſum ſit quærere & percipere, atque vtrùm poſſit Deus homini gratiam ſuam impartire, eumque ſeruare citra hæc ſigna. Hanc quæſtionem vnico verbo poſſem ſubuertere, & dicere: Sic viſum eſt præpotenti Deo, ille ſic inſtituit, vt hęc ſacra ſigna ſint media, per quæ fidelibus ſuam gratiam & Chriſti merita velit impertire. Quis igitur ab eo inquirere audebit, Quid facis? aut cur ſic facis? Verumenimuerò cùm Deus omnia mirabili quadam ſapientia faciat ac diſponat, facilè poſſunt nõnullę adferri rationes, quę nobis id ex vſu eſſe teſtentur, doceantq́; quamobrẽ noſtra cauſa longè pręſtet, externa hæc ſigna nobis eſſe collata.

I. Cùm animi noſtri ad credendum & amandum ea quæ Dei ſunt, ſic ſatis cunctabundi ſint ac deſides, voluit Deus per hæc externa ſigna animos noſtros torpentes excitare & expergefacere. Magìs ſiquidem commouemur, faciliusque in animos noſtros admittimus, quicquid externis ſignis circa nos geritur, quàm quod in ſpiritu ſolùm & cogitatione conſiſtit. Deindè ſunt hæc ſigna certificatio quædam & ſolida conſolatio conſcientiarum noſtrarum. Quandò enim ſuminius externum aliquod Sacramẽtum ſiue ſignum, certi reddimur, planeque confidimus & ſinè hæſitatione credimus nos ea adipiſci, quæ DEVS in hoc Sacramento nobis pollicitus eſt. Atque hoc modo externum hoc ſignum, eſt inſtàr pignoris & ſigilli factę nobis à DEO promiſſionis, quo certi reddimur, internam illam operationem ſic in nobis fieri, quemadmodùm Deus vnicuique noſtrûm ſpopondit iſthęc Sacramenta percipienti.

Eſt verò etiam intellectus noſter tardus ac tenebricoſus, ità vt nõ poſ- Ariſt. lib.
ſit appræhendere & intelligere, quod non priùs per ſenſus intrò illatum 3. cap. 8.
ſit. Quicquid vel non audit, vel non videt, vel ſenſu non percipit, horum de animo.
nihil nouit nec intelligit. Quamobrem hæc ſigna Sacramentis ſunt adhibita, ob inſtitutionem noſtri. Hoc enim Chriſtus ſolicitè curauit, vt eiuſmodi creaturas vnicuique Sacramentali ſigno adhiberet, quæ quadam ſuî ſimilitudine internam virtutem & diuinã operationem, quæ fit in iiſdem Sacramentis, inſinuent, & hominibus demonſtrent: velutì ſacer Baptiſmus eſt Sacramentum emundationis omnium peccatorum, itaque hunc in aqua inſtituit Chriſtus. Nam quemadmodùm aqua abluendis purgandiſque ſordibus vi naturę ſuæ apta eſt & idonea, ſic interna huius Sacramẽti operatio eſt, vt in Baptiſmo purgemur & mundemur ab omnibus peccatis per virtutem Spiritus ſancti, quem Deus effundit in nos abundè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum, Tit.3.

Item Sacramentum Confirmationis eſt Sacramentum corroborans & confortans, robur & virtutem adferens cordi humano per Spiritum ſanctum, vt ſanctum nomẽ Dei conſtanter & liberè profiteatur: & ab hac Dei pariter & Domini noſtri Ieſu Chriſti confeſsione nullis periculis ſe ſinat abſterreri, ſed induatur virtute ad omnem ſectandam pietatem: quemadmodùm videmus in Apoſtolis, Actor. 2. Eam ob rem materia huius Sacramenti eſt oleum, quod magnæ eſt efficaciæ, & membris humanis illitum, plurimùm illis addit roboris & viriũ. Vndè legimus olim palæſtritas, quotiès in certaminibus erant congreſſuri, ſe oleo ſolitos perungere. Sic nos ad ſpiritualem palæſtram, cum peccatis ac diabolo ſubeundam, oleo inungimur: & deſignat hoc oleum ſalutarem illam & bonã gratiam, virtutemq́; Spiritusſancti, per quas nos ad Dei confeſsionem magnanimos, & ad conflictum cum peccatis ineundũ conſtantes & infractos, ac deniquè ad om̃is boni ſtudium & exercitationem fortes & robuſtos efficit.

Itidèm venerandum Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici, eſt ſymbolum vnionis, & quædam cõmunio. Nam per hoc ſanctiſsimum Sacramentum Chriſto coniungimur & conglutinamur, & quilibet cum proximo ſuo, ità vt ex Chriſto, iјsque omnibus qui in Chriſtum credunt, & hoc Sacramẽtum corporis & ſanguinis eiuſdem percipiunt, vnum corpus efficiatur: omnes vnum, vel quaſi vnus homo efficiamur in Chriſto. Atque hęc vnionis virtus, iſtaque communio, pulcherrimè in externis illis ſignis denotatur, in quibus conſiſtit hoc Sacramentum. Conſiſtit enim in pane & vino.

Iam autem menſa apud omnes populos ſymbolum eſt amicitiæ. Nam communi cibo & potu veſci, eademq́; menſa frui, conditio eſt arctæ & peculiaris cuiuſdam amicitiæ. Sic & panis conditio eſt, ex multis granis ſimul mixtis in vnam maſſam redigi, vt indè vnus fiat panis. Et vinum quoquè ex multis acinis confluit, vt nullum iam remaneat acinorum diſcrimen, ſed vnum ex om̃ibus fiat vinum. Non poterat igitur apta magìs ſigna Deus adhibuiſſe ad hoc communionis Sacramentum, quàm ipſas adeò ſpecies panis & vini. Atq; hoc modo ſigna promouent intellectum noſtrum.

Alia prætereà commoda ratio, cur vtile ſit, ſigna externa Sacramentis eſſe adiuncta, hæc eſt, quòd admoneant hominem, qualem ſe meritò poſt percepta Sacramenta præbere debeat. Aqua in Baptiſmo habet quandam ſimilitudinem ſepulturæ, itemq́; reſurrectionis corporũ noſtrorum. Mergendo ſepelimur, & dum eleuamur, reſurgimus. Quiſquis expendit, quomodò aquæ ſit immerſus, is admonetur ſe veterem Adamũ vnà cum peccatis omnibus illic ſepeliſſe. Quamobrem igitur volet denuò viuere peccatis? Et cùm rurſus ex aqua Baptiſmi emergeret, depoſito veteri homine, nouum & qui ſecundùm Deum creatus eſt, hominem protulit. Agè igitur, viuat etiam ſicutì nouum hominem decet. In Confirmatione ad ſpiritualem fortitudinem vncti ſumus efficacibus Diuini ſpiritûs chariſmatis.

itaque

itaq; vt benè inſtructi & armati milites, honeſtum & bonum certamen cer temus aduerſus ea om̃ia, quæ Chriſto Domino noſtro inimica ſunt & con traria. Signo crucis Chriſti in fronte ſumus inſigniti, quamobrem non decuerit vel verbo, vel factis eum negare, cuius ſignum in fronte portamus. Turpe eſt & ignominioſum, in caſtris & ſub ſignis Satanæ conſpici eũ, qui Chriſti gerit ſignum. Quæ enim conuentio Chriſto ad Belial? 2.cor.6.

In ſacroſancta Euchariſtia pignus amoris & communionis accepimus, quãdoquidem omnes de vno pane & de vno calice participamus, 1.Corint. 10. Itaq; omnia tam proſpera quàm aduerſa cum fratribus in commune feramus. Faceſſat omnis liuor, maleuolentia, commodi & quæſtûs priuati ſtudium, & quicquid fraternũ amorẽ labefactare poteſt, ceſſet inter filios Christi, qui Sacramentum pacis & concordiæ omnes communiter participârunt. Et ſic de reliquis.

ORTHODOXA INSTITVTIO DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CONCIO XLIX. HABITA

Dominica Cantate, Anno 1543.

DVabus proximè præcedẽtibus concionibus, auditores in Chriſto chariſſimi, nonnulla de Sacramentis diximus, quantùm quidem eos qui fidei Chriſtianæ myſterijs initiati ſunt, de Sacramentis eccleſiæ generatim nouiſſe neceſſarium & ſatis eſt. Nunc eò ventum eſt, vt ſingula Sacramenta ſingulatim apud vos pertractanda ſint. Quia verò doctrina de Sacramẽtis hac noſtra tam perículoſa tempeſtate per ſectas & hæreſes tam miſerè laceratur, & in admodùm diuerſas opiniones diſtrahitur, ità vt quidam pauca, alij omninò nulla Sacramenta recipiant: cùm enim (vt ſibi ipſi perſuadẽt) meri ſint ſpiritus, fit vt nihil illis ſapiat, nihil ſatis probetur, quod externum eſt, ſiue illud Deus vel præcipiat vel vetet.

Tertij verò Sacramentis ſuam eſſentiam & virtutem non relinquunt, quam ſecundùm veram Chriſti inſtitutionem habent.

In hac tanta tam diſſimilium erronearũq; opinionum varietate, neceſſarium fore duxi, breuiter & ſuccinctè pręfari, quid in Sacramentorum doctrina à me expectare debeatis. Atq; hìc coram Deo & vobis omnibus proteſtor, me nec poſſe nec velle ab articulo illo fidei Chriſtianæ recedere, quo credimus & confitemur vnam ſanctã Catholicã Eccleſiam. Extra omnem eſt controuerſiam, nec poteſt negari, vera Sacramenta, verumq; & germanum ſcripturæ ſacræ intellectum, & Chriſtianæ doctrinæ veritatem, non niſi in Eccleſia Chriſti haberi. Neque hoc vllus vnquàm inficiatus eſt hæreticus: ſed hinc omnis exiſtit lis & concertatio, quòd Sectarij aſſerant

penes

penès ſe eſſe Eccleſiam. Atquì verò hic noſtrę fidei articulus clarè, luculenter & certò demonſtrat, quæ ſit legitima & vera Chriſti Eccleſia, nimirùm illa quæ catholica eſt & vniuerſalis.

Hæc eſt Chriſti Eccleſia, veraque & orthodoxa doctrina, quę ſemper & vbiquè durat & perſiſtit iuxta promiſſum Chriſti Acto. 1. Et eritis mihi
Luc.24. teſtes vſque ad vltimum terræ: itemq; Matt. 28. Et eccè ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Quoniam ergò hæc vera illa Chriſti eſt Eccleſia, quæ iam indè ab initio propagata eſt atque diffuſa in omnes terrarum fines, & continenter ac perpetuis temporibus ad noſtram vſque ætatem pdurauit, non autem illa, quę in hoc vel illo angulo recèns ſeſe effert ac emerſit: cumque Sacramenta Chriſti ad Eccleſiam ipſius, non ad ſectas, pertineant, nec alibì vſquàm efficacia ſint Sacramenta, præterquàm in Eccleſia Chriſti, certè de Sacramentis mihi pro concione dicendum erit, non quæ hæc vel illa Secta habet, aut inter Sacramēta numerat, ſed quæ Catholica Chriſti Eccleſia à primis ſuis initijs ſemper adhuc habuit, & pro Sacramentis duxit: ſic etiam de Sacramentis vt ſentiatis & credatis, docēdi mihi eſtis non ſecundùm huius vel illius Sectę opinionem, ſed ſicut Eccleſia Catholica, vniuerſus in quam orbis Chriſtianus, iam indè ab exordio, quouis tempore & vbiquè locorum de Sacramentis ſenſit, tradidit, docuit, & credidit, idque iuxta diuinas ſcripturas ad noſtram vſque ætatem.

Equidem, Auditores, hoc mihi de vobis perſuadeo, neminem ex vobis fore tam temerarium, qui aut ſe, aut etiam quenuis alium hac ætate talem reputet, qui de vero ſcripturæ diuinę intellectu veriùs rectiuſque iudicare poſſit, quàm ipſi apoſtoli, eorumque diſcipuli & ſucceſſores *alij poſt* alios ad nos vſque iudicauerint. Prorſùs ſpero, Deum vos in *ſenſum* tam reprobum nondùm tradidiſſe, vt pro veritate Chriſtianæ doctrinæ, legitimoque Sacramētorum vſu, mālitis amplecti quod nupèr natum eſt, quàm quod à principio permanſit & perſeuerauit in orbe Chriſtiano. quis Chriſtianorum non lubèns illi conſenſerit, quod non ſolùm vno aliquo tempore, ſed omnibus temporibus itá ſeruatum eſt in Republica Chriſtiana, ab ipſis Apoſtolorum temporibus vſque ad noſtram tempeſtatem? Quis non eo modo libenter velit in doctrina Chriſtiana erudiri, atque illud ſentire & credere, quod non vnus aliquis, non hic vel ille tantùm, ſed omnes continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica, magna cōcordia ex ſolidis ſcripturarum fundamentis, veroque earundem intellectu docuêre? inter quos tot præclari Martyres extiterunt, quorum doctrinam pariter ac vitam Deus etiam miraculis confirmauit & approbauit.

Catholicum eſt,
Non quod vnus aut aliqui, ſed quod vno ore vniuerſi:
Non in hoc vel illo loco, ſed quod in omnibus totius orbis Chriſtiani finibus:
Nō vno aliquo tēpore, ſed per omnes ætates ab exordio fidei Chriſtianæ ad nos vſq; docuêre.

De

De Sacramentis igitur tractaturi, auditores, quæ Chriſtus Eccleſię ſuę in ſuſtentationem, conſolationem & ſalutem filiorum eius donauit, meritò Baptiſmum primo loco conſtituimus, cùm etiam in vſu reliqua oḿia Sacramenta præcedat. Baptiſmus viam nobis aperit & ianuam patefacit, ac intromittit nos in Eccleſiam Chriſti, vbi veram verbi Dei doctrinam, germanumq; ac legitimum vſum Sacramentorum omnium inuenimus. Per Baptiſmum in Chriſti Eccleſiam adſcribimur & admittimur, atq; ſic deindè quicquid Chriſtus eſt & habet, ad nos pertinet. Quandiù Baptiſmum non ſumus adepti, nec Deum nec Chriſtum habemus, alieni ſumus à ſpe promiſſionũ eiuſdem, nec pertinemus ad populũ Dei: gratia Dei, & quicquid prętereà ſalutis eſt in Eccleſia Dei, horum nihil pro nobis facit. Baptiſmus verò cõfert nobis omnia, largitur nobis Chriſtum cum omni gratia & muneribus eiuſdem, vt iam illis in rem & vtilitatem noſtram vti & frui queamus. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, inquit Apoſtolus, Chriſtũ induiſtis. Principium vitę naturalis, eſt ortus & natiuitas: priuſquàm naſcatur homo, nihil eorum, quę ad vitam ſpectant, vſurpare, nihil gratũ, iucundum ac delectabile ſentire, nihil deniquè boni lucrifacere poteſt. At verò vbi iam natus eſt, paulatìm adoleſcit, atque porrò omnibus ijs fungi & frui poteſt, quæ ad hominem pertinent. Agedùm, ſic & Baptiſmus eſt quædam noua natiuitas vel regeneratio, & principiũ vitæ ſpiritualis. Ante ſuſceptũ regenerationis lauacrum nihil eorum, quę ad animę ſalutem & vitam ęternam pertinẽt, facere aut percipere ſiue frui poteſt. In Baptiſmo in nouam vitam ingreditur, omnium bonorum ſpiritualiũ fit capax, quæ hìc temporaliter ad piam, illic ad æternã vitam cõducere ac prouehere queant. Porrò nos Chriſtiani non ignoramus originem noſtram, quam ex nobiſipſis, & à natura habemus ante Baptiſmũ: & ex miſerijs noſtris facilè poterimus expendere & agnoſcere, ſaluberrimam illam virtutem & largiſſimam gratiam Baptiſmi Chriſti. Scimus prima naturæ noſtrę initia & primordia ex carne & ſanguine profecta, ab ipſo Adamo. Vndè & fit, vt eiuſdẽ Adami parentis noſtri peccatũ & pręuaricatio nos premat. Sicut eñ ille in Deum peccauit, & propter illud peccatum iram DEI & mortem ſempiternã ſibi conciliauit: Sic & nos infelix eius progenies, natura ſumus filij irę, vt inquit Apoſtolus Ephe. 2. & opus planè perditum atq; corruptum. Inhæret in natura noſtra Adami peccatũ, & per peccatũ ira diuina nobis incumbit, ęternaq; damnatio nobis debetur, ceu dignũ omnis peccati ſtipẽdium. Quòd autem huius diuinæ iræ cauſa, atq; adeo pœna dãnationis ęternę, ex primi parẽtis noſtri originali peccato in nos redũdet, teſtatur etiã Apoſtolus Rom. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mũdum intrauit, & per peccatũ mors: & ità in omnes homines mors pertranſijt. Hanc humanę naturę miſeriam deplorat Scriptura, Eccl. 40. Occupatio magna creata eſt &c. Ob hanc eandem quãdoquè ſanctiſſimi prophetę horã & diem natiuitatis ſuę dãnàrunt & execrati ſunt: ex quorũ numero Hieremias, maledicta, inquit, dies, in qua

Ephe. 2. Gala. 3.

Hie. 20.

natus ſum:dies in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens: Natus eſt tibi puer maſculus, &c. & Iob 3. Pereat dies, in qua natus ſum: & nox in qua dictum eſt, Cóceptus eſt homo. Neq; verò ſanctiſſimi Prophetę ex quadam animi impotẽtia & impatientia hæc pronunciârunt, ſed ex conſideratione communis miſeriæ generis humani, quæ mox ab ipſo ortu nos premit ob primorum parẽtum præuaricationem. Nam qualis eſt terrenus Adam, tales & nos ſumus: & ex
1.Cor.15. natura peccatis cõtaminata, nihil aliud quàm natura vitiata & peccatis obnoxia produci poteſt. Iam igitur nôſtis, quam à primo parente Adamo traxerimus hęreditatem, nempe peccatũ, iram DEI, & quę peccati ſtipendium eſt, mortem ęternam. Hæc nobis adfert prima natiuitas, quæ eſt ex carne & ſanguine. Hinc nunc veniendum eſt eò, vt videamus, quid nobis vtilitatis adferat Baptiſmus, & ad quid ille nobis inſeruiat.

Cùm veniſſet illa temporum plenitudo, qua Deus generis humani calamitatem miſerari voluit, Chriſtum mundo ſaluatorem miſit, vt homines obedientia & gratia ſua ex his miſerijs extraheret & erigeret, in quas per inobedientiam & peccatum Adami erant pertracti. Vt autem hoc damnum, quod ex prima noſtra natiuitate patimur, euaderemus, inſtituit Chriſtus quoddam regenerationis Sacramentum, nempe Baptiſmum, qui abolitis omnibus illis prioris natiuitatis vitijs & maculis, nos reſtaurat, reparat ac renouat per gratiam & Spiritum Dei noſtri.

Secundùm priorem natiuitatem ſumus filij Adę, qui hæreditariò nihil nobis relinquere poteſt, præter id quod habet, & quod illius eſt, putà, peccatũ, iram Dei & condemnationem. Hanc hæreditatem quiſquis non appetit, huic nouus pater & noua mater quærenda eſt: quorum ſit melior hæreditas. Hîc ergò nunc à Chriſto ſuſcipimur, ab eoque in filios adoptamur, vt iam Chriſtum habeamus patrem, & ſanctam Eccleſiã, matrem: qui nos per aquam & Spiritum ſanctum ab integro regenerant, vt deincèps non vlteriùs Adæ, ſed Dei filij ſimus & appellemur. Atque indè iam omnibus illis exoneramur, quę ab Adamo nobis adhęſerunt, cuiuſmodi ſunt peccatum, ira Dei, & mors æterna: horumque loco donantur nobis ea quæ nouus parens noſter habet, ſcilicet emundatio & remiſſio peccatorum, amor erga nos & beneuolentia Dei, & hæreditas vitæ æternæ. Atque vt ſemèl dicam, in Baptiſmo ius filiorum DEI acquirimus, vt iam ſimus filij DEI, & à Deo deincèps expectemus, certoq; adepturi ſimus, quicquid filij à fideli & munifico patre expectare & accipere debent. Agè igitur in manus ſumamus hoc ſalutiferũ regenerationis Sacramentũ, ſacrũ in quã Baptiſma, ſingulaq; ex eo diſcamus, quæ homini Chriſtiano cognitu ſunt neceſſaria. Qualia ſunt,

1. De externo Baptiſmi ſigno, ſiue de materia Baptiſmi.
2. De legitima verborum forma, quibus in hoc Sacramento vtendum eſt.
3. De effectu & virtute Baptiſmi.

4. De Baptiſmi miniſtris pariter & baptizandis, quod vtrorunque ſit officium: & præcipuè, qualem ſe baptizandus, tum in Baptiſmo, tum poſt Baptiſmum præbere debeat.
5. Poſtremò de pijs & vtilibus cæremonijs & ritibus, quibus Eccleſia in Baptiſmo vtitur.

Circa hæc capita, omnia illa per gratiam Dei allaturus ſum, quæ doctrinæ & conſolationi veſtrę deſeruitura, vobiſque cognitu vtilia perſpexero. Suprà docuimus, auditores, vnumquodque Sacramentum eſſe externum quoddam & ſenſibile ſignum inuiſibilis gratiæ: quod ſignum, accedente Dei verbo, efficax redditur ad internam quandam gratuitamque operationem ſiue effectum efficiendum, qui in ſalutem cedat hominis ipſum Sacramentum percipientis. Semper enim ad Sacramenti conſtitutionem hæc duo concurrant oportet, nimirùm externum elementum & verbum Dei, quod diuinæ promiſſioni innixum, efficax reddit ſignum externum ad operationem & efficientiam quandam internam atq; ſalutarem, quam alioquì ipſum ſignum ex ſua natura habere non poſſet. Itaque materia ſiue elementum Baptiſmi, eſt aqua: verbum ſiue forma, eſt nuncupatio ſiue inuocatio Sacroſanctę diuinitatis, dum ſcilicet miniſter pronunciat hæc verba: Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Hoc autem verbum & hæc forma Baptiſmi, innititur illi Chriſti præcepto, Matt. 28. Euntes docete &c. & eiuſdem admonitioni, Iohan. 3. Niſi quis renatus fuerit, &c. deniquè & promiſſioni, Marci 16. Qui crediderit, &c. Ex quibus ſcripturæ diuinæ teſtimonijs intelligitis ſalutarem Baptiſmi virtutem, de qua tamen vberiùs adhuc dicemus in ſequentibus. Effectus eius eſt, quòd nos emundat à peccatis, nouos DEI filios & hæredes efficit, & perpetuam adfert felicitatem. Atquì nuda Baptiſmi aqua nequaquàm tam efficax eſt ex ſua natura: aquæ enim non ea natura eſt, vt ad animam hoīs pertingere, eamq; à peccatis lauare, & perpetuæ ſalutis ac felicitatis nos capaces reddere poſſit. Verùm vbi verbum Dei ad aquam acceſſerit, tum demùm ex verbo & aqua eiuſmodi fit Sacramentum, quod à peccatis emundet, quodque Dei gratiam, ſalutem & felicitatem conferat: ſic enim eſt voluntas Dei. Aquæ enim Deus promiſſionem ſuam adiũxit, quòd per aquam à peccatis emũdare & ſaluos facere nos velit. Quis igitur de diuinis promiſſis hæſitare velit, cùm in omnibus verbis ſuis verax ſit Deus, & abundantiſſimè potens ſit pręſtare & facere quicquid vnquàm nobis ꝓmiſit, idq; diuina ſua virtute? Hęc duo, aquã & verbum, Apoſtolus etiam cõiungit, ac teſtatur Deum per hæc Eccleſiã ſuam mũdâſſe. Ephe. 5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret, mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitę.

Eccè per lauacrum aquæ mundat nos Deus à peccatis, ſed non per ſolã aquam, ſed in verbo. Si itaque quiſpiam ex te quęrat, quid ſit Baptiſmus: Reſponde, eſt aqua & verbum Dei. Si porrò quęrat de eius virtute & effectu: dicito eum mundare ab vniuerſis peccatis, perfundere nos DEI gra-

tia,& adferre ſalutem ac beatitatem, vti ſuo loco diffuſè audituri eſtis de virtute Baptiſmi. Quòd ſi hîc idololatra aliquis Naamã, aut ſuperbus ſectarius ſpiritus, externam illam noſtrorum Sacramentorum ſimplicitatem velit contẽnere, dicens: Quî tandèm iſthuc efficere poteſt aquæ lauacrum? Huic ſic reſponde: Non iſthuc aqua facit, ſed adiuncta aquæ promiſſio DEI, quòd hanc virtutem per aquam efficere velit. Itaque verbum Dei operatur in aqua, & diuina omnipotentia eiuſmodi virtus aquæ confertur quæ à peccatis emundet, & hæredes faciat regni Dei, idque iuxta verbum & promiſ-

Ioan.3. ſionem Chriſti, Niſi quis renatus fuerit &c. Et, Qui crediderit & baptizatus

Marc.16. fuerit, &c. Poterítne igitur virtus Dei per verbum ſuum hominem à peccatis mundare in aqua, cùm ſolo verbo hominem finxerit ex limo terræ?

Gene.2. Poterítne homini per aquam in verbo ſuo largiri regnum cæleſte, cùm per verbum & in verbo ſuo cælũ & terras creauerit? Pſal.123.145. Quandò ergò ità viſum fuit Deo, vt hoc Sacramentum conficeret ex his duobus, ſcilicet externo aquę elemento, & verbo ſuo: (Nam & homo qui per Baptiſmum mundandus & ſeruandus eſt, ex duplici ſubſtantia, nempe corpore & anima, carne & ſpiritu, conſtituitur) proindè externa huius Sacramenti pars, nimirùm aqua, ad corpus referenda eſt: verbum autem ad animam: atque hoc modo totus homo ſentit & percipit hoc Sacramentum tam in corpore, quàm in anima: nanq; etiam vtrunq;, & corpus & anima, ęternam felicitatem & beatitudinem ſunt conſecutura, iuxta illum fidei noſtræ articulum: Credo reſurrectionem carnis. Quemadmodùm autem ſacra Baptiſmi aqua foris corpus lauat, ſic & Spiritusſanctus intùs animam lauat per verbum, atque ea ratione totus homo per Baptiſmum mundatur & ſanctifi-

Ezec.36. catur. Effundam, inquit Dominus apud Prophetam, ſuper vos *aquam mũdam*, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtrũ. Quòd ſi quis rationem nôſſe cupiat, cur Deus hoc regenerationis & renouationis humanæ Sacramentum, hoc eſt, Baptiſmum, in aqua potiùs, quàm in alia aliqua creatura inſtituerit: huic ea prima ratio eſtò, quòd ſic Deo viſum fuerit. Quis ergò vllum hîc auſus ſit verbum interponere? aut eius voluntati contradicere? Hanc porrò ſuam voluntatem ab initio multis typis & figuris teſtatus eſt Deus in veteri teſtamento, & multis prophetarum oraculis prænunciauit, quòd humani generis emundationem & redemptionẽ in aqua & per aquã eſſet cõfecturus. In prima rerũ creatiõe Spiritus DOMINI ferebaſ ſup aquas,

Gene.1. inquit ſcriptura. Per hoc voluit nobis ſubindicare DEVS, ſe ſpiritu ſuo ſancto hanc virtutẽ aquę inditurũ, vt nouos homines generare, & animas iam per peccatũ mortuas reſuſcitare, mũdare & ſaluos facere poſſit. Sic etiã DEVS

Gene.7. per aquas diluuij repurgauit vniuerſum orbem à ſordibus peccatorũ, atque hocipſo noſtrũ prę ſignificauit ac prę figurauit Baptiſmũ, in quo ſubmerſurus & ſuffocaturus eſſet om̃ia totius mũdi peccata. Atq; hanc figurã noſtro

1.Pet.3. Baptiſmati accõmodat ipſe Apoſtolorũ princeps: In aqs diluuij ſubmerſi & extincti ſunt peccatores, iuſti ſuperſtites manſerũt & ſeruati ſunt in Arca.

In

In aquis Baptiſmi ſubmerguntur peccatores: Ethnici & increduli abluunt hîc ſuperioris vitæ peccata, ac deinceps ceu noui homines atq; probi & integri filij Dei, viuunt iuſtitiæ in arca, id eſt, in ſancta Chriſti Eccleſia. Pharao non priùs ceſſauit affligere populum Iſraeliticum, quàm in maris vndas eſſet adductus, vbi ſubmerſus perijt. Sic & ſatan regnat in hoîe, eumq; vexat & affligit, donec ab illo in aquas baptiſmi immergatur, vbi vires amittit ſuas, & virus eius omne ſuffocatur, 1. Corinth. 10. Aquæ Iordanis abluerunt lepram Naaman Syri. Quo typo alluſit Deus ad Baptiſmum, & teſtatus eſt, quòd aliquandò per aquam ſordes peccatorũ eſſet ablúturus. Prophetarum teſtimonia, quòd Deus per aquas mundare & ſeruare velit peccatores, multa paſsìm leguntur apud Eſaiam, 43. 44. 52. Ezech. 36. Et Zachariæ 12. & 13. graphicè & ꝓpriè admodùm deſcribitur ſpiritusſancti miſsio, & Chriſti Baptiſmus. Effundam, inquit, ſuper domum Dauid & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum: & adſpicient ad me, quẽ confixerunt. In die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Hæc vide contigiſſe Actor. 2.

4. Reg. 5.

Fons patens.

Aliæ cauſæ, cur Deus Baptiſmum in aqua inſtituerit, hæ ſunt, quòd in aquæ natura penè omnes illę ſpirituales Baptiſmi operationes & effectus, aptiſsima congruentiſsimaque ſimilitudine exprimantur. Ità ergò in lotione, emundatio peccatorum: in immerſione aut aquæ perfuſione, ſpiritualis ſepultura, qua veterem hominem cum actibus ſuis in Chriſto deponimus: eo ipſo autem, quòd ex aqua rurſum emergimus & prodímus, reſurrectio in vitam nouam ſignificatur, Rom. 6. Col. 2.

CONCIO L. HABITA
Dominica Vocem Iucunditatis, Anno 1543.

AVſpicati ſumus, auditores, ſuperiori concione Tractatum de Sacramento Baptiſmi, & quidem initiò loco prooemij id declarauimus, ad quid nobis deſeruiat & quid conferat Baptiſmus, quomodò ſit lauacrum regenerationis, quod ex Adæ filijs hæredes & filios Dei efficiat, peccatum & damnationem, quę ex primi parentis natura contrahimus omnes, & ab ipſis primis initijs vitę noſtrę nobiſcum in mundum adducimus, tollat & aboleat: vt pretereà Baptiſmus, immò Deus per Baptiſmum, emundationem & remiſsionẽ peccatorum nobis conferat, & pro damnatione, quam meruimus, prętet id nobis, vt poſsimus filij Dei fieri. Indicaui quoquè, quid ſit, & ex quibus rebus conſtet Baptiſmus: nimirùm ex aqua & verbo Dei. Cur autem in aqua potiùs, quàm in alia aliqua creatura Baptiſmum inſtituerit Deus, hanc inter cæteras rationes attuli pręcipuam, nempe ſanctam Dei voluntatem: & deindè illam, quòd aqua naturali operatione ſua internam Baptiſmi virtutem & efficaciam pulchrè & concinnè ac propriè indicet. Aqua externas corporis ſordes abluit: per Bapti-

ſmum Spirituſſanctus intrinſecùs animam emundat per gratiam ſuam. In Baptiſmo aqua corpus hominis excipit, & circumplectitur, atq; intra ſeſe, haud ſecùs àc ſepulcrum, includit & abſcondit: ſed mox illud reddit purius & pulchrius, quàm erat priuſquàm ſic in aquas foret immerſum & ſepultum. Sic in Baptiſmo hæc omnia ſpiritaliter contingunt. Vetus ille noſter homo cum Chriſto ſepelitur in Baptiſmo, & nouus homo rurſus ex eodem reſurgit. In Baptiſmum immergitur filius Adæ, peccatorum ſordibus plenus: ex Baptiſmo itidèm Adæ filius, ſed depuratus, mundus, & à peccatis omnibus abſolutus educitur. In Baptiſmo emoritur peccatum ac ſepelitur, vt poſt Baptiſmum in nouis Dei filijs deincèps viuat & perſeueret ſanctitas & iuſtitia. Huius ſpiritalis mortis, ſepulturæ & reſurrectionis eleganter nos admonet Apoſtolus Rom. 6. An ignoratis, inquit, fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Cõſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriã patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et Col. 2. Cõſcpulti ei in Baptiſmo. Hæc ergò eſt vera illa ac ſalutaris mors ſpiritalis, in qua ſepelimur in Baptiſmo, & qua deincèps omnibus diebus vitæ noſtræ perpetuò nobis eſt moriẽdum. Noſtra enim profeſſio, cui nos dédimus & conſecramus in Baptiſmo, noſtra conditio & ſtatus quem tum aſſumimus, nihil aliud eſt, quàm quædã continua, iugis ac perpetua mors, cui ſinè intermiſſione ſtudere debeamus. Qui ſeſe quotidiè nõ mortificat, hic violat votum quod nuncupauit in Baptiſmo, nec poteſt à Chriſto dici Chriſtianus. Non quòd Chriſtianus vim debeat adferre corpori ſuo, illudq; occídere: ſed auxilio ſpiritûs Dei, quem accepit in Baptiſmo, prauas naturæ concupiſcentias & praua carnis opera iugulare ac mortificare: *illa*, inquam, opera, de quibus ad Galat. 5. & Col. 3. ſcribit Apoſtolus his verbis: Quæ ſunt, Fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſatiões, auaritia, &c. Hoc eſt illud corpus peccati, quod deſtruendũ & mortificandũ eſt, vt eiuſmodi opera in renatis ampliùs nõ dominent & viuãt. Hoc eſt mori peccato in Baptiſmo. Quemadmodùm enim homo morte naturali defunctus, non ſe immiſcet vel occupat viuorum negocijs: ſic nos quoquè peccatis mori debemus in Baptiſmo, vt à cogitationibus & operibus vitioſis adeò prorſus abſtineamus, quaſi planè mortui ſimus. Hęc eſt illa ſalutifera mors, qua corpori quidem naturalis vita relinquitur, profligatur verò peccatum & malitia: membra in ſuo ſtatu permanent, ſed mens hominis renouatur. De hac ſpiritali
2. Cor. 4. morte alio modo ſic loquitur Apoſtolus: Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circunferentes. Tantum ergò de ijs, quorum in Baptiſmo admonemur, dixiſſe ſufficiat. Nunc progrediemur ad formam verborum, quæ ad Baptiſmum adhibenda ſunt.

DE FORMA BAPTISMI.

FOrmam verborum, quibus vtēdum eſt in Baptiſmo,ipſe Chriſtus, qui nobis Baptiſmum contulit,& eundem per gratiam & merita ſua efficacem reddit ad ſalutem noſtram,docet,itá inquiens:Euntes baptizate eos in nomine Patris,& Filij,& Spirituſſancti.Atque hoc eſt verbum Dei, quod Matt.28. aquam Baptiſmi ſanctificat, & ad abluenda peccata efficacem reddit,ſalutemque & felicitatem confert,iuxta promiſſionem Chriſti,dicentis: Qui crediderit & baptizatus fuerit,&c. Hanc formam Chriſtiani omnes exactè Mar.16. cognoſcere,& fideli memoria retinere debent tam ad doctrinam,quàm ad conſolationem.Ad doctrinam quidem,vt ſi accidat,prout frequenter euenire videmus,vt infans conſueto more ad Eccleſiam baptizandus perduci non poſſit,& proindè neceſſum ſit eum à laico baptizari, vt tunc idem ille laicus nôrit hanc diuinam formam in baptizando exactè obſeruare,nec erret in verbis,quæ Chriſtus in Baptiſmo pronunciari mandauit.Ad conſolationē verò, vt aduerſus omnem truculentum Satanę incurſum periculoſasque tentationes ſeipſum poſſit commonefacere, in quo & in cuius nomine ac virtute baptizatus ſit: & hac conſolatione fultus, omnes Satanæ impugnationes eius virtute, in quo & per quem baptizatus eſt,poſſit contemnere,elidere ac propulſare.

Porrò hîc diligenter attendendum eſt,vt miniſtretur Baptiſmus in nomine,non autem in nominibus Patris & Filij & Spirituſſancti.Hoc enim loco nomen,non appellationem ſeu vocabulum,ſed virtutem,potentiam & poteſtatem Patris & Filij & Spirituſſancti ſignificat:velutì ſi dicam, Ego iſthuc facio in nomine Imperatoris,non nudam eius appellationem dico, qua nuncupatur Carolus, ſed functionem & authoritatem illius deſigno. Sic qui dicit, Baptizo te in nomine &c.id vult intelligi,àc ſi dicat, Baptizo te non quidem mea authoritate vel poteſtate, ſed in potentia, poteſtate & virtute Dei.Quoniam autem ſacroſancta Deitas vnius ac indiuiduæ eſt poteſtatis,potentiæ & virtutis, eſtque indiſſimilis eſſentia, eadem poteſtas & virtus Patris,& Filij, & Spirituſſancti, neutiquàm ſanè in nominibus, ſed in nomine baptizabimus,nè iuxta hæreticam opinionem, inſeparabilem Deitatē in eſſentia & potentia ſua diuidamus, & peculiarem Deum ex patre,itidèm alium ex filio fingamus,cùm tamen Pater,Filius, & Spirituſſanctus,non niſi vnicus,idemque ſempiternus & eiuſdem potentiæ ſit Deus. Cuius quidem commonitionis perpetuò meminiſſe deberent Chriſtiani, & quilibet pro ſuî conſolatione animo ſuo affigeret, & huiuſmodi meditationibus ſeſe aduerſus omnes tentationes erigeret, corroboraret & conſolaretur,quòd in nomine,hoc eſt,potentia, poteſtate ac virtute diuina ſit baptizatus. Hinc iam porrò deuenitur ad tertium illud, quod de Baptiſmo diſcendum eſt,quæ ſit virtus & quis effectus Baptiſmi.

DE EFFECTV BAPTISMI.

QVandò ſanè in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti baptizati ſumus,in virtute & per virtutem ac poteſtatē ęternę ac ſacroſanctæ diui-

nitatis Baptizati,ſanctificati,& conſecrati ſumus. Hoc enim ſibi volunt ea verba, Baptizo te in nomine Patris &c. Atque hîc cum Deo in gratiam reſtituti ſumus,qui eſt Pater, Filius & Spiritusſanctus. Hîc Dei quoddam peculium facti ſumus. Hîc externo viſibiliq; ſigno ſub nomen,tutelam, præſidium & potentiã Dei recepti ſumus: perindè vt præpotens aliquis mundi princeps,ſolet interdùm populum aliquem in ditionem ſiue protectionem ſuam recipere, atque eis ſua arma vel inſignia tribuere, vt argumento ſint,illos ſub eius degere patrocinio, ad eumq; pertinere, quandoquidem eius nomen & arma vel ſigna præferunt. Eodem modo circa nos operatur virtus Dei per Baptiſmum. Siquidem diuina eius poteſtas & potentia nos circumplectitur in Baptiſmo,ibidemque fœdus ſempiternum inſtur ac feritur inter Deum & hominem.

Porrò fœderis natura hæc eſt,vt ab vtraque parte aliquid requirat, & vtranque partem alteri obliget. Sic & Baptiſmus Deum nobis,& nos viciſsìm Deo obligat. Qua autem obligatione homo deuinciatur Deo, poſteà audiemus: nunc Dei erga nos obligationem pertractabimus, vt vim & efficaciam Baptiſmi tanto pleniùs addiſcamus. Ad multa ſanè & ardua Deus ſemetipſum nobis obſtringit in Baptiſmo. Chriſtus omnia vnico verbo complectitur,inquiens: Saluus erit. Alioquì Dei erga nos obligatio in ſcripturis diuinis diffuſè commemoratur ac proponitur.

I. Principiò obligat ſe homini Deus infuſurum ſe ei Spiritumſanctum per Baptiſmum, qui ab omnibus anteactis peccatis ipſum emundet. Hoc autem tam noui quàm veteris inſtrumenti teſtimonijs aſſeritur, Zach. 13. Erit fons patens (dicit Dominus) in ablutionem peccatorum. Ezec. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam. Actor. 2. Baptizetur vnuſquiſque in remiſſionem &c. Tit. 3. Epheſ. 5. Coloſ. 2.

II. Neque tantùm eluit & remittit Deus omnia præcedentia peccata per Spiritumſanctum in Baptiſmo, verùm etiam gratiam, virtutẽ & robur infundit aduerſus imminentia vel futura peccata per eundem ſpiritum. Huc pertinet, quòd Apoſtolus alicubì teſtatur eos qui verè Chriſtiani ſint, etiam Chriſti ſpiritũ habere. Qui ergò ſpiritu Chriſti aguntur & ducuntur, non iam ampliùs perficiunt deſideria carnis: ſpiritus Dei eſt in nobis, per quem opera carnis & omnia peccata mortificamus, Roman. 8. Galat. 5. Indè

Philip. 4. adeò Apoſtolus gloriatur om̃ia ſe poſſe non in ſeipſo, ſed in eo qui ipſum confortat.

III. Obligat præterea ſe homini Deus in Baptiſmo ad ſubſequentium ſiue futurorum peccatorum remiſsionem: atque ſic Baptiſmus non ſolùm anteacta peccata remittit, & virtutem confert aduerſus futura, verumetiam adfert medelam & remiſsionem ſubſequentium delictorum, ſi fortè quis à Baptiſmo ex fragilitate, aut incuria, vel etiam malitia peccauerit. Nam quanuis ad illorum peccatorum, quę poſt Baptiſmum perpetrantur, remiſ-

Pœnitentia. ſionem neceſſaria ſit pœnitentia, & nulla peccata ſinè pœnitentia remittantur,

tantur, ea ipſa tamen remiſſio cauſam & virtutem ſuam habet ex illo fœdere, quod in Baptiſmo inter Deum & hominem initur. Omnia enim pœnitentiæ opera ſuperuacanea & inefficacia forent ad peccatorum abolitionem, niſi pactum illud & fœdus interueniſſet in Baptiſmo, Deum propicium fore peccatis noſtris: & niſi regenerationis lauacro renouati, & myſtico Chriſti corpori eſſemus inſerti. Exerceat infidelis aliqs, putà Turca aut Iudæus, omnia quæ poteſt pœnitentiæ opera: oret, largiatur eleemoſynas, maceret corpus inedia quantùm volet, nullam tamen impetrauerit peccatorum remiſſionem. Non enim accepit illud ſignum fœderis. Non eſt ſpiritu Dei renouatus, neq; vnquàm receptus in numerum filiorũ Dei, quorum is peccatis miſericordem & propiciũ ſe fore promiſit. Porrò baptizatis pœnitentia cedit in remiſſionem peccatorum: Sic enim habet ĩ dicti in Baptiſmo fœderis formula: Propicius ero peccatis eorũ. Atq; hoc eſt, quod inquit Apoſtolus: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habẽtem maculam aut rugam. Iam verò Chriſtus Eccleſiam ſuam non ità ſinè macula aut ruga conſeruat, vt non quandoquè peccent baptizati. Sed hoc modo mundam eam conſeruat, vt peccata nequeant adhærere baptizatis: ità vt tametſi contingat eos peccare, hæc tamen peccata rurſùm eluantur per pœnitentiam, per Chriſti ſanguinem, per mortem eius & reſurrectionem, quorum omniũ facti ſumus participes in baptiſmo. Itaque baptiſmus hãc nobis confert gratiam, vt deindè cætera Eccleſiæ Sacramenta erga nos efficacia reddãtur, poſſintq; remiſſionem peccatorum ac ſalutem omnem efficere & operari in nobis, quæ eadem tamen nõ baptizatis nihil conferuut. Atq; hoc modo ſi in nouos homines regeneremur, & quædam iuſtitiæ primordia ac initia hauriamus, indè iam omne bonum, omnis virtus & gratia diuina exiſtit ac prománat in nos. Hæc, Auditores dilectiſſimi, in hũc finem diximus, vt poſt perceptum Baptiſmum vos ſpiritui Dei ſubmittatis, & non peccetis. Sed & ſi quis peccauerit, huic ego hãc ſpem indico, vt ſciat ſe Chriſto in Baptiſmo incorporatum eſſe, eũq; nos habere aduocatum, 1. Ioh. 2. Porrò fœdus hoc elegãter deſcribit Deus apud Hiere. 31. Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum: nõ ſecũdùm pactũ quod pepegi cum patribus veſtris, in die qua apprehendi manum eorũ, vt educerẽ eos de terra Aegypti: Pactum quod irritũ fecerunt, & ego dominatus ſum eorũ, dicit Dominus. Sed hoc erit pactũ, quod feriam cũ domo Iſraẽl, poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legẽ meam in viſceribus eorũ, & in corde eorũ ſcribam eã: & ero eis in Deũ, & ipſi erunt mihi in populũ: qa propiciabor iniquitati eorũ, & peccati eorum non memorabor ampliùs. Hanc quoq; virtutem habet Baptiſmus, vt conſolationem & fiduciam erga Deum cordibus noſtris ingerat, vt om̃ia nobis bona à Deo polliceamur, quemadmodùm filij ab amantiſſimo parente ſibi promittunt: & ad Deum clamemus,

Iere. 31. 33. 36.
Hebr. 8.
Ephe. 5.

Rom. 8. gala. 4. Abba pater. Nam foris quidem ſignum quoddam accipimus in Baptiſmo, & intrinſecùs teſtimonium & certificatiõem Spiritus ſancti, q̧ certò ſimus filij Dei: de quo pulchrè admodùm ſcribit Apoſtolus Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei. Si autem filij, & hęredes: hęredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.

Prætereà ex gratia & virtute, quã in baptiſmo acquirimus, etiã illud conſequitur, vt deincèps regeneratorũ opa, quæ per ſe quidẽ imperfecta ſunt, Deo tñ accepta ſint, & perpetua beatitudine donent̃ ex clemẽti acceptatiõe Dei, quæ alioquì pro ipſorũ dignitate vix tẽporario aliquo, eoq́; ſimplici ſtipendio remunerari deberet. Atque hîc breuiter fuerit diſcendũ & retinendum, quomodò de meritis aut operibus noſtris, piè & orthodoxè & loqui & ſentire debeamus: nè cum Pelagianis gratiæ Diuinæ contumeliam faciamus, qui proprijs ſuis operibus iuſtificationem attribuebant, atq; beatitudinis meritum ſuæ ipſorum probitati & integritati deberi affirmabãt, omnibus licèt ſcripturis reclamantibus, & contrarium docentibus. Diſtinguendum porrò hîc eſt inter ipſa opera per ſe conſiderata, & opera alicuius fidelis, quæ ex charitate prománant, quam Deus in cordibus noſtris diffundit per Spiritum ſanctum, qui deincèps gratia ſua nos promptos, voluntarios & robuſtos reddit ad omne bonum. Nulla quidem opera per ſe ſempiterna beatitudine digna eſſe queant: non enim ſunt cõdignæ paſſiones (vel actiones) huius temporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Quòd autem credentium opera coram Deo valent ac merentur, & mercedem accipiunt, id quidem non ex propria ipſorum operũ dignitate & bonitate contingit, ſed & gratia & miſericordia Dei. Et quidem tria in operibus credentium ſunt conſideranda, quæ meritum illis conciliant, & tum temporaria, tum perpetua remuneratione vel præmio digna ea efficiunt. Hæc autem tria ex gratia Dei proficiſcuntur, vt quidem verũ ſit, ſalutem felicitatemq́; noſtram ex Dei gratia prouenire, & non ex operibus noſtris: & nihilominùs prætereà certi ſimus, bona credentiũ opera certam infallibilemq́; mercedem à Deo promereri.

I. Prima ratio, quamobrem opera fidelium corã Deo valeant, & meritum habeant, hæc eſt, quòd fideles per Baptiſmum & fidem ſpiritum Dei accipiunt. Hic illos intrinſecùs renouat, eorũq́; corda ſiue animos charitate perfundit, voluntatemq́; ſanat & emendat, vt ad omne bonum alacres fiant, & faciant illud ex animo. Neq; ſolùm promptam largitur voluntatem & deſiderium boni, ſed & facultatem ſubminiſtrat, qua benè agere poſſint.

II. Altera ratio, cur fidelium opera coram Deo valeant & mereantur, hæc eſt: Cùm eñ per baptiſmum Deo reconciliati ſint, & in filios eius cooptati, tametſi omnia opera in ſeipſis exigua quidem ſunt & imperfecta, Deus tamen rata & grata habet, non ſecùs àc pater filiorum ſuorum opera, eaq́; eo

nomine

nomine ſibi grata & accepta habet, quòd eos diligat, quòd ſint eius filij, & ad eiuſmodi opera per Spiritumſanctum impellantur & agantur, & gratia Dei confortentur: cumque ipſemet huiuſmodi in illis operetur per ſuam gratiam, placet ipſi hæc opera, neq; vult neq; poteſt ea non remunerari & præmio non afficere.

Tertia ratio, cur opera credentium valeant, & tum meritum, tum præmium habeant apud Deum, pendet ex benigna & gratuita Dei promiſſione. III.
Quanuis enim pro operibus noſtris per ſe conſideratis, vel pro ipſorum propria bonitate nihil debeat nobis, ex gratia tamen & nullo cogente id promiſit: eaque promiſſio eum debitorem reddit, quandoquidem verax eſt: atque ità hîc pariter concurrunt miſericordia & veritas Dei, Pſalm. 84. Miſericordia, quòd promiſit id, quod non tenetur vel debet: Veritas, quòd promiſſa fideliter præſtet. Hæc tria ſi conſideremus in operibus credentium, iam rectè & orthodoxè ſentiemus, bona eorum opera coram Deo valere ac mereri, & ſuum habere prēmium. Et tamen vel de nobis, vel de operibus noſtris per ſe conſideratis, non ſublimiùs ſentiemus, quàm Chriſtus nos docet, Cùm feceritis omnia &c. Luc. 17.

CONCIO LI. HABITA

Dominica Exaudi, Anno 1543.

HActenùs, Auditores dilectiſſimi, de Sacramento Baptiſmi audiuimus, & didicimus quid ſit Baptiſmus, quæ eius materia, ſiue externum elementum, quæ verborum forma, quibus in baptiſmo vtendum eſt: de virtute quoque & effectu, quem Deus iuxta gratuitas munificasque ſuas promiſſiones in nobis operatur in Baptiſmo, per virtutem verbi ſui & gratiam Spiritusſancti. Atque hoc modo illud fœderis ſignum inquiſiuimus & inuenimus, quod Deus iuxta ſanctam & iuſtam ſuam voluntatem ſibi delegit, vt per hoc pacem cum hominibus efficeret, & propicius fieret peccatis eorum, ſuamque in poſterum illis vberem gratiam, & cæleſtis regni hæreditatem impertiret. Atque hanc Dei promiſſionem, quòd ſcilicet per huius fœderis ſignum nos ad beatitudinem recepturus ſit, ipſius verbis probauimus. Qui, inquit, crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Habemus prætereà grauiſſimam præmonitionem ac denunciationem, neminem ſinè hoc ſigno neq; cum Deo pacem vel amicitiam habere, neque ſaluum fieri poſſe, Iohan. 3. Mar. 16.

Certam itaq; & indubitatam habemus conſolationem, & verā Dei promiſſionem, Baptiſmum ſaluum facere: habemus quoquè denunciationem annexam, ſinè baptiſmo neminem ad ſempiternam felicitatē poſſe pertingere. Quod tamen de illis accipiendum eſt, qui baptiſmum ex incredulitate & contemptu prętermittūt, cùm illū quidē percipere poſſint, & tamē auerſantur.

ſantur. Nam diximus, Deum gratiam ſuam Sacramentis, veluti medijs quibuſdam incluſiſſe, per quæ viſum eſt illi gratiam ſuam hominibus elargiri: nec tamen idcircò Deus his medijs ità adſtringitur, vt perpetuò illis vti cogatur, nec poſſit alio modo hominibus gratiam ſuam impartire. Abſit. Deus eſt & manet perpetuò ſuæ gratiæ & munerum ſuorum DOMINUS, eaq́; ſi volet, poteſt etiam ſinè Sacramentis & omnibus medijs externis homini conferre. Attamen qui medijs deſtinatis potiri poteſt, & inſtitutionē Chriſti ex infidelitate aut contemptu ſeruare recuſat, hic is ab omni ſpe ſuæ ſalutis excidit. Sin autem adſit fides, deſiderium, & prompta obediensq́; voluntas, vt inſtitutionem Chriſti libenter ſimus obſeruaturi, ſed impediamur, quô minùs ad externa hæc media poſſimus confugere, ex accidenti aliqua neceſſitate: hoc caſu Deus ex gratia ſua neceſſitatem ſupplere poteſt, & ſinè his medijs conferre, quicquid per ea dare promiſit. Sic Baptiſmi gratiam etiam ſinè baptiſmo conſequi poſſumus, ſi à regenerationis lauacro neceſſitate excludamur. Hinc iam concors eſt ſententia in Eccleſia Chriſti, triplicem eſſe baptiſmum: fluminis, flaminis, & ſanguinis. Baptiſmus flaminis

Baptiſmus flaminis. eſt, quandò quis in corde à peccatis & incredulitate ſua conuerſus ad fidem Chriſti, ex animo deſiderat baptizari, ſed morte præuenitur priuſquàm Baptiſmum extrinſecùs poſſit adipiſci: hic certò intrinſecùs baptizatur à Spirituſanċto, qui omnia ea in ipſo operatur, quæcunq; Deus fidelibus circa Baptiſmum promiſit. Nam quid vetabit, quo minùs hic virtutem & gratiam Baptiſmi conſequatur? Corde enim credidit ad iuſtitiam, & ore confeſſus eſt ad ſalutem. Baptiſmum iuxta inſtitutiōem Chriſti deſiderauit, à quo eum non infidelitas, non proteruia, nō contemptus, ſed ſola neceſſitas retraxit. Supplet igitur certò diuina miſericordia, quod ademit neceſſitas. Alter Baptiſmus, qui itidèm nō fit in aqua, nec forinſecùs eſt baptiſmus, & nihilo ſeciùs Baptiſmi virtutem & gratiam obtinet, appellatur Baptiſmus ſan-

Baptiſmus ſanguinis. guinis: Vt ſi quis incipiat fidem Chriſtianam corde tenere, & ore confiteri, ſed ſæuiſſima Tyranni alicuius potentia præoccupatur, abripitur & iugulatur, priuſquàm ad fluminis Baptiſmum queat pertingere: talem Deus in ſanguine ſuo baptizat, quem in fide Chriſti profundit. Quicūq; ergò propter Chriſtum, aut in confeſſione Chriſti ſanguinem ſuum profundit, priuſquàm baptizetur, is non negligit, ſed præuenit Baptiſmum, & præſtantiori baptiſmo tingitur, quàm qui in aqua fit, & generalis illa Chriſti ſenten-

Ioan. 3. tia eum non excludit à regno Dei, qua inquit: Amèn amèn dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſanċto, &c. habet enim aliam Chriſti

Matth. 10. promiſſionē, qua ſeruatur, hanc videlicet: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Hoc ſanguinis baptiſmo latro, in cruce pendens, baptizatus eſt, & cōfeſſione ſua ſeruatus.

Luc. 23. Sic plurimi boni Chriſtiani ab exordio fidei noſtræ in ſuo ipſorum ſanguine baptizati ſunt, q; quòd Chriſtū profiterentur, à Tyrannis trucidati ſunt, priuſquàm fluminis baptiſmo potiri poſſent. Eodem modo Innocentes infan-

infantuli tempore Chriſti in ſuo ſanguine baptizati ſunt, quos Herodes propter Chriſtum iuſſit occídi, Matth.2. Sic etiamnùm infantes illi baptizâtur, quos immaniſſimus Turcarum tyrannus nonnunquàm in ipſo adhuc matris vtero deliteſcêtes perimit, qui mortem oppetunt cauſa nominis Chriſti, priuſquàm hanc lucem contueantur: qui necdùm ore quidem Chriſtum ſonare poſſunt, & nihilo ſeciùs ſanguine ſuo eidem teſtimonium reddere poſſunt. His benigniſſimus Deus largitur vitam ęternam, cùm eius cauſa temporariam hanc ac innoxiam vitam amittant. Hi cuſtodiunt in tuto loco animas ſuas, quas propter Deum perdiderunt, idq; iuxta ipſius Chriſti promiſſum, dicentis: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam, & in vitam æternam cuſtodit eam. O felices tales animas. Quàm certa & indubitata eſt earũ in cælos migratio, quandoquidem Chriſti ſignum gerunt, nimirùm ſanguinem quem pro Chriſto profuderunt. Nemo dæmonum eas audet diſtinere vel remorari: immò omnes omniũ cacodęmonum phalanges terrentur & exhorreſcunt ad eiuſmodi animarum conſpectum, atque adeò citra aliquam remoram eas ſinunt ad cælos euolare, quas ſanguine ob Chriſti nomen effuſo vidêt conſignatas. Hæc itaq; de eo dicta ſint, quòd Deus etiam ſinè Baptiſmo ſeruare poſſit, ſi non ex contemptu aut infidelitate, ſed neceſſitate Baptiſmus prætermittatur.

Matt. 10. Iohan. 12.

DE MINISTRANTE ET SVSCIPIENTE.

MVltis iam verbi Dei teſtimonijs exploratum habemus, certaque fide credimus in Eccleſia, Baptiſmum quem ex præcepto Chriſti in nomine Patris, & Filij & Spirituſſancti ſuſcipimus, peccata hominum emundare, eosq; noua perfundere gratia, & æternæ felicitatis capaces & participes efficere. Hic verò effectus non ex natura aquæ proficiſcitur, ſed omnis Baptiſmi virtus ab eo dependet, & ab eo prománat, qui Baptiſmum largitur. Loquor autem hîc non de miniſtro Sacerdote, quem coràm conſpicis, & qui aquam extrinſecùs infundit, & verba pronunciat: ſed Chriſtum dico, q intrinſecùs baptizat per Spiritumſanctum. Sanctiſſima illa Deitas, Pater, & Filius & Spirituſſanctus, in cuius nomine baptizamur, hæc eſt, quę confert Baptiſmum: Deus, inquam, qui Dominus eſt Baptiſmi. Sacerdos baptiſmi duntaxat eſt miniſter, linguam tantùm & manum accommodans, nihil aũt confert aut adimit virtuti Baptiſmi: per ipſum manet, qualis eſt, Baptiſmus. Virtus igitur Baptiſmi ex Deo ęſtimanda eſt, in cuius nomine Baptiſmus confert, & q eſt Dominus Baptiſmi: nec vllo pacto exiſtimare eũ oportet ex homine, qui baptiſmũ diſpenſat. Quo loco hîc habendus ſit Sacerdos, docet Apoſtolus, inquiens: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores myſteriorũ Dei. Quis aũt ille ſit, qui cõfert Baptiſmũ, ſuo ipſius eloquio è cælis teſtatus eſt Deus, Iohã. 1. cùm ſanctiſſimo Iohanni Baptiſtę apparẽs, diceret: Super quẽ víderis ſpiritũ deſcendẽtem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat. Obſerua hîc, nõ legi Chriſtũ

1. Cor. 4.

ipſum baptizâſſe, ſed Apoſtolos, Iohan.4. Et tamen Deus è cælis teſtatur Chriſtum eſſe qui baptizet. Vtiquè extrinſecùs quidem baptizabant Apoſtoli,tãquàm miniſtri:Chriſtus autem erat,qui intrinſecùs baptizabat, tanquàm Deus ac Dominus ipſius baptiſmi. Neque maior neque inferior tũc erat baptiſmus Iudæ, q̃ Petri aut Ioannis: non enim erat Baptiſmus Apoſtolorum,ſed Chriſti.Eadem ratione nec hodiè Sacramentis Eccleſiaſticis quicquam vel adijcitur vel derogatur probitate aut malitia miniſtri. Chriſtus eſt qui baptizat, atq; idcircò baptiſmus perpetuò eſt bonus, ſanctus & efficax, qualiſcunque demùm ſit miniſter. Hęc eò dixiſſe volui,vt in vſu Sacramentorum oculos pariter & cogitationes auertamus à miniſtris,& in ſolũ Deũ intendamus & reſpiciamus,qui Sacramenta in gratia ſua,& per gratiam ſuam ad noſtrã ſalutẽ reddit efficacia. Sacramẽta ſunt veluti inſtrumẽta,vaſa & organa gratiæ diuinæ, per quæ Deus cõfert nobis beatitudinem. Qua ergò tandem ratione fiet, vt homo quantumlibet probus, ſua virtute aliquid adijcere,aut malitia quicquã detrahere poſſit virtuti Sacramentorũ? In Sacramentis mera Dei virtus operatur:miniſtri verò vita & mores nihil illis conferunt. Quandoquidem ſalutem in Baptiſmo & reliquis Sacramẽtis quærimus, neutiquàm pendere debet animus noſter à miniſtro. Maledictus enim homo,qui ſalutem & felicitatem quærit hac in parte ex probitate hominis,quantęcunq; ſit ſanctimoniæ. Quicquid ſaluos nos facit, eſt & prouenit ex Deo, nec vllo modo ſitũ eſt in homine. Vndè ait ſcriptura:

Hiere.17. Maledictus homo q cõfidit in homine. Domini eſt ſalus: Vana ſalus homi-
Pſal.3. Pſalm.59. nis. Exẽplo politico res fiet manifeſtior, munera & chariſmata diuina nulla
et 107. parte ex miniſtris dependére. Si tibi gratificaturus Imperator, ſcripto conferat reditus annuos mille florenorũ,ad hanc munificentiam nihil tibi cõtulerit is, qui ſcripſerit Imperatoris diploma, nec curas qualis demùm ille ſit,nec adijcit aut derogat tibi collato beneficio, qualiſcunq; ſit ille qui conſcripſit diploma: modò ſaltem in officio ſuo probus, integer & expeditus ſit,& literas Imperatoris eo quo debet modo ſcribat. Nihil tua refert, vtrùm ille alioquì potator & aleator ſit. Ipſius Imperatoris curę id committis, quales ſibi habeat miniſtros in ſuo grammatophylacio. Si tuas literas rectè & expeditè conſcribat, ſatìs tibi bonus eſt ille qui ſcripſit. Si quid in alijs peccet,ad Imperatorem relegas: is illius eſt dominus, illi competit ius in eum animaduertendi. Eadem ratiõe Deo committimus, quos ad Sacerdotij functionem,ſuorumq́; myſteriorum diſpenſationem vocare velit, eiusq́; munera tanquàm Dei dona recipimus à miniſtris, nihil interim in hoc intenti, neque id iudicantes, quales ſint illi miniſtri. Sunt ſanè miniſtri Dei:ille poteſt eos iudicare,& quãdoquè iudicabit. Cur ergò nos iudicare velimus alienum ſeruum,qui Domino ſuo ſtat vel cadit? Rom.14.

Hæc quidem recipienda ſunt ad vindicanda à contemptu & contumelijs Sacramẽta:ſiquidẽ intolerabile foret, Sacramẽta DEI aut meliora, aut viliora cenſeri ex qualitate hoĩs: queẽadmodùm neq; in ſuis Corinthijs voluit

perſer-

perferre Paulus, quòd attenderent, à quo quiſque baptizatus eſſet: cùm tamen Baptiſmus ſolius ſit Chriſti, & vbique æqualis, cuiuſcunque miniſterio Chriſtus eum impertiat, 1. Cor. 1. & 3. Quæ admonitio etiam ſeriã quandam modeſtiam & magnam reuerentiam erga Baptiſmum in animis eorum excitaret, qui adſtant dum aliquis baptizatur. Expendas, ô Chriſtiane, quid agatur, quid tractetur in Baptiſmo, & ipſe tibi tuus ſuggeret animus, & conſcientia docebit, qualem te apud baptiſmum præbere debeas. Vides Sacerdotem miniſtrum: audis eum verba pronunciantem, vt hominem: contueris aquam, facie externa à reliquis aquis non differentem: Sed pondus hîc habere debet illa Pauli ſententia, vt non contemplemur ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, per ſe ſunt imbecilla, corruptibilia & temporalia: quæ non videntur, ea ſua eſſentia ſunt æterna, & virtute ſua magna & incompræhenſibilia. Vides itaque ſacerdotem vt hominem: Sed cõpertum habes ex ipſius Dei teſtimonio, non eſſe Sacerdotem illum qui baptizat, verùm ipſum Chriſtum ibidem eſſe pręſentem: atque is baptizat, prout Deus è cælo teſtatur Iohan. 1. Super quem víderis ſpiritum deſcendẽtem, hic eſt qui baptizat in Spirituſancto. Vides aquam, ſed perſpectum habes, eam nõ abluere illum qui baptizatur, verùm ipſum Spiritumſanctũ coràm adeſſe ſuper aquam, qui lauat & mundat infantem, vel hominem qui baptizatur, ab omnibus peccatis. Audis infantem à Sacerdote benedici per oratiõem: ſed nôſti Deum patrem infantulum illum de cælo benedicere his verbis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Didiciſti verbi DEI teſtimonijs, & ſi Chriſtianus es, incũctanter credis, ſacroſanctam deitatem, Patrem, Filium & Spiritumſanctum, præſentẽ eſſe in Baptiſmo. Qua ergò frõte audet Chriſtianus in tali opere erecto corpore conſiſtere? An non pronus in genua, immò & in faciem corruere deberet, & ſanctiſſimę Deitatis venerari pręſentiam? Credis Dei operatiõem in baptiſmo, ô Chriſtiane (prout omninò tibi perſuaſiſſimum eſt:) crede & præſentem eſſe ibidẽm ſacroſanctam Deitatem. Credis autem ſanctiſſimã Deitatem in baptiſmo eſſe præſentem, omniaque operari in Baptiſmo & per Baptiſmũ: honora proindè & venerare Deũ, tam tibi diuina ſua virtute & eſſentia illic propinquũ. Vtinã hîc illos Heliſęi oculos habeas, & quos Heliſęi quoque famulo Deus largiebat, cùm oraret pro illo Heliſæus: Domine, inquiens, aperi oculos huius, vt videat: & vidit montẽ plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſæi. Si eiuſmodi oculos habere poſſes apud Baptiſmum, quibus inuiſibilia compræhẽderes, videres ibi diuinæ maieſtatis præſentiam, videres locum vniuerſum angelis plenum & circundatum, eoſque venerabundos ſumma cum reuerentia ſanctiſſimæ Deitatis miniſterijs intendere. Verùm ô Chriſtiane, non idcircò quicquam fideí tuę decedat, quòd oculis hæc comprę hendere nequeas. Cum illis, qui fide nondùm imbuti ſunt, viſibili ratione nonnunquàm agere conſueuit DEVS. Porrò nos, qui iam credimus, oculis fidei etiam perſpicimus ea, quę alio-

Matt. 3. Mar. 1. Luc. 3.

4. Reg. 6.

alioquì inuiſibilia ſunt: ac tametſi Deum circa Baptiſmum non videmus, Iohan. 1. nihilo ſeciùs incunctanter credimus verbo diuino, Hic eſt qui baptizat. Credimus Prophetæ dicenti: Vox Domini ſuper aquas, Pſal. 28. Ac ſi quis omninò ſine miraculis credere nequeat, hic viſibile illud miraculum expendat, quod in Chriſti baptiſmo viſum pariter & auditum eſt, Matt. 3. vbi deſcendit columba, & vox patris de cælo dixit: Hic eſt filius meus dilectus &c. Hæc in eum finem dicere viſum eſt, quòd ſanctiſſimis, ſalutiferis & maximis Dei myſterijs eam, quam par eſt, exiſtimationem conciliare percupiam apud Chriſtianos, nè apud huiuſmodi ſublimia ac tremenda Dei myſteria tam leuiter & cum Dei contumelia ludamus atq; nugemur. Si enim Deus veneranda ſua Sacramenta & myſteria videret iuſta exiſtimatione legitimoq; à nobis honore affici, proculdubiò benigniùs foret affectus erga Rempub. Chriſtianam. Sed quia ea paruipendimus, fit nobis ſecundùm il- Matth. 7. la Chriſti verba, Margaritæ non ſunt porcis mittendę. Itaque vindicat Deus ingratitudinem noſtram, vt patet 1. Corin. 11. Et metuendum eſt, nè aliquandò Sacramentis, verbo Dei, eiuſdemque fauore, amore, ac tutela, & pariter omnibus bonis exuamur propter turpiſſimum abuſum & cōtemptum eorum omnium, quæ Deus in ſalutem noſtram inſtituit.

DE SVSCIPIENTE BAPTISMVM.

CVm rarus admodùm ſit eorum numerus, q à peregrinis vel alienis religionibus conuolēt ad fidē Chriſtianam, atq; idcircò nō niſi infantes Chriſtianorum ad Baptiſmum adducantur, decreui, Deo volēte, futura cōcione de Baptiſmo paruulorum ſuccinctam, exactam & orthodoxam inſtructiōem proponere ex fundamento & veritate ſacrarum ſcripturarum, adhibitis teſtimonijs totius orbis Chriſtiani, qui iam indè ab initio & omnibus temporibus ac locis ad nos vſque durauit. Nunc id docebimus, quales ſe circa Baptiſmum præbere debeant, qui iam adulti ad Chriſtianam religionem accedere, & Baptiſmum ſuſcipere volunt. Nimirùm euidens eſt ex aſſertione ſcripturarum & infallibili promiſſione Dei, Baptiſmum ex ſola gratia & benignitate Dei, per merita Chriſti Domini noſtri hominem à peccatis mundare, eumq; renouare per Spiritumſanctum abſq; vlla ipſius hominis cooperatione, & ſinè vllis eius præcedētibus meritis: tantummodò vt qui baptizari volet, corde credat, & ore confiteatur ſacroſanctā Deitatem, Patrem, Filium & Spiritumſanctum, in cuius nomine Baptiſmus recipitur & confertur. Præter hanc fidem & confeſſionem non requirit Eccleſia vllam pręcedentem iuſtitiam aut ſanctimoniam, nec vlla propria illius merita, Tit. 3. Atq; etiāſi plurimùm antè peccauerit, ad nullā tn̄ cogit vel adſtringit ſatisfactiōis mulctam, per quā vitæ prioris peccata cogatur expiare: gratia enim Dei aufert ea omnia in Baptiſmo. Iniungi quidē poſſunt opera, non ad ſatisfactionem pro peccatis, ſed ad præparationem. Requiritur tamen in baptizandis, vt verè doleant, ipſoſque pœniteat ex animo

veterum peccatorum, Acto.2. & Luc.24. Quod etiam in infantibus obſeruatur, vt priuſquàm ad ſacrum lauacrum admittantur, Satanę omnibusque pompis & operibus eius renuncient. Ità planè neceſſum eſt, vnumquenq; baptizari volentem, priùs deponere & relinquere peccata omnia. Si quis igitur veniat ad Baptiſmum, plenam quidem ſanctiſſimæ Deitatis fidem, vt debet, confitens, conſueta autem vitia & flagitia relinquere nolens, huic denegandus erit Baptiſmus, atq; his verbis inſtitui debebit: Eià chariſſime, noueris gratiam Baptiſmi eò facere ac conferre, non vt porrò peccare liceat, ſed vt peccâſſe non noceat, & quod hactenùs malè admiſſum eſt, remittatur. Baptiſmus Chriſti peccata pręcedentia diluit, non futuris laxat habenas. A Baptiſmo dicitur baptizato: Eccè ſanus factus es, iam noli peccare, &c. Qua autem fronte ei dici poterit, Sanus factus es, qui ab adulterijs, vſuris & luxu ac crapula nolit abſiſtere? Si hæc ſanitas putanda eſt, quæ tandèm erit ægritudo? Per Baptiſmum homines fiunt membra Chriſti, atque in eius ſocietatem & communionem tranſeunt. Quo ergò pacto admitti poſſit ad Baptiſmum, qui necdùm velit renunciare ſocietati Belial? In Baptiſmo morimur peccatis cum Chriſto, vt deincèps in nouitate vitæ ambulemus: non ergò poteſt illi conferri Baptiſmus, qui nolit à peccatis abſtinere.

Si quis autem malitiam animi verborum diſſimulatione abſcondens, peccatis verbotenùs, non ex animo renunciet, & miniſtrum circunducẽs, quaſi furto baptiſmum auferat: Sanctum quidem Baptiſmum etiam in ipſa ſimulatione ſuſcipit, (noſtra enim malitia Dei inſtitutionem labefactare non poteſt) non tamen ad ſalutem ſibi, ſed ad grauiorem damnationem. Qui ſi poſteà ad cor reuerſus, de tota animi ſui malitia pœnituerit, ſufficit illi Baptiſmus, quem per ſimulationem ſuſcepit: qui tunc vtiquè ad ſalutem valere incipit, cùm illa fictio per veracẽ cõfeſſionem receſſerit. Rom. 10. Qui itaque bono corde Baptiſmum ſuſcipiunt, hos ab omni peccato expurgat & emundat Deus per Baptiſmum, atque ex Baptiſmo depuratos iam & defæcatos, nitidos ac puros, tranſmittit in ſanctam Eccleſiam ſuam. Deus Opt. Max. omnibus nobis id præſtet, vt eandem puritatem ſeruemus, aut per pœnitentiam & Dei miſericordiam recuperemus, atque ità coram tribunali Chriſti apparére queamus ſinè peccatis, æternamque felicitatem ab illo percipiamus, Amen.

Augu. de Baptiſ. cõtra dona. lib. 4. ca. 2. et 10. Aug. li. 1. cõtra Donat.

CONCIO LII. HABITA

Dominica Prima poſt Trinitatis, Anno 1543.

DE Sacramento Baptiſmi tantum hucuſquè audiuimus, quantum equidem putârim vulgari Chriſtiano & neceſſarium, & ſatìs eſſe: nec fuerit meo quidem iudicio neceſſum, coram vulgo & popularibus exactiùs ſubtiliusq; hanc materiam tractare. Vnum tamẽ Baptiſmo annexum eſt, quod omnibus plebeijs & vulgaribus Chriſtianis haud vul-

gariter cognoſcendum eſt:quippe quod in eorum gratiam inſtitutum eſt: Id verò ſunt, vtiles, ſalutares & Chriſtianæ Cæremoniæ & Ritus, qui in Eccleſia Chriſti ad Baptiſmum adhibentur, & inſignia illa grauiſſimaque verba & orationes, quæ tum ante, tum poſt collationem Baptiſmi leguntur. Hæc omnia eò faciunt, vt fidem & deuotionem Chriſtianorum, quæ requiritur circa Baptiſmum, excitent & adaugeant: & iſtiuſmodi cæremonijs &precibus vulgares Chriſtiani pulchrè inſtruuntur & docentur, vt intelligant quęnam ſint illa diuina ac cæleſtia myſteria, quę Deus circa nos operatur in Baptiſmo:cunctaq; illa, quę circa Baptiſmũ cognoſcẽda & credenda ſunt, per cęremonias inſinuanť & ſubindicantur, atq; longè meliùs per eas ipſas in animos vulgi inferuntur, quàm per publicas conciones fieri poſſit. Quę auditu percipiuntur, facilè rurſum ab animo euaneſcũt. Quæ verò oculis coràm cõſpicimus, & externis ſenſibilibusq; ritibus peraguntur, ea altiùs penitiusq; in animos noſtros penetrãt, magisq; nos mouent, & firmiorem ſuî memoriam apud nos relinquunt. Ità nimirùm & hi Baptiſmi ritus & cęremonię, ſunt quodammodò claræ & viſibiles cõciones, quibus vulgus Chriſtianorum de illis omnibus inſtituitur, quæ in Baptiſmo tractantur, & quę de Baptiſmo noſcenda & credenda ſunt: vnũ illud in tam præclaris ritibus & cęremonijs deſideratur, quòd hactenùs plerique iſthæc non docuerint in Eccleſijs: vndè fit, vt rari admodũ ſint inter Chriſtianos, qui vel nôrint, vel intelligant quid precationes & cęremonię Baptiſmi ſibi velint, aut quid ſignificẽt, quę in Baptiſmo adhibentur. Atq; hinc accidit, vt populus ab his tam facilè ſe abduci paſſus ſit per illos, qui nihil ſibi commune volunt cum veteri & Catholica Eccleſia, tametſi illorum ipſorũ iudicio non ſint inutiles. Et quidem tanto minùs populum hîc culpare poſſum:ſed cauſam & culpam eò referre cogor, vndè prouenit, & fateri neceſſum eſt, vulgi defectiõem maiori ex parte natam ex deteſtabili illa incuria, qua à noſtris partibus vtimur in miniſterijs Eccleſiaſticis. Tam vberem eñi omnium bonorum copiam à Chriſto Domino ſuo accepit Eccleſia, vt me-
Prou. 9. ritò filijs ſuis inclamare poſſit: Venite & comedite. Abũdè illi proſpectum eſt de omnibus, quæ ad ſalutem ptinent, ſed deſiderantur miniſtri, qui populo proponant. Plùs enim cęremonias noſtras Eccleſiaſticas(q̃bus collatæ Sectariorum friuolę adinuentiones, vix vmbra dici queant) vidit populus, q̃ intellexerit. Quid igitur mirum, ſi illarum rerum contemptum & faſtidium atq; horrorẽ ſibi paſſi ſunt pſuaderi, quas non intellexerunt? Quomodò eñi poterit quis charum & in precio habere, quod nunq̃ experimento didicit, bonúmne ſit an malum, dulce an amarum? Quemadmodùm Sectarij illi cęremonias huiuſmodi contempſerunt & reiecerunt, ità facilè illis aſſenſit imperita plebecula. Nã à noſtra parte nõ meliùs fuit edocta: alioquì fortaſsis in veritate perſtitiſſent. Itaq; ſanctas has cęremonias & precationes Eccleſiaſticas non alia ratiõe magis vobis commendare, nec fortiori vinculo in vſu & conſuetudine Eccleſiæ Catholicæ aduerſùs Sectas vos

conſeruare poſſum, quàm vt ſolidè & exactè demonſtrem, quid Eccleſia erga nos gerat vel agat in Baptiſmo: alioquì (meo quidem iudicio) parùm ad rem fecerit, ſi cum Sectarijs multùm iurgari & contendere, atque prolixè apud vos vtiles ac ſalutares ritus laudibus celebrare velim, nec tamen interìm quæ aut quid ſint, exponam. Vbì porrò rem cognoueritis, haud dubiè per voſipſos, ceu vtiles & ſalutares, eas in precio charaſque habebitis, nec vllis nouationibus eas vobis vel eripi, vel in odium apud vos adduci patiemini. Equidem aduerſarijs illud concedo, verum Baptiſmum etiam ſinè huiuſmodi ritibus ac cæremonijs fieri poſſe, nec eas ad verbum in ſcripturis diuinis à Deo inſtitutas cõtineri. Verumenimuerò non habebit Eccleſia Dei poteſtatem & authoritatem ordinandi & inſtituendi, quæ bona & vtilia ſunt, vt omnia ſecundùm ordinẽ peragãtur in rebus diuinis? Itáne conſtitutiones illæ reijciendæ ſunt, quę non de verbo ad verbum habẽtur in ſacris literis, nec per ſe ſimpliciter neceſſarię ſunt ad ſalutẽ, at tamẽ ſcripturis ſunt conformes & cõſentaneæ, eoq́; deſeruiunt, vt ea quæ in ſcripturis continentur, & ad ſalutẽ neceſſaria ſunt, tanto commodiùs vulgo Chriſtianorum proponi & apud illos in vero legitimoq́; vſu eo meliùs conſeruari queãt? Cùm Eccleſiarum antiſtites & præpoſiti hoc in mãdatis habeãt, vt populum Dei dirigant & cuſtodiant, & ad felicitatẽ perducãt, quis (oro) id vitio velit vertere Eccleſię, ſi quaſdam pręſcribat ſanctiones vel ordinationes, quibus ea omnia, quę ad conſequẽdam hanc felicitatem vulgo conducunt, commodiùs conſeruẽtur, & cuncta rectiùs ſuccedant? Sicutì nemo ob hoc poteſt Apoſtolum in crimen vocare, quòd ritus Eccleſiaſticos ordinârit ac inſtituerit, qui tamẽ ante ipſum non fuerant, 1. Corin. 11. quodq́; ibidèm aduerſùs contentioſos Eccleſię conſuetudinem ceu pro lege adducit & citat. Quod ſanè Pauli exẽplum mihi imitandum proponam, & laudabiles Baptiſmi cæremonias aduerſùs prophanas Sectariorum nouatiões tutabor ac defendam more ac conſuetudine Eccleſiæ. Quòd vtiles ſint & ſalutares, ipſi facilè comperietis: an autẽ eas porrò in Eccleſijs veſtris cõſeruare & retinere, an verò cũ aduerſarijs abijcere debeatis, ex recepto Catholicę Chriſti Eccleſiæ more diſcere poteritis, cuius ego vobis Eccleſiæ conſuetudinẽ ob oculos ponam, efficiamq́; perſpicere vt poſſitis vniuerſalem Eccleſiam, hoc eſt, totum orbẽ Chriſtianum, vel Chriſtianitatem omnem, quę indè ab initio & omnibus in locis durauit, huiuſmodi cæremonias, ritus & precandi formulas nunquàm non vniformiter & magna concordia vſurpauiſſe. Atq; indè vobis expendendum relinquam, an mâlitis liberos veſtros cum his cæremonijs & precationibus baptizari, quibus vniuerſalis Chriſti Eccleſia ſemper & vbiquè vſa eſt: an potiùs ſinè his precibus & cęremonijs, eis velitis baptiſmum cõferri, ità vt iam recèns Sectarij in ſuis angulis facere cœpêre. Pius quiſq; ſuam ipſius conſciẽtiam conſulat, an in tantis Dei myſterijs mâlit ipſos Apoſtolos, eorũq́; diſcipulos, ac deincèps per om̃es ætates Catholicam Chriſti Eccleſiam ſequi ac imitari: an verò ille

vſus præſtet, quem ſpiritus iſti inquieti noſtra demùm tempeſtate ex ſua libidine & animi petulantia inſtituunt. Ac primum quidem, in quo illi à nobis, immò ab vniuerſa Repub. Chriſtiana diſcrepant, hoc eſt, quòd Eccleſia Catholica in aqua conſecrata baptizat: aduerſarij verò in aqua communi, prout ea ex fontibus aut ſcatebris profluit. Nec dixerim idcircò illũ non eſſe Baptiſmum, aut in ſeipſo propterea imminutum eſſe: ſed petulantem illam odi nouationem, quòd cum vniuerſa Eccleſia concordes & conformes eſſe nolumus in eo, quod per ſe bonum eſt & ſalutare, etiamſi nõ eſſet neceſſarium. Nec poſſum illam audaciam & temeritatem probare, qua ſinè vlla ratione contemnitur & reijcitur, quod à tot ſanctiſſimis & doctiſſimis patribus probatum eſt, & quod tot ſeculis ſalutiferum, vtile & orthodoxum ſenſit & credidit vniuerſus orbis Chriſtianus. Nunc itaque auditores percipite, quæſo, ad quid, quandò & quomodò Eccleſia conſecret baptiſmi aquam: atque vbi didiceritis, quid illic agatur, tum demùm reprahendite, ſi quid ſuperuacaneum, aut à Chriſtiana pietate alienum eſt immixtũ. Si autem vel veſtro ipſorum iudicio bona ſunt, nihil aliud à vobis peto, quàm vt permaneant & ſeruentur in Dei Eccleſia, quæ iam tot ſeculis ſeruata ſunt. Principiò Baptiſmi aqua duobus anni diebus ſolenniter conſe-

De conſe. dist. 4. ca. Nõ ratio, et ſequẽt.

cratur, in vigilijs Paſchæ, & Pentecoſtes. Et Paſchali quidem peruigilio paſſionem, ſepulturam & reſurrectionem Chriſti celebrat Eccleſia: In Pentecoſte verò tractat de miſſione Spirituſſancti. His duobus diebus præparatur & conſecratur Baptiſmi vnda, idque ea cauſa, vt omnes Chriſtiani intelligant, Baptiſmi virtutem & effectũ ex profuſo Chriſti ſanguine, ex morte & reſurrectione eiuſdem, & ex gratia Spirituſſancti proficiſci: quodque Baptiſmus lauet nos à peccatis, & ſaluos faciat non virtute aquæ, ſed quandoquidem Chriſtus hoc ſigno nos in ſuam communionem recipit, ac deindè ſalutifera ſuæ paſſionis & reſurrectionis merita nobis communicat & ad ſalutem impertit: Immò cùm Spirituſſanctus per ſuam gratiam operetur in aqua Baptiſmi, abluimur & ſanctificamur in eadem, efficitque hæc aqua illud in nobis, quod alioqui nulla aqua vi ſuæ naturæ poſſet efficere. Atque in hunc finem dirigũtur Eccleſiæ preces, quibus vtitur in conſecratione aquæ Baptiſmi. Precatur enim Deum, vt ſecũdùm benignas promiſſiones ſuas omnibus nouitijs Chriſtianis in hac aqua Spirituſſancti gratiam & Chriſti ſaluatoris merita bono eſſe velit, eaque ijs donare & conferre dignetur: atq; hæc tam efficacibus, appoſitis & feruentibus verbis precatur, vt ex ijs facilè reluceat, quo ſpiritu ſanctiſſimi illi priſci patres fuerint afflati, qui hæc Eccleſiæ conſtituta & ritus tradidêre. Tanta eſt verborum gratia, tanta grauitas, tanta flagrantia & feruor, quòd vtile foret, omnes Chriſtianos has precandi formulas tenere, ijsque vti circa Baptiſmum, quotieſcunquè is conferendus eſſet. Prolixus quidem verborum eſt contextus. Hæc autem eſt eorum ferè ſumma & ſententia. Principiò admonet Eccleſia Deũ noſtrum, vt tametſi nos homines ipſius ſeruitio & cultui inidonei

Tit. 3. Iohan. 3. 1. Cor. 6. Act. 2. Mar. 16. Luc. 24.

&inhabiles,& gratia eius indigni ſumus,tamen iuxta gratúitam ſuam promiſſionem,ſacram ſuam inſtitutionē,quam ad noſtram ſalutem diſpoſuit, non velit inefficacem relinquere ob indignitatē & inhabilitatē noſtram. Admonet deindè eum figurarum veteris teſtamenti, quibus iam olim Baptiſmum deſignauit, & hac ſpe nos ſolatus eſt, ſe quādoquè peccata noſtra in vndis emundaturum, & hoſtem antiquum in ijſdem ſuffocaturum: vt Gene.1.legitur, quòd ſpiritus DOMINI ferebatˀ ſuper aquas: itèm quòd prioris mundi iniquitatem & malitiam diluuio perdiderit, & iuſtos in arca ſeruauerit: Quòd arētem nimia ſiti populum Iſraëliticum dulciter potauerit, ſed tamē,vt aquas priùs amaras immiſſo ligno dulces efficeret. Quin & miracula in aquis à Chriſto geſta repetit,quibus fides noſtra confirmatur, & certa redditur, Deum hodieq; magna & mira poſſe per aquam operari per gratiam & virtutem Spirituſſancti. Hinc iam orat & petit Catholica Eccleſia,vt DEVS per Chriſtum DOMINVM noſtrum gratiam & virtutem Spirituſſancti iuxta ſuam promiſſionem huic aquæ infundat,vt omnes miſeri peccatores & infelices Adę filij, qui ſacrum Chriſti Baptiſmū in hac aqua expetièrint & ſuſceperint, per virtutem Spirituſſancti à peccatis liberentur & renouentur, & cum omnibus electis æternę hæreditatis capaces efficiātur per Chriſtum DOMINVM noſtrum, adhibitis alijs multis egregijs verbis & ſalutaribus cæremonijs,quas hîc nimìs longum foret enumerare. Cùm itaque Chriſtus nos iubeat petere à ſe gratiam & dona ſua,& ſe exauditurū promittat, Apoſtolus quoquè nos conſoletur, dicens creaturas in noſtros vſus ſanctificari & efficaces reddi per verbū DEI & orationem,quis tandèm hoc Eccleſię Dei atque vniuerſo orbi Chriſtiano vitio vertere poſſit,quòd in hoc tam grandi opere,nempe in Baptiſmo,Deum tāto cum affectu ſuarum promiſſionum admoneat,& tam feruentibus precibus ab eo poſtulet ſublimia illa dona & chariſmata,quæ promiſſionibus Chriſti ſubnixi,circa Baptiſmum aucupamur & quærimus? Quòd ſi quis fortè ſcire cupiat,quāto tempore hic conſecrādi duobus illis diebus aquam Baptiſmi modus durauerit in Eccleſia,huic equidem fide dignos teſtes facilè protulero ex om̄ibus partibus & finibus totius orbis Chriſtiani. Et ex Aphrica quidem Cyprianus & Auguſtinus ferunt teſtimonium. Cyprianus,qui ante mille trecentos annos pro fide Chriſtiana ſanguinem ſuum fudit,lib.1. Epiſt.12.ſic inquit: Oportet verò mundari & ſanctificari aquam priùs à Sacerdote. Auguſtinus paſsìm. Dionyſius Areopagita, D.Pauli Apoſtoli diſcipulus,hanc eandem aquę Baptiſmi conſecrationem confirmat. Victor etiam Pontifex ROMANVS,ante annos mille trecētos & quadraginta decreuit & permiſit,vt exigente neceſſitate etiam in aqua nō cōſecrata liceret baptizare. Pręclarū quoquè teſtimoniū fert Ambroſiꝰ lib.1.cap.5.de Sacramētis. Eccè habemus hîc, AVDITORES,huius Chriſtiani ritûs & cōſuetudinis teſtimonia ex om̄ibus Chriſtianę ditionis finibus,ex Aſia, Aphrica, & Europa,& quidē ab initio vſq; Chriſtianiſmi. Cur igitur nō neceſſariā velimus nouationē amplecti,

Gen.6.7.

1.Tim.4.

Dionyſ. Eccleſiaſt. Hierarch. cap.2.

ac non

ac non multo magìs totius Eccleſiæ Catholicæ morem ſequi, ea præſertim in re, quæ per ſe bona eſt & ſalutaris? Nũc ritus quoquè & cæremonias perſpiciamus, quibus Eccleſia Chriſti etiamnùm quotidiè vtitur in Baptiſmo: quamobrem inſtitutæ ſint, quid ſignificent, & quorum ea nos debeant cõmonefacere. Quandò Baptiſmus alicui conferendus eſt in Catholica Eccleſia, primùm miniſter Eccleſiæ in faciem baptizandi leniter exufflat, atque Spiritum immundum compellat, increpat, & minatur imperans, vt exeat ab homine, & locum det aduenienti Spiritui ſancto, det honorem Deo viuo & vero: & mox ſignum crucis exprimit in fronte baptizandi. Accipe,
» inquit, ſignaculum crucis tam in fronte quàm in corde. Sume fidem cæle-
» ſtium præceptorum. Talis eſto moribus, vt templum Dei iam eſſe poſſis:
» receptusq́; in Eccleſiam Chriſti, euaſiſſe te laqueos Diaboli lętus agnoſce,
» horreſce idola, reſpue ſimulacra, cole Deum patrem omnipotentem, & Ie-
» ſum Chriſtum filium eius, qui cum eodem Patre in vnitate Spiritusſancti
» viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

» Poſthæc orat Sacerdos pro Baptizãdo, vt Deus reſpicere dignetur ſuper
» hunc famulum ſuum, quem iam ad rudimenta fidei vocare dignatus eſt:
» omnem cęcitatem cordis ab eo repellat: dirumpat omnes laqueos Diaboli,
» quibus fuerat alligatus: Aperiat ei ianuam pietatis ſuæ, vt ſigno ſapientiæ
» ſuę imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum ſuorum lætus ipſi deſeruiat in Eccleſia ſua, & proficiat de die in diem, vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi, percepta medicina ſpirituali. Nimirùm hęc vna eſt pars illarum cęremoniarum, quas vſurpat Eccleſia in Baptiſmo. Nunc docendum eſt certa ratione, vndè Eccleſia has ipſas cęremonias aſſumpſerit, quęve earum tum vtilitas, tum neceſſitas ſit. Exorciſmum, hoc eſt, exufflationes & adiurationes, quibus Sacerdos imperat, increpat & minatur ſpiritui immundo, vt ab homine exeat, ab exemplo & mandato ipſius Chriſti accepit Eccleſia. Itá enim & Chriſtus ſe geſſit erga dæmones, Luc. 11. 13. Matth. 17. Mar. 1. Et diſcipulis quoquè mandauit & poteſtatem contulit imperandi & eijciendi dęmonia, Matth. 10. Mar. 16. Signa eos qui crediderint, &c. Hæc autem virtus Chriſti nõ in ſolis diſcipulis, ſed etiamnùm durat in Eccleſia Chriſti. Quicquid enim Chriſtus diſcipulis ſuis dedit & præcepit, id etiam ad Eccleſiam Chriſti pertinet vſque ad conſummationem ſeculi. Iohan. 17. Non pro eis rogo tãtùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum illorum in me.

Quarè autem neceſſum ſit præcipi diabolo, vt exeat ab infantibus baptizãdis, totus orbis Chriſtianus facilè perſpectum habet, cùm mortales omnes propter peccatum in iram & vindictam Dei, atq; in dominium Satanæ deciderint, ac ſempiternæ ſint damnatiõi obnoxij, donec per gratiam & merita Chriſti, & miſericordiam Dei exonerẽtur à peccatis, & ex poteſtate laqueisq́; diaboli abſoluantur, Rom. 5. Eph. 2. 6. Luc. 11. Hîc etiam præcluditur aditus diabolo per crucem Chriſti, qua crebrò cõſignantur infantes baptizan-

ptizádi, vt nequam improbus deinceps exhorreat illum attingere, qui hoc ſalutari ſigno ſit conſignatus, ex quo diabolus agnoſcere cogitur, hunc hominem iam in Chriſti Ieſu nomen & tutelam receptum. Nouit iam & perſpicit, cui cedere, cui locum & honorem concedere cogat: nouit iam à quò eijciatur. Ex ſigno hoc agnoſcit, quis ipſius domicilium nunc ſibi vēdicet. Itaque liuida & maligna eius poteſtas, virtuti & potentiæ DEI & Chriſti cedere cogitur, & ab homine illo moleſtando abſiſtere, quem hoc diuino ſigno videt munitum. Quòd autem hic Exorciſmus perpetuò atque indiſſimiliter ſit ab Eccleſia vſitatus in Baptiſmo in omnibus Chriſtianæ religionis finibus, eius rei certa poſſum proferre teſtimonia ex toto vndiquè orbe Chriſtiano, ab omnibus retrò temporibus, & ab ipſo indè ad nos vſque exordio Chriſtianiſmi. Atque ex Aphrica quidem Tertullianum, qui circa annum Chriſti 160. vixit, in libro de Corona militis: Auguſtinū de Eccleſ. dogmat. ca.31. & vbiquè. ex vrbe Conſtantinopolitana Chryſoſtomum, è Roma Cęleſtinum & Gregorium. Indè porrò ſal mittitur in os baptizádi, eique precatur miniſter, vt Dominus ei ſit propitius in vitam ęternam. Deindè Sacerdos totius Eccleſię nomine orat, vt Deus baptizandum hoc primum ſalis pabulum guſtantem, non diutiùs eſurire permittat, quò minùs «
cibo repleatur cæleſti, quatenùs ſit ſemper ſpiritu feruens, ſpe gaudens, no- «
mini Diuino ſemper ſeruiens: perducatque eum ad nouæ regenerationis «
lauacrum, vt cum fidelibus promiſſionum diuinarum æterna præmia con- «
ſequi mereatur. Per hūc autem ſalis guſtum deſignat Eccleſia, quòd bapti- «
zatus iam deincèps ab omi peccatorum fœtore per gratiam Spirituſſancti «
immunem ſe & mundum ſeruare debeat, Rom.8. Gal.5. vt ſit bonus odor «
Chriſti tum Deo, tum hominibus, 2.Cor.2.1.Corin.1.2.Cor.6.1.Pet.2.

Sermones prætereà & mores ſale conditos habere debeat, hoc eſt, diſcretionem & moderationem quandam adhibere dictis & factis ſuis, vt talem ſe prębeat erga infideles, nè verbis aut cōuerſatione eius offendantur, & indè abhorreſcāt à fide Chriſti, Col.4. Quin & erga infideles ſermo eius debebit ſale eſſe conditus, mundus ab omni turpiloquio & ſcurrilitate: ſed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus ad ipſorum ſalutem. Quæ ſanè homines inſulſo & infrenato ore meritò perpendere deberent, quos effutire iuuat peſſima quęque, & quæ deſtruant ac inquinent, ſintque planè impia. Non ad iſthęc baptizatus es, ô homo Chriſtiane, non in hoc inſtructa eſt tibi lingua in Baptiſmo, vt fœtore & ſordibus plena maneat: ſalem ab Eccleſia recepiſti in Baptiſmo, vt ſermones & mores ſapientia ac intelligentia cōditos habeas. Omnis ſermo malus de ore tuo non procedat, ſed ſi quis bonus ad ędificationē fidei, in honorem & laudē Dei, vt det gratiam audientibus, Ephe.4.5. Ex his nunc perſpicuum euadit, Auditores, quid vobis meritò faciendū incumbat, ſi quandò contingat adeſſe, dum Baptiſmus miniſtratur. Si videatis miniſtrū in faciē infantis exufflare, & noxios ſpiritus ab eo excludere & profligare, veſtrarum quoquè precū ſuffragia eò deferetis, ità dicendo: Omnipotens & clementiſſime Deus,

Epheſ.5. & 4.

exclude

exclude ab eo omnem Satanæ poteſtatem, tuaq́; potenti protectione eum deinceps tuere. Ad ſalem ſic precemini: Omnipotẽs Deus, dirige eum tuo ſancto ſpiritu, vt tam piè & honeſtè in Repub. tua conuerſetur, quò tuum ſanctum nomen indè prædicetur, & alij eius exemplo ad meliora prouocentur & extimulentur, ad tuam quidem laudem ſempiternam, & ipſius perpetuam ſalutem. Poſt hæc iterùm Sacerdos infantem ſigno crucis conſignat, eumque Deo commendat his verbis: Deus Abraham, Deus Iſaac,
« Deus Iacob, DEVS qui Moiſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & filios
« Iſrael de terra Aegypti eduxiſti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui cu-
« ſtodiret eos die ac nocte: Te quæſumus DOMINE, vt mittere digneris ſanctũ
« angelum tuum, qui ſimiliter cuſtodiat hunc famulum tuum, & perducat
« eum ad gratiam Baptiſmi tui, per Chriſtum DOMINVM noſtrum.

Moxque rurſus Satanæ multis grauiſſimis efficaciſſimiſque verbis minatur Sacerdos, eiq́; præcipit his verbis: Ergò maledicte diabole, reecogno-
« ſce ſentẽtiam tuam, & da honorẽ DEO viuo & vero, da honorem Ieſu Chri-
« ſto Filio eius, & Spiritui ſancto paracleto, & recede ab hoc famulo DEI, quẽ
« Deus & DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & bene-
« dictionem, fontemque Baptiſmatis dono ſuę gratię vocare dignatus eſt. Et
« hoc ſignum ſanctę crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabo-
« le nunquàm audeas violare. quamobrem exorcizo te immunde ſpiritus in
« nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt exeas & recedas ab hoc famulo
« DEI. Ipſe enim tibi imperat maledicte, dãnate, qui pedibus ſuper mare ambulauit, & Petro mergẽti dexterã porrexit Ieſus Chriſtus DOMINVS noſter.

Huiuſmodi exorciſmus ter aduerſus Satanam repetitur. Indè recitatur
Mar.10. Euãgelium, in quo mentio fit, quàm amabilem & benignum ſe præbuerit Chriſtus DOMINVS erga paruulos, quàm indignè tulerit, quod diſcipuli ꝓhiberent, nè paruuli ad eum adducerentur, tangendi ab eo: vtì eos complexus ſit, & imponẽs manus ſuper illos, benedixit eos: vult enim illos ſaluos
Matt.18. fieri. nec eſt voluntas ante patrem noſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Ad hoc Chriſti exemplum hortatur Sacerdos circunſtãtes, vt & ipſi pro conſolatione & ſalute baptizandi infantis Dominicam legãt precationem & Angelicam ſalutationem. Deindè Sacerdos aures & nares infantis luto quodam ex puluere & ſputo confecto tangit, exemplo Chriſti hominem cæcum curantis, Iohan.9. eique inclamat illud Euangelicum Epheta, id eſt, Adaperire. Quod nimirùm fit, cuiuſdam admonitiõis cauſa,
Mar.7. vt quicunque per Baptiſmum in Eccleſiã Dei admittitur, & amplectitur profeſſionem religionemq́; Chriſtianam, apertas ſemper habeat in poſterum aures ad DIVINÆ legis auditum, & nares patulas ad hauriendum odorẽ agnitionis Dei, vt deincèps ſolerti vigiliq́; ſtudio exploret & aduertat, quæ ſit Dei voluntas, atque ſic vitam & mores inſtituat, vt ex ſententia dicere de ſe poſſit: Bonus odor Chriſti ſum & ego factus per gratiam & miſericordiam Dei. Atque hoc eſt, quod narium auriumque linitio deſignat. Hic

rurſus

ruſſus adſtantes hunc in modum non incommodè orauerint: Omnipotēs Deus, perfunde hanc nouam creaturam tuam diuinis gratiæ tuæ chariſmatis, corrige ſenſus eius, vt ea mâlit auribus percipere, quæ ad tuam gloriam & ſuam ipſius ſalutē pertinēt, quàm vanas mundi leuitates & nugas. Aperi aures eius ad audienda tua ſancta præcepta, vt ſacroſanctum verbum tuum ſine tædio audiat, promptaque obedientia exequatur, quô nomen ſanctum tuum per ipſum hîc in terris glorificetur, eiuſque pię conuerſationis exemplo complures alij ad bonum religionis Chriſtianæ odorem, & tuî agnitionem pertrahantur. His omnibus ante fores Eccleſię ità peractis, inducitur infans in Eccleſiam: quo ſignificatur, (prout & verbis ſolennibus id affirmat Sacerdos) eum nunc in Chriſti Eccleſiam, hoc eſt, in ſocietatem & communionem Chriſti & numerum electorum atque filiorum Dei aſſcribi & adoptari. Atque hîc iam proceditur ad Baptiſmum, vbi tam ſeriò tantaque cum grauitate peraguntur ſingula, quòd homo Chriſtianus meritò per omnem vitam illius horæ meminiſſe deberet. Hîc nanque omnes nos Satanæ, omnibusque eius pompis & operibus abrenunciauimus, mūdum & mundi voluptates, & pompas peccatorum abiurauimus, veramque Chriſti fidem profeſſi ſumus, atque Deo & Chriſto Domino obedientiam promiſimus: ſuper qua confeſſione & promiſſione munificum illud Dei myſterium, ſacrum (inquam) baptiſma ſuſcepimus, quod nobis eſt inſtàr theſauri cuiuſdam & fontis omnis gratiæ.

Quamobrem hoc Baptiſmi votum non poſſum ſinè peculiari admonitione prætergredi: quam tamen differo ad tempus opportunum: nunc reliqua, quæ in Baptiſmo & poſt Baptiſmum peragi ſolent, explicaturus. Ante Baptiſmum Sacerdos vngit oleo ſancto infantem in pectore & in ſcapulis: de qua vnctione D. Ambroſius ſuos Mediolanenſes Chriſtianos iam olim ante mille ducentos penè annos præclarè inſtituit, admonens q̄d circa eam cogitare debeāt, his verbis: Vnctus es, inquit, quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen huius ſeculi luctaturus: profeſſus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod ſperet: vbi certamen, ibì corona. Hæc ille. (Ambroſ. de Sacra. lib. 1. ca. 2.) Non coronabitur, ait Apoſtolus, niſi qui legitimè certauerit. (2. Tim. 2.) Vngimur autem in pectore & ſcapulis, quoniam fides corde concipitur, ſcapulæ autem pertinēt ad laborem. Deſignat ergò hæc vnctio, quòd qui baptizatur, deinceps veram fidem Chriſtianam intùs in corde retinere, & foris opere ac reipſa declarare velit: quodq; hoc pectus deinceps ſanctum Dei templum eſſe debeat, in fide ſanctiſſimę Deitatis conſecratū: ſcapulæ autem & corpus totum, paratum, promptum ac robuſtum eſſe debeat ad omne opus bonum. Poſt Baptiſmum ad tertiam vnctionem deuenitur, quæ fit cum ſacro Chriſmate, à quo baptizati vocant̄ Chriſtiani, Vncti, teſte Cypriano lib. 1. Epiſt. 12. atq; tum precatur miniſter hūc in modum: Omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quique tibi dedit remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis

Vide Ambroſ. de Sacram. li.1.ca.7. in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam, Amen. Hîc iam recordabitur Chriſtianus ſe vnctum & ſignatum eſſe in vitam æternam, non temporariam: eoque omnia ea ex animo abijciet, quæ ad æternam vitam non conferunt, aut quouis modo à vita æterna impediunt, dicens: Non in hoc vnctus ſum, vt diues aut potens ſim in terris. In Chriſtianum vnctus ſum, vt vitam æternam appræhendam.

In capite autem propterea vngitur baptizatus, vt meminerit Chriſtum iam eſſe caput ſuum, atque hanc regenerationem è ſupernis fieri per Spiritum ſanctum, omnemque gratiam, protectionem & ſalutem è cælis nobis cõtingere ac præſtari. Vltimum eſt, vt alba veſte, ſeu vitta Baptizatus induatur: ſimul autem admonetur puritatis, quam Spiritusſanctus effecit per Baptiſmum in illo: vtpotè quem iam Deus per virtutem huius Sacramenti ab omni prçcedẽtium peccatorum ſpurcitie & ſordibus omninò repurgârit. Hanc puritatem & innocentiam, qua Deus in Baptiſmo nos induit, ac donat, ab vnoquoque noſtrûm repetet in illo die, quo iudicaturus eſt viuos & mortuos, & vnicuique ſecundùm opera illius redditurus. Vndè admonet miniſter baptizatũ his verbis: Accipe veſtem candidam, ſanctam & immaculatam, quam perferas ſinè macula ante tribunal Chriſti, vt habeas vitam
» æternam, Amen. Omnipotens ac benigniſſimus DEVS, qui ſecundùm gra-
» tiam & miſericordiã ſuam nos à peccatis mundauit, & ſaluos nos fecit, prçſtitam nobis gratiam ſuam in nobis conſeruet vſq; in finem, vt aliquandò cum omnibus electis regni cæleſtis hæreditate æternùm fruamur, Amen.

CONCIO LIII. HABITA

Dominica Secunda poſt Trinitatis, Anno 1543.

PRoxima concione, Auditores dilectiſſimi, vobis expoſui præclaras illas ac ſalutares Baptiſmi cæremonias & ritus, quos maiores noſtri, primi illi Chriſtiani ſancti Apoſtoli, eorumq; diſcipuli & ſucceſſores alij poſt alios, circa ſacrum Baptiſma in omnibus orbis Chriſtiani locis vſurpârunt: à quibus & nos eos accepimus ea ipſa forma & modo, quo hodieq; vſurpantur in omnibus Chriſtianæ ditionis finibus, vbicunquè etiãnùm viget inconcuſſa vnitas & concordia Eccleſiæ Catholicę: quanquàm vos illos non ſatìs perſpicuè fortaſsis ex hac ſuccincta enarratiõe potuiſtis intelligere. Tanta enim verborum ac precationum maieſtate & ſoliditate illic gerũtur omnia, vt vel indè ſatis liceat animaduerti, quali ſpiritu Eccleſia Dei id temporis, quandò hæ cæremoniæ primùm natæ ſunt, in ſanctis patribus prædita fuerit. Satis enim luculenter hæ cęremonię indolem quãdam planè Apoſtolicam, & recentem Chriſti ſpiritum prę ſe ferunt: nec facilè fieri poteſt, vt breui concione ea proprietate & efficacia proponantur, qua in ipſo conferendo Baptiſmo cuncta geruntur.

Equidem reformidabam, nè faſtidium vobis obreperet, ſi his ritibus & cęremonijs explicandis tam diù immorarer, eoque hac breui indicatione illud

illud ſolùm conatus ſum apud vos efficere, vt agnoſceretis nihil hîc ſuperuacaneum, nihil ridiculum vel ineptum, ſed non niſi ſalutaria, vtilia, & planè diuina tractari & proferri, quę ad ſalutem noſtram plurimùm momenti, & ad inſtitutionem noſtri, dilucidas & elegantes ſignificationes adferant. Principiò pręcipitur Satanæ in nomine DEI & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & virtute Spiritus ſancti multis benè fundatis & efficacibus verbis, vt in poſterum faceſſat ab hoc homine, quem Chriſtus Dominus ſuo ſigno iam conſignârit: vt id argumento ſit, Chriſtum Dominum illum ipſum dono ſuæ gratiæ ad Baptiſmi gratiam iam vocâſſe, ac deincèps ſua diuina protectione eum velle tueri.

His abſolutis, ſal ori baptizandi immittitur: quo ſignificatur, vt Deus virtute Spiritus ſancti cor & animum eius cõdire velit, quô deincèps à fœtore & ſordibus peccatorum mundum & purum ſe ſeruare queat. Præterea vt Deus diuina ſua ſapiẽtia verba & opera eius dirigat, quô ſinè cuiuſquam offendiculo erga omnes conuerſari poſſit. Solùm det operam baptizatus, nè hanc Dei gratiam fruſtrà ſibi patiatur collatam, & vt ſecundùm Symbola, quę ab Eccleſia accipit, deincèps ſuam in terris militiã, vitam, actionesq́; peragat. Non ſecùs àc miles quiſpiã, qui ducis alicuius ſymbolum vel teſſeram ſuſcipit, & Sacramento ad illi militandum ſe obligat, hoc ipſo ſymbolo deincèps admonetur, ſe illius Domini lucris & vtilitatibus inſeruire teneri, cuius gerit ſigna: contráque illius hoſtibus detrahere, quantum maximè poſſit.

Deindè aures & nares luto ex puluere & ſputo confecto liniuntur, cuius eſt iſta ſignificatio, aures eius per gratiam DEI nunc porrò patulas fore ad Dei verbum alacriter libenterque audiendum, vndè gratiſſimum diuinæ agnitionis odorẽ hauriet. Hęc ſunt quæ ſuperiori concione fuſiùs aliquãto enarrauimus, in quibus ſanè non niſi ſalutares, vtiles & pias inprimis ſignificationes & admonitiones comperimus, quibus docemur quæ ſit multiformis illa gratia & virtus DEI, quam nobis per Baptiſmum largitur, & quomodò deincèps percepto Baptiſmo & huiuſmodi gratia probè vti debeamus. Nunc agè progrediamur in ſalutaribus illis ritibus explicandis, audiamusque quid vlteriùs Eccleſia circa baptizandos agat. Poſtquàm ante fores Eccleſiæ omnia ea, de quibus dictum eſt, expedita ſunt, recipitur baptizandus in Eccleſiam, & in omniũ electorum & credentium filiorum DEI contubernium, communionem & numerum admittitur. Non tamen ſinè exploratione ad Baptiſmũ venire permittitur, ſed tum demùm perquàm ſeriò cum illo agit Eccleſia: quęritur ab eo: Vis baptizari? & reſponſo reddito, quæritur porrò: Abrenuncias Satanæ? reſpondet, Abrenuncio. Iterùm quærit miniſter, Et omnibus pompis eius? id eſt, mundo & mundi voluptatibus fœdisque peccatis? Reſpondet, Abrenuncio. Et tertiò: Et omnibus operibus eius? Reſpondet, Abrenuncio. Deindè Sacerdos fidem baptizandi explorat, inquiens: Credis in DEVM patrem omnipotentem crea-

torē cæli & terræ? Reſpondet, Credo. Poſt hanc abrenunciationē, promiſſionem & confeſſionem ſalutiferum illud DEI myſterium, ſacer ille Baptiſmus, q non immeritò Eccleſiæ DEI theſaurus & fons ſalutis & eſt, & dicit, baptizando confertur. Agedùm Auditores, hactenùs multiuaria Baptiſmi dona & chariſmata non ſinè voluptate audiuiſtis, & ſinè dubiò conſolationē in animis veſtris percepiſtis. Quē em̄ non conſoletur & exhilaret, quòd ſummus ille & omnipotens DEVS fœdus cum ipſo ineat, & obliget ſe illi, quòd ei DEVS fidelis pater eſſe velit, ipſumq; protegere potenti manu ſua, ſuorumque bonorum, chariſmatum ac regni cæleſtis pepetuum hæredem inſtituere?

Magna profectò hæc ſunt, & quę animum hominis omni gaudio & cōſolatione facilè expleant. Diues enim eſt, fidelis & verax qui promittit, neque eſt quod metuamus quicquam, nè quod promiſit, non præſtet. Atquì verò hîc meminiſſe debetis, in omni fœdere alteram quoquè partē obligari, & ab ea aliqd exigi. Deus quidem ſe nobis obligauit, eſtq; fidelis & certus in præſtando. Secundùm miſericordiam ſuam à dura ſeruitute Satanę et peccati nos liberauit in Baptiſmo per Chriſtum Dominum noſtrum, ità vt omninò à peccatis & iniuſtitia liberati, Chriſti iam ſerui ſimus. Verùm id non abſq; conditione præſtitum eſt nobis: nos quoquè debito quodā nos obſtrinximus. Si quis miniſtrum etiā exiguo precio conducat, non vult pecuniam ſuam malè collocatam: inqrit priùs, num fidus ipſi & frugì eſſe velit. Nos porrò redempti ſumus non corruptibili auro vel argento, ſed precioſo Chriſti ſanguine: is tradidit ſemetipſum pro nobis, noſque in famulos ſibi emit & mercatus eſt, non vt nos illi commodo aut lucro ſimus: bonorum em̄ noſtrorum & lucri noſtri non eget: ſed hanc nobis conditionē obtulit, quam in eius miniſterio præſtemus oportet, putà, quòd tartareo illi Tyranno cum omnibus pompis & operibus eius abrenunciauimus. Hanc, inquam, conditionem nobis propoſuit Chriſtus, non quòd vllum hinc cōmodum ſentiat, ſi nos à pompis & operibus Satanæ abſtineamus: ſed ꝙ Satan impediat ſalutē & bona illa, quæ CHRISTVS nobis donare cupit. Vt largiſſimę diuinę gratię capaces eſſe poſſimus, hanc cōditionem Chriſtus præſcripſit, vt à Satana eiuſq; operibus deſciſcamus: qui alioquì pompis & operibus ſuis nos impedire nititur, nè grariam & ſalutē à Chriſto pcipiendam poſſimus adipiſci. Huic itaq; ſponte noſtra ſciētes prudenteſq; liberrimè renunciauimus, dicentes: Abrenuncio. Expēdamus hoc noſtrū votum, cuius conſideratio citra dubium multum nobis adiumētum adfert ad noſtram comparandam ſalutem. Neceſſum eſt, vt hoc votum diligēter perpendamus, quid à nobis repoſcat, idq; factis & operibus præſtemus. Si homo homini quippiam promittat, tenetur omninò præſtare quod promiſit: quod ſi detrecter, poteſt eum alius ex promiſſo vrgere & compellere. Irritum ergò erit & nullius momenti, quod Deo promittimus? Aut patietur Deus impunè ſibi fraudem fieri, cùm ne homo quidem

morta

mortalis ſe falli patiatur? Qui pro pecunia aut re quapiam temporaria ſpopōdit, ſolicitus eſt nè ſibi fraudi ſit ſua fideiuſſio. Nos autē fidem & obediētiam Deo promiſimus: om̄i ergò ſtudio & cura in hoc pro viribus incumbamus, nè ex parte noſtra hoc Dei fœdus vllo pacto violetur. Porrò fœdus hoc vno verbo continetur: Abrenūcio ſatanæ. Latè quidem patet, ſed tamē notū eſt apud Chriſtianos, quæ ſint pompę & opera Diaboli, nimirùm animi elatio & arrogantia, priuati quæſtûs ſtudium, lucris cum alterius damno inhiare, eadem prodigere & abligurire, faſtui nihil pati deeſſe, ad præſtādas eleemoſynas aut erga alios pios vſus tenacem eſſe, nec quicquam vel velle vel poſſe præſtare: erga inopes & indigos parcum & inhumanū ſe prębere, vt hodiè plerunquè moris eſt: hæc (inquā) ſunt pompæ diaboli. Superbire quoquè & alios aſpernari & opprimere, pompæ ſunt Satanæ. Impudicè & diſſolutè viuere, comeſſari, cōpotare, furari, inuidere, occīdere, obtrectare, ſectas fabricare, mētiri, fallere, ſunt opera diaboli. Et vt ſummatìm dicam, quicquid peccatū eſt, quicq̄d iniquum eſt, eius magiſter & architectus eſt Diabolus: atq; eiuſmodi operibus omnes in Baptiſmo abrenunciauimus.

Si ex ſcripturis audire libet, quæ voti huius in Baptiſmo nuncupati vis ſit, & quid à nobis requirat, audiamus Apoſtolum ad Rom. 6. cap. An ignoratis, inquit, fratres, quòd quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodò Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriā patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus: & quæ ibì ſequūtur. Ex quibus iam diſcitis, Baptiſmum ſuſcipere, ac Satanæ eiuſq; pompis & operibus renunciare, nihil aliud eſſe, quàm mori peccatis omnibus, ac deincèps cum peccato & iniquitate nihil habere commercij, ſed ambulare in nouitate vitæ, in iuſtitia & ſanctitate: ac pro modulo noſtro illi nos cōformare, in quo nos fecimus baptizari, cuiq́ue fidem & obedientiam promiſimus. Itaq; ſalutaris Chriſti Baptiſmus ab omnibus peccatis nos exonerauit, & ab omni iniuſtitia repurgauit, verùm hac conditione annexa, vt deincèps à peccatis abſtineamus. Quòd enim ob priùs commiſſa peccata dolēdum ſit, & ab ijs in poſterum abſtinendum, teſtatur Iohannes Baptiſta his verbis: Facite fructus dignos pœnitentiæ, &c. & Petrus Acto. 2. Pœnitentiam agite. Porrò Luc. 3.
hìc diligenter admonendi ſumus, omniq́; ſtudio nobis curandum eſt, nè hanc cęleſtem medicinam in noua & immania vulnera nobis vertamus, & nè ſalus Baptiſmi per Baptiſmum ad maiorē perditionem cedat. Nam quo maiorem à Deo gratiam conſequimur, eo grauiorem eius iram & vindictā nobis conciliamus, ſi poſt acceptam gratiā rurſus peccemus, & ſemèl mundati, denuò nos contaminemus. Atq; hoc eſt, quod grauibus verbis comminatur Apoſtolus Petrus: Si, inquit, refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati 2. Pet. 2.
ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſùm con-

uerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Quin & Chriſtus ipſe non obſcurè teſtatur, poſt acceptam gratiam longè deteriùs peccari, grauioremq; Dei iram & animaduerſiõem imminere: Ecce, inquit, ſanus factus es: iam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat. Iohan. 5.

Hoc iam ex externo exemplo licebit animaduertere, peccatis baptizatorum, eorumq́ue qui magna Dei gratia multiſq́ue donis aucti ſunt, multo grauiùs Deum offendi, grauioraq; ſupplicia ea commereri, quàm illorum, qui necdùm vndis ſalutaribus tincti ſunt. Pictor aliquis, in officina ſua multas habens tabulas, non admodùm indignatur, ſi quis tabulam necdùm pictam frangat aut commaculet. Porrò ſi artem induſtriamq́ue omnem impenderit, omniq́ue ſtudio tabulam depinxerit, optimiſq; coloribus exornârit, & tum demùm ea deturpetur ac inquinetur, id eum ſanè peſſimè habet, & ira excandeſcit. Ità nimirùm mortales omnes in terris, ſunt tabulæ Dei, & omnes nos ſumus opus manuum eius ratione creationis: verùm ſecundùm gratiam non omnes ſumus eiuſdem habitudinis. Turcæ, ethnici, & infideles, rudes ſunt & nudæ tabulæ, in quibus nulla adhuc pigmenta cõſpiciuntur. Nihil in eos aliud impendit vel contulit ſummus ille omnium opifex DEVS, quàm quòd eos creauit: nõdùm autem multigenis & ſalutiferis Dei donis ſunt ornati & exculti: nec nôrunt veram Dei agnitionem, nec gratiam Spirituſſancti & baptiſmi emundationem adepti ſunt. Quamobrem DEI in illorum peccata indignatio magìs lenta eſt, poteſtq́ue illis differre vindictam in illum diem, quo eiuſmodi vacuas & inutiles tabulas in ignem proiecturus eſt, vt ardeant.

Nos verò Chriſtiani pictæ ſumus tabulæ. Nam præter hoc, quòd DEVS homines nos creauit, quemadmodùm & alios, multiformi etiam & omnigena ſua gratia nos exornauit, ac depinxit, veram ſuî agnitionem nobis cõmunicauit per Prophetas, ac tandèm per vnigenitum filium ſuum, qui idcircò in hunc mundum deſcendit, vt veram DEI notitiam, & regiam veritatis viam nobis aperiret, & ſalutis ſcientiam doceret. Sumus in Baptiſmo abluti & depurati à peccatis, 1. Corinth. 6. Tit. 3. Epheſ. 5. tum quoquè deindè perfuſi & expoliti ſumus efficacibus Spirituſſancti chariſmatîs, vt iam nihil diuinę gratię nobis deſit, quod quidem ad commiſſorum delictorum remiſſionem, & imminentium euitationem pertineat. Si itaque tantam gratiam in vacuum cepèrimus, & animas noſtras, quas DEVS ſecundùm miſericordiam ſuam tam pulchrè exornauit, nouis peccatis denuò petulanter ac ſpontè contaminauerimus, quomodò non poterit DEVS ob noſtram ingratitudinem iraſci? Qua tãdèm ratione nos excuſabimus, quibus DEVS nihil ſuæ gratiæ deeſſe voluit? Quomodò iudicium DEI tolerabimus? Turcæ & ethnici conſurgent aduerſùm nos in iudicio Dei, & condemnabunt nos, pœnamq́ue & damnationem in nos decretam comprobabunt & adaugebunt: Si enim DEVS illos perindè ſua gratia & muneribus exornâſſet, fortaſsìs dignos regno DEI fructus protuliſſent, Matth. 11.

Porrò

Porrò non eò hęc dixerim, vt illis, qui poſt perceptũ Baptiſmũ relabuntur in peccata, omnem prorſus conſequendæ miſericordiæ ſpem adimam & præcidam. Abſit: Scimus enim infinitam eſſe Dei miſericordiam, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, nulliq́ue eum vnquàm ſuæ miſericordiæ gremium pręcludere, qui à peccatis ad ipſum cõuerſus, gratiam eius implorat. Semper enim expectat noſtram reſipiſcentiam etiam poſt Baptiſmum. Verùm hac de cauſa voti in Baptiſmo præſtiti viſum eſt admonere, vt ſi quis puritatem, quam in Baptiſmo à Deo adeptus eſt, illęſam non conſeruauerit, ſed nouis peccatis denuò contaminauerit, recordetur vndè & quò dilapſus ſit, & agat pœnitentiam: conſideret in quibus ſit periculis conſtitutus, ac ſinè omni mora feſtinet conuerti ad Dominum, nè ira Dei eum in peccatis comprætendat, & perdat eum in die vindictæ. Hæc nunc de abrenunciatione Satanæ & operum eius dixiſſe ſuffecerit. Nunc ad reliquas Baptiſmi cæremonias transeamus. Poſtquàm baptizãdus abrenunciauit Satanę, & fidem pronunciauit, Sacerdos pectus & ſcapulas eius ſacro oleo inungit, inquiens: Ego te linio oleo ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Poſt collatum deindè Baptiſmum Chriſmate linit verticem eius, dicens: Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spirituſancto, quiq́ue dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat Chriſmate ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam ęternam, Amen.

Pſal. 144.

Eccleſi. 5.

Hoc loco Chriſmatis & ſacri olei vſum aduerſus Sectarios & cauillatores aſſerere ac tueri viſum eſt recepto totius Eccleſię Catholicę more & cõſuetudine, & verbi Dei mandato. Et quidem vſum ſacri olei in Eccleſia eſſe debere, duobus ſcripturę diuinę teſtimonijs probatur, Mar. 6. Iaco. 5. Quòd autem perpetuò ità ſit vſitatum, atteſtãtur Dionyſius, Cyprianus li. 1. Epiſt. 12. Clemens, Fabianus Papa & martyr, Hieronymus & Auguſtinus, qui rotundis ac diſertis verbis aſſerunt ſacri olei & Chriſmatis vſum ab ipſis Apoſtolis traditum eſſe Eccleſiæ. Sciant igitur cauillatores illi, quotieſcunquè ob ſacri olei & Chriſmatis vſum nos irrident & contemnunt, vnà etiam ſe contemnere vniuerſam Chriſti Eccleſiam, quemadmodùm ea omni tempore ac vbiuìs locorum durauit. Soli nimirùm ipſi ſunt ſapientes, ſoli quibus Deus miſerit ſpiritum veritatis largiùs & longè rectiùs, quàm aut Apoſtoli aut vniuerſa Eccleſia vnquàm illum perceperint. Proh temeritatem. Si fas eſt quanlibet creaturam, qualis ea in ſeipſa eſt, contemnere: nec talem eam æſtimare, qualis per verbum Dei & orationem fieri poteſt, tandèm & eò veſaniæ deuenient Sectarij, vt & aquam in Baptiſmo, panemq́ue & vinum in ipſo altari rideant & cauillentur: certè indè plerique haud procùl abſunt. Nos itaque totius Eccleſię Catholicæ conſuetudinem impudentibus eorum calumnijs opponimus, eiſq́ue dicimus: Quantùm voles rideas & cõuicieris Sectarũ architectæ: nobis lõgè ſatiùs eſt cũ Eccleſia Catholica ſentire, & eo nomine abs te rideri, q̃ vt tibi aſſentiamur, atque eo ipſo

ab vniuerſa Chriſti ecclesia deſciſcamus. Nos intereà dilectiſſimi huius ſanctæ vnctionis Myſteria audiamus. Vngitur ſacro oleo pectus, vt argumento ſit, illud iam Deo cōſecrari, & per Spiritum ſanctum præparari, vt fidem Dei purè & veraciter in poſterum retineat. Scapulæ, quæ ad labores pertinent, vnctione corroborantur, vt non corde tantùm conſtanter credamus, ſed & factis & operibus fidem declaremus. Poſteà ſacro Chriſmate baptizatus vngitur, à quo deindè Chriſtianus appellatur: fitq; hæc vnctio in capite, vt meminerimus Chriſtum iam eſſe caput noſtrum, atq; hanc noſtrī regenerationem omnemq; ſalutem, defenſionem & protectionem eſſe è ſupernis. De iſtis vnctiōibus loqtur Ambroſius: Vnctus es quaſi athleta Chriſti, Vnctus es in vitam æternam.

Ambr. li. 1. cap. 2. et 7. de Sac.

Poſtremò candida veſte ſeu vitta induitur baptizatus, qua admonetur innocentiæ & puritatis, quam Deus illi largitur in Baptiſmo, mandatq; ei ſacerdos, vt eam puritatem immaculatam perferat ante tribunal Chriſti. Idem & nobis præſtet Deus, vt eam eius gratia conſeruemus, & perditam, eadem gratia & miſericordia ſua recuperemus. Nunc ergò, Auditores chariſſimi, ritus & cæremonias Baptiſmi, vti eæ ab vniuerſa Chriſti Eccleſia vbiquè conformiter obſeruantur, audiuimus, & indubitata habemus teſtimonia, huiuſmodi cęremonias iam indè ab Apoſtolis ad hæc vſq; tempora perdurâſſe. Cumq; in illis non niſi vtiles, ſalutares ac piæ ſignificationes & admonitiones comperiantur, quo tandèm ore improbam Sectariorum temeritatem laudabimus, quòd cum toto orbe Chriſtiano ſeruare concordiam & conſentire nolunt in illis, quę per ſe bona ſunt & ſalutaria?

CATHOLICA ET ORTHODOXA INSTITVTIO ET DOCTRINA

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CONCIO LIIII. HABITA

Dominica Tertia poſt Trinitatis, *Anno* 1543.

Luc. 16.

CHriſtus Dominus & ſeruator noſter, Auditores dilectiſſimi, cùm diſcipulis ſuis parabolam propoſuiſſet de villico iniqtatis, qui prudenter abutens domini ſui facultatibus, cauebat, nè ſibi à villicatione amoto, mendicandum foret, conqueritur ibidèm filios huius ſeculi eſſe prudentiores filijs lucis in generatione ſua. Hic Chriſti ſermo ſuggerit mihi occaſionem, hanc filiorum ſeculi prudentiam vobis in exemplum proponendi, quo admoneamur, quanto ſtudioſiùs diligètiusq; meritò nos debeamus inquirere bona cæleſtia, quæ Deus per gratiam ſuam tam munificè nobis offert, & paratiſſimus eſt elargiri ad temporariam ſimul & perpetuam

tuam ſalutem, ſi non pigri nimis & torpentes eſſemus ad acceptandum, & ignaui ſimul ac negligentes & incurioſi ad conſeruandum. Sępius quidem & aliàs hac admonitione vſi ſumus: ſed quia huic noſtro propoſito aptiſſimè quadrat, nolui oblatam vos vtiliter admonendi opportunitatem prætermittere. Hæc autem eſt vafra filiorum ſeculi prudentia in fluxis & fugacibus huius mundi rebus & diuitijs conquirendis, vt nullis neque moleſtijs, neq; laboribus fatigentur, nulla quantunuìs magna ac periculis plena locorum intercapedine animo deijciantur: quin remis velisq; eò contendant, donec opibus & bonis externis potiantur, ijsq; iam in longinqs plerunque regionibus potiti, nōdùm protinùs remiſſi ac deſides fiāt, quaſi ſufficiat, opes eſſe partas: iam em̄ primùm incipiunt ſoliciti perpendere, qbus modis parta conſeruent, quibus rationibus in patriam aduehant, & in tuto collocent, nè ab hoſtibus diripiantur, aut alijs modis pereant. Vtinàm verò & filij Dei tam eſſent in ſua generatione prudentes, pariq; ſtudio ac prudentia vterentur erga cæleſtia & nunquàm peritura bona. Nos illi ſumus, ô Auditores, qui locupletiſſimos diuinarum opum theſauros ſinè magnis moleſtijs & laboribus poſſumus acquirere.

Non tam remota ſunt largiſſima gratia & bona Dei, neque adeò procùl poſita, vt conqueri poſſimus: Quis valet ad cęlum aſſcendere, vt referat indè à Deo, quæ ad ſalutem ipſi neceſſaria ſunt? aut qs poterit transfretare mare, vt illinc abſportet? Nihil horū eſt neceſſum. Eccè hæc chariſmata & bona Dei in medio noſtrûm ſunt effuſa. Ipſe Deus nobis ea adfert & offert: ſolum hoc requiritur, vt manum protendentes, ea accipiamus. Adeoq; citra vllum noſtrum præcedentem conatum ex mera gratia & miſericordia Deus ſua chariſmata & bona nobis vltrò donauit, & in nauigia noſtra intulit in Baptiſmo, de quo ſcriptum eſt: Benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritusſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

Deut. 30. Rom. 10. Tit. 3.

Eccè qbus muneribus nos Deus cumulauit in Baptiſmo. Effudit in nos abundè Spiritumſanctum, qui ſecundùm internum hominem nos renouauit, & ab omnibus peccatis emundauit, qui certum teſtimoniū reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei & hæredes regni cæleſtis. Omnia Chriſti merita, om̄es opes ac bona eius, noſtra ſunt. Vehimus nobiſcum in noſtris nauigijs cęlum cum omnibus ſuis bonis, atq; adeò ipſam ſempiternam ſalutem. Verùm ô Chriſtiani circunſpectè & prudēter agamus. Neq; em̄ ſatis eſt, omnigenis ſpiritalibus bonis oneràſſe nauem noſtrā, ſed reſtat vt ſumma cura & vigilantia in hoc incūbamus, vt ſaluas eas cōſeruemus vſq; in finem, queādmodùm Chriſtus inqt: Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Longum adhuc eſt itineris interuallū, priuſquàm accepta bona eò

Matt. 10.

tranſuehamus, vbi in perpetuum illis frui liceat. Huc accedit, quòd fragiles admodùm ſunt noſtræ nauiculæ, quibus hæc bona vehimus, vti & Apoſtolus ait: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Corpora noſtra etiamnùm peccatorum morbis affliguntur, varijsq́; tentationibus ſunt obnoxia: &, quod periculoſius eſt, viam, qua ad cæleſtem patriam cõtendimus, multi, ijdemq́; callidiſſimi & pernicioſiſſimi, hoſtes obſident, in hoc excubantes, ſi quandò data nobis à Deo bona & chariſmata queant deprædari, eaq́; gratia & felicitate nos ſpoliare, quam adepti ſumus in Baptiſmo. Omnibus obſtaculis & impedimentis nos in itinere remorari conantur, nè inoffenſi & expediti pergamus ire ad patriam, & ad illam hæreditatẽ ad quam in Baptiſmo admiſſi ſumus. Hinc mundus varijs voluptatum & fraudum ſuarũ machinis nos oppugnat. Hinc caro noſtra, cui illicitæ ac inordinatæ concupiſcentiæ, prauaq́; libido & propenſio ad peccatum admixta eſt: experimurq́; in membris noſtris aliam legem, repugnantem legi mentis noſtræ, ità vt homo per propriæ carnis voluntatem ſæpenumerò impediatur in bono, quod bonum eſſe agnoſcit, & quaſi captiuus abducatur in peccatum, vt malum faciat, quod malum eſſe & ſcit & agnoſcit.

2.Cor.4.

Atq; hic hoſtis, noſtra (inquam) caro, quæ Spiritum ſemper moleſtat & vexat, etiam baptizatum poteſt à regia ſalutis via abducere, gratiamq́; Dei in Baptiſmo acceptam, illi infrugiferam inutilemq́; reddere. Quanuis eñ in Baptiſmo ad vitam regenerati ſimus per Spiritum & gratiam Dei, attamen caro facilè nos in mortem pellexerit, ſi non ſeriò obluctemur, eamq́; in ſeruitutem redactam domemus, operaq́; & concupiſcentias eius frangamus & mortificemus auxilio freti & gratia Spiritûs Dei. Nõ eſt quod quiſquam credat ſe propter perceptum Baptiſmum iam extra pericula omnia poſitum, adeò in portu nauigare, vt deincèps ſinè cura degere, nec quicquã ſibi à carne ſua metuere debeat. Immò dilectiſſimi, certò id ego vobis affirmo, nos poſt Baptiſmum hoſtem domeſticũ circũferre, contra quem tum noſtra prudentia, cura ac diligentia, tum etiam auxilium, virtus & gratia DEI ſunt ſemper neceſſaria. Ad baptizatos eñ certò ꝑtinet illud Apoſtoli: Fratres, debitores ſum' nõ carni, vt ſecundũ carnẽ viuamus. Si eñ ſecũdùm carnẽ vixeritis, moriemini: ſi autẽ ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Rom.8.

Eſt & alius longè terribilior hoſtis, malignus diabolus, qui ob collatam homini tantam ſalutem ringitur, inuidens nobis Dei erga nos amorem, fauorem & beatitudinem: vndè perpetuas agit excubias, ſi quandò data occaſione & opportunitate, fictilia noſtra vaſcula poſſit inuadere, vt acceptis DEI donis nos deſpoliet. Nihil non technarum inſidiarumque molitur, quô tandèm eò nos pelliciat, vt acceptam in Baptiſmo puritatem & promiſſam felicitatem, nouis peccatis denuò contaminemus & perdamus: à quo vt nobis caueamus, grauiter monet Apoſtolus Petrus: Sobrij, inquit, eſtote & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus tanquàm leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.

1.Pet.5.

Quam-

Quamobrem ſi conſideremus precioſos illos diuinæ gratiæ theſauros, quorũ participes facti ſumus in Baptiſmo: præterea fragilitatem noſtram, & ingẽtia pericula quę nobis vndiquè imminent, quandiù in hoc mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, & vbiquè tentationes & laqueos tetendit in exitium & perniciem noſtram, commoramur: Hæc, inquam, ſi cõſideremus, facilè perſpiciemus, neutiquàm Chriſtianum poſt perceptum Baptiſmum in ſupinam illam & pernicioſam ſecuritatem ſe dare debere, quaſi à Baptiſmo nihil ampliùs requiratur ad obtinẽdam tandèm felicitatem ſempiternam: immò potiùs aſſidua ſolicitudine penſiculandum ei eſſe, quomodò Dei gratiam tutò conſeruare poſſit vſq; in finem. 1. Ioh. 5.

Atque hic iam manifeſtè appáret abundantiſſima Dei in nos gratia & benignitas, vt qui ſat non habuit, neq; contentus fuit Baptiſmum inſtituiſſe, per quem felicitatem, fauorem & amicitiam Dei, & hæreditatem regni cæleſtis adipiſcamur: ſed pro multiplici ſua bonitate & miſericordia, alia inſupèr pręter Baptiſmũ Sacramenta inſtituit in Eccleſia, q̃bus hãc ſalutem & beatitudinem vſque in finem tutò cõſeruare queamus. Immò verò etiamſi ex fragilitate, aut etiam noſtrapte malitia contingat in noua peccata recidere, ſunt tamen medicamenta, remedia ac præſidia penès veneranda Chriſti Sacramenta, per quæ ex peccatis reſurgamus, & in gratiam, fauorem ac amicitiam Dei reſtituamur. Hæc enim eſt venerandorum Sacramentorum virtus ex benigniſſima Dei inſtitutione, vt & imminentia peccata auertant, & admiſſa ſanent, ſi piè illis vtamur. Per Sacramentorũ virtutem poſſumus nos tueri, nè in peccatum prolabamur: & prolapſi, rurſùs ex peccatorũ ſordibus reſurgere poſſumus, itidèm per virtutem Dei, quam nobis impartit in Sacramentis iuxta clementiſſimas ſuas promiſſiones, vt Deus ille & ſit & maneat, qui omne bonum in nobis inchoat, illudque tuetur & perficit per gratiam & miſericordiam ſuam.

Quapropter in his Sacramentis, per quæ poſt Baptiſmum collatam nobis à Deo ſalutem tueri ac conſeruare poſſumus diuina freti gratia, pertractandis, deincèps Deo opem ferente ità me geram, quemadmodùm & Sacramentum Baptiſmi tractauimus. Et quidem abſoluto iam Baptiſmo, Sacramentum Confirmationis proximè explicãdum ſuſcipiemus, de quo id principiò docebimus, cur à Baptiſmo ſit homini Chriſtiano neceſſarium: I.
Deindè, quomodò hoc Sacramentum Chriſtus Eccleſiæ ſuę promiſerit: II.
Poſtremò, vtì ex promiſſo Chriſti in eius diſcipulis completũ ſit: & deincèps qua ratione diſcipuli Domini illis omnibus, qui iam in nomine Chriſti Baptiſmũ ſuſceperãt, idẽ Sacramentũ cõtulerint, & vt iã indè ab ijſdẽ temporibus hoc Sacramentũ perpetua ſucceſſione permanſerit & vſitatum ſit in vniuerſali Chriſti Eccleſia, p omnes ætates & in omnibus finibus totius Chriſtianæ ditionis. Hæc omnia diuino freti adiutorio, ſolidis ſcripturarum totiusq́ue orbis Chriſtiani teſtimonijs aduersùs temerariam petulantiam, & petulantem temeritatem Sectarum luculenter demonſtrabimus, & III.

veræ

veræ pietatis ſtudioſos contra earum ſannas & cauilla conſolabimur.

Si nos exibilant propter Confirmationem, & alia quædam Sacramenta, vel etiam diuerſam ea diſpenſandi rationem confingunt, haud nos ſolùm irrident, ſed vniuerſum pariter orbem Chriſtianum rident & contemnunt, qui eadem hæc ſemper & eodem modo obſeruauit, quę hodieque & quo modo nos obſeruamus in Eccleſia Catholica. Quin etiam confido omnes pios, modò vel mentis ſint compotes, mâlle rideri & conténi cum Dei Eccleſia, quàm laudibus & honoribus extolli, & in Sectarum conciliabulis, quæ aduerſùs Deum & Eccleſiam eius quadam animi arrogantia & temeritate ſeſe ſubrigunt. Sed proculdubiò Deus omnes temerarios auſus confringet, qui Diuinę ſuæ ordinationi repugnant, idq́; quandò viſum fuerit ſuę diuinę & inſcrutabili ſapientię. Nos iam ad huius Sacramenti Confirmationis explicatióem accingemur, & principiò docebimus, vtì hoc Sacramentum poſt & præter Baptiſmum ſit neceſſarium.

Perſpectam nunc habetis, tanquàm fidei Chriſtianæ myſterijs imbuti, auditores, Baptiſmi virtutem, quomodò nos abluat à peccatis, & in nouos DEI filios transformet. Hæc autem gratia & operatio diuina nequaquàm dimidiata eſt & imperfecta, ſed integra & omnibus numeris abſoluta felicitas & ſalus nobis confertur in Baptiſmo, ſecundùm gratiam quam DEVS ſe donaturum promiſit per Chriſtum Dominum noſtrum. Et ſi quis in hoc ſtatu & puritate per Baptiſmum accepta conſtitutus, hac vita defungatur, certus eſt ſuæ felicitatis & beatitudinis, nec eſt præter Baptiſmum quicquā vlteriùs illi neceſſarium ad ſalutem. Quoniam autem DEVS non continuò nos in eam felicitatem ſempiternam transfert & introducit, cuius facti ſumus hæredes in Baptiſmo, ſed ſinit nos poſt perceptum Baptiſmū aliquandiù adhuc in terris degere, atq; ſic in fide promiſſam in Baptiſmo felicitatē expectare: porrò intereà, quandiù noſter incolatus & conuerſatio hîc in terris durat, tametſi filij DEI ſumus, at quotidiè tamen multis varijsq́; tentationibus ſumus obnoxij, plurimiſque hoſtibus & periculis expoſiti, aduerſùs quæ nouis auxilijs & præſidijs Dei omnibus horis atque momentis egemus, ſi gratiam illam conſeruare velimus, quam in Baptiſmo accepimus. Quemadmodùm enim infans qui ſecundùm naturam naſcitur, abſolutus quidem eſt homo ſtatìm vbi natus eſt, nec vllum illorum membrorum illi deeſt, quæ adultus quiſpiam & robuſtus habet: verùm ſi diutiùs viuere debeat, cibo quo nutriatur opùs habet, & vires perfecti hominis quotidianis nutrimentis ei accreſcant oportet: ſic Baptiſmus penitùs quidem & planè emundat hominem à peccatis, vt ſit perfectus Chriſtianus: Sin autem poſt Baptiſmū diutiùs viuere debeat, neceſſum eſt, vt Spirituſſanctus nouas vires & robur nouum illi infundat, vt inſtructus ſit idem homo DEI ad omne

2. Tim. 3. opus bonum, eaque omnia exequenda, quæ Chriſtianum & ſanctum decent. Eccè hanc virtutem & has vires nobis largitur DEVS per Sacramentum Confirmationis: quod & nomen ipſum declarat. Quemadmodùm enim

Bapti-

baptiſmus eſt ſacramentum mundationis, ſic Confirmatio eſt ſacramentum confortationis & virtutis. In Baptiſmo largitur nobis Deus Spiritumſanctum in ablutionem & remiſſionem peccatorum: In Confirmatione eundem accipimus Spiritumſanctum, qui corda noſtra confirmat & gratia adimplet, vt aduersùs hoſtium noſtrorum impugnationes perſtare poſſimus in innocentia & puritate, quam nobis contulit in Baptiſmo. Corroborat item corda noſtra patientia aduersùs terrores omnes & perſecutiones, quæ nobis à mundo poſſint accidere. In Baptiſmo Spiritusſanctus nos efficit filios Dei, reddens ſpiritui noſtro teſtimonium, nos iam filios eſſe & hæredes Dei: atq; hoc modo ampla & opulenta hæreditate nos donat Spiritusſanctus. Hic verò Deus talem ſe nobis præbet, qualem ſe pater aliquis erga chariſſimum filium, quem dum orphanum relicturus eſt, non putat eſſe ſatis, amplam ei hæreditatem eſſe relictam, ſed & fideles eidem tutores conſtituit, qui pupilli curam gerant, eũ protegant ac tueantur, paternamq; hæreditatẽ ſaluam ei & integram conſeruẽt. Eodem modo Deus non putauit ſufficere, opulentam hæreditatẽ nobis eſſe collatam in baptiſmo, ſed & fidelem nobis poſt baptiſmum tutorem & curatorem adhibuit, qui nos in cura habeat, nosq; ab hoſtibus defendat, cõtraq; inimicos & tentationes oẽs auxilium nobis ferat, qui hac cæleſti hæreditate deſpoliare nos & exüere conantur. Hic verò tutor & curator eſt Spiritusſanctus: vndè etiã in ſcripturis appellatur παράκλητος, cõſolator. Hunc Spiritum ad tutelã accipimus in Confirmatione, vt ſit tutor & curator, ſit amicus noſter, qui nos vindicet ac defendat aduersùs oẽs mũdi, carnis ac diaboli tentatiões. An ignoratis, auditores, nos à Baptiſmo tanquàm orphanos & pupillos degere inter ignotos & alienos, quibus infenſus & inimicus eſt mundus, malignè & crudeliter inſidiatur ſatan? Scitis Chriſtũ ſuos diſcipulos, & in ijs oẽs illos, qui per ipſorũ verbũ in illum crediturí erant, appellare orphanos, ipſisq; & omnibus per ipſorum prædicationẽ credituris, promiſiſſe, dicens: Nõ relinquam vos orphanos. Rogabo patrem, & Iohã. 14. alium paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiſcũ in æternum. An ne igitur nobis orphanis Dei in hoc mundo conſolatio & tutela Spiritusſancti neceſſaria non erit? Cùm itaq; iam didicerimus, quibus poſt baptiſmũ indigeamus, proximà concione, Deo volente, audiemus, quomodò Chriſtus ſanctum Confirmationis Sacramẽtum poſt Baptiſmum promiſerit, atq; vti hæc Confirmatio gratiam illam & virtutẽ in nobis operetur, qua poſt Baptiſmum ſatis opùs habemus ad ſalutem vſq; in finem conſeruandam.

CONCIO LV. HABITA

Dominica quartâ poſt Trinitatis, Anno 1543.

PRæcedenti Concióne, Auditores, docuimus, quàmobrem & ad quid poſt Baptiſmum alia inſuper Sacramenta, & præcipuè Sacramentum Confirmationis, cuilibet Chriſtiano ſit neceſſarium:

nimirùm quòd non minori opùs eſt ſolicitudine, arte & induſtria, nec minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri: quemadmodùm & Chriſtus in eo ſalutem collocat, ſi quis perſeueret vſque in finem. Quoniam autem DEVS ad conſequendam ſalutem ſatis nobis bonorum & gratiæ contulit in Baptiſmo, amorem ille ſuum & largiſſimam benignitatem erga nos abundantiſſimè in eoipſo declarauit, quòd poſt Baptiſmum alia adhuc Sacramenta inſtituerit, quæ ſecundùm promiſſiones ſuas vult gratia ſua confirmare, vt robur & virtutem nobis addant, qua hanc gratiam conſeruemus, quam in Baptiſmo accepimus. Pauciſſimi enim forent inter nos, qui puritatem & gratiam Baptiſmi illæſam per vaſtum huius mundi pelagus perducturi eſſent ad portum, & ad ſupremum vſque vitæ diem ſeruaturi, niſi DEVS quotidiè nouis ſuorum chariſmatum præſidijs nos muniret & adiuuaret, quibus corroboremur & conſeruemur aduersùs ingruentes in nos tentationes, quàm diù iſthæc durat vita: nunc inſurgente in nos mundo, nunc propria carne noſtra, tum etiam diabolo, qui omni cum truculentia & immanitate in id intentus eſt, & captat omnes occaſiones, vt amicitiam cum DEO in Baptiſmo redintegratam denuò labefacter, gratiam ſubducat, & felicitate ſpoliet, ad quā ſumus vocati. Aduersùs eiuſmodi tentationes perpetuum, quoàd vixerimus, refugium, auxilium & antidoton habemus in venerandis Sacramentis, in quibus Deus ſuam nobis gratiam offert ac donat ad omnem neceſſitatem. Eadem benignitate vſus eſt DEVS erga primum illum populum Iſraëliticum. Neque enim ſatis putabat eos per mare rubrum deductos, & ibidèm à crudeliſſimo Pharaone, ipſorū hoſte liberatos: ſed quia longam etiamnùm viam emetiri debebant, priuſquàm ad terram illis diuinitùs promiſſam venirent, & via multis periculis erat expoſita, nunc propter hoſtes, nunc propter ſitim & inediam: Deus noua ſua in eos beneficia & nouam gratiam quotidianaque auxilia declarauit & impendit. Cibauit enim illos pane cæleſti, & aqua ex petra educta eos potauit. Nubem interdiù expandit, quæ à ſolis æſtu eos protegeret: & noctù ignea columna illis præluxit. Victoriam quoquè & virtutem illis largitus eſt aduersùs hoſtes: immò & ipſemet hoſtes eorum proſtrauit, & munitiſſimas vrbes cæleſti virtute expugnauit: omnia ſanè in rem & vtilitatem populi ſui, quò tandèm illos in terram promiſſam introduceret. Eccè illorum tranſitus per mare rubrum, noſtrum Baptiſmum ſignificauit, 1. Corinthior. 10. Porrò vt illi poſt maris rubri tranſitum non ſtatìm promiſſæ terræ poſſeſſionem adepti ſunt: ità nec nos adhuc ea felicitate potimur, quæ nobis in Baptiſmo promiſſa eſt. Quādiù hîc in terris degimus, peregrinamur in deſerto, & tendim⁹ ad illā beatitudinē per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, per tot hoſtiū pernicioſiſſimorū agmina, qui nos in hoc itinere impedire percupiunt. His nulla ratiōe poterimus reſiſtere, niſi quotidiè induamur virtute ex alto, & nouis Dei chariſmatis fulciamur & corroboremur. Hæc aūt Dei gratia vel chariſmata nobis

Matt. 10. & 14.

propo-

propoſita ſunt in Sacramẽtis,inter quæ Confirmatio eſt Sacramentũ virtutis & corroboratiõis,per quod Spiritus ſanctus corda in Baptiſmo à peccatis mundata,cõfirmat & corroborat,ſuisq; chariſmatis inſtruit, vt ſtrenui & conſtantes fiant aduersùs mũdi,carnis & diaboli tentatiões, ſintq; bono & magno animo in omnibus,quæ fidelibus perferẽda ſunt propter Chriſtum.Atq; hæc ſunt diſcreta illa munera Baptiſmi & Confirmatiõis: Baptiſmus emundat, Confirmatio corroborat: Baptiſmus facit Chriſtianos,Confirmatio tuetur & ſeruat Chriſtianos: ſuggeritq́ue illis virtutem faciendi ac perpetiendi ea,quæ Chriſtiano facienda, toleranda q; incumbunt.Hæc differentia & diuerſa vtriuſque Sacramenti huius dona,admodùm clarè relucebant olim in Chriſti diſcipulis.Certum eſt,diſcipulos illos ante Chriſti paſſionem eſſe baptizatos,quod quidem hoc verbõ Chriſtus teſtatur:Qui lotus eſt,non indiget niſi vt pedes lauet:itemq; illo,quo Iohã. 13.
eos in regno cælorum ſecum futuros pronunciat, ad quod ſoli baptizati Luc. 22.
admittuntur,Iohann.3. Verùm tametſi iam baptizati eſſent,nondùm tamen ea pollebant virtute,quæ Chriſtianum decet.Nôrant ad quid vocati eſſent,quid ipſis faciendum incumberet: ſed nõdùm illam virtutem & animi fortitudinem habebant,vt ea præſtare poſſent. Cùm minas eis intentaret mundus,aufugiebant: & Petrus metu perculſus, Dominum negabat,quem tamen citra vllam hæſitantiam verum Dei filium agnoſcebat. Diſcipuli quoquè duo euntes in Emaus,admodùm dubij & deſperabundi de re loquebantur.Sperabamus,inquiebant,quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael &c. Sed & omnes diſcipuli licèt vidiſſent Dominum reſurrexiſſe,& ad cælos aſſcendiſſe,pauidi tamen adhuc ianuis clauſis & obfirmatis ſedebant in domo,donec noua virtute induerentur ex alto in die Pẽtecoſtes.Eccè hîc auditores dilectiſſimi,vt Baptiſmus Chriſtianos quidem efficiat,nondùm tamẽ illa perfectiõe & virtute polleant,quę à Chriſtiano non debeat abeſſe.Nondùm ſatìs firmus eſt animus aduersùs peccatorum & mũdi aſſultus & tentationes,ſed maiori inſupèr Dei gratia & auxilio opùs eſt, vt in eo perſeuerent, quod in Baptiſmo ſuſcipitur. Iam quandò vides ô Chriſtiane Apoſtolos etiam poſt Baptiſmũ tam eſſe imbecillos,eosq́ue alijs adhuc chariſmatis indigere, caue nè te tam firmum & robuſtum putes,vt ampliorem gratiam tibi neceſſariam non exiſtimes: ſed aſſiduè Dei gratiam ſuſpires ac implores, nec ceſſes Diuinam gratiam inquirere,expetere,vſurpare ac percipere, per illa media, in quibus Deus illam inſtituit. Vult enim ille gratiam ſuam per hæc ſacramentorum media nobis communicare. Sed dicas fortaſsis: Cur non in vno aliquo Sacramento tantum nobis largitur Deus, vt cæteris non egeamus?Reſpondeo:Quis tam erit temerarius,vt interrogare audeat Deũ,Quid facis? aut cur ſic facis? Si tamen rationem ſcire deſideras,cur nõ vna vice ſimul præſtet omnia:voluit ille nos à ſe pendere,vt cor ſpemq́ue noſtram in ipſum perpetim dirigamus:voluit orandi materiam & occaſionẽ præbere:voluit

Matt. 26.
Mar. 14.
Iohã. 18.
Luc. 24.

perpetuis nos augere & afficere beneficijs, vt oculi noſtri ſemper ſint ad ipſum. Voluit deniq; per hæc varia media probare & explorare, quinam obedienter ac humiliter gratiam & munera ipſius forent aucupaturi. Perſpeximus igitur in diſcipulis Domini, illos poſt Baptiſmum alia inſupèr virtute eguiſſe,& gratia Spirituſſancti denuò illos habere opùs: nunc audiamus,quam promiſſionem,quam ſpem illis fecerit Chriſtus ſuper Confirmationis Sacramento.

Chriſtus Dn̄s & ſeruator noſter cùm prolixū ad Apoſtolos faceret ſermonem in ipſa & poſt ipſam vltimam cœnam,licèt illi citra oēm controuerſiam iam in Baptiſmo accepiſſent Spiritumſanctū, multis tamē verbis teſtabatur,plurimùm adhuc virtutis & conſtātiæ in ipſis deſiderari:quemadmodùm & rei euentus poſtmodùm declarauit.Imperfectiōis id erat argumentū: Oēs vos ſcādalum patiemini in me in iſta nocte.Imperfectiōis erat,quòd adeò puſillanimes erant & dubij.Item quòd tā rudes:Nō poteſtis,inquit,portare modò.Imperfecti animi indiciū fuit in Petro,cùm audiret:Non potes me ſequi modò:ſequéris aūt poſteà. Multò etiam maior fuit imperfectio in eodem Apoſtolici Senatûs principe, quòd Dn̄s illi ait: Priuſquàm gallus bìs cantet,&c. Teſtatur ibì Dominus, noua illos gratia ſummoperè indigere: itaq; nouā virtutem cælitùs illis donandā promittit per Spiritumſanctum:Non relinquam vos orphanos,ſed rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcū in æternū.Et iterùm: Paracletus autem Spirituſſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,&c.Et Iohan.16.Adhuc multa habeo &c.Quinetiam ab illis ad patrem iam remigraturus, repetijt has ſuas promiſſiones verbis ſanè luculentis:Vos autem,inquit,ſedete in ciuitate,quoadusq; induamini virtute ex alto.Ex his ergò didicimus,dilectiſſimi,vt Apoſtolis poſt Baptiſmum nouū Spirituſſancti munus & gratiā,ipſis profectò neceſſariam promiſerit Chriſtus:reſtat iam vt videamus, quomodò iuxta infallibilia Chriſti promiſſa,hanc virtutem à Spirituſancto ab integro,vel à nouo acceperint.Præclarè hoc ipſum deſcribit Lucas Actor. 2. Cùm complerentur,inquit,dies Pentecoſtes,erant oēs pariter in eodē loco.Et factus eſt repentè de cælo ſonus,tanquàm aduenie͠tis Spiritûs vehementis,& repleuit totam domū,vbi erant ſedentes.Et apparuerūt illis diſpertitæ linguę tanquàm ignis,ſeditque ſuper ſingulos eorum:& repleti ſunt oēs Spirituſancto. Si quis iam diuerſa ac ſpecialia,eaque larga huius Sacramenti Confirmatiōis dona ac munera nôſſe cupit,quæ Deus baptizatis in Confirmatione largitur,is contempletur ſanctos Apoſtolos,quales fuerint poſt Baptiſmū,& quales facti ſint poſt acceptū Spiritūſanctū:tametſi in Baptiſmo coöptati erāt in filios Dei,in diſcipulos & cohæredes Chriſti, quàm tamē adhuc imperfecti fuerunt? Atquì vbì per nouam Sanctiſpiritûs operationem noua induti eſſent virtute ex alto, iam demùm corda corū conſtantia & fortitudine omnibus modis fuerūt inſtructa: iam om̄i humana formidine

Marginal references: Matt.26 (beside "gumentū: Oēs vos ſcādalum"); Iohā.16. (beside "erat,quòd adeò puſillanimes"); Iohā.13. (beside "diret:Non potes me ſequi"); Mar.14. (beside "Priuſquàm gallus"); Ibidèm. (beside "per Spiritumſanctum"); Luc.24. (beside "ſanè luculentis")

midine excuſſa,alacres erant & magnanimi: iam manifeſtè prodibant in populi conſpectum,magnaq; audacia coram illis verbum Dei loquebantur,magnaque virtute reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri: nulla iam trepidatio,nulla ampliùs fuga: imò & glorioſum ac vtile ducebãt,gaudenteſq; amplectebantur,quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. Dices: Audio quidẽ Apoſtolos poſt baptiſmum confirmatos eſſe in fide Chriſtiana, noua Spirituſſancti virtute: ſed qui ſunt præterea ſimiliter confirmati? Reſpondeo: In omnibus illis,qui ad fidem Chriſtianã accedebant,illudipſum inchoãrũt Apoſtoli. Quemadmodùm ipſi cælitùs Spiritũſanctum miro quodam ac ſtupendo modo acceperũt poſt Baptiſmum, ſic porrò omnibus illis, qui baptizati erãt,Spiritumſanctum denuò contulerunt per manuum impoſitionem. Quo autem modo Apoſtoli hac in parte ſeſe geſſêre, ità & diſcipuli illorum ab illis accepêre,ac deinceps alij alijs per manus tradiderunt, ità vt hoc Confirmationis Sacramentũ obſeruatum ſit & vſitatũ in omnibus baptizatis iam indè ab initio fidei Chriſtianæ,& in omnibus ditionis Chriſtianæ finibus: ſicque perpetua & continua ſucceſſionis ſerie ad nos vſq; prolatum. Atq; hîc iterùm Sectarijs non oſcitanter conſiderandum venit,quàm rectè ac piè ſe gerant,dum ea Sacramenta reijciunt,quę vniuerſus orbis Chriſtianus perpetuis temporibus & locis omnibus in hunc vſq; diem obſeruauit & vſurpauit. Sed agè audiamus diuinarũ ſcripturarum,totiuſq; orbis Chriſtiani teſtimonia, quibus huius Sacramenti vſus aduersùs ſectas aſſeritur, probatur ac defenditur. Principiò promiſſio à Chriſto Apoſtolis facta dę noua Spirituſſancti miſſione, non ſolùm ad Apoſtolos,ſed ad vniuerſam quoq; pertinet Eccleſiam,atq; omnes è religione Chriſtianos,iuxta illud Chriſti: Non pro eis tantùm rogo &c. Accedit huc Apoſtolica conſuetudo, qua luculentiſſimè conuincitur, ipſos Apoſtolos ſicut acceperant cælitùs Spiritũſanctum, ità eundẽ baptizatis omnibus per manuũ impoſitionẽ contuliſſe. Cùm audiſſent (inquit Lucas) Apoſtoli,qui erãt Hieroſolymis,quòd recepiſſet Samaria verbũ Dei, miſerunt ad eos Petrũ & Iohannẽ. Qui cùm veniſſent, imponebant manus ſuper illos,& accipiebãt Spiritum ſanctum. Eundem morẽ & Paulus obſeruans,cùm veniſſet Epheſum,& baptizâſſet ibì quoſdam, à baptiſmo impoſuit ſuper illos manus,& venit Spirituſſanctus ſuper illos: & loquebantur linguis,& prophetabant. En clariſſima ac validiſſima ſcripturę diuinæ documenta & teſtimonia, vt in Eccleſia Chriſti baptizatis denuò collatus ſit Spirituſſanctus per manuum impoſitionẽ. Nunc ad ſanctiſſimorum Patrum teſtimonia deſcendamus,qui ab Apoſtolorũ temporibus in Eccleſia claruerunt atq; rexerunt: & videamus, quibus modis hoc Confirmationis Sacramentum illorum tempeſtate fuerit vſitatum. Clemens B. Petri Apoſtoli diſcipulus, epiſtola ad Iulium & Iulianũ Epiſcopos,de ſacramento Confirmationis loquens: Omnibus,inquit,feſtinan-

Iohã. 17.

Acto. 8.

 dum

dum eſt,ſinè mora renaſci Deo,& demùm cōſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem gratiā Spiritusſāctí percipere, quia incertus eſt vniuſcuiusq; exitus vitæ. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodùm ſeptiformi Spiritûs gratia ad Epiſcopo,vt memoratū eſt,confirmatus,quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquàm poterit,nec ſedē habere inter perfectos,ſi nō neceſsitate, ſed incuria & voluntate remanſerit, vt à beato Petro accepimus,& cæteri ſancti Apoſtoli,præcipiente Domino, docuerunt. Apud Dionyſium S. Pauli Apoſtoli diſcipulum & ſectatorem, in Eccleſiaſtica Hierarch.cap.4. ritum omnem,quo tunc in Confirmatione Eccleſia vti conſueuerat,explicatum videre licet. Teſtantur itidèm Confirmationem Vrbanus Papa & martyr, Melciades quoquè,Innocentius & Tertullianus: quorū duo poſteriores expreſſis ac luculentis verbis de vnctione Chriſmatis loquuntur hunc in modū:Caro vngitur,vt anima conſecretur:caro ſignatur,vt & anima muniatur:caro manûs impoſitione adumbratur,vt aīa Spiritu illuminetur. His vno ore adſtipulātur Cyprianus, Hieronymus,Auguſtinus,Ambroſius, Gregorius. Porrò ſi quis idcircò dubitet de Sacramento Confirmatiōis,an Spiritusſanctus vnà cū ſuis chariſmatîs etiānùm hodiè ità veniat,& confirmet corda illorum qui hoc Sacramentum percipiunt,quòd nullum extrinſecùs documētum vel ſignū appareat,quemadmodùm in Apoſtolis: hic quoquè facilè dubitauerit,an etiam Spiritusſanctus in Baptiſmo homines emundet, quandoquidem nullum ibì quoquè externum ſignum conſpicitur,vt in Baptiſmo Chriſti. Quis tuam hæſitationem ac diffidentiam poſſit auertere? Tua incredulitas neq; Dei virtutem & operationē inanem efficiet, neq; inſtitura conueller,nec mentietur Chriſtus in promiſſis ſuis Eccleſiæ ſuæ,ſiue tu dubites,ſiue non dubites. Nam ſi continuò irritum eſſe debeat,quod hoīes leues in dubium vocant, aut temeraria ora contemnunt, parùm certè nobis de religione Chriſtiana ſupererit. Dubitet & diffidat qui volet: nos innitimur promiſſionibus Chriſti: his credimus,etiāſi nulla miracula conſpiciamus. Nobis ſufficit,virtutem Confirmationis in fidei Chriſtianæ primordijs,externis miraculis & prodigijs probatā & conſtabilitā, vtì etiam Baptiſmus Chriſti,cùm Dn̄s ipſe baptizaretur,viſibili ſigno confirmatus eſt, Matth.3. Nunc neq; in Baptiſmo,neq; in confirmatiōe ſigna aut prodigia requirimus,& tamē credimus promiſſis Seruatoris,quòd nimirùm Spiritusſanctus per Baptiſmū abluat oīa peccata noſtra,& in filios & hæredes Dei alleger,atq; hunc eundē Spiritūſanctum in Confirmatiōe, cæleſti virtute nos cōmunire,fideliumq; animos gratia ſua corroborare,vt iam et voluntatē & facultatem adipiſcantur ea deincèps perficiendi,quæ decent filios Dei,eaq; oīa in illo Spiritu,qui ipſos confortat per Chriſtum Ieſum Dn̄m noſtrum. Illud etiā viſum eſt hîc pios admonere, nè fortè quandoq; à ſpiritibus ſeductoribus ea re tententur ac impugnentur,nimirùm quandiù circa Confirmationem externū illud miraculū durabat,vt Spiritusſanctus

ctus viſibiliter in homines deſcenderet, non tum adhibitũ fuiſſe chriſma in Confirmatione, ſed ſinè iſto externo ſigno illam conferri ſolitã. Neq; enim tum externo hoc ſigno opùs erat, quandiù virtus Spiritusſancti exteriùs apertè conſpiciebatur. Poſteà verò cùm iam in fide firma eſſet Eccleſia, & viſibile illud miraculum, quod infirmis in fide initiò permultùm profuit, paulatim ceſſaret, nec in Confirmatione vllum conſpiceretur miraculum vel viſibile ſignũ, mox vnctio chriſmatis adhibita fuit, vt vulgares Chriſtiani, dum nullum cernerent externum Sanctiſpiritûs ſignum in Confirmatione, ſaltem chriſmatis inunctione admonerentur, quid intùs ageretur per gratiã Spiritusſancti in credentibus. Paulò enĩ pòſt audietis, quàm pulchrè & eleganter per externam chriſmatis vnctionẽ ſignificetur id, quod Spiritusſanctus per hoc ſacramentũ in animis fidelium operatur. Porrò quòd hęc ſacri chriſmatis vnctio etiam ab Apoſtolis adhuc in terra degentibus in Confirmatione fuerit vſitata, huius rei ſatìs multa teſtimonia cõperiuntur in Eccleſia Chriſti. Videatur Dionyſius Areopagita cap. 4. Eccleſ. Hierarch. Item Clemẽs. Prætereà Fabianus, qui floruit circa annum ab orbe redempto 242. Hic laudatiſſimus Pontifex de annua chriſmatis iuxta Catholicę eccleſię morẽ renouatione, & veteris cõbuſtione, ſcribens ad Orientis epiſcopos, inter cætera ſic ait: Iſta à ſanctis Apoſtolis & eorũ ſucceſſoribus accepimus, vobisq; tenenda mandamus. Hæc ſancta Romana & Antiochena Eccleſia à temporibus Apoſtolorũ cuſtodit. Hęc Hieroſolymorum & Epheſiorũ Eccleſia tenet, in quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt. Præclarum ſanè & illuſtre eſt hoc ſanctiſſimi martyris teſtimonium, qui non longè ab Apoſtolorũ temporibus floruit in Chriſti eccleſia. Geſſit enim Pontificatũ Romę ſub Imperatore Philippo, & tàdem Decio eccleſiã perſequente, propter nomẽ dñi noſtri Ieſu Chriſti & Chriſtianæ fidei confeſſionẽ peremptus eſt, Anno Domini 250.

De conſ. diſt. 3. c. literis.

CONCIO LVI. HABITA

Dominica quinta poſt Trinitatis, Anno 1543.

PRoxima concione, auditores, virtutem & gratiam Sacramẽti confirmationis didiciſtis, quid in hoĩe operetur, & quamobrem & ad quid neceſſarium ſit poſt baptiſmum: nimirùm quia Deus diuerſa eademque ingentia dona per vtrunque Sacramentum elargitur. In baptiſmo renouat nos Deus per Spiritumſanctum, expurgans nòs ab omnibus peccatorum ſordibus, & regenerans nouos filios ad æternam ſalutẽ & felicitatẽ. In Confirmatiõe Spiritusſanctus nos inſtruit nouis virtutibus ad certamẽ, quod in hoc mũdo ſubeundũ eſt, diuinaq; virtutẽ nobis largitur aduersùs omnes mundi, carnis & Satanæ impugnationes: atq; ità nos adiuuat ad conſeruanda illa chariſmata, quæ nobis in Baptiſmò donauit. Et quia velut orphani procùl adhuc à patria in hoc mundo peregrinamur

mur inter alienos, ipſemet ſpirituſſanctus animis noſtris illabitur in Confirmatione, ſeq; tutorem defenſoremq; noſtri conſtituit, qui nos tueatur ac defendat: vires quoquè ac tolerantiã ſubminiſtrat, nè mundi huius tentationes nos abſorbeant, aut in impatientiam vel deſperationem impellant. Hîc aſſidua conſolatione nos fulcit Spirituſſanctus, vt meritò Deo gratias agere debeamus, dicentes cum Propheta: Secundùm multitudinẽ dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerũt animã meam, Pſal. 93. Et vt ſummatìm dicam, in Baptiſmo efficit nos Chriſtianos & famulos Dei: In Sacramento Confirmationis hanc gratiam largitur, quæ ad hominem Chriſtianum pertinet, vt decenter ac congruenter in ſuſcepto ſtatu ſeruire poſſit, eique complacere, cui ſe in Baptiſmo probauit. Quamobrem vtraque hæc atque adeò ſingula ſeparatìm, magna ſunt ſacramenta: illud per gratiam Dei efficax ad remiſſionem peccatorũ, hoc verò ad augendam omnem illam virtutem & gratiam, quę ad ſalutem obtinendam & conſeruandam, vtilis, accommoda ac neceſſaria eſt. Vndè meritò nemo Chriſtianus neutrum horum Sacramentorum prætermittere debebit, niſi ineuitabilis obſtet neceſſitas. Audiuiſtis prætereà ſuperiori concione, quomodò etiam ſancti Apoſtoli hoc Sacramentum cælitùs perceperint in die Pentecoſtes, cùm repentè paracletus facto de cælo ſono tanquàm aduenientis ſpiritûs vehementis, in forma ignitarum linguarum viſibiliter in eos deſcendit: vtq; deincèps Apoſtoli non ſinè mandato Chriſti, & inſtinctu ac impulſu Spirituſſancti hoc Sacramentũ Confirmationis vniuerſæ Eccleſiæ contulerint & commendârint, neque vnquàm in illis prætermiſerint, quos in nomine Sacroſanctę Deitatis baptizâſſent. Ab Apoſtolis porrò diſcipuli & ſucceſſores eorũ idem Sacramentum acceperunt & vſurpauerũt, & continua ſucceſſione, alij alijs velut per manus tradiderunt, ità vt hoc Sacramentum omnibus temporibus & locis omnibus totius orbis Chriſtiani ſit vſurpatum, obſeruatum, atque ad nos perductum. Nunc itaque auditores didicimus perpetuum huius Sacramenti vſum, ab ipſis adeò ſuboleſcẽtis Eccleſiæ principijs apud omnes Chriſtianos vſque ad noſtram hanc tempeſtatem. Didicimus ſalutarem eius virtutem, quam Deus iuxta promiſſiones ſuas & miſericordiam per Spiritumſanctum in nobis operatur in hoc Sacramento. Quid ergò ab hoc venerando Sacramento nos auertet? Quid vetabit, quò minùs hodiè fideles eodem modo illud ſeruent & vſurpent poſt Baptiſmum, quemadmodùm ipſi Apoſtoli & deincèps perpetuò omnes Chriſtiani vſurpârunt? Fortaſsis vt eo vti nolimus, ea ratio eſt, quòd mundus hodiè nõ tam altè vitijs ſit immerſus, nec tam periculoſum ſit hodiè Chriſtiano degere in mundo vt olim. Fortaſsìs non ſunt tot & tam crebræ atq; vulgares peccatorum occaſiones, vt ſuperioribus ſeculis: & diabolus eam nunc potentiam fortè non habet, quam olim habuit: aut certè nos maiori fortitudine pollemus aduersùs quaslibet tentationes, quàm ipſi Apoſtoli & alij ante

ante nos Chriſtiani,eoque negligimus huiuſmodi diuinorum chariſmatum media,quòd ijs non indigeamus, queadmodùm maiores noſtri. O ſummam ingratitudinē noſtram erga omnia chariſmata & munera Dei. O denſam caliginem,quam princeps ille tenebrarum tot hominū mentibus offudit.Quandò mundus in omnium flagitiorum cœnum tam altùm corruit,vt hoc ſeculo? Quandò periculoſiùs hoîes vixerunt in mundo,quàm hodiè? Quandò omnes omnium ſcelerum occaſiones maiori in motu fuêre? Quandò diabolus talem tamq; multiplicem in homines poteſtatem exercuit,vt noſtra hac tempeſtate,quandò nunc alium in deſperationem & puſillanimitatem adigit,alium in confidentiam & audaciam extollit, vt nulla peccata reformidet, nullas Dei minas aut iudicia pertimeſcat,nulla re arceri ſe ſinat,ſed contemnat omnia? Et tamē præter hæc,eam quoq; ſanè grauem horribilemq; animaduerſionem patimur, quòd teterrimus Satan,qui in oīa peccata & miſerias nos impellit, omniū peccatorum medicamenta nobis reddit inuiſa,corda noſtra ab omnibus Dei chariſmatîs abducit,illaque media,quæ Deus inſtituit ad præſtandas nobis vires aduersùs futuras & imminentes tentationes, & ad peccatorū conferendam medelam, veneranda inquam Sacramenta,ſceleratiſſimus ille impoſtor penitùs in contemptū adduxit. Hoc videlicet illi gratiſſimū eſt: quandoquidem nouit hæc eſſe illa arma, quibus ipſe ſauciatur, & per Sacramenta hominibus talem Dei virtutem conferri,quę ipſius improbā tartareamq; potentiā labefactet & frangat. Quocircà oēs illos,quibus animarum ſuarum ſalus cordi eſt,hortor & admoneo,vt caueant ſibi ab inſidijs diaboli, & præcipuè illic ſibi caueant, vbì ſalutaria illa diuinæ gratiæ media molítur in contemptū & nauſeam adducere. Si ad hunc perfectionis gradū pertingere nō poteſtis,vt omnibus modis vos immunes à peccatis cõſeruetis,nè obſecro peccatorum remedia vobis eripi ſinatis: tantiſpèr enim peccato adhuc medicina adhiberi poterit,donec media gratię diuinæ ſeruantur, etiamſi peccata multa ſint & grandia. Porrò ſimulatq; gratiæ diuinæ media, veneranda inquam Sacramēta, ex orbe Chriſtiano profligamus & contémnimus,facilè deincèps quęlibet leuicula tētatio fundirùs nos euerterit, & quoduis exiguū peccatum nos facilè perdiderit atq; condemnauerit. Atq; vt potiſſimùm nunc ad Sacramentum Confirmationis me conuertam, vos omnes admoneo, bonamque in ſpem erigor veſtræ ſalutis ergò, vos haudquaquàm permiſſuros, vt hoc ſanctiſſimum Sacramentum vlla profana innouatione vobis eripiatur, atq; hæc conſolatio vobis ſubducatur: cùm iam perſpectā habeatis & credatis luculētam Dei circa hoc Sacramentum pollicitationem,qua promittit alium ſe Baptizatis paracletū miſſurum,qui eos virtute induat ex alto. Prętereà nôſtis huius Sacramenti vſum in ipſis Apoſtolis, & quantam illis virtutem contulerit. Nôſtis etiā, vti in Catholica Chriſti Eccleſia iam indè ab initio per omnes ætates & vbiq; locorum ad nos vſq; hoc Sacramentū vſitatum ſit.

Iohā.14. Luc. 24.

Quamobrem

Quamobrem non illibenter cum ſanctâ Eccleſia vos quoquè obſeruabitis,quodtum præceptum,tum promiſſionem Dei habet adiunctam,tum etiam per ſe bonum eſt & ſalutiferum.Et quoniam hodiè neutiquàm inficiari poſſumus,atque adeò magno detrimento nobis futurum ſit,ſi infitiemur,admodùm nunc eſſe homines imbelles aduersùs peccata, & vndiquè acerrimas ingruere tentationes, meritò ſanè ad hæc remedia confugere debebitis,in quibus Dei gratiam & Spirituſſancti virtutem inuenire licet,ad munien dos animos veſtros aduersùs omniuarias tentationes & peccata.Inuenitis hîc Sancti ſpiritûs corroborationem, qua ad omne bonum alacres & robuſti,& aduersùs malum omne conſtantes efficiamini. Hîc deniquè reperitis,quod vos animoſos reddat,vt cum gaudio progredientes,exerceatis vos in omni Dei beneplacito,cunctisq; præceptis illius: quodq; vos aduersùs oẽs mundi & diaboli infeſtationes conſtantes & robuſtos,& ad profeſſionẽ nominis Diuini imperterritos & magnanimos reddat,idq; per virtutẽ Spirituſſancti.Quamobrem vbi contingit hoc Sacramẽtum diſpenſari,ſi quis id nondùm percepiſſet, magno cũ deſiderio & gratiarum actione erga Deum illud ſumere deberet: qui verò percepiſſent, deuotis precibus apud alios idipſum renouarent,atq; communibus votis preces funderentur ab Eccleſia Dei tam pro ijs qui iam confirmandi forent,quàm qui iã antè eſſent Confirmati:idq; hunc in modum:Omnipotens ſempiterne Deus,qui regenerare dignatus es nos famulos tuos ex
» aqua & Spirituſancto,quiquè dediſti nobis remiſſionem omniũ peccato-
» rum:emitte in nos ſeptiformem Spiritum tuum paracletũ de cælis:Spiri-
› tum ſapientię & intellectûs,ſpiritum conſilij & fortitudinis,Spiritũ ſcien-
» tiæ & pietatis:& imple nos ſpiritu timoris tui,& conſigna nos ſigno cru-
» cis Chriſti in vitam propitius æternam per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum. Hæc de virtute,gratia & inſtitutione Confirmationis dixiſſe ſufficiat. Nunc ſupereſt,vt de eius materia & cæremonijs, quæ in erogatione huius Sacramenti adhiberi ſolent,aliquid dicamus.

In exordio huius ſuſcepti argumenti vos admonui auditores, in vnoquoque Sacramento duo requiri, Verbum & Elementum. Verbum, quo Deus inuocatur,eiúsve mandatum adimpletur. Ac deindè creatura, quæ per verbum & benedictionem Dei, virtutem accipit ad internam ſalutaremq; operationem efficiendã,quæ proficiat ad ſalutem cuilibet rectè legitimeq; Sacramentum aliquod percipienti.Eadem autẽ creatura ſemper ex ſua natura ſpiritualem eiuſdem Sacramenti operationem ſubindicat, putà quid ſit,quod Deus per idem Sacramentum promiſit, certoq; largiturillis,qui rectè legitimeque illo vtantur.Sic etiam hæc duo in Sacramẽto Confirmationis,de quo inpræſentiarùm dicemus,adſunt. Et verbum quidem, quod huic Sacramento adhibetur, eſt eiuſmodi: *Signo te ſigno*
» *crucis,& confirmo te Chriſmate ſalutis,in nomine Patris & Filij & Spirituſſan-*
» *cti: vt replearis eodem Spirituſancto,& habeas vitam æternam.Amen.Pax tecum.*

Verbum

Verbum hoc refert ſe ad promiſſionem Chriſti, quam is multifariàm ſuis diſcipulis fecit, nempe, miſſurum ſe ipſis Spiritum ſanctum, qui fortitudine, ſapientia & intellectu, atq; omni pietate eos inſtrueret, & indueret virtute ex alto, Iohan. 14. 16. Luc. 24. Idem autem verbum vel eadem verba, duo in nobis & circa nos fieri inſinuant. Primò conſignamur ſigno Chriſti, idque in fronte. frons autem eſt locus eiuſmodi, in quo omnes cordis affectus & commotiones citiſſimè ſe produnt. Animi hilaritatem frons indicat, itemque triſtitiam, metum inſupèr & pauorem. Hunc ergò locum in Confirmatione ſignum Chriſti occupat, hac nimirùm ſignificatione, nulla nos deincèps re debere affici vel permoueri, quàm quæ ad Chriſtũ pertineat. Nulla re exhilarari debebimus, niſi quæ ſapiat Chriſtũ: nihil extra ipſum diligemus, aut quicquid in mũdo diligimus, in Chriſto diligemus, eaque (ſi ſic res popoſcerit) abſque dolore lubentes deſeremus propter Chriſtum. Atque hoc eſt, quod Chriſtiana profeſſio multis ſcripturæ locis à nobis requirit.

Præterea non malè habebit, non anget nos, quicquid tolerandum aut perferendum euenerit, modò vergat ad gloriã Chriſti. Vndè inquit Apoſtolus: Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcẽtes vos habere meliorem & manentem ſubſtãtiam. Non vllæ mundi huius cõminationes, nõ dolores vlli aut tormenta animos noſtros perterrebunt, & retrahent à publica & libera Dei & Dñi noſtri Ieſu Chriſti, & eius veræ Chriſtianæq; fidei confeſſiõe, vt & ipſe nos viciſsim confiteatur coram patre ſuo cæleſti. Eccè hanc virtutẽ Spiritusſanctus nobis largitur in hoc Sacramẽto, idq; ſignificat ac denotatur per crucẽ: quæ etiã crux inſtàr perpetui cuiuſdam monumenti nobis erit, nos iã Chriſti ſeruos effectos, eiusq; ſub ſignis ſtipendia merere, ac militare: eoq; omnibus illis iam eſſe operibus renunciandum, quæ illi inimica ſunt & contraria, diligentique & prompta obedientia nobis obeunda ſunt & exequenda, quæ eum præcipere, quæque illi grata eſſe cognouerimus. Heb. 10.

Quemadmodùm ſtipendiarius miles tenetur domino ſuo fideliter ſeruire, cuius inſignia geſtat, & cuius ſub ſignis militat. Indè adeò admonet nos Apoſtolus: Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus. 2. Tim. 2. Et ad Titum: Apparuit gratia Dei, erudiens nos, vt abnegantes impietatẽ & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo &c. Tit. 2.

Si itaq; aliqua peccati occaſio ſeſe tibi offerat, crucis memento, quæ fronti tuæ impreſſa eſt, dicasq;: Non eſt iſthuc Chriſti, nec decet eum, qui in Chriſti famulitium cooptatus eſt, eiusque ſignum gerit. Si occaſio euenerit, vt tuenda aſſerendaque ſit gloria CHRISTI et Dei, vt ſi blaſphemis, prauisque et impijs dogmatibus ſit contradicendum, aut alioqui peccatum aliquod impediendum aut redarguendum, veniat in mentem crucis, et teipſum admone his verbis: CHRISTI ſum miles, eius geſto ſignum: nequaquàm mihi tacendũ eſt: vbi gloriæ eius detrahitur, nõ

mihi

mihi fas eſt obmuteſcere, ſed honorem eius aſſerere debeo, cumq́; omni quo poſſum ſtudio confiteri. Atque hoc crux ipſa nos inſtituit & docet: Alterū quod in Confirmatione adhiberi ſolet, eſt vnctio. Vngi quondàm ſolebant arduos & graues labores ſubituri: oleum enim membra mirè confortat. Itaque ſignificat hæc vnctio virtutem Spiritusſancti, quæ per hoc Sacramentum nobis confertur, munitq́ue & corroborat nos ad ſpiritualem palæſtram, aduersùs fallaces mundi præſtigias, carnisq́ue & ſatanæ tentationes ſubeundam. Ex nobis enim non poſſumus quicquam. Et niſi gratia diuina perfunderemur & confirmaremur, pereundum foret in manibus hoſtium in tentationibus, quæ vndiquè nos circundant, nobisq́ue imminent, tum à mundo, tum à carne, tum etiam à ſatana. Porrò in virtute Dei robuſti ſumus & potentes: & ſi Spiritusſancti ductum & inſtinctum ſequeremur, facilè ille omnes carnis & Satanæ illecebras à nobis auerteret, & ab omnibus peccatis nos tueretur.

Materia huius Sacramenti, eſt oleum Balſamo permixtum, vbi denuò interna illa diuinorum chariſmatum energia denotatur, quæ Deus iuxta benignas ſuas promiſſiones nobis impertit per hoc Sacramentum. Audiuimus Confirmationem eſſe ſacramentum perfectionis, per quod Deus gratiam ſuam in baptizatis confirmat & adauget, eorumq́ue fidem ardentiorem, certiorem, conſtantioremq́ue reddit, charitatem erga Deum & proximum flagrantiorem facit: cor præterea & voluntatem aduersùs noxios peccandi affectus, contraq́ue tentationes & terrores omnes huius mundi ſtabilit & confirmat, fouet deniquè & accendit fidelium mentes eiuſmodi calore gratiæ & Spiritûs DEI, vt iam cum gaudio propter
Rom. 8. Deum pericula omnia ſint adire parati, iuxta illud Apoſtoli: Quis nos ſeparabit à charitate Dei?

Quî verò tandèm eiuſmodi cordium noſtrorum illuſtratio & confirmatio clariùs & exactiùs deſignari poſſet, quàm per oleum? Nam quemadmodùm olei natura eſt, vt ignem foueat, caloremq́ue ſimul & ſplendorem efficiat: ſic gratia Spiritusſancti aduehit cordibus noſtris fidei illuminationem, & ardentem illam charitatis flammam. Sinè Spiritusſancti gratia, perpetua fidei caligine offuſcantur corda hominum, & in charitate frigent ac torpent. Per Balſamū verò, quod inter omnes creaturas gratiſſimum habet odorem, ſuauis ille diuinorum chariſmatum odor innuitur, quo Deus animos noſtros mouet & ad ſe pertrahit. Iohan. 6. Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.

In nobis ſitū non eſt, vt ad Deū veniamus, neq; viribus aut virtuten noſtra credimus, aut Deū vt decet diligimus: vim nobis inferri neceſſū eſt, vt vi quadā nos ad ſe trahat, quò verè in eū credam⁹, & feruēter illū diligam⁹. Vis aūt hæc nullam adfert neceſſitatē, neq; inuitū compellit: ſed eiuſmodi iſthæc vis eſt, qua Deus amabili gratia ſua corda noſtra mouet et trahit ad fidē pariter et amorē ſuū, vt de hoie plerunq; dicimus, tātam nobis ab illo

præſtari

præſtari beneuolentiam,totq́; nos illum cumulare beneficijs, vt non poſſimus eum non amare.

Eccè huiuſmodi amore & virtute Deus corda noſtra per Spiritumſanctum in confirmatione perfundit, idq́ue peculiariter per Balſamum ſignificatur in chriſmate. Admonemur tamen etiam per Balſamum,vt bonum & ſuauem odorem reddamus,tum erga DEVM, tum erga homines. Erga DEVM quidem, vt nomen eius in morum & vitæ noſtræ modeſtia laudetur & prædicetur. Vndè inquit CHRISTVS Matth.5. Sic luceat lux veſtra &c.& Paulus 1. Timoth.6. Nè nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Tit.2.1. Petri.2.Conuerſationem habentes bonam inter gentes. Erga proximum verò,nè cuiquam ſimus offendiculo. Huc ſuos Corinthios adhortatur Apoſtolus, dum inquit: Sinè offenſione eſtote &c. 2.Corinth. 6. Nemini dantes vllam offenſionem. Et ad Philippen.1. Sitis ſynceri & ſinè offenſa &c.

Alapam verò quoquè impingit Epiſcopus illi, qui Confirmationis Sacramentum accipit,& pacem ei precatur: illam, inquam, pacem, quam Ioh.14.
DEVS dat,& mundus dare non poteſt, nimirùm pacem cordis & conſcientiæ. Qui DEI pacem habet, faciliùs fert mundi odium:neque enim angitur, quicquid vel toleret vel perdat, modò DEVM retineat,Rom.8. Quamobrem in hoc admonentur fideles, vt quantùm in ipſis eſt, pacem ſeruent cum omnibus,& ſi nihilo ſeciùs mundus eis vim inferat, eos premat & perſequatur,lubentes idipſum tolerent,& gaudeant ſe cum Chriſto compati, & paſſionis & crucis participes fieri, vt hoc pacto & conglorificentur,& gloriæ eius fiant conſortes. Agnoſcent hanc eſſe gratiam,ſi propter DEI conſcientiam,ſuſtinet quis triſtitias,patiens iniuſtè:idq́ue decere Chriſtianum, vt maledictum benedictione compēſet,exemplo Chriſti, 1.Petri.2.Roman.12.

Cùm itaque Confirmatio ſit Sacramentum perfectionis, & veluti auctarium quoddam diuinorum chariſmatum, deturq́ue hic Spirituſſanctus baptizatis in tutorem & paracletum,qui tueatur & conſeruet in illis gratiā, quam in Baptiſmo acceperunt: ſanè haud ità benè faciunt illi, qui liberos ſuos ab huius Sacramenti perceptione diutiùs,quàm par eſt, remorātur,quippe qui Spirituſſancti præſidijs & tutela tantoperè indigeant. Et quia in fauorem & amicitiam Dei recepti ſunt per Baptiſmum, haud ſanè metuendum eſt, ipſis infrugiferum fore hoc Sacramentum propter eorum ignorantiam. Siquidem DEVS in Sacramentis operatur iuxta ſuam gratiam, non autem ſecundùm intellectum noſtrum: & non minùs baptizatis paruulis, quàm adultis & grandæuis conferre poteſt virtutem & robur aduerſùs inſultus & inſidias diaboli & peccati, deuotumq́; ac ſedulum affectum & ſpiritum ad omne bonum in ijs excitare.

CONCIO LVII. HABITA
Dominica Sexta poſt Trinitatis, *Anno* 1543.

HActenùs, Auditores, duo Sacramenta explicuimus, Baptiſmum & Confirmationem: & docuimus, quas virtutes & quæ chariſmata Deus, qui diues eſt in miſericordia, iuxta benignas & gratuitas ſuas ꝓmiſſiones per hęc Sacraméta nobis impertiat. Docuimus præterea quid ſibi velint cæremoniæ, quæ illis Sacramétis adhibentur, & quorum per eas debeamus admoneri. Aliud verò quiddam hęc duo Sacramenta in ſuis habent cæremonijs, quàm alia: idq́; perpetuò obſeruatum fuit in iiſdem duobus Sacramentis, nimirùm quòd præter miniſtrum hæc Sacramenta cóferétem, & eum cui cóferuntur, tertia inſupèr adhibetur pſona, ſcilicet patrinus, aut patrini, qui baptizatos & cófirmatos in ſuá curá & tutelá recipiunt, eosq́; promouent & adducunt, illorum nomine loquũtur, & ſuam pro illis interponunt fidem, ſuoq́; auxilio horum Sacramentorum participes faciunt. De horum officio copioſè ſatis, quãtùm rei neceſſitas poſtulauit, diximus in quarto præcepto, vbì docuimus, quid parentes liberis, & viciſsim liberi parentibus, atq; adeò omnes in aliquo magiſtratu aut imperio cóſtituti, ſubditis, & ſubditi magiſtratibus præſtare teneantur. Arduum ſanè eſt nec parui momenti, eſſe patrinum, & pro alio fideiubere, præſertim in Baptiſmo, vbì patrinus baptizandi nomine corá Deo & vniuerſa Eccleſia ꝓmittit veram Chriſti fidem ratam & illibatam obſeruaturum, vitam præterea puram & ſanctam ducturum, nec regreſſurú in ſocietatem aut communionem Satanæ & vitiorum, ſed ſecundùm Deum ambulaturum in puritate & ſanctitate.

Quæ quidem omnia Deus ab illis qui baptizantur, vult ſeruari, & exacturus eſt à manibus Patrinorum, ſi illis ſtudium & adhortatióes, ità vt par eſt, non impenderint. Quamobrem debent patrini perpetuò recordari iſtius Salomonis: Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, &c. Prou. 6. atque pro illis, quos ad hæc veneranda Sacramenta adducunt, eſſe ſoliciti, ità vt ſi naturalium parentum cura & patrocinio deſtituãtur, ipſi parentum vices ſubeant, diligenterq́; aduertant, qua ratione filios ſuos ſpirituales in ſalutis via, quam promiſerunt, citra offenſioné conſeruét. Atq; hęc quidé abúdè monuimus in explicatione quarti præcepti. Vnú porrò hìc de patrinis admonere viſum eſt, quòd dum infanté in baptiſmo tenent, totius Eccleſiæ munere fungantur, atq; nomine totius Eccleſię ad Baptiſmú teneant infanté. Aſſumitur enim ad Baptiſmú infans, non in fide patrini dũtaxat aut ſuſceptoris, ſed in Eccleſiæ Dei fide, quá fidem Patrinus loco infantis cófitetur.

Baptizati itaque infantes, appellantur & ſunt fideles, non ſolùm propter fidem ſuſceptoris, ſed quia fidei Sacramentum aſſumunt, atq; vniuerſę Eccleſiæ fidem adipiſcuntur. Quòd autem hoc fidei Sacramentú, Baptiſmus inquam, etiam ad paruulos pertineat, iisque conferendus ſit, eius rei efficaces ac validas rationes adduximus, cùm ex priſca illa circúcidendi cóſuetudine, tum quoquè ex Euangelicis teſtimonijs, quibus Chriſtus vult paruulos ad ſe, & ad ſalutem ſempiterná adduci. Cùm autem nulla ſit via ad

ſalutem & felicitatem conſequendam extra Baptiſmum, vtiquè neceſſum eſt infantes baptizari, nè pereant quos Deus ſeruari & ſaluos fieri vult. Atq; hoc conſentaneum & congruum eſt diuinæ pietati, vt infantibus peccatū originale remittat in Baptiſmo in fide Eccleſiæ, cùm huic eidem peccato non aliter obnoxij ſint, quàm quòd ex Adę natura prognati ſint. Quemadmodùm ergò ipſi ex aliena culpa, ex parentis ſui Adami delicto peccati maculam contraxerunt, itâ & remiſſionem eiuſdem conſequuntur in fide ma tris ſuę ſanctę Eccleſię Catholicę. In Confirmatione autem ideò ſibi is, qui confirmandus eſt, adhibet patrinum, vt hoc ipſo humilitatem & imbecillitatem ſuam ſignificet, tanquàm indignum ſe agnoſcat, qui per ſe accedat: tum etiam, vt communionem & interceſſionem totius Eccleſiæ ambiat, quæ ipſum ad Deum adducat, nè Deus conſideret indignitatem & vilitatem eius, qui Spiritumſanctum in confirmatione percipere cupit, ſed potiùs fidem totius Eccleſiæ ſuę reſpiciat, & eiuſdem Eccleſiæ preces exaudiat, atq; ipſi tanquàm grato & accepto ſuæ Eccleſiæ membro, gratiā Spiritusſancti clementer infundat, qua corroboratus, in omni Chriſtiana perfectione Deo ac Domino ſuo fide & operibus ſeruire queat omnibus diebus vitæ ſuę. Hęc humilitas & agnitio proprię indignitatis & imbecillitatis, per patrinum in Confirmatione denotatur. Atq; hæc de duobus his Sacramentis, Baptiſmo et Confirmatione, dixiſſe fuerit ſatis. Nunc aliud Sacramentum eiuſdemque explicationem aggredimur.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA EXPOSITIO SACRAMENTI POENITENTIAE.

QVandò miſeriam & fragilitatem naturę noſtrę nobiſcum ipſi perpendimus, Auditores in Chriſto chariſſimi, comperimus miſericordiam, gratiam & auxiliū Dei, tribus potiſſimùm nominibus maximè nobis eſſe neceſſaria. Simul atq; enī in lucē edimur, ſtatìm ab ipſa I.
natura ſumus filij iræ, peccatores, & ꝑpetuę damnationis hęredes, Ephe. 2. Rom. 5. Eccl. 40. Hìc ergò neceſſarius eſt nobis redemptor, qui peccatorū noſtrorum vulneribus medeatur, eruat nos ex damnatione, et in amicitiam ac hęreditatem Dei reſtituat. Hęc redemptio ꝑ Chriſtum Dominū pro omnibus hominibus confecta eſt, eiuſdemque participes facti ſumus in Baptiſmo. De quo loquitur Apoſtolus 1. Corint. 6. Et hęc quidē, inquit, fuiſtis: ſed abluti eſtis, &c. & ad Titum 3. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit, &c.

Poſteaquàm autem à peccatis mundati, ꝑpetuæq; felicitatis hæreditatē II.
adepti ſumus ꝑ miſericordiam Dei & redemptionem Chriſti Domini no-

 ſtri,

ſtri,per quem Deo reconciliati ſumus, remanet adhuc in nobis magna infirmitas, vt illius perfectionis, quæ hominem Chriſtianum decet, permultùm adhuc in nobis deſideretur, quemadmodùm hanc imbecillitatẽ Chriſtus ipſe in ſuis diſcipulis teſtatur, & nos quotidiè eam heu nimiùm proh
Ioh.16. dolor in nobis perſentiſcimus. Habeo, inquit Chriſtus, adhuc multa vobis
Ioh.13. dicere, ſed non poteſtis portare modò. Item ad Petrum: Non potes me ſeq
Luc.24. modò: ſequéris autem poſteà. Et ad om̃es: Sedete in ciuitate, donec virtute induamini ex alto.

Eccè imbecillitatem, quæ etiam in Baptizatis remanet. Hîc denuò largæ miſericordię & pijſſimę benignitatis ſuę vlnis nos amplectit Deus, & ſicut per Baptiſmum nos emũdauit à peccatis, ità fidelium ſuorum corda nouis Spirituſſancti chariſmatis & virtutibus perfundit, efficitq́; eos omni Chriſtianæ perfectioni idoneos, & ad om̃e opus bonũ inſtructos ac expeditos.

III. Porrò tertius prętereà defectus naturę noſtræ adhæret, quòd nõ ſolùm ante Baptiſmum ſumus peccatores, fragilesq́; & imbecilles etiam poſt perceptum Baptiſmum: ſed & ſegnes nimìs & incuſtoditi erga multiuariam Dei gratiam, nobis iam collatam: & malè admodùm præſtamus, quod tam
2.Cor.6. feriò admonuit Apoſtolus, Nè gratiã Dei in vacuũ recipiamus. Nam tametſi Deus nos à peccatis expurgat, & ſaluos nos facit ſecundùm ſuam miſericordiam in baptiſmo, nullis noſtris meritis præcedẽtibus: tum etiam nouis Spiritûs ſui chariſmatis corda noſtra implet, quibus ſuffulti, omnia carnis opera mortificare, omniaq́ue peccata euitare poſſemus, Rom.8. Gal.5. at nos nihilo minùs gratiam Dei vacuã in nobis eſſe ſinimus, petulanterq́; ac procaciter Spiritumſanctũ valere iubemus, & ad deſideria carnis noſtræ regredimur, ac rurſùs innumeris ijsq́ue horrendis flagitijs nos dedita opera contaminamus. Hîc nunc benigna illa DEI indulgentia & longanimitas, mirificaq́; eius miſericordia erga nos indignos, & proteruos peccatores ſupra modum ſeſe profuſam exhibet ac declarat. Poſteaquàm omnia ſua chariſmata & auxilia cõtempſimus, bonorum quoquè & beneficiorum obliti ſumus, & ſumma ingratitudine ab ipſo receſſimus, nõn tamẽ cõtinuò nos abijcit, ſuoq́; fauore deſtituit: ſed ad gratiam ſuam reuocat, rurſusq́; medicinam demõſtrat, ex virtute & gratia ipſius nobis præparatam & confectam, qua non ſemèl dũtaxat, ſed crebrò & quotieſcũquè fuerit neceſſum, iterata peccata ſanare & abolere, ac Dei fauorem & amicitiam, certamq́; animarũ noſtrarum curationem recuperare queamus. Hæc porrò medicina, qua iterata peccata de integro expiare, & priſtinum diuinæ gratiæ ſtatum recuperare poſſumus, eſt ſanctum illud Pœnitentiæ Sacramentum, certum ac locuples gratiæ & miſericordię diuinę mediũ, circa quod multifariàm nobis promiſit Deus, omnem ſe hominũ iniuſtitiam remiſſurũ propter pœnitẽtiam, ſeq́; exorabilem fore ſuper malitia noſtra propter pœnitentiã: quantunuìs immanis & flagitioſus ſit peccator, quantunuìs multiuaria ſint eius flagitia, paratus tamen eſt DEVS eum in gratiam recipere per pœnitentiã, &
pecca-

peccatorum eius poſteà nunquàm ampliùs recordari. Hæc eſt illa ſecunda poſt naufragium tabula, qua ex ſæuiſſimo peccatorum mari enatamus, & ad tutum certumq́ue gratiæ DIVINÆ portum appellimus. Semel quidem ex peccatorum & damnationis voragine emerſimus in lauacro baptiſmi: iam ſi quis poſt Baptiſmum denuò peccatorum fluctibus adobrutus, in imam vſque vitiorum abyſſum corruat, habet Pœnitentiam, ad quam velutì ad ſecundam tabulam cõfugiat, cui rurſùs innixus enatet ex peccatis, nè vitiorum profundo abſorbeatur & pereat. O verè locupletem, ſalutiferũ, vtiliſſimumq́; Eccleſię Dei theſaurum: DEVS quidem vbiquè diues eſt in miſericordia, ſed nulla in re magìs ſuam gratiam & miſericordiam declarat, quàm in pœnitentia peccatorum, quam in ſalutem noſtram non ſeptiès ſolùm, ſed ſeptuagiès ſeptiès, atq; adeò ſinè numero vult valere & acceptare: neq; alium gratię & miſericordię ſuę terminũ aut modum conſtituit, quàm noſtrum pœnitentię ſtudium & venię poſtulationem. Quotiès gratiã & miſericordiam eius implorauerimus per pœnitentiã, totiès eandem nobis obuiam exponit, ſeq́; exorabilem fore promittit ob malefacta noſtra, ijsq́; vult dare veniam, & iram ac indignatiõem, ſimul & ſuppliciũ à nobis auertere: id grauiſſimo iureiurando confirmat Eze.18. & 33. Cùm enim tam in cælo quàm in terra Deo nihil neq; maius ſit, neq; melius, p ſeipſum iurat, remiſſurum ſe peccata, & pœnam relaxaturũ propter pœnitentiam. Viuo ego, dicit DOMINUS DEVS: nolo mortẽ impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Conuertimini, & agite pœnitẽtiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinã iniqtas. Quarè moriemini? quia nolo mortem morientis. Reuertimini, & viuite. Hiere.18. Repentè loquar aduerſùs gentem & aduerſùs regnum, vt eradicẽ & diſperdã & deſtruam illud. Si pœnitẽtiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſùs eam, agam & ego pœnitẽtiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei. Quin & Chriſtus ipſe quàm certò & amanter indicat gratiã & bonitatẽ DEI peccatoribus exhibendam, qui à peccatis per pœnitentiã ad DEVM ſeſe conuertũt? Luc.15.

Hęc eſt verè nobilis illa & cæleſtis medicina, per quam Eccleſiæ DEI ſua incolumitas & decor conſeruatur, vt ſit ſinè macula & ruga. Neq; eñ Eccleſia Dei perpetuò ab omnibus peccatis eſt immunis: ſed per pœnitentiam quotidiè ab ijs mundatur, vt maculæ peccatorum ei non poſſint inhærere. Ephe.5.
Porrò neque promiſſis ſolùm, ſed & præclaris illuſtribusq́ue exemplis hęc pœnitentiæ virtus declarata eſt, in quibus mirificam DEI bonitatem, & miſerorum conſolationem peccatorum facilè conſideramus, ſi conuertantur ad pœnitentiã. Populus ille DEI, filij Iſraël, quandò peccatis DEVM offenderant, & propterea varijs calamitatibus affligebantur, cùm primùm ad pœnitentiam cõuerſi, cilicijs & ſaccis induerentur, cineribus cõſpergerentur, ieiunijsq́; & fletibus corpora caſtigarent ac edomarẽt, continuò DEVS iram pariter & pœnã remittebat, & beneficijs eos cumulabat, quibus anteà minatus erat ſupplicium. Ioſaphat & alij permulti quę non diſcrimina euaſerunt,

runt,cùm pœnitentiã agerẽt coram Domino, lachrymãdo,precando,ieiu-
2.Par.33. nãdo,corpus caſtigãdo?Dauid, Manaſſes, Achab, Niniuitæ, aliiq́; cõplures
3.Reg.21. quàm multis grauibusq́; peccatis exonerati ſunt, & quæ ſupplicia effugerunt p pœnitentiam?Immò verò tam ad promerendam ſuam gratiam Deus valere voluit noſtram pœnitentiam, adeoque eam voluit eſſe efficacem ſecundùm miſericordiam ſuam, vt penè dicere liceat, Deum per pœnitentiam cogi,vt faciat,quod facturus non erat,& omittat, quæ facere decreuerat. Exemplo ſunt Niniuitæ Ion.3.Hiere.18.

Verùm cauendum eſt,nè ficta ſit & ſimulata Pœnitentia. Nam quæ vera eſt & ſalutaris pœnitentia,ex animo vt proficiſcatur neceſſum eſt, vt voluntas hominis penitùs coram Deo ſubmittat ſeſe,& plena ſit doloris propter admiſſa peccata:atq; hanc ſubmiſſam voluntatem foris etiam in operibus ſuis declaret peccator,ieiunijs,lachrymis,omnibusq́; illis quæ ad domandam carnis ſuperbiam ſpectant: hęc enim Deus in conuerſione & pœnitentia requirit. Ioel.2. Conuertimini ad me in toto corde,&c. Iacob.4. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Miſeri eſtote,& lugete,& plorate:riſus veſter in luctum cõuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conſpectu Domini,& exaltabit vos. Exempla vide Iob 16.Dan.9.10.

Huiuſmodi pœnitẽtia & caſtigatiõe ſancti Dei homines ſeſe afflixerũt, cùm tamen à grauioribus peccatis forent immunes. Quãobrem & nos,qui omnigenis peccatorum ſordibus fœdati ſumus, pro noſtri expiatione graue nõ putabimus aut moleſtum,humiliare nos coram Deo, ꝓprium ſpontè caſtigando corpus,nè à Domino corripiamur & caſtigemur,1.Cor.11.

Non tñ exiſtimandũ eſt, verã peccatoris conuerſionẽ in eiuſmodi externis exercitijs cõſiſtere & pmanere debere:vera eñ peccatoris cõuerſio & reſipiſcẽtia reqrit, vt in poſterũ declinet à malis illis, qbus hucuſquè Deũ offendit. Nõ poſſunt expiari p pœnitẽtiam peccata, quandiù in illis pſeuerantur. Priùs à peccatis ceſſemus oportet,& tũc coram Deo nos humiliemus ob eadẽ cõmiſſa peccata, atq; pœnitentiã agamus: ità nimirùm Deus ignoſcit. Atq; hoc eſt quod voluit ſanctiſſimus Baptiſta Iohannes,cùm iuſſit dignos agere fructus pœnitẽtię. Vbi neceſſè eſt,vt ſupbiam pellat humilitas,libidinẽ caſtitas excludat,luxũ abſtinẽtia,auaritiã liberalitas,oñiaq́; vitę prioris vitia ſubmoueanť,& cõtrarię virtutes in eorũ locũ ſubſtituanť. Talẽ peccatoris repiſcentiã Apoſtolus quoquè ad Eph.4.deſcribit. Vera ſiquidẽ pœnitẽ
Col.3. tia duab⁹ partibus cõſtat quarũ prior eſt,vt auertamur ab illis,qbus Deũ offendimus:altera,vt q̃ Deo grata & accepta ſunt,amplectamur & faciamus. Tit.2.

Atquì verò nullus ſibi pſuadebit,quaſi à peccatis abſtinere, & ad Deum conuerti,futurum ſit impoſſibile,cùm paſsim in ſacris literis exempla videamus eorũ,qui in grauiſſima peccata ꝓlapſi,p gratiam & miſericordiã Dei cõuerſi ſunt,& pœnitentiã egerunt,cuiuſmodi fuerunt Dauid, Manaſſes, & illa inſignis peccatrix. Omnis difficultas, quæ amaram & grauem reddit homi-

homini conuerſionem, ex longa pœnitendi dilatione proficiſcitur. Qui in principio deuiat à recto itinere, is quo longiùs progreditur, eo ſemper longiùs aberrat: porrò quo aberrat longiùs, eò difficiliùs in rectam regiamque viam reuertitur: & qui oneri ſuo quotidiè vel pauxillùm adijcit, facilè tandèm oneri ſuccumbet. Nè itaque tardes conuerti ad Dominum, & nè differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Vitanda eſt celeriter omnis peccati occaſio, & ſi prauorum conſortia diſtineant aut remorentur, danda eſt opera, vt ad meliorem frugem vnà nobiſcum eos perducamus: aut ſi id illi nolint, eis relictis, ſoli ad Deum confugiamus. Melius eſt enim, oculo ſcandalizante eruto & abiecto, luſcum introire ad regnum Dei, quàm duos oculos habetem, mitti in gehennam. Bonum quidem eſt, multos ſecum poſſe pertrahere ad pœnitentiam: atquì ſi alij recuſent, præſtat ab eorum cōſortio diſcedere, quàm ob eorum ſocietatem diuinam vindictam incurrere, perpetuiſque cum illis ſupplicijs mancipari. Porrò nihil eſt peccatoribus reſipiſcere cupientibus pernicioſius, quodq; eorum cōuerſionem magìs impediat, quàm ſtulta, eademq; planè incerta ſpes vitæ longioris: quaſi reſipiſcētiam meditaturi ſimus, vbi voluptatū illecebris nonnihil adhuc indulſerimus. Sed non expendimus longè incertiſſima eſſe huius vitæ ſpatia, & quàm leuis occaſio vitam nobis eripere poſſit: quemadmodùm nō rarò hominem vna eademq; die ſaluum & extinctum cōſpicimus. Quod igitur euenire poteſt, multisq; alijs iam euenit, idem ſibi quiſq; metuere deberet, ſuamq; ad Deum conuerſionem neutiquàm differre, nè ſtulta ſpes longioris vitæ eum fallat, & mors in grauibus peccatis eum ſinè pœnitentia appræhendat, & abripiat in ignem æternum. Hęc circa pœnitētiam admonere viſum eſt, haud quaquàm tamen eo cōſilio, quòd putare debeamus, peccatoris conuerſionem in ipſius vnius arbitrio ſitam eſſe, & ſuis viribus à peccatis ad pœnitentiam & iuſtitiæ ſtudium conuerti eum poſſe. Non ſic ſe res habet. Conuerſio em̄ peccatoris, peculiare & proprium ſolius gratiæ Dei opus eſt: nec venit ad Deum, niſi qui tractus ſit ab illo: nec ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis. Itaq; neceſſarium eſt, vt reſipiſcēdi facultatem & conuerſionem à Deo impetremus precibus & lachrymis, magnoq; animi cum feruore ad Deū clamemus: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Illud tamē extra cōtrouerſiam eſt, euidētibusq; ſcripturæ teſtimonijs doceri poteſt, Deum qui diues eſt in gratia & miſericordia, nulli peccatori gratiam ſuā negare. Stat ad oſtiū & pulſat: ſi quis audit vocē illius, & aperit illi ianuam, intrat ad illum, & cœnat cum illo. Quin etiam adeouſq; nulli peccatori ſuam patitur deeſſe gratiam, oībusq; conuerſionis gratiam largitur, q ſaltē non detrectant eam inquirere & amplecti, vt etiam cum ſua gratia inſequatur fugiētes, ſeq; ab illo auertētes, & dicentes: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Hierem. 3. Ezechi. 18. & 33. Atque ideò ſi quis à peccatis conuertatur, is grates agat gratiæ & miſericordiæ DEI, quæ ipſum ad vitæ emendationem

Eccleſ. 5.
Matt. 18.
2. Cor. 3.
Pſal. 84.
Apoc. 3.
Iob. 21

promouit, immò etiam perduxit atque pertraxit. Qui verò nullam pœnitudinẽ perſentiſcit, is cordis ſui duritiem incuſet, quòd munificam vltroq; oblatam Dei gratiam tam audacter, proteruè aut turpiter reſpuit aut contemnit. Nulla hîc prætexi poteſt excuſatio. Improbè enim per naturæ ſuę fragilitatem quiſquam ſeſe excuſauerit, cùm Deus gratię ſuę ſubſidium nunquàm non offerre & impartire pronus ſit & paratus.

CONCIO LVIII. HABITA

Dominica Septima poſt Trinitatis, *Anno* 1543.

Tit.3. EXploratum habet vniuerſa Dei Eccleſia, Auditores, & meritò ingenti erga Deum cum gratitudine agnoſcit, quòd nos ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, hęredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. O verè beatos illos, qui ad talem Dei gratiam in Baptiſmo & per Baptiſmũ vocati & recepti ſunt. Verùm quemadmodùm homini Chriſtiano longè ſaluberrimum eſt, huiuſmodi gratiæ participem fieri: ſic è diuerſo multò periculoſiſſimum eſt, ſi eandem malè collocet, & in vacuum ſibi collatam patiatur: atq; poſt eiuſmodi emundationem nouis peccatis ſe rurſus cõtaminet. Nam iterata poſt Baptiſmũ peccata, haud iterùm poſſunt p Baptiſmum ablui, vt anteà. Cùm enim Baptiſmus ſit Sacramentum ſpiritualis regenerationis, fit vt homo ſemèl duntaxat baptizari, & non niſi ſemèl ſpiritaliter renaſci queat: quemadmodùm non poteſt quiſquam corporaliter in ventrem matris ſuæ iterùm introire, & renaſci. Quamobrem Baptiſmus repetitis peccatis nihil mederi poteſt, vt Hebrę. 6. & 10. teſtatur Apoſtolus. At nihilo minus Deus locupletes gratiæ ſuæ theſauros nobis miſeris peccatoribus non voluit occluſos. Nam tametſi Baptiſmus ſemèl
Iohan.3. dũtaxat abluit hominem à peccatis, & regenerat in filium & hęredem Dei, poſteà verò à ſubſequentibus peccatis nullo modo expiare poteſt: interim tamen Deus, qui diues eſt in miſericordia, aliud gratiæ & miſericordiæ ſuæ medium inſtituit, & Pœnitentię Sacramentum ceu alterum quendam Baptiſmum contulit, vt iam baptizatus quiſq; quotiès velit, diuina fretus ope, poſſit p pœnitentiam à peccatis reſurgere, atq; ità in numerum & communionem electorum reuerti, fauoremq; & amicitiam Dei recuperare. Vt enim Deus ſemèl homini vniuerſa peccata remittit in Baptiſmo ob merita dilecti filij ſui Chriſti Ieſu: ſic non ſemèl duntaxat, non ſeptiès, ſed ſeptuagiès ſeptiès, & ſinè termino aut numero paratus eſt miſereri, & peccata remittere p pœnitentiam, itidèm propter merita dilecti filij ſui Chriſti Ieſu Domini noſtri. Verumenimuerò ſicuti Baptiſmus antè neceſſarius erat, tanquàm medium p quod gratia & merita Chriſti ad nos adducerẽtur, nobiſq; communi-

communicarentur in remiſſionem noſtrorum peccatorum: eodem modo & nunc neceſſaria eſt Pœnitentia, tanquàm mediũ, per quod gratia & merita Chriſti ad nos pertingunt, cedunt᷉q; nobis in peccatorum remiſſionẽ.

Ante Baptiſmum nemo mortaliũ gratiæ & meritorũ Chriſti capax redditur, vt criminũ veniam & ſalutem ac felicitatẽ conſequi poſſit ſinè Baptiſmo: poſt Baptiſmũ ex baptizatis nemo meritis Chriſti fruitur in delictorũ remiſſionẽ citra pœnitẽtiam. Quoniam itaq; poſt Baptiſmũ nulla ratione ex peccatis emergere poſſumus ſinè Pœnitẽtia, porrò aũt certiſſimis diuinorũ eloquiorũ teſtimonijs comptum habemus, Pœnitentiã indubitatum eſſe mediũ ad obtinendã peccatorũ remiſſionẽ, fuerit ſanè operæpreciũ, vt exq̃ſita diligẽtia in vnaquaq; Eccleſia Dei doceatur, quid ſit Pœnitẽtia, qualem eſſe oporteat vt Deo ſit accepta, eam᷉q; ſecũdùm miſericordiã ſuam tanquàm ratam admittat ad impetrãdam peccatorum veniam. De his itaq;, Deo fauente, diſſeremus, nõ vt auriũ pruritus fortaſsis expoſcet, ſed ità tamen ꝑfectò, vt peccatorum ſaluti q̃ maximè profuturum eſt. Solidis quoquè ſcripturarum teſtimonijs iuxta certiſſimam priſcam᷉q; veritatẽ luculẽter docebimus, qualis debeat eſſe peccatoris pœnitẽtia, vt indè peccatorũ referat remiſſionẽ ex gratia & miſericordia Dei, ꝑ merita & ſanguinẽ Chriſti Domini noſtri, q eſt propiciatio apud Deũ pro peccatis totius mũdi. Quod apud Latinos vocatur pœnitere ſiue pœnitẽtia, hoc Germani ſuo idiomate pronunciant Püſſen vel Püß: hoc eſt, dolere, vel dolor. Hoc eſt enim Pœnitere, vel pœnitentia, quandò animus humanus ſemet ob admiſſum peccatum redarguit & incuſat. Iam enim peccãſſe ſe dolet, & recurrente peccati memoria, quodam animi mœrore percellitur. Votis inſupèr & ſuſpirijs ac gemitibus ex imo pectore ductis, cupit & ſtudet hac tam graui peccatorum ſarcina exonerari. Porrò vt abſoluta ſit & frugifera peccatoris Pœnitentia, tres eidem partes perpetuò attributæ ſunt in Eccleſia Chriſti, quæ neceſſariò illi adeſſe debeant. Prima, Contritio cordis: ſecunda, Confeſſio oris: tertia, ſatisfactio operis, aut, vt inquit Iohannes, facere fructus dignos pœnitentiæ. De tribus his partibus ſeparatìm & diſtinctè agemus ex ſolidis ſcripturarum teſtimonijs, & ſecundùm conſonam doctrinam, quæ indè ab initio ad nos vſq; in Catholica Chriſti Eccleſia perdurauit. Omnia autem, Deo volẽte, ea ſoliditate & moderatione proponemus, vt pius quiſq; & veritatis ſtudioſus ſinè tædio auditurus ſit, & vt ipſam veritatẽ, ſalutarẽ᷉q; doctrinam amplexurus. Quanuìs alioquì vulgi palatũ à pœnitẽtia pindè atquè à nimiùm falſa, inſipida & acerba buccella prorſus abhorret: libenter enim mendacij loco habẽt, quod ipſorũ libidini aduerſatur: atq; ità affecti ſunt, vt non ſolùm temporarias detrectent pœnas, ſed & vana & ficta eſſe cuperent quęcunq; ſcripturæ ſacræ de pœnis & ſupplicijs futuris minitantur: immò & facili negocio quiſpiam ità illis cecinerit, vt præſultorem ſaltando ſubſequantur, planeque ſibi perſuaderi ſinant, nec tartarum, nec ſupplicium vllum eſſe, vt hoc pacto ſuis indulgere voluptatibus citra impedimentum, & abſque

1. Ioh. 2.

Luc. 3.

abſque cuiuſquã interpellatione vitam poſſent tranſigere. Sed neutiquàm docendum eſt pro mundi libidine, neque tacenda eſt, ſed promenda veritas, quantunuìs & cuicunq; acerba ſit & ingrata. Nam tametſi non omnes eam recipiunt & amplectuntur, dum in concionibus eam percipiunt, teſtimonium tamen ſecum adducent ad tribunal Chriſti, vt ſint inexcuſabiles, cùm ſolidam veritatem audiuerint quidem, & pro ſalute ſua rectè ac probè ſint inſtituti, modò ſequi voluiſſent. Nos itaq; à prima Pœnitentiæ parte rem aggrediemur, eo tamen cauto, (quemadmodùm & opitulante DEO ſolidè demonſtrabimus) fidem tanquàm baſin & fundamentum eſſe pœnitentiæ, ſinè qua nullus dolor & nulla pœnitentia proficiat peccatori ad veniam obtinẽdam: vbi & hoc teſtatũ volumus, ex meritis & ſanguine Chriſti præcipuè pendére virtutem Pœnitentiæ, vndè peccatorum noſtrorum remiſſio prománat. Porrò Pœnitentia eiuſdemque tres partes, de quibus iam dicturus ſum, illud medium ſunt, quod DEVS poſt Baptiſmum in remiſſionem peccatorum inſtituit, per quod merita Chriſti ad nos adducimus, & ſinè quo Deus Chriſti merita nulli vult cedere in remiſſionem peccatorum. Prima verę Pœnitentię pars eſt Contritio, internus nimirùm animi dolor, quo in cõſcientia ſua incipit peccator perpendere, ſe in Deum peccâſſe, iramq́ue eius commeruiſſe, ac dolet ſe vnquàm deliquiſſe, ſecumq́ue ſtatuit vitam in melius commutare, & à ſolitis vitijs abſtinere: neq; id tantùm rogat Deum, vt velit dare veniam peccatis ſuis, ſed etiam in ſua conſcientia offert ſeſe, eſtq́ue animo paratus ad ferendum æquanimiter, quicquid ipſi Deus vel per ſeipſum, vel per alios legitimis modis pœnę loco ferendum velit imponere.

Atque hæc tria veram efficiunt pœnitentiam, vbi & peccâſſe diſplicet, & vitæ emendandę ſuſcipitur propoſitum, atque animus paratus eſt perpeti, quicquid illi poſſit temporarię moleſtiæ occurrere, tantùm vt pœnis ſempiternis abſolui queat, quas ſe ſuis peccatis nouit benè commeritum. Eum in modum affectus eſt verè pœnitẽs. Dolet & mœret animo, & iraſcitur ſibimetipſi ob commiſſa peccata, nec quicquam eorum ſubire detrectat, quæ pro delictis expiandis facienda incumbunt: tantùm vt amiſſam Dei gratiam & auxilium queat recuperare, nulla eum deterret pœnę grauitas, quò poſſit cum Deo in gratiam reſtitui, adeoq́ue etiam ipſe ſibi ſponte ſua mulctam ſiue pœnam irrogat. Iam enim nullum ſupplicium grauius & acerbius exiſtimat in terris, quàm ſi ob peccata ſua diutiùs Deum ſibi aduerſum & infenſum ſentire debeat. Si eiuſmodi animos hominũ verè pœnitentium ex ſacris literis petitos contemplari libeat, percontemini D. Iob, quomodò fuerit affectus, cùm ad DOMINVM clamaret, Peccaui, quid faciam
Iob 7. tibi? quaſi diceret: Mitiſſime hominum ſeruator, peccaui, & agnoſco peccatum meum, eiuſque me pœnitet: oſtende ergò quid mihi faciundum & ferendum ſit, quod in delictorum meorum expiationem imputes, ijsq́ue ignoſcas. Sum vtiquè paratus & facere & pati, quicquid tuo viſum fuerit arbitrio:

bitrio:tantùm,vt exonerer ſarcina peccatorum,nec tua ſit diutiùs gratia carendum,hocque dolore & ęgritudine liberer, quam conſcientia mea cepit ob commiſſa delicta.

Quanta orationis & verborū grauitate teſtať S. Dauid mœſtitiam animi ſui,& q̄ ille doloris & mœroris plenus eſſet, cùm expēderet, q̄ grauiter Deum peccatis ſuis offendiſſet? Sagittæ tuæ, inquit, infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſup me manum tuam. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuę, nō eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Qm̄ iniquitates meę ſupgreſſæ ſunt caput meū, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſup me. Tādem etiā offert ſe ad pœnā, vt à peccatis exoneret: Qm̄, inqt, in flagella paratus ſum. Pſalm.37.

Ecce à tali grauitate, ſeueritate & dolore vera ac ſalutaris Pœnitentia capit initium. Atq; hæc eſt illa ſecundùm Deum triſtitia, de qua Apoſtolus dicit, quòd Pœnitētiam in ſalutem ſtabilem operetur. Porrò huiuſmodi dolorem & contritionem multis rationibus & modis peccator acquirere poteſt. Nam cùm peccatoris conuerſionem certum ſit ex Deo, non autem ex proprijs hominis viribus proficiſci, poteſt ſanè DEVS plurimis modis ſuum opus in homine & inchoare & perficere. 2.Cor.7.

Itaq; alij ex illuſtratione diuina ad pœnitētiam excitantur, quandò DEVS ità afficit & mouet corda illorum, vt à peccatis abducantur. Alij vel monitis, vel exemplis bonorum hominum: quemadmodùm Potitianus de duobus ſocijs ſuis refert apud Auguſtinum libro Confeſſ. 8. capi.6. Alios vi quadam magna ad ſe trahit Deus, vt videre eſt in Paulo: alios rebus aduerſis & calamitatibus trahit, vt iam in neceſſitate poſiti Deum inquirant, peccatorumque ſuorum pœnitentiam agant, qui alioquì in rebus proſperis Dei erant obliti, & peccatis malè delectabantur. Eiuſmodi erant de quibus loquitur Pſalmographus dum inquit: Clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Itemque: Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur ad eum. Alij ad pœnitentiam accenduntur, cùm immenſam Dei erga humanum genus bonitatem penitiùs expendunt: vt quòd tam benè & aptè nos creauerit, quòd membris oportunis, itemque ratione & ſermone præ cunctis animantibus excellentiùs nos inſtruxerit, tum quòd tam benignè nos redemerit, filiumque vnigenitum ex ſumma charitate pro nobis tradiderit. Quòd adhuc quotidiè per angelos ſuos inuiſibiliter nos protegat, cùm alioquì aduersùs ſæuiſſimū Diaboli odium & inuidiam ac nequiſſimas fraudes & dolos, minimè ſubſiſtere valeremus. Deniquè quòd tanta munificentia ac liberalitate ea om̄ia nobis largiatur, quæ ad huius vitę ſuſtentationem requiruntur. Hanc tantam DEI beneficētiam dum ſeriò ac diligēter iſti expēdunt, & è diuerſo ſuam indignitatem conſiderant, fieri poteſt, vt pmoueantur interim ad pœnitētiam peccatorum, quibus tam benignum Deum indulgentēq; patrem offenderunt. Quemadmodùm legimus de quodam, qui videns coram ſe rubetam ſiue bufonem in terra reptantē, cogitabat, quàm elegātem Acto.9. Pſal.106. Pſal.77.

ſe crę-

ſe creaturam condidiſſet Deus præ illo horrido & fœdo animante, ſe verò pro tam ſigulari beneficio nullas adhuc Deo gratiarumactiones retuliſſe. Et continuò acerbè illachrymans, & emendationem vitæ prioris proponens, decreuit, Dei fretus auxilio, in poſterum à peccatis abſtinere, nec vlterius optimum beneficētiſſimumq; DEVM offendere, à quo tam præclarè creatus, & tanta bonitate hactenùs conſeruatus fuiſſet. Atq; hic quidem foret modus optimus, ex Dei amore à peccatis deſiſtere: ac proindè foret optandum, om̄es nos eo potiùs nomine horrere & vitare peccata, quòd ex amore Deum nolimus offendere, quàm pœnæ formidine à peccatis abſtinere. Vtinàm omnium hominū animi eiuſmodi amore flagrarēt, poſſentq; ex animo dicere, quod quidam Deo deuotus & integer Christianus quandoquè dixit ad Deū: Præſta mihi Dn̄e Deus meus, vt te diligam, atq; ſic etiamſi damnandus ſim, pœnam ipſam minùs moleſtè feram. Verùm non omnium animi ità ſunt conſtituti, vt ex amore Dei reſipiſcentiam & conuerſionem auſpicentur, magisq; ſe peccâſſe doleant, eò quòd Deum peccatis ſuis offenderint, quàm quòd ſupplicium pertimeſcant. Hoc itaq; rarum & infrequens eſt conuerſionis & pœnitētiæ genus: ea autem vſitatiſſima ratio eſt pœnitētiam ſiue contritionem obtinēdi, vt ſeriò quis ppendat multitudinem & enormitatem ſuorum peccatorum, & ſimul in memoriam ſibi redigat minas grauiſſimas, quas varijs ſcripturæ locis intentat Deus impijs & peccatoribus: Conſideret quoquè ſeuerum illud & formidabile Dei iudicium, quas calamitates & terrores impij in ſuis ſentiēt conſcien-
Matt.25. tijs, vbi terribilis illa & irreuocabilis Chriſti ſententia in eos fuerit prolata: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Ex huiuſmodi conſideratione vtiquè neceſſarium eſt, timorem in animis hominum exiſtere: à timore autem concipitur pœnitentia, vt ait Augusti-
Eccle.1. nus: & Sapiens inquit: Qui ſinè timore eſt, non poterit iuſtificari.

Cæterùm hic timor, qui ex peccatorum & ſupplicij conſideratione hauritur, necdùm eſt vera illa contritio, quæ Deo accepta eſt, & qua ad miſericordiam commouetur, quæq; impetrat remiſſionem peccatorum: nihilominùs tamē eſt inſtàr miniſtri veræ contritionis, vtpotè ad veram pœnitētiam deſeruiēs & pducens. Nam hic ſeruilis timor primùm reprimit in nobis peccata, facitq; ceſſare à vitijs, qui eſt gradus ad veram pœnitentiam & contritionem. Deindè verò dum expendit peccator certò ſe commeruiſſe diuinam animaduerſionem, iam incipit circunſpicere pro auxilio impetrando: atq; hîc tum accedit viuida fides, & perterritam mœſtamq; conſcientiam illius ad Deum adducit & dirigit. Timor vrget & angit conſcienti-
Prou. 26. am, inquiens: Tu miſer & impudēs canis, totiès reuerſus ad vomitum, quo
2.Pet.2. te vertes? Putâsne peccata tua nullius eſſe penſi, nec ea tibi expianda eſſe? Quò fugies miſer, vt pœnas commeritas poſſis effugere? Tum verò procedens fides, circunſeptam huiuſmodi anguſtijs conſcientiam conſolatur, & ad Deum remittit, inquiens: Ad Deū ac Dn̄m tuum confugies, qui diues eſt
in

in miſericordia, qui & poteſt & vult ex tuis te peccatis extrahere, iiſque clementer veniam dare. Nec enim vult vt pereas, ſed paratus eſt tuis vulneribus mederi, tibi opitulari & ſalutẽ conferre, modò illius gratiæ te permittere queas. Tantam tuæ ſalutis curam gerit Deus, vt & filium vnicè dilectum pro te tradiderit: is per paſſionem ſuam pœnas tuis peccatis debitas dependit, quam filij ſui ſatisfactionem Deus etiam pro tuis delictis ratam habiturus eſt, modò id humiliter & pia cum fiducia ab illo preceris. Eccè tibi viam, qua ad contritionem & pœnitentiam perueniamus. Conſideratio peccatorum & vindictæ diuinæ, timorem efficit: timor impellit ad quęrendum auxilium, fides demonſtrat vndè ſit petendum. Quandò ergò miſer peccator verè, ſeriò, & ex animo agnoſcens ſua peccata, hoc modo ad Deum confugit, eiusq́; gemebundus gratiam implorat, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori: iam Deus ad illum ſe conuertit cum gratia ſua iuxta varias multiplicesq́; promiſſiones ſuas, & eiuſmodi gratiam ſic dolẽtis & pœnitentis peccatoris cordi infundit, vt iam veram concipiat ob admiſſa peccata pœnitentiam: iamq́ue ex animo dolet, ſe vnquàm peccâſſe. Nec iam ſolùm ea de cauſa dolet, quòd pœnam peccando commeruerit, ſed multò magìs eo nomine, quòd Deum offenderit: immò iam de pœna tantoperè ſolicitus non eſt, cùm vltrò ſe obtulerit ad omnia ea libenter pferenda, quæ ipſi Deus pro peccatis impoſuerit, tãtùm vt fauorem & amicitiam Dei queat recuperare. Atque hic eſt verus & caſtus timor, cùm ex amore Deum timere incipimus, exoriturq́; hinc vera illa contritio, quam Deus vult valere ad obtinendam peccatorum veniam. Itaq; hoc vos memoriæ mandare debetis, poſſe hominem ad peccatorum ſuorum pœnitẽtiam perduci, ſi perpẽdat ſua peccata, & è diuerſo animaduerſionem ac iudicium Dei, vt is ea ſit puniturus. Hunc contritionis obtinendæ modum plerique omnes Catholici patres tradiderunt. Tertullianus timorem pœnitentię inſtrumentum appellat. Baſilius eum pædagogum & Iſagogicum ad pietatem nominat. Chryſoſtomus: Compendioſa, inquit, eſt ad veniam via, peccatorum ſuorum fœditatem & magnitudinem diligenter intueri. Porrò nè hoĩes temerarij noſtrã doctrinã, quæ priſcæ & Catholicæ veritati eſt cõſentanea, tanquàm commentũ humanũ reijciant & contemnant, audiamus vt ſcripta diuina omnia ad pœnitentiã nos hortentur & extimulẽt.

Luc. 18.

Tertul. de pœnitẽti.

Baſil. ſup Pſal. 32.

In omnibus Prophetarũ libris nihil frequentiùs legimus, quàm quòd grauia peccatoribus ſupplicia minantur, obedientibus verò bona promittunt. Iohannes Baptiſta verus ille pœnitentiæ pręco, à timore incutiendo cœpit: Progenies, inquit, viperarum, quis demõſtrauit vobis fugere à ventura ira? &c. Quin & Chriſtus eadem ratiõe ſuam doctrinam auſpicatus eſt: Niſi pœnitentiam, inquit, egeritis, omnes ſimiliter peribitis, Lucæ 13. Nolite timere eos, qui occidũt corpus &c. Matt. 10. Atq; alioquì paſsìm hominũ pectora timore pœnarum incutiendo à peccatis reuocat, vtiturq́; verbis terribilibus, vt cùm agit de tenebris exterioribus, de fletu & ſtridore denti-

Matt. 3.

Matth. 4.

Mat. 8. 13. 22. 24. 25.

um,& igne ęterno,vt homines huiuſmodi ſuppliciorum formidine commoti,à peccatis abſtineant, & per pœnitentiam ad Dei miſericordiam cõfugiant,nè in iſtas Dei comminationes & ſupplicia prolabantur. In hunc quoquè finem tendere debent conciones Eccleſiaſticę, & quilibet mortalium cor animumq; ſuum eò debet cõſuefacere ac dirigere,vt crebrò enormitatem peccatorum ſuorum perpẽdat,ſeueram quoquè Dei animaduerſionem, quam peccatoribus minatur, expẽdat, cùm nôrit eiuſmodi minas non eſſe ludicras aut vanas. Non enim eſt Deus vt homo. Præterea verò magna cum fiducia confugiet ad gratiam & miſericordiam Dei, per Chriſtum Dominum noſtrum,nihil dubitans Deum clementer ſibi pœnitenti peccata remiſſurum.Atq; tunc demùm vera eſt contritio, quandò ſimul etiam gratiam & veniã ſperamus ex bonitate & miſericordia Dei. Hæc igitur vna veræ Pœnitentiæ pars eſt, contritio & dolor animi,de quo iam dictum eſt.Proximo ſermone de confeſſione agemus.

CONCIO LIX. HABITA

Dominica octaua poſt Trinitatis, Anno 1543.

PRoxima concione Auditores, trium illarum partium primam tractauimus, quæ integram Deoque acceptam pœnitentiam conſtituũt,nempe Contritionem,internum ſcilicet animi dolorem,quo dolet & cõtriſtatur homo de commiſſis peccatis, proponens deincèps per gratiam Dei vitam in melius commutare, & à peccatis abſtinere,& ſimul ſuſpirijs & alijs pijs ſtudijs eò cõtendens, vt peccatis hucuſquè commiſſis queat exonerari. Audiuimus illic, huiuſmodi contritionem vtplurimùm & præcipuè in animo peccatoris poſſe exoriri,ſi feriò peccata ſua commemoret & perpendat,ijsq; opponat ſcripturæ ſacræ comminationes de pœnis & ſupplicijs peccatorum, vndè tum timor in animo vel corde naſcitur & exiſtit.Neque tamen hîc debet ſubſiſtere,vt ex tali tum peccatorum ſuorum,tum ſeueræ irę Dei cõtemplatione ſolùm timorem concipiat, ſed dabit operam,vt veniã pariter ſperet ex bonitate & miſericordia Dei. Nanq;
Pſal. 146. beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis,qui ſperant ſuper miſericordia eius. Sola formidine terreri ob peccata, furũ flagitioſorumq; eſt pœnitentia,nec meretur gratiam aut remiſſionem à Deo.E diuerſo autem tam leuiter ac temerè ſperare Dei miſericordiam,vt nullus prætereà timor,nullus dolor ob admiſſa peccata nos occupet, nec id quidem admittendum eſt.Nam tametſi Deus paratus eſt remittere peccata,& facilè eorũdem obliuiſci,nos tamen eorum tam citò obliuiſci non debemus. Et licèt credamus Deum peccatis ignoſciturum, nihilo minùs calido lachrymarũ imbre profuſo id ab illo precari nos debemus,& iraſci peccatis noſtris,atq; nosipſos caſtigare & punire, vt DEVS ſuam animaduerſioné tanto prôptiùs remittat.Eccle.21.Fili,peccâſti? nõ adijcias iterùm,ſed & de priſtinis deprecare,vt tibi dimittãtur.1.Cor.11. Si nosipſos dijudicaremus, nõ vtiquè dijudicaremur.Mundã prętereà & ſynceram oportet eſſe peccatoris contritioné,

nè

nè admixtum ſit vlteriùs peccandi propoſitum, & cùm de quibuſdam peccatis dolet, alia ad libitum ſeruet & retineat. Neque enim Deus dimidiatam dat veniam: ſed aut vniuerſa peccata ſimul remittit, aut nulla: & quia totam alioquì fortaſsis legem ſeruans, offendiſti in vno, factus es omnium reus. Iacob.2.
Inſupèr nec parua delicta ſinè pœnitentia tranſiliet peccator, (exigua enim peccata coaceruata, nocent) nè, vt Cyprianus inquit, quod minus eſſe videtur in qualitate delicti, in neglecta ſatisfactione cumuletur. Omnes etiã peccãdi occaſiones pro virili deuitabit, qui puram peccatorum agere pœnitentiam inſtituit.

Feruidam quoquè & amaram oportet eſſe contritionem, neque enim per iocum aut luſum verè poſſumus ad Deum conuerti. Edendo, bibendo, animi oblectamentis vacando non fit vera conuerſio, quam Deus requirit. Immò verò longè aliud illum à nobis depoſcere, teſtatur Propheta, dicens in perſona Domini: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & plãctu, &c. Eiuſmodi feruorem cõſpicimus in Dauide, Pſal. 37. In Ezechia, apud Eſaiã 38. Similiter in Manaſſe: vndè factũ eſt, vt tã vberẽ Dei gratiã conſecuti ſint, quã ex animo & corde verè cõtrito quęſierũt. Ioël.2.

Neque verò poteſt Deus ab illis auerti, quos ſcelerum ſuorum ex animo pœnitet. Iuxtà enim eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, inquit Pſalmographus. Et alibì: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Sed nũc proh dolor eò res redijt, vt paradoxon & peregrinum admodùm huic mundo videatur, animi dolore, pœnitẽtia, ieiunijs, & lachrymis expianda eſſe peccata. Euanuit omnis ex animis mortalium dolor, exaruerunt lachrymę, quatenùs peccata plangenda ſunt. Alioquì ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris, ploratur amiſſa res temporaria, plorantur amici defuncti: verùm quandò miſerę animę noſtrę in peccatis emoriuntur, perpetuiſq; regni cæleſtis bonis & æterna felicitate priuamur, nihil dolemus, nihil lamẽtamur. O duritiã cordis noſtri. Præter hæc omnia neceſſum eſt, vt peccator pœnitẽs, qui erratorũ ſuorũ veniã à Deo petit, proximis quoquè ignoſcat & remittat, alioquì fruſtrà acturus pœnitentiam. Niſi enim dimiſeritis hominibus, inquit Dominus, nec pater veſter cęleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Hęc itaq; de cõditionibus verę contritionis dixiſſe ſufficiat. Pſal.33. Pſal.50. Matt.6.

Porrò hęc omnia ità accipiẽda ſunt, non poſſe hominem ex ſeipſo, vel ſuo tantùm ſtudio de peccatis verè dolere, nec proprijs viribus ad Deum conuerti, ſed neceſſum eſt, vt Deus ipſe corda trahat ad contritionẽ & pœnitentiam, noſq; ad ſe conuertat: tunc demùm enim verè cõuertimur, Pſal. 84. Quandò itaque peccator facit quicquid poteſt, vel quod in ipſo eſt, nihilominùs tamen à Deo precibus, eleemoſynis & omnibus Deo placitis exercitijs ſuî veram cõuerſionem impetrare nitetur, orans illum, vt emollita per gratiam ſuam cordis duritie, lachrymarũ imbres ex oculis noſtris eliciat, vt ſeriò peccata noſtra deploremus, eorundemq; veniam cõſequamur ex gratia & miſericordia ſua, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. Euidentia

dētia ſanè, auditores, huius rei teſtimonia cōperimus in ſcripturis DIVINIS, (ſi fortè quiſquā experientia rē nōdùm cognōrit) nullū pondus, nullū onus adeò premere ac prægrauare poſſe corpus hominis, quēadmodùm peccatorum ſarcina premit, grauat & angit cōſcientiam, vbi vera & luculenta peccatorum agnitio & contritio cordi illabitur: immò non iam dolet tantùm, ſed indignatur, & frendet ac fremit in ſeipſum, vſqueadeò, vt tantus quandoquè angor corripiat eiuſmōdi hominē, vt propemodùm tędeat eū vnq̃ editū eſſe in hanc lucē, vt tales experirer conſcientiæ ſtimulos & cruciatus.

Quandò itaq; prima hęc Pœnitentiæ pars, Contritio, verè animum tangit & occupat, fieri nequit, vt hîc iam ſubſiſtat homo, ſed liberè ac ſponte ſua ad reliquas duas Pœnitentiæ partes accingitur, nempe Confeſſionem & Satisfactionem. Hæ enim ſunt duæ reſiduæ partes veræ Pœnitentiæ, de quibus adhuc dicendum reſtat, Confeſſio & Satisfactio.

Ac primò quidem de Confeſſione. Eam autem hîc confeſſionem dicimus, qua maleficia & peccata noſtra accuſamus & detegimus hac ratiōe, vt ipſi quoquè planè ſic ſentiamus, ſicq; eadem peccata promamus, q̄ iniquè geſſerimus illa perpetrādo, iamq; nobis diſpliceant, eaq; nos admiſiſſe doleamus. Nam qui ſcelera ſua alioquì coram alijs recēſent, indè apud alios loquuntur, ſed non hac mente, quòd illorum ipſos pœniteat & pigeat, ij ſanè non confitentur, ſed iactitant potiùs ſua flagitia: & huiuſmodi confeſſio non ad remiſſionem facit, ſed ad accumulationem exaggerationemq; peccatorum. Porrò vera ac ſeria peccatorum confeſſio eſt duplex: vna, quę DEO fit: altera, quæ fit homini, iuxta præceptum & modum à DEO præſcriptum & conſtitutum in ſua Eccleſia, prout DEO fauente audiemus.

Interna confeſſio, quę Deo fit, eſt, quandò quis præteritę vitę actus ſecū perpendens, ea quę contra DEVM vel corde, vel opere perpetrauit, non ſinè acerbo animi dolore apud ſeſe damnat ac deteſtatur, & ſeipſum ob maleficia & errata ſua apud Deum accuſat, conſolationem & veniam depoſcens, cum propoſito ſimilia iterùm minimè perpetrandi. Hęc cōfeſſio quàm neceſſaria eſt & ſalutifera, tam apud omnes debet eſſe communis & vſitata. Id enim ego vobis certiſſimè affirmo, Deum ſinè hac interna confeſſione nullum peccatum per aliud quoduis medium remiſſurum. Confeſſio, quæ fit Sacerdoti, ab ipſo Chriſto inſtituta eſt, ideoq; vtilis & ſalutaris ad impetrandam peccatorum remiſſionem, quemadmodùm audietis. Sed nihil efficit ſinè hac interna confeſſione quæ Deo fit.

Promittunt quidē ſacrę literę conſecuturos nos à DEO veniam peccatorum p Eleemoſynas & reliqua pietatis officia & opa: ſed profectò non ſinè confeſſione, & pręcipuè hac interna: de qua eo fuſiùs & copioſiùs dicendū eſt, q videam eam planè in obliuionē abijſſe, & maximo cum periculo prętermitti. Eò ſiquidē res redacta eſt, vt penè nullam iam noſcamus confeſſionē, præter eam quę corā Sacerdote vel Eccleſia fit: Cùm tamē hęc interna confeſſio ſemper pręcedere deberet, & perpetuò vſurpanda foret omibus

illis,

illis, q animas ſuas in vitã ſeruare velint. Nã ſi pueſtigemus vniuerſam legẽ & ꝓphetas,cõperiemus nullũ cuiquã peccatũ à DEO remiſſum,quod nõ priùs ille humiliter Deo confeſſus ſit, & reum ſe coram Deo accuſauerit.

E diuerſo extant ſcripturarũ teſtimonia,Deum grauiſſima peccata condonâſſe illis,qui ſcelera ſua cũ dolore agnouerunt,& humiliter apud ipſum accuſârunt. Nôſſe vis,vt Deus peccata remiſſurus non ſit,niſi priùs agnoſcamus & fateamur nos malè egiſſe? Audi diuinam ſententiam Leuiti. 26. Tabeſcent,inquit,in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorũ ſuorum, donec confiteantur iniquitates ſuas,& malorum ſuorum recordẽtur,quibus prę-uaricati ſunt in me.Quantoperè cupiebat Deus criminis confeſſionem ex ore Adami,Euę & Cain elicere,cùm diceret, Vbi es? Verùm qa peccata ſua excuſare,q̃ fateri & accuſare maluerunt,hinc adeò factum eſt,vt non miſericordiam,ſed iram & vindictã Dei pro ſuis culpis ſentire coacti ſint. In lege veteri Deus non contentus ſola cordis confeſſione, quotiès aliquis peccâſſet,certa quædã ſacrificia offerre eũ volebat, atq; ex ipſis ſacrificijs facilè poterat intelligi,cuiuſmodi ille peccatũ ꝑpetrâſſet.Ipſa ergò hoſtia culpam eius ꝓdebat,& ꝓ illo confitebať: at tamen inefficax erat ad impetrandam veniam,niſi & præcederet & comitareť interna ad Deum confeſſio. Tum porrò legimus etiã apud ꝓphetas,vt illi ſua populiq; peccata magno cordis dolore coram DEO confeſſi ſint & deplorauerint,vt videre eſt in tribus illis pueris apud Danielem 3.cap.atq; adeò in ipſo Daniele ca.9.itemq; in Nehemia,cuius hæc verba ſunt ad DEVM:Tu iuſtus es in om̃ibus, quæ venerunt ſuper nos:quia veritatem feciſti nobis,nos autem impiè egimus. Sanè quãdò viri iſti tanta ſanctimonia & innocentia conſpicui tantoperè peccata deplorant, atq; alios ſimul ad delictorum confeſſionem exhortantur,dubium non eſt,etiam Deo eiuſmodi confeſſionem eſſe acceptam, ſi ſit ſeria & humilis.Porrò ſi penitiùs cognoſcere iuuat,q̃ Deus humili peccatorum confeſſione delectetur, & vt propter eam velit peccata condonare,inquire vtriuſq; tam noui q̃ veteris inſtrumenti exempla, & comperies Manaſſen poſt nefariam illam idololatriam,plurimaq; immania flagitia,à Deo in gratiam receptum.Atqui deflet priùs & confiteť DEO peccata ſua pquàm ſeriò & dolẽter,accuſatq; & damnat ſemetipſum extremè coram DEO.Agnoſcit & confiteť ſe om̃ium nocentiſſimum & indigniſſimum,attamen orat DEVM,vt ſecundùm miſericordiã ſuam ipſum ſuſcipiat, & peccatis parcere velit.Itidèm & Dauid adulterij & homicidij veniã petijt à DEO, nec aliã tñ dandę veniæ ratiõem adduxit,q̃ peccatorum ſuorũ agnitionem. Miſerere, inquit,qm̃ iniquitatem meam ego cognoſco.Et rurſùm alio loco fateť idcircò ſe remiſſionem peccatorũ à DEO cõſecutum, ꝙ iniquitatem ſuam nõ defendere,non excuſare,non celare & abſcondere,ſed agnoſcere & confiteri voluiſſet: Dixi, Confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Huc etiam pertinent infinitæ ſcripturarum

Gen. 3. 4. · Le. 4. 5. 6. · 2. Eſdr. 9. · 2. Par. 33. · Pſalm. 31. · Pſalm. 37.

adhortationes, nè peccata noſtra occultemus aut excuſemus, ſed confiteamur, & nosipſos accuſemus, ac tum fore nobis DEVM propitium, Eccle. 4.
Eſa. 43. iuxta LXX. verſioné. Prou. 28. Iohan. 1. Dic tu iniquitates tuas primus, vt iuſtificeris. Sed inquis: Quorsùm opùs eſt coram Deo recenſere peccata, & quid iniquè geſſerimus dicere, cùm ipſe non ſolùm omnes meas actiones ſciat & contueatur, verùm etiam cogitationes & omnia cordis arcana perſpiciat? Reſpondeo: Quandò in ſcripturis fit mentio confeſſionis, non de ſimplici & nuda agit enarratione eorum, quæ ç ommiſimus, (nam ea Deus iam antè cognouit) ſed eam vocat confeſſionem, quandò peccata cum dolore & cordis amara contritione recẽſemus. verbi gratia: Cùm peccatum admitteres, delectationẽ quandã in eo ſenſiſti, aut cõmodum vel lucrũ queſiuiſti. Quãdò igiť peccatum cõfiteris, delectatio illa iam tibi debet eſſe faſtidio ac nauſeæ, & lucrum, quod ex peccato captabas, non alio iam, q̃ reuerà magni detrimẽti loco putabis. Id igitur eſt peccatum confiteri, peccatum non niſi peccati loco habere, & ceu peccatum & iniquitatem odire. Eiuſmodi lamẽta & cõfeſſionem req̃rit DEVS, nimirùm vt mens non ſolùm peccata coram DEO recenſeat, ſed & odio habeat, eorumq́; cauſa mœreat & angatur.

Vide Chryſo. de Lazar. Pręterea & eò confert, peccata coram DEO ſingulatìm recẽſere, vt hoc pacto multitudinẽ & grauitatẽ peccatorum ſuorum eo faciliùs agnoſcat & intelligat, q̃ ingẽs debitum ſibi accumulârit, eoq́; ꝓmptiùs ꝑſpiciat magnam illam DEI gratiam & miſericordiam, q̃ tum ex mera gratia ab eiuſmodi criminibus liberat & abſoluit. Atq; ità & peccata ſua, & clemẽtem liberationẽ ſimul cõſiderans, deincèps ad peccandum tardior, ad gratias verò DEO agẽdas alacrior reddatur pro gratia & miſericordia illius. Nemo enim Diuinæ gratiæ magnitudinem rectè æſtimare & agnoſcere, et ſuam è diuerſo gratitudinem declarare poteſt, qui non omnia ſua delicta diligenter inquirit & examinat magna ſimul & exigua. In hac autem peccatorum inquiſitione ſeu examine, ſemetipſum inuenit & agnoſcit peccator: ſuasq́; miſerias perſpiciẽs, animaduertit quantùm debeat gratiæ & clementiæ Diuinæ, quæ illum tot peccatis exonerat. Tametſi igitur DEVS omnes noſtras actiones habet exploratas, neceſſaria tamen eſt peccatorũ confeſſio & enumeratio peccatorum coram DEO. Eò nanq; hæc confert, vt culpam in nos conferamus, fateamurq́; & agnoſcamus neminẽ alium, q̃ nosipſos noſtrorum criminũ
Vide Ambroſ. de Cain & Abel li. 2. cap. 9. eſſe authores. Nam omni crimine grauius & damnabilius eſt, peccata defendere, eorumq́; cauſam in alios transferre, quaſi non ex noſtrapte malitia peccauerimus: præcipuè verò ad DEVM referre quod fecerimus, & reatûs noſtri inuidiam in DEVM transfundere, qui non criminis, ſed omnis boni & innocentiæ eſt author: idemque ipſe eſt DEVS non volens iniquitatem.
Pſal. 140. Non declines, inquit Propheta, cor meum in verba malitiæ. Sed & confeſſionem noſtram hac de cauſa DEVS requirit, vt Diabolo nos accuſanti os occludat, qui non ceſſat peccata noſtra coram DEO accuſare, expoſcitq́; aduer-
Apoc. 12. sùm nos iudicium, iuſtitiã & vindictam. Verumenimuerò hæc peccata ille com-

commemorare non poteſt, quæ nos humiliter coram DEO accuſauimus & deplorauimus,& quorum veniam à DEO ꝑ ſeriam contritionem ſeu pœnitentiam deprecati ſumus. Nam quemadmodùm Diuinæ iuſtitiæ iure conuenit peccantibus iraſci,& pœnas infligere: ità porrò decet bonitatẽ & miſericordiam illius miſereri eorum,qui ſua peccata ipſi accuſant,eadẽq; cum dolore & amara cordis contritione confitẽtur,& veniam petunt.Hoc autẽ nec Diabolus impedire,nec DEVM culpare poteſt,tanq̃ iniquum iudicem,ſi noſtram audiens confeſſionem,veniam det nobis,peccata noſtra cum dolore confitentibus.Nam vt iuſtum & æquum eſt,peccatorem puniri:ità & bonum & æquum eſt,pœnitẽti miſereri & ignoſcere.Hæc itaq; de interna confeſſione dicta ſint,quam Deo fieri neceſſum eſt,& quæ ad peccatorum remiſſionem & ſalutẽ conſequendam neceſſaria eſt. Siquidem DEVS nunq̃ nec remiſit nec remittet peccata, niſi priùs corde ad ipſum accedentes, antea cta vitia noſtra coram illo plangamus,ibiq; oblectationem,quam in peccatis habuimus,planè reſpuamus,iamq; porrò diſplicẽtia,dolore & mœrore afficiamur ob malefacta noſtra. Eiuſmodi confeſſio DEO faciẽda eſt,alioquì nunq̃ peccatorum noſtrorum veniam impetrauerimus. Cuius rei certa extant in ſcripturis teſtimonia. Qui abſconderit ſcelera ſua, non diriget, inquit Sapiens:qui aũt confeſſus fuerit,& reliquerit ea,miſericordiã conſequet. Et 1.Ioh.1. Si cõfiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus,vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. De hac interna confeſſione eò diligẽtiùs admonere placuit,q̃ in exigua admodùm ſit apud nos exiſtimatione. Atquì nos, qui CHRISTVM profitemur, rem tam ſalutiferam ac neceſſariam,& rectiùs nôſſe,& frequẽtiùs vſurpare deberemus.Horrẽdum ſanè eſt, q̃ velut laxatis habenis in omne vitiorũ genus corruimus. Sed longè horribilius & execrabilius eſt, quòd ad peccatorum confeſſionẽ & agnitionem tam tardi ſumus:vnde fit, vt nequeamus ijs exonerari. Atq; hinc iam ſeueritas & iuſta DEI ira quotidianis calamitatibus & ſupplicijs in nos deſæuit: & credite mihi, non priùs ille animaduerſionem & iram remittet ſuam, quàm nos delicta noſtra agnoſcamus, & humili confeſſione gratiam & veniam ab illo petamus. Nam proculdubiò in nos competit illa DEI ſententia,quam in populũ Iſraeliticum ꝓnunciauit,Leui.26.Tabeſcẽt in iniquitatibus ſuis. An nõ,Auditores dilectiſſimi,paſsim legimus in ſcripturis diuinis priſcos illos Patres & Prophetas, virtute & innocentia commendatiſſimos,humilimè ſua peccata DEO confeſſos?Dan.3.Neem.9.Nos autem qui indeſinenter peccamus,meritóne vel feſtis ſaltem aut Dominicis diebus peccata noſtra in memoriã reuocabimus,& corã DEO procidẽtes, negligentem & vitioſam vitam noſtram intimo cum dolore cõfitebimur, eiuſq; veniam deprecantes,gratiam ac robur aduerſus futura peccata ꝑtemus? Certè cui cordi & chara eſt animæ ſuæ ſalus, nequaq̃ hanc internam confeſſionem prætermittet, ſed quotidiè, vel minimùm Dominicis & feſtis diebus cordis ſui penetralia Deo aperiet,& commiſſa planget, atque ità

Prou. 28.

poſtulabit à Domino peccatorum ſuorum veniam, donec tempore opportuno plenam & integram peccatorum ſuorum confeſſionem coram Eccleſię miniſtro peragens, certam remiſſionem & indulgentiam, iuxta euidentia certaque verbi Dei teſtimonia conſequatur. De hac Sacramentali Confeſſione, Deo volente, proxima concione nonnulla dicemus.

CONCIO LX. HABITA

Dominica nona poſt Trinitatis, Anno 1543.

SVperiori concione, Auditores, ſecundam veræ pœnitentiæ partem ſumus aggreſſi, nempe confeſſionem, diximusq́ue de interna illa peccatorum confeſſione, quam illi quos criminum ſuorum verè pœnitet, omni cum humilitate cordeq́; contrito faciunt coram Deo. Nam profectò cuius cor vera pœnitudine tangitur, is graui ſatis dolore & animi inquietudine torquetur. Neque enim ſedata & tranquilla mente eſſe poteſt præ conſideratione indignationis Diuinę, quam commeruit. Nihil iam facere aliud poteſt, quàm vt cum contrito ac humiliato corde ad Deum confugiat, coram illo reum ſe agat & peragat ob admiſſa peccata, auxiliumq́ue & veniam ab illius bonitate & miſericordia imploret. Nec tamen in huiuſmodi interna querimonia & confeſſione conquieſcit verè pœnitens: ſed cùm exploratum habeat ex clementi indulgentia & promiſſione Chriſti, ſolatium, opem & veniam peccatorum apud Eccleſiam Catholicam inueniri, accedit Sacerdotem miniſtrum Eccleſię, atq; coram illo etiam peccata ſua humili corde & ſpiritu contribulato & afflicto recenſet, vti Deo iam antè recenſuit. Verè ſiquidem pœnitēti nihil nimium eſt aut nimìs graue. Quia enim ſentit in corde ſuo, quàm acerba ſit peccatorū memoria & conſcientia, ad omnia paratus eſt, vt peccatorū vinculis abſolui queat: nec putat quicquam intolerabilius, quàm diutiùs in peccatis manere & perſeuerare. Hæc verò eſt Eccleſiaſtica illa confeſſio, de qua hucuſquè fuit Eccleſiæ decretum, vt Omnis vtriuſque ſexûs fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemèl in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti &c. Demonſtrandum autem nobis eſt, hanc quoquè confeſſionem ad veram pœnitentiam vtilem eſſe & neceſſariam: nec tamen nimiùm hîc prolixus ero, licèt hac noſtra tempeſtate multa de hac confeſſione ſit lis & cōtrouerſia. Neque verò dubito, quin pij omnes quibus pœnitentia cordi eſt, libenter ſint de hac ipſa Eccleſiaſtica confeſſione ſanam admiſſuri doctrinam, atque in ea permanſuri obedientia, quæ iam indè ab exordio ad hæc vſque tempora in Chriſtianiſmo eſt obſeruata. Facilè ſuus animus & feruens ſtudium, quo peccatis liberari deſiderant, ipſos ad cōfeſſionem adducet, vt iam opùs non ſit, multis verbis eis perſuadere, legibúsve & præceptis eos compellere ad pœnitentiam & confeſſionem. Quòd autem nonnulli interìm confeſſionem impugnant, nec inter neceſſarias pœnitentię partes eam recipiunt, hi ex huiuſmodi leuium hominum

Omnis vtriuſq;. De pœn. & remiſ.

num

num ſunt grege,qui nihil cum pœnitentia ſuſtinent habere commercij, qui ad pœnitentiam agendam prorſùs torpēt & nauſeant. Quid igitur mul tis apud illos verbis fuerit opùs,an confeſſio inter pœnitentię partes admit tenda ſit,cùm vniuerſam pœnitentiam reijciant? Quamobrem hanc cum illis diſceptationem differemus,donec quandoquè DEVS det eis pœnitēti- 2. Tim. 2. am ad cognoſcendam veritatem,& reſipiſcant à Diaboli laqueis & erroribus:ac tum demùm iſthuc & alia Chriſtianę veritati conſentanea,& ad ędificationem facientia,libēter abſq; magna concertatione perſuaderi ſibi ſinent. Nihilominùs tam ex ſcripturæ diuinę,quàm Eccleſiæ DEI iam indè ab initio ad nos vſque perdurantis teſtimonijs tantum de hac Sacramētali confeſſione indicabimus, vt pijs ac morigeris Eccleſię filijs, qui actionum ſuarum certas rationes ſcire deſiderant, nihil quicquam Chriſtianæ eruditionis ac doctrinæ deeſſe videatur, qua leuibus iſtis homuncionibus poſſint os obſtruere.

Neq; hinc rem auſpicabimur,an aliqua ſit confeſſionis huius vtilitas: Nam & ipſi aduerſarij in libris ſuis fatentur vtilem eſſe confeſſionem,quę fit Sacerdoti. Immò & cuperēt eam in Eccleſias ſuas reductam, ſi tam procliue eſſet deſtructa reſtaurare atque reformare,quàm extructa deſtruere ac demoliri. Et certè ſi eam plebis ſuæ coërcendæ poteſtatem haberent,eademq; facilitate diſciplinæ iugum collis ipſorum inducere poſſent,qua ſemel excuſſerunt, proculdubiò confeſſionem in omnibus ſuis Eccleſijs reſtituerent. Atquì vulgus eſt inſtàr grandis cuiuſdam ſaxi, quod facili motu de monte poteris in vallem præcipitare: nanq; loco nonnihil motum,ſua ſponte præceps deorſùm corruit. Eodem modo ſi quis plebem extra diſciplinam ad diſſolutam libertatem velit abducere, haud magno opùs habet labore: vltrò enim ſequuntur, & vel nullo hortante vel promittente,plùs ſatìs inſoleſcunt & proterui fiunt. Verùm eos intra diſciplinę cancellos velle cogere,non minùs arduum eſt, quàm ſi cum Siſypho ſaxum ad montis verticem ſurſùm impellas: multùm hîc operæ, multùm laboris requiritur, & quantumcunquè vrgeas, renituntur tamen, & ad ſuam malam libertatē recidunt & anhelant. Quamobrem metuēdum eſt, ſufficere nobis aliquādiù debere,vel hoc apud aduerſarios nos obtinere, quòd cōfeſſionem ceu vtilem probant:interìm tamē vereor, nè eam tardè admodùm in integrum reſtituere queant. Quia tamē à neutra parte in controuerſiam vocatur aut negatur, Confeſſionem ſummè vtilem & ſalutarem, hoc ſolùm in præſentiarùm docebimus, eſſe eam à Chriſto mandatam & inſtitutam, quodque perpetuis temporibus in Eccleſia Catholica fuerit obſeruata & vſitata. Atque id ſatìs ſuperq; pios quoſq; ad confeſſionem alliciet, vbì eam non ſolùm vtilem & ſalutiferam, verumetiam ab ipſo Chriſto inſtitutam, & ad ſalutem hominum præceptam & præſcriptam cognouerint. Primùm itaque teſtimonia, rationes, fundamēta confeſſionis ex ſcriptura inueſtigabimus, ac deindè audiemus quid ſancti Patres, qui ab initio continua ſucceſſionis

ſerie

ſeriė Eccleſiæ Chriſti præfuerunt, de confeſſione teſtentur in ſuis monumentis. Scimus & tenemus in Republica Chriſtiana originem & fundamentum ſalutis noſtræ, quomodò DEVS noſtri miſertus ſit, cùm adhuc hoſtes eius eſſemus, & vnicum ac dilectum Filium ſuũ Ieſum Chriſtum miſerit in mundum, qui ſanguine ſuo omnium hominum peccata depēdit, & generalem toti mundo redemptionem confecit. Iam verò hæc gratia & redemptio nullam cuiquam vtilitatem adferret, ſi in occulto recōderetur, nec hominibus annunciaretur, offerretur, & communicaretur.

Quocircà Chriſtus media quædam inſtituit, eaq; in mundo in Eccleſia ſua reliquit, per quæ merita ipſius & parta gratia hominibus communicentur. Media autem illa ſunt, ſacrum eius verbum & venerabilia Sacramenta, quæ Eccleſiæ ſuæ donauit. Horum mediorum miniſtros & diſpenſatores conſtituit Apoſtolos, & poſt illos omnes Eccleſiæ ſuæ miniſtros, eosq; in mundum ablegauit, vt hominibus gratiam & redemptionem, quam ipſe eis impetrauit, annunciarent, & per hęc deſtinata media impartirent. Nam hæc eſt voluntas, inſtitutio ac Dei diſpoſitio, & ſanctæ eius Eccleſiæ conſuetudo, vt ſinè verbo & Sacramentis, nemo gratiam DEI, & redemptionē Chriſti inquirere, percipere, aut ea frui neq; poſſit neq; debeat, qui nō ineuitabili neceſſitate ab huiuſmodi medijs vtēdis impediretur. De hac diuinæ gratiæ diſpēſatione loquitur diuus Paulus I. Corinth. 4. dum de ſeipſo & alijs Euāgelij miniſtris dicit: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpēſatores myſteriorum DEI. Inter hæc autem diuina myſteria, quæ Chriſtus Apoſtolos iuſſit annunciare in mundo, & inter omnes erogare ad ipſorum ſalutem, hoc vnum eſt, neq; id ſanè minimum, quòd eis contulit poteſtatem ſoluendi ligandiq;, prout res poſtulat, peccata.

De hac poteſtate luculenta habemus Scripturæ teſtimonia, Iohan. 20. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittūtur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Matth. 18. Amèn dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Quibus ex verbis liquidò poteſt colligi, confeſſionem ab ipſo Chriſto mādatam & inſtitutam, id quod iam luculenter & ſolidè perſpiciemus. Principiò aduertēdum hîc eſt, Chriſtum in Eccleſia ſua duplices claues, quemadmodùm ipſe nuncupat, hoc
Matt. 16. eſt, geminam in hominum peccata poteſtatem Apoſtolis ſuis contuliſſe & commendâſſe. Vna eſt poteſtas remittendi & ſoluendi: altera retinendi & ligandi. Qui itaq; ceu morigerum membrum in Eccleſia DEI manere deſiderat, ſanè hic non grauatim ferat oportet, vtranq; hanc poteſtatem exerceri. Nemo erret, dilectiſſimi, nemo blandis illis & mollibus gratiæ ſolius concionibus à recto veritatis tramite abduci ſe ſinat, quaſi in Eccleſia Chriſti nihil exerceri vel valere debeat, præter ſolam remiſſionem. Immò verò & retinēdi ligandiq; debet valere poteſtas, neq; hæc minùs à Chriſto præcepta

cepta eſt, quàm illa remittendi. Si libenter audis collatam ſacerdotibus facultatem ſoluendi & remittẽdi peccata, audias haud inuitus iiſdem tributam ligandi, caſtigandi, retinendiq́; poteſtatem. Chriſtus idcircò paſſus eſt Luc. 24. & reſurrexit, vt in nomine eius pœnitentia & peccatorum remiſſio prædicaretur in omnes gẽtes. Priùs pœnitentia, ac deindè peccatorum remiſſio. Tu igitur ſi tam es delicatulus, vt non antè velis aut libeat de pœnitentia eiuſq; fructibus audire, ac tum demùm de peccatorum remiſſiõe, equidem nec pili te facio, nec es Chriſtianus, & temetipſum ſeducis. Nam in Chriſti Eccleſia, Chriſti præceptum obſeruare oportet, & primò pœnitẽtiam annunciare, ac deindè facta pœnitentia, remiſſionem peccatorum. Neq; eñ Chriſtus ſolam remittendi poteſtatem miniſtris Eccleſiæ contulit, ſed & alteram demandauit peccata retinendi, & primùm iuſtè ligandi. Hoc igitur vnum eſt. Secundò, citra hęſitantiam omnem ſentiendum eſt: ſic enim ſeſe veritas habet, Eccleſiæ miniſtros hanc in peccata hominum poteſtatem non abſolutè ad ſuam libidinem & arbitrium vſurpare poſſe: ſed domini ſui voluntatem reſpicientes, non aliter hac poteſtate eos vti debere, quàm ſecundùm eandem ipſam DEI voluntatem: id quod Chriſtus his verbis teſtatur, cùm Apoſtolis dicit: Sicut me miſit Pater, &c. Chriſtus non ità miſſus eſt, vt faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſerat eum. Eodem ergò modo Eccleſiæ miniſtri authoritatem in peccata hominum acceperunt, qua non ad arbitrium ſuum, ſed ſolùm ad diuinæ voluntatis præſcriptum vti debent. Alioquì enim caſſa erat eorum poteſtas, exactiſſimamq́; Domino ſuo rationem reddere eos oportebit, ſi animas quæ non moriuntur, velint interficere: & viuificare eas, quæ non viuunt. Iohan. 20. Iohan. 5. Ezech. 13.

Ligandus eſt, qui ligare commeruit, quemq́; DEVS ligari vult: & ſoluendi, qui digni ſunt vt ſoluantur, & quos Deus vult ſolui. Hæc duo igitur coniungas pariter, & conſideres principiò Eccleſiæ miniſtrum, nempe Sacerdotem, duplex à DEO mandatum accepiſſe ſuper hominum peccatis, ligandi nimirùm & ſoluendi. Ex his ergò verbis & gemino hoc mandato non debet hoc vel illud ad lubitum ſuũ in quenquam vſurpare, ſed illam ipſam exercere poteſtatem, quam Deus requirit: vt ſi coram DEO vincula commeruerit, liget eum miniſter, quicunq; demùm ſit ille ligandus: ſin coram DEO dignus ſit qui ſoluatur, itidem eum abſoluat ſinè vllo perſonæ reſpectu.

An non igitur animaduertis, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem coram Sacerdote, priuſquàm ſentẽtiam in reum pronunciet? Neceſſum planè eſt, vt peccator ſua crimina recenſeat, cor & conſcientiam ſuam aperiat & denudet, vt cognoſcat Sacerdos, ligandúſne ſit, an ſoluẽdus. Tu verò accedens Sacerdotem, dicis te eſſe peccatorem. Atquì iam antè hoc perſpectum habui: ſed & ille eſt peccator, & ille, atq; ità omnes ſunt peccatores. Sed qa ligare & ſoluere, remittere & retinere poteſt Sacerdos, quis ei inter peccatores diſcrimen indicabit, quem ligare, quémve ſoluere debeat? Quomodò diſtinctam poteſtatem ſuam exercere poteſt, ſi omnes

ſimul

ſimul profiteantur ſe eſſe peccatores? Ad eiuſmodi confeſſionem poſſet ac deberet reſpondere miniſter, ſe non videre quid ligandum, ſoluendúq; ſit, cùm nullum actionum, cordium & conſcientiarum diſcrimen cognouerit, niſi quòd omes ſint peccatores. Qui fidem Chriſtianam corde ſimul & ore abnegat, veneficia exercet, Diabolo & idolis ſacrificat, aut alia grandia capitalia flagitia deſignat, is quidem eſt peccator. Alius deindè, qui vel ocioſum aliquod verbum effutiuerit, vel tenuiter admodùm alterum vendẽdo quippiam circunuenerit, paululùm vltra iuſtum precium accipiens, etiam eſt peccator, vterque autem coram Sacerdote procumbit, fatentur ſe peccatores, petunt abſolutionis beneficium & peccatorum remiſſionem: eodémne modo aget Sacerdos cum vtroq;? Abſoluet incãtatorem & idololatram, ſicuti alium illum, qui verbis duntaxat peccauit? Eodémne loco immania capitalia flagitia putabuntur in Eccleſia, quo leuiſſima? Paſsímne tam facilè abſoluere & remittere debebit Sacerdos, & idololatram ac veneficum alióſve flagitioſos homines, continuò à peccatis ſoluere, & ad ſacroſanctam Domini mẽſam admittere, priuſquàm grauia ſua peccata aliquãdiù corde contrito luxerint, ac deplorauerint? O miſeram Eccleſię diſciplinam, ſi hoc pacto nullum diſcrimen in peccatis habendum foret. O peſtiferum & fraudulẽtum miſerabilium animarum toxicum: Tam facilè à peccatis ſoluere, haud profectò eſt ſoluere aut ſanare, ſed fallere, perdere & con
1. Cor. 5. demnare. Non hunc morem obſeruauit Apoſtolus, ſed longè aliam tulit ſententiam in eum qui patris ſui vxorem habebat, quàm in alios peccatores. Et quid quæſo tam facilè doceri ac probari poteſt, quàm vt priſca & primitiua Eccleſia diſcrimina peccatorum obſeruârit, vtq; erga grauia & capitalia flagitia, magna quadam vſa ſit ſeueritate, nec adeò facilè quolibet peccato irretitos, ad fidelium communionem admiſerit, neq; illic ſacroſanctũ corpus & ſanguinem Chriſti quenuis pollutis & impuris labijs percipere permiſerit, ſed timuerit miſeris peccatoribus à ſententia illa: Qui mandu-
1. Cor. 11. cat indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini? Quamobrem magnus peccator ſeriam priùs pœnitentiam declarare cogebatur: qua legitimè peracta, eoque ob peccata admiſſa probè caſtigato, recipiebat illum Eccleſia in gratiam, & beneficium abſolutionis impertiebat, idq; ex mandato Chriſti,
Iohan. 20. Quorum remiſeritis peccata, &c. Nunc verò hæc ſeueritas ex Eccleſia exceſſit & relegata eſt, ligandiq; & retinẽdi vſus in obliuionẽ abijt, nec quicquam ferè aliud in vſu eſt, quàm duntaxat remittere & ſoluere: immò tam ſumus modò delicati, vt nullam poteſtatem apud Eccleſiam quæramus, q̃ ſoluendi & remittendi, nec volumus ligari: quaſi verò Chriſtus non æquè præcepit ligare, ac ſoluere. Per hanc autem tam diſſolutam licentiam & libertatem videmus omnia flagitia, peccata, probra, impudentiam & immodeſtiam omnẽ ad ſummũ excreſcere, & metuẽdum eſt, nè eò euſquè hæc praua libido & proteruia inualeſcat, vt tandèm omnem diſciplinam Chriſtianam penitùs peſſùm premat & perdat. Quamobrem ſi hæ duæ claues,
rectè

rectè ligare & ſoluere, retinere & remittere, legitimum vſum ſuum obtinere debeant, ſi Eccleſia gemina eaq; diſcreta poteſtate rectè atq; ordine vti, peccatisq; congruẽter ac debitè mulctandis hanc proteruiam & leuitatem debeat coërcere: certè neceſſum erit confeſſionem retinere, neceſſum erit corda & conſcientias patefacere & nudare corã Eccleſiæ miniſtro: alioquì non poterit congrua & legitima diſciplina aduersùs peccata inſtitui & exerceri. Sed dices: Si tam eſt ſalutifera & neceſſaria Confeſſio, quí fit, vt nullum de ea præceptũ extet in Scriptura, quod iubeat nos Eccleſiæ miniſtris confiteri, eisq; cor & conſcientiam aperire? Reſpondeo: Si animę tuæ ſalutem diligis, non eſt neceſſe acriori præcepto te ad confeſſionẽ adigi, quàm iam olim pręcepta eſt. Graui aliquo corporis dolore laboranti, mandari nõ eſt neceſſum vt medicum conſulat: ſolùm indices vbi medicum queat inuenire, & vel iniuſſus ad eũ feſtinabit: ipſa enim neceſſitas abundè magnũ illi erit præceptum. Quandò igitur citra omne dubium id nôſti ex ſcripturę teſtimonijs, Sacerdotes habere authoritatẽ tua peccata ligãdi aut ſoluendi, ſi quidem te grauant & premunt peccata tua, eisq; exonerari deſideras, ipſemet ſponte tua facilè contendes ad remedia. Quandiù vltrò nõ curris, ſed legum calcaribus vrgẽdus es ad confeſſionem, tam diù emortuus iaces in peccatis, non habens illum ſpiritum & gratiam, vt crimina tua agnoſcere, veramque eorum pœnitentiam agere queas. Si Deo cor tuum tangente perſentiſceres, quàm graue onus & acerba moleſtia ſit peccatum, vltrò accurreres, & peccata tua Eccleſiæ aperires: immò & grauiora lubens ſubires, tantùm vt peccatis tuis poſſes abſolui & exonerari.

CONCIO LXI. HABITA
Dominica Decima poſt Trinitatis, Anno 1543.

PRoximo ſermone, Auditores, docuimus, primùm vt Deus qui nos dilexit, generalem & ſempiternam humani generis redemptionem confecerit per Chriſtum Dominum noſtrum Filium ſuum vnicè dilectum, ità vt per eius merita & ſanguinem omnes beatitudinem adipiſci oporteat, quotquot ſalui fiũt: extra Chriſtum enim nulla eſt ſalus, nulla redemptio aut beatitudo: in ipſo verò copioſa eſt redemptio, & certa ſalus totius mundi. Secundò diximus, inutilem & ſuperuacuam fore hanc redemptionem per Chriſtum impetratam, ſi in occulto maneret, nec inter homines diſpenſaretur, atq; vnicuilibet ſpeciatìm accommodaretur. Tertiò, eam ob rem Deum media quædam conſtituiſſe, in quibus eiuſmodi 2. Cor. 4.
merita & gratia Chriſti ſita & compræhenſa ſunt, & per quæ hominibus communicantur. Quartò, Deum miniſtros inſtituiſſe & ordinâſſe ſanctos Apoſtolos ſuos, q diſpẽſatores forẽt ſuorũ myſteriorũ, & eiuſmodi gratiã, quã Chriſtus promeruit, diſpẽſarent inter hoĩes p illa media, & in illis medijs, quę Deus gratię ſuę diſtribuẽdę, velut inſtrumẽta & organa quędã de-
gg ſtina-

ſtinauit. Inter hæc autem gratiæ ſuæ media, Chriſtum Euangelij ſui miniſtris contuliſſe poteſtatem ligandi & ſoluendi, remittẽdi & retinendi peccata, qua tamen non ad lubitum vel arbitrium ſuum, ſed iuxta voluntatem Chriſti Domini ſui, cui ſoli propriè competit oñis peccatorum remiſſio, vti debeant. Quocircà Euangelij miniſtros ſummã diſcretionem ſiue prudentiam ac moderationem adhibere oportere erga peccata hominum, nè temerè ac impręmeditatò quid agant, quaſi pro arbitrio ſuo quenuis vel ſoluere poſſint vel ligare: ſed peccatorum qualitatem, & hominum conditionẽ priùs explorare illos debere, ac diligẽter animaduertere, quem Chriſtus Dominus ipſorum ſolui præcipiat, huncq́; in eius verbo abſoluere: & quem velit ligari, eundem etiam ligare, non habita ratione, quàm vel eminentis vel humilis ſit cõditionis in mundo, cùm nulla ſit tanta ſublimitas in terris, quę DEO non ſit inferior: quemadmodùm & nullus tam eſt coram mundo vilis & humilis, quin DEVS ille in altis habitans ipſum reſpiciat, & curam eius gerat, vt nemo mortalium eum meritò poſſit aſpernari.

Atque hanc ob rem diuinorum myſteriorum diſpenſatoribus, qui authoritatem in hominum peccata à Chriſto acceperunt, diligenter circunſpiciendum eſſe, vt hîc Chriſti poteſtate aduerſus quoſuis æquè, integrè, ſyncerè, & legitimè fungantur. Eccleſiam verò & populum Chriſtianum magnas meritò laudes & gratiarũ actiones Deo referre debere, quòd oñia ad noſtram ſalutem tam commodè ordinârit, talemq́ue dederit poteſtatem hominibus, vt certam peccatorum ſuorum remiſſionẽ etiam hîc in terris penès fratres ſuos inuenire queãt in verbo & iuxta præceptũ Chriſti, quod Ioan.20. is dedit Eccleſię ſuæ miniſtris, dum ait: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Hîc verò cordatos & intelligentes Chriſtianos facilè agnoſcere atque per ſeſe videre poſſe, ſi penès Eccleſiam peccatorum ſuorũ veniam in verbo Chriſti requirere velint, eam per confeſſionem ſe obtinere debere. Nam cùm miniſter diſtinctam à Deo poteſtatẽ acceperit, vt peccatorem vel liget vel ſoluat, quo pacto cognoſcet, ligaréne an ſoluere debeat, ſi non qualitates actionum, & conſcientiæ tuę conditionẽ coram eo aperias, explices, confitearis, & in lucem proferas? Atq; hinc confeſſionem in his Chriſti verbis fundatam eſſe & pręceptã, quibus vtitur Iohan.20. Quorũ remiſeritis peccata, &c. & Matth.18. Hucuſque ſuperiori Concione peruenimus, eſtq́ue hoc euidens documẽtum, Confeſſionem, quæ coram Sacerdote inſtituitur, Dei verbo ſubnixam atque fundatam. Sunt autem permulti alij Scripturæ loci, quibus confirmatur & fundatur Confeſſio, quos quidem non iam primùm ego ad confirmandam auricularem confeſſionẽ adduco: alij complures doctrina & ſanctimonia cõſpicui Epiſcopi & Martyres, iam olim ante mille annos has ſcripturę ſententias eò retulerũt, ijsq́; confeſſionem, quæ coram Sacerdote fit, aſſeruerunt.

Origenes ille Adamantius probat Confeſſionem ex Pſal 31. Dixi, confitebor &c. Et Pſal.37. Iniquitatem meam annũciabo. Tertullianus docet & probat

probat eam ex illis filij prodigi verbis, Luc.15. Pater, peccaui in cęlum & coram te. Cyprianus ex illa trium puerorum confeſſione, Daniel. 3. Hilarius & Baſilius ex verbis illis, Matt.3. Et baptizabantur ab eo, cōfitentes peccata ſua. Itemque Actor.19. Multi credentium veniebant, confitentes & annūciantes actus ſuos. Item ex Pſal.118. Vias meas enunciaui, & exaudiſti me. Hieronymus ex illo Eſaiæ: Dic tu iniquitates tuas prior. Ambroſius ex illo Salomonis: Iuſtus prior eſt accuſator ſui. Et illo Iohan.20. Quorum remiſeritis &c. Auguſtinus, etiamſi alia tam multiplicia eius teſtimonia non extarent, tamen euidenter ſatis ſuam de Confeſſione ſententiam aperuit in Lib. de viſitat. infirmorum, vbi accuratè monet ſuum nepotem, nè cōfundatur confiteri coram DOMINI vicario, ſed Chriſti miniſtrum conſcientiæ ſuæ penitùs participem faciat, vt penès ipſum indubitatam Chriſti promiſſionem poſſit adipiſci, qui Eccleſiæ ſuæ miniſtris dixit: Quorum remiſeritis peccata, &c. Atque adeò omnes, qui ab initio vixerunt & docuerunt in Eccleſia Chriſti, illam Iacobi ſententiam ad confeſſionem retulêre, Confitemini alterutrùm peccata veſtra, vt ſaluemini. Nam cùm ſciamus non ſoli DEO, ſed & homini confitenda eſſe peccata, facilè & illud agnoſcere poſſumus, Eccleſiæ miniſtris, & non alijs, eſſe confitendum: illis enim diſpenſatiò DIUINÆ gratiæ eſt commiſſa. Vbi itaque reliqua Sacramenta & miniſteria Eccleſiaſtica requiro, ibidèm etiam quęrenda & recipienda eſt peccatorum remiſſio. Videatur hinc Hilarius, Baſilius, Gregorius, &c. Nos porrò progrediemur. Hucuſq; ergò, Auditores, teſtimonia ſcripturæ audiuimus, in quibus Confeſſio, quæ coram Sacerdote inſtituenda eſt, præcepta eſt & fundata. Inter hæc autem clariſſima eſt illa ipſius Chriſti ſententia, vrgentes ſatis efficaces cauſas complectens, quę meritò nos ad confeſſionem debeat adducere. Certa ſiquidem & indubitata hinc expectari poteſt vtilitas. Nam qui diues eſt in miſericordia & gratia, & in promiſſis fide dignus atq; fidelis, ille nobis remiſſionem peccatorum hîc in terris cōmonſtrat, quam penès fratres noſtros & inquirere debeamus, & inuenire queamus: eamq; ſuis ipſius verbis certam efficit & confirmat, nè omninò dubitemus, qua ratione homo peccator nos à peccatis noſtris poſſit abſoluere. Immò verò Chriſti hoc opus eſt, qui omnipotens eſt, & in cuius verbo abſoluunt nos fratres noſtri, ſecundùm illam eius promiſſionem, quę eſt Iohan.20. Quoniam autem Chriſtus hanc poteſtatem diſtinguit in ſolutionem, & ligationem, requiritur eò ſanè, vt cōſcientias noſtras patefaciamus, vt ſinguli peccatores ex miniſterio Eccleſiaſtico id quod æquum eſt reportent, vt ligandus ligetur, & coram Deo ſoluendus ſoluatur. Vtraq; enim pars ad curanda peccatorum vulnera facit. Veriſſimum profectò eſt, illis qui ligari commeruerunt, longè eſſe conducibilius vt ligentur, quàm vt ſoluantur. Cùm enim propter peccata ſua ligantur, hinc ea redit vtilitas, quòd alij eorū pœna cōmouentur & emendātur, ipſimet quoquè longè procliuiùs à ſuis peccatis curantur & ſanantur. Nam ſi non ligentur, quid aliud indè conſequi

Eſaiæ.43. iuxta 70.
Prou.18.
Lib.2. cap.4.
Ioh.20.
Iac.5.

poterit, quàm vt indigni ad ſanctiſſimã Domini mẽſam accedẽtes, rei fiant corporis & ſanguinis Domini, & ſibi iudicium & damnationẽ æternã mãducent, iuxta Pauli illam cõminationem horrendam, Qui manducat indignè, &c. quocircà temporariam illos pœnã ſuſcipere pręſtat, quàm vt iuſtã Dei iram in ſe concitantes, ſempiternũ ſupplicium cõmereantur, 1. Cor. 11. Vndè etiã peccator non deſiderabit exolui, ſi potiùs ligãdus ſit. Nam eiuſmodi irrationabilis & prępoſtera lenitas & clemẽtia probãda non eſt: quẽadmodùm in curãdis vulneribus corporis non ſemper idoneus eſt chirurgus lenis: quãdò vulnus etiamnùm purgatione & abſterſione indiget, ſi nõ rigidè vomicam appręhendat, & ſaniẽ diligẽter exprimat, dum vult parcere ſauciato, haud ſanè eũ curat, ſed perdit. Sic in peccatis velle blandiri & molliter agere, non ſolùm non prodeſt, ſed deſtruit potiùs, quàm ſanet. E diuerſò autem legitima Eccleſiæ cenſura & caſtigatio vtilis eſt & ſalutifera: dum enim pcutit, ſanat, vt ſaluus ſit ſpiritus in die Domini, 1. Cor. 3. Hęc itaq; iuſta & vrgens ratio eſt, quamobrẽ peccator cõſcientię ſuæ ſecreta Sacerdoti reſerare debeat, vt poteſtas, quam Chriſtus ſuper hominum peccatis Eccleſię contulit, rectè & legitimè ad ſalutẽ eius erga ipſum poſſit exerceri. Porrò alię pręterea non paucę ſunt rationes, ex quibus quilibet cordatus colligere poteſt, exactam & diſtinctã peccatorum enarrationẽ vtilem eſſe & ſalutarem. Porrò quia tam aduerſarij quàm Catholici cõmunibus votis exoptant, vt confeſſio apud populum in voluntario vſu poſſit obtineri & cõſeruari, non abs re futurũ arbitror, ſi cauſas illis adferamus, quibus cognitis, aliquanto magìs ad cõfeſſionem extimulari poſſint. Aliquot ergò proferam, easq; nõ meopte ingenio fabricatas, ſed ab alijs doctrina & vitę ſanctimonia cõmendatiſſimis iam olim antè annos mille conſcriptas. Quas ſi quem fortè audire non delectauerit, hic tamen, vt loquar, permittet, quandoquidem neceſſum non habet precij quicquam pro eo perſoluere.

1. Cor. 11.

Prima cõfeſſionis vtilitas hæc eſt, quòd erubeſcentia illa, qnam homo ſubit & tolerat in exponenda propria malitia, in pœnam à Deo imputatur, faciliorémq; remiſſionem ab eo promeretur, quandoquidem ſe tantoperè humiliat & affligit propter peccata ſua. Vndè D. Auguſtinus inqt: Dignus eſt miſericordia, qui ſpiritali labore petit gratiam. Laborat autem mens patiendo erubeſcentiam. Et quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia. In eandem ſententiam loquitur Ambroſius lib. de Cain & Abel. Et Chryſoſt. Confeſſio peccatorum. inquit, teſtimoniũ eſt cõſciẽtiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua cõfiteri non erubeſcit: qui autẽ erubeſcit, non timet. perfectus enĩ timor ſoluit omnẽ pudorẽ. Illic enim turpitudo cõfeſſionis adſpicitur, vbi futuri iudicij pœna non creditur. Nunquid neſcimus, quia cõfeſſio peccatorũ habet pudorẽ, & quia hoc ipſum erubeſcere pœna eſt grauis? Sed ideò magìs Deus iubet nos cõfiteri peccata noſtra, vt verecundiã patiamur pro pœna. Nam & hoc ipſum, pars eſt iudicij. O miſericordia Dei,

Auguſt. de vera & fal. pœnitent. cap. 10.

Chryſoſt. in Matt. Hom. 3.

quem

quem totiès ad iracundiam excitauimus. Sufficit ei ſolus pudor pro pœna. Hæc ille. Et certè diligenter hæc forent expendenda, nè ſimiles videremur illis, qui morbo aliquo in ſecretioribus corporis locis laborãtes perire mâlunt, quàm vitium vel morbum ſuum medico viſendũ exhibere: cùm prudentis ſit, vltrò ac lubenter medico vitium detegere, ſectionemq́ue & cauterium perferre, quantunuìs id doleat, vt priſtinam ſanitatem valeat recuperare. Sanè præpoſterus hic eſt pudor. Cùm peccatorum ſordibus nos cõtaminamus, neque Deum neque homines veremur: vbi autem quod malè patratum eſt, cõfitendum eſt veniæ & repurgationis obtinendæ cauſa, iam præ pudore omnes id detrectãt. Hanc ergò verecundiam neceſſum eſt ex authore Diabolo proficiſci, quòd ad peccãdum tam audaces, in confitendo autem tam imbecilli ſumus. Quid verò prodeſt, ſi malitiam noſtram homines diù celemus, cùm Deum non lateat, eamq; is reuelaturus ſit in die illo nouiſſimo coram angelis & vniuerſo mundo, vbi tum demùm pudore pariter & ſupplicio omnem modum excedẽte afficiemur? Longè igitur præſtat hîc reum ſe fateri, ſeque ob admiſſa maleficia coram illis accuſare, qui ex virtute promiſſionis Chriſti nobis opitulari poſſunt, iuxta illud: Quorũ remiſeritis peccata, &c. Haud fruſtrà ſanè Diabolus in id intentus eſt, vt homines ad peccandum audaces & impudentes, ad confitendum verò puſillo & imbecillo animo reddat: vult enim peccatorum expiationem tantiſpèr differri, donec ipſe reos coram iudice Deo poſſit accuſare. Nam hoc certò nobis perſuaſum habere debemus, eum ipſum cacodæmonem, qui modò nos ad peccãdum extimulat, haud celaturum eſſe peccata noſtra, ſed accuſaturum ea apud Deum, & omni cum exaggeratione in lucem producturum, niſi per propriam confeſſionem & pœnitentiam eum præueniamus. Pareamus igitur ſcripturæ monenti: Dic prior iniquitates tuas, quàm ille te prǫueniat. Secunda ratio, cur vtilis ſit confeſſio, hæc eſt, quòd per huiuſmodi humiliationem humani animi ſuperbia, quæ omnium peccatorum fons eſt & origo, coërcetur ac deprimitur. Et meritò ſanè appellatur ſuperbia, quòd vilis creatura aduerſùs tot promiſſiones & comminationes præpotentis & prædiuitis Dei efferri, & tam procaciter peccare non pertimeſcit. Hanc ergò ſuperbiam humilitate deſtrui, deijci, & deprimi oportet. Ea verò non parua eſt humiliatio & ſubmiſſio, cùm quis coram homine mortali, eodemq́ue peccatore, vſqueadeò ſeſe ſubmittit, vt conſcientiæ ſuæ ſecreta, & quicquid vitij ac dedecoris in ſe nouit, illi patefaciat. O quàm difficulter eouſquè elatæ hominum mentes adiguntur. Atque eam ob rem ſalutaris illa confeſſio ex omnibus Eccleſijs eſt profligata & exploſa, cùm tamen ipſi etiam Sectarum coryphæi calamo & lingua clamitent, vtilem & ſalutarem eſſe Cõfeſſionis vſum. Verùm nimìs inualuit ſuperbia in hominum pectoribus, & ęgrè admodùm ad hęc tam humilia deducũtur. Sed quę eſt hęc ſuperbia? Nolle ſcilicet hominem ei peccata ſua fateri, penès quem certò nouit paratam inueniri remiſſionẽ ex virtute ꝓmiſſionis Chriſti, di-

Iohan. 20.

Eſa. 43. iuxta LXX.

centis: Quorum remiſeritis peccata &c? Ideò enim peccata abſcōdimus, nè ſciant homines, quàm mali ſimus & nihili, & meliores nos reputēt, quàm reuerà ſumus, cùm tamen DEVS non ignoret, quid in receſſu habeamus. Et proculdubiò indignè fert DEVS, quòd corā hominibus potiùs, quàm coram ipſo iuſti videri volumus. Execrabilis & peſtilens eſt hypocriſis, meliorem quempiā videri velle, quàm ſit, & talē ſe fratri ſpe veniæ & opis cōſequendç nolle aperire, qualem ſe re ipſa iam dudùm coram Deo declarauit. Cùm ergò ſuperbia & hypocriſis animū eiuſmodi hominis occupent, quomodò poterit ad illum habere aditū peccatorū remiſſio? Hæc enim fit ex gratia & miſericordia Dei: gratia autē DEI in animos hypocriſi & ſuperbia turgidos nō ingreditur, ſed fugit illos, iuxta illud, DEVS ſuperbis reſiſtit, &c. Tertia

Iaco.4. 1.Pet.5. confeſſionis vtilitas eſt, vt ſimpliciū cōſcientiæ, prudentis & eruditi Sacerdotis conſilio rectiùs inſtruátur, ac diſcant, quid peccatū vel ſit vel non ſit coram DEO, & quo pacto peccata peccatis præponderent, aliaq́; alijs ſint grauiora leuioraq́; Neq; ſanè exiguū hoc inter vulgares Chriſtianos eſt incōmodum, quòd de peccatis perperàm iudicant, videlicet pro ſtulta temerariaq́; opinione ſua potiùs, quàm ſecundùm pręcepta DEI. Queádmodùm fortaſsis pias mulierculas inuenire licebit, quæ grauiori cōſcientiæ ſcrupulo angantur, ſi ſordeſcentis aquæ lebetem ſub veſperā feriarum effundant, quàm ob aliam omnem inobedientiam & negligētiam admiſſam circa familiam adminiſtrandam, aut alia quæcunq; infideliter & pręter officiū geſta, Chriſtianç fœminç diuinitùs interdicta. Quin & in viris eiuſmodi ſtultitia cōſpicitur, vt grauiſſima flagitia flocci pendant, & minima vereantur:

Pſal.52. trepidēt, vbì non eſt timor, vt inquit Propheta: aut, vt Chriſtus ait, excolēt

Matt.23. culicem, camelū autem deglutiant. Huiuſmodi autem vitijs in publicis cōcionibus non ſatis anteuerti poteſt, ac tametſi dicatur hinc quippiā, haud tamen ſcire licet, qui intelligant & memoria complectantur. In confeſſione verò ſingulorum conſcientiæ, quonam in ſtatu ſint, cognoſcūtur, ijsq́; cōſilio & auxilio ſubueniri poteſt: pręſertim autem propter iuniores Confeſſio cumprimis vtilis eſt & neceſſaria, cùm plerunquè negligenter ſatis & inſulſè ac ruditer educentur, vt in Confeſſione doceantur ac inſtruantur, nè vſqueadeò malè conſtituti & incōditi, ad Eccleſiæ veneranda Sacramēta accedant. Quarta cōfeſſionis vtilitas eſt, vt iuuenū, immò & ſenum quandoquè petulantia & proteruia compeſcatur. In confeſſo enim eſt, plurima peccata non perpetrari ob erubeſcentiam & pudorem confitendi. Experiuntur ſanè & deplorant hæreſiarchæ, iuuentutem planè præfractam, petulantem, efferam & intractabilem eſſe factam. Et meritò ſanè, quandoquidem hoc confeſſionis frenum à ceruicibus eorum penitùs ablatum eſt, doctique ſunt petulanter & effrenatè ſeſe gerere aduerſùs priorem magiſtratum: eadem, cui iam aſſueuerunt, licentia vtuntur erga ſuos magiſtros, à quibus eam edocti ſunt. Vtiquè illis haud aliter accidere par erat, atquè viperis, quæ à proprio fœtu ventrem illarum rumpente enecantur. Et profe-

ctò ſi

ctò ſi illi deſinere vellent à ſua vitiorum palpatione & blandiloquentia, cõperirent reipſa, qualem obedientiam excitârint.

Exploratum ergò iam habetis, auditores, quibus rationibus Eccleſia cõfeſſionis vſum aduersùs improbam & petulãtem Sectariorum nouationẽ poſſit defendere. Audîſtis eam in verbo Dei & pręcepto Chriſti fundatã & teſtatam. Cognouiſtis eam vtilẽ, ſalutarẽ & neceſſariam eſſe in Repu. Chriſtiana. Reſtat adhuc tertium pro Confeſſione teſtimonium, quod meritò ſanè efficere debebit, vt in Eccleſia retineatur, ſit, permaneat, conſeruetur. Eſt aũt hoc teſtimonium, Confeſſionẽ ante nos iam indè ab initio naſcentis Eccleſiæ, in omnibus locis, vbicunquè Chriſtiani fuêre, ad nos vſq; perdurâſſe. Id quod clariſſimè teſtantur primi vetuſtiſſimiq́; Eccleſiæ Patres, ex quorum monumentis etiamnùm extantibus euidenter doceri poteſt, confeſſionem ab exordio Chriſtianę religionis ſemper & vbiquè locorum ità obſeruatam eſſe in Eccleſia, vt peccatorum enarratio & exomologeſis coram Sacerdote facta ſit. Quorum omnium teſtimonijs producẽdis, cùm plurimùm tẽporis inſumẽdum ſit, loca ſolùm indicabimus, vt ſi quis ea legere velit, habeat vbì inquirat. Clemens epiſtola ad Iacobum fratrem Domini, Diony. epiſto. 8. ad Demophilum. Cypria. de lapſis. Tertull. de pœnitentia. Hierony. in Matthæum 16. & in Eccleſiaſten cap. 10. Ambroſius & Auguſtinus vbiquè. Origenes ſuper Pſalm. 37. Homil. 2. Baſilius de inſtitutione Monach. cap. 18. 98. Zozomenus.

CONCIO LXII. HABITA

Dominica Vndecima poſt Trinitatis, *Anno* 1543.

HActenùs Auditores, iuxta teſtimonia ſcripturarum, ſalutaremq́; & Catholicam doctrinam tractauimus de Confeſſione, docuimusq́; eam in Eccleſia Dei ad remiſſionem peccatorum vtilem, ſalutarem & neceſſariam eſſe: facileque poſſum conijcere, his ſermonibus tædium & moleſtiam vobis allatam eſſe. Nam, vt à natura affecti ſumus, parùm delectant, quæ ad hanc diſciplinam nos reuocant & adducere nituntur. Quanquàm adhuc plura dicenda forent, nempe cuiuſmodi eſſe debeat Confeſſio, qua ſedulitate ac diligentia facienda ſit: quæ in aliud tempus differemus. Vnum tamen adhuc ad confeſſionem requiritur, quod neutiquàm eſt prætereundum: atque hoc animos veſtros nonnihìl recreabit, & confeſſiõis acerbitatẽ ac nauſeã vertet in dulcedinẽ & voluptatẽ. Iſthuc verò eſt ſalutaris illa Abſolutio & peccatorum remiſſio, quæ ex verbo & promiſſione Chriſti certa, efficax & infallibilis eſt, quamq́; per Confeſſionem obtinemus. Iã verò ſic natura comparatũ videmus, vt hoĩes maioris cuiuſdã lucri vel cõmodi cauſa grauia, moleſta & acerba ſubire & ꝑferre nõ detrectẽt. Multi ſecari & vri ſe ſinũt, & ſanitate potiantẽ. Videas pleroſq; labores & dolores, itẽq́; dãna ꝑpeti, ſpe maioris alicuius boni conſequẽdi. Eodẽ modò & hîc nos affectos eſſe decet, vt cõfeſſionis moleſtiã ob recuperandã

animæ ſanitatem, lucrumq́; ad ſalutem ſempiternam obtinendam libēter ſuſcipiamus ac toleremus, peccata quoquè haud inuiti confiteamur,vt no bis remittantur, & gratiam ac miſericordiam conſequamur, quemadmo-
Prou. 28. dùm ſcriptum eſt: Qui abſcondit ſcelera ſua,non dirigetur: qui autem con feſſus fuerit,& reliquerit ea, miſericoridam conſequetur. Vbi itaque poſt ſeriam legitimamque peccatorum confeſſionem factam,ad abſolutionem deuētum fuerit,iam homo animum ſuum in fide ad cælum ſubrigens, nihil ampliùs humani operis ſecum agi,ſed omnia prorſus diuina eſſe ac cæleſti diuinaq́; virtute peragi perſuaſum habebit. Ac tametſi quidē hominis vocem audit,dum Sacerdos inquit: Abſoluo te,&c. perſpectum tamen ha-
Iohan.20. bebit,promiſſionem Chriſti hîc in ipſo operari,veramque & efficacem effici,ſiue ad effectum perduci, qua miniſtris ſuis dixit: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,&c. Quamobrem ex abſolutione Sacerdotis conſolationem haurire debebit peccator,nec aliud putare, immò certò perſuaſum habere,Deum ipſum per miniſtrum ſibi loqui, & Euangelicam illam
Matth. 9. paracleſin proferre: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Atque hîc citra omnem hæſitantiam credet, Spiritumſanctum intrinſecùs in ſe operari, ſeq́; à peccatis exoluere, quandoquidem promiſſiones Chriſti neutiquàm inanes & fruſtraneæ eſſe poſſunt. Iam enim merita Chriſti ei communicantur,& in precioſo Chriſti ſanguine,qui in remiſſionem peccatorum effuſus eſt,abluitur & mundatur à peccatis ſuis.Nam quæ priùs gene-
Luc. 24. ralis erat promiſſio, ſcilicet pœnitentiam & peccatorum remiſſionem in Chriſti nomine annunciandam & concedendam in vniuerſo orbe, eam nunc iſte ad ſe adducit,ſeque de ea certificat, eamq́; ſibi peculiarem ac propriam efficit,mediante ſiue interueniente abſolutione. Atque hîc ſciendum eſt,Pœnitentiam eſſe Sacramentum propter abſolutionem,quandoquidem in externo Sacerdotis verbo & miniſterio internam gratiam & emundationem peccatorū operatur Spirituſſanctus per precioſum ſanguinem & ſalutaria merita Domini ac ſeruatoris noſtri Chriſti Ieſu.

Ex his iam facilè patebit reſponſio,qua temeritati quorundam occurramus,qua craſſi quidam pſeudochriſtiani dicunt: Quomodò ſacerdos mihi peccata remittet,cùm & ipſe homo ſit, & peccatis obnoxius? Bona verba quæſo.Hac enim temeritate vniuerſam omnium Sacramētorum diuinorumq́; myſteriorum diſpenſationem pariter labefactaueris, & ex Eccleſia ſuſtuleris,& nemini ēiā in eo diſpenſandi munere reliqueris, de quo ad Co-
1.Cor.4. rinthios inquit Apoſtolus: Sic nos exſtimet homo, &c. Sed inquis: Qua ratione Sacerdos peccata remittere poteſt? Nimirùm poteſt id tanquàm miniſter, non propria authoritate, ſed virtute Chriſti: non pro ſuo arbitrio, vel ex ſeipſo,ſed ex mandato & promiſſione Chriſti,dicentis: Quorum remiſeritis &c. Si quidem tu dubitas,num peccata remittere poſſit Sacerdos, quòd & homo ſit,& ipſe quoquè peccator: eadem quoquè ratione dubitaueris,num baptizare queat in vitam ęternam, ad capiendam hæreditatem cæleſtem,

cæleſtem, cùm vtiquè cæli dominium ille ſibi vendicare non poſſit: Dubitaueris etiam, quomodò ſacroſanctum Chriſti corpus de altari porrigere poſſit in vitam æternam. Faceſſant hæc tam craſſa dubia, procùl abſcedant ab animo Chriſtiano. Quotquot enim verè Chriſtiani ſunt, ſciunt & incunctanter credunt, promiſſiones CHRISTI efficaces, certas & minimè fallaces eſſe, ſeque in diſpenſandis Sacramentis non qualitatem aut perſonam miniſtri reſpicere, ſed virtutem & veritatem Domini cogitare & credere debere, qui Sacramentis adminiſtrandis, alijsque ſacris miniſterijs obeundis diſpares quandoquè miniſtros adhibet, & nihilo ſeciùs vbiquè parem gratiam & virtutem operatur per Spiritumſanctum, iuxta promiſſiones ſuas, qui in omnibus verbis & promiſſis fidelis eſt & ſanctus. Hæc itaque de Confeſſione, ſecunda veræ pœnitentiæ parte, quantùm rei neceſſitas poſtulat, dixiſſe ſufficiat. Nunc tertiam & poſtremam aggrediemur, quæ vocatur Satisfactio, cùm externis quibuſdam operibus & pœnis peccata expiamus. Neque tamen ignoro hoc ſatisfactionis nomen intolerabile eſſe & inuiſum permultis, ijs præſertim qui neque hanc ipſam vocem, neque mentem ſiue intentionem, neq; actionem Eccleſiæ intelligunt, aut qui alioquì ex petulantia & malitia omnem Eccleſiæ diſciplinam conuulſam ac diſſipatam cupiunt. Siquidem fieri vix poteſt, quandò contemnitur, quod per ſe bonum & ſalutiferum eſt, quin id vel ex ignorantia, vel magna temeritate ac malitia fiat. A vobis itaque hoc ego precor, vt priùs audire ſuſtineatis quid ſit Satisfactio, quamobrem & in quem finem fiat, quibus Eccleſia ſubnixa rationibus, ac deniquè quem in modum eam hucuſquè vſurpauerit. Equidem cuncta hæc & veraciter & luculenter ſatìs vobis aperiam: cumque didiceritis, quid ſit Satisfactio, penès vos ego hanc patiar eſſe poteſtatem, vt ſtatuatis, ſitne res ſalutaris an pernicioſa, pia an impia, laudanda an vituperanda. Primùm Satisfactio illa, quæ in qualibet vera Pœnitentia requiritur, vtpotè quãdò Eccleſia pro ratione peccatorũ temporariam aliquam pœnam luendam, aut pium aliquod exercitium faciendum imponit, aut vbì verè pœnitens vltrò pœnam quandam aut aliquod pium & vtile exercitium ſibi imponit: hæc, inquam, Satisfactio hocipſo ſatisfactionis nomine appellatur, non quòd huiuſmodi operibus per nos Deo ſatisfacere queamus pro peccatis, ijsque peccata prorsùs expiemus, hacque temporaria pœna vel exercitijs iſtis per ſe, peccatorum veniam mereamur. Nequaquàm: ſiquidem tam rudis & ingrata nunquàm fuit Eccleſia Catholica aduersùs Chriſtum Dominum & Seruatorem ſuum, vt peccatorum remiſſionem vlli alij operi præcipuè adſcribendam duxerit, præterquàm ſalutiferis meritis Chriſti, qui ſolus vnica fuit propitiatio pro peccatis totius mũdi, ſolus pro peccatis noſtris ſatisfecit, eaq; expiauit per Sacroſanctã paſſionẽ ſuã in precioſiſſimo ſanguine ſuo: quin & omnis peccatorũ remiſſio, quę ab exordio mũdi facta eſt, aut adhuc futura eſt vſq; ad cõſummationẽ eiuſdẽ, vim & virtutẽ ſuã habet ex ſacratiſſimo ſanguine Chriſti, quẽ is pro

homi-

hominum peccatis effudit. Qui veniam peccatorum ſuorum expetit, eam vt ex gratia & meritis Chriſti capiat neceſſum eſt: alioquì enim nulla opera per ſe efficacia ſunt ad impetrãdam peccatorum remiſſionem. Clara nimis magisq́; luculenta ſunt hac de re Scripturę teſtimonia, quàm vt vnquã aliter ſenſerit, crediderit ac docuerit Eccleſia de peccatorum remiſſione. Vide Rom.3. Tit.3. Eph.5.1. Iohan.1.2.1. Pet.1. Idcircò autem appellatur Satisfactio, quòd peccator hoc pacto per eiuſmodi pœnas vel pietatis exercitia ſatisfacit Eccleſiæ, quæ illi huiuſmodi iniunxit. Exequitur his ipſis Eccleſiæ diſciplinam, qua ea erga perpetrata maleficia ſolet vti. Apud Deum verò, vt pòſt dicemus, hanc habet virtutem Satisfactio, quòd cùm peccata nobis condonet Deus ex gratia, commeritam animaduerſionem ſuam tantò libentiùs remittit, ſi videat nos ipſos nos dijudicare & caſtigare, 1. Corin. 11. Atquì verò Eccleſia huiuſmodi Satisfactionem non ſinè ratione, neque ex humana inſtitutione vſurpat, ſed ex ductu & traditione verbi Dei, atque ex ipſo Dei mandato. Poſtulat enim certè grauitas Euangelij noſtri ſeu doctrinæ Chriſtianæ, poſteaquàm ſemèl à peccatis gratìs mundati ſumus per gratiam & miſericordiam Dei, nullis noſtris præcedentibus meritis, ſi deindè in peccata relapſi, rursùm Deo & Eccleſiæ reconciliari cupiamus, vtì nè tam facilè ac planè gratìs ſinè omni caſtigatione in gratiam recipiamur: ſed vt externa aliqua irroganda pœna, aut pijs præſcribendis exercitijs priùs aliquandiù caſtigemur & purgemur, atque ità demùm ad participationem Sacramentorum admittamur, vel etiam vt in communionem rurſus admiſſi, deindè ad aliquod tempus caſtigemur, ſiue pœna aliqua dependenda, ſeu ſanctis quibuſdam actitandis exercitijs, vt ijs occupati, non eadem facilitate ac petulantia in eadem peccata relabamur. Sinè huiuſmodi Satisfactione nulla pœnitentia fieri, nec vlla vitę nouitas aſſumi poteſt. Luc.3. Exigit Iohannes fructus pœnitentię dignos, ex quibus veteris vitæ emendatio, & nouæ conuerſationis meditatio ac ſtudium non obſcurè queat animaduerti. Vt, verbi gratia, qui priùs ſuperbia tumebat, iam ſtudeat humilitati: qui comeſſationibus & potationi deditus erat, iam porrò ſit ſobrius: qui rapiebat aliena & auaritiam ſectabatur, nunc ſua tribuat & declaret liberalitatem: qui inuidiæ & odij ſtimulis exagitabatur, nunc diligat: qui ſtupris ac libidinibus operam dabat, nunc caſtitati ſtudeat. Hi ſunt digni fructus pœnitentiæ, quos in verè pœnitentibus apparére & relucere oportet, & ſinè quibus vera pœnitentia ſuſcipi non poteſt. Aequúmne cenſebis & Euangelicæ doctrinæ grauitati conſentaneum, vt qui proteruè & petulanter peccârit, à peccatis abſoluatur, & nihilo feciùs in illa ſua peccandi libidine & petulantia permanere ſinatur? vt immundities, luxus, crapula & inuidia ei remittantur, ac nihilo minùs in ijſdem flagitijs perſeuerare permittatur, & non potiùs ad caſtitatem, ſobrietatem, liberalitatẽ & beneuolẽtiam inſtigeť ac vrgeať? Qualis, obſecro, foret illa pœnitẽtia, ſi qs modò vellet à peccatis deſiſtere, & nõ etiã cõtrarias illis virtutes amplecti, ac

ac iuſtitiam exercere, qui priùs conſectatus eſſet iniquitatem? Quinimmò ipſa ratio iuſtum eſſe fateri cogitur, vt vera conuerſio duas has partes vel cõditiones habeat, nempe declinare à malo, & facere bonum: abſtinere ab eo quod peccatum eſt & Deo contrarium, & è diuerſo facere quod iuſtum Deoq́; acceptum eſt. Nam huiuſmodi Satisfactionem & cõpẽſationem veteris vitæ à ſuis Romanis exigit Apoſtolus, vbi ait: Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ità nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, &c. Ex tali itaque fundamento Eccleſia Satisfactionem deſumpſit, quam à peccatoribus requirit in pœnitentia, dum eos vrget, vt ſuperiorem peccandi petulantiam deinceps abſtinentia cibi ac potûs, caſtigatione corporis, eleemoſynis, alijsq́ue bonis ac pijs exercitijs expient ac compenſent. Hoc ergò pro admiſſis peccatis Satisfactionem appellamus, non quòd pro peccatis coram Deo hac ratione per ſe ſatisfiat, & huiuſmodi ſolis operibus peccatorum veniam promereamur: hanc enim pœnitens in abſolutione conſequitur per gratiam & meritum Chriſti. Atque vt exactiùs intelligatis, Satisfactionem & remiſſionem peccatorum non pro eodem accipi, ſed vtranque diſcriminatìm tractari, morem Eccleſiæ in facto quodam & exemplo conſiderabimus. Accedit quiſpiam Sacerdotem enormibus peccatis cõtaminatus, impudicitia, auaritia, rapinis, furtis, luxu & crapula, ſerioq́; & contrito corde eiuſmodi peccata ſibi remitti deſiderat. Admittit eũ ſacerdos, auditaq́; eius Confeſſione, quandoquidem ſentit eum ob admiſſa peccata dolere ex animo, vniuerſa ei remittit virtute gratiæ & meritorum Chriſti, q̃ ſanguinem ſuum ꝓ peccatis noſtris effudit. Sic enim inquit Sacerdos: Ego te abſoluo à peccatis, &c. Audis nunc Eccleſiã peccata remittere, nõ propter vlla opera humana, ſed ex nuda gratia & miſericordia Dei, quam appræhendimus in fide per Chriſtum Ieſum Dominũ noſtrum, qui nos Deo recõciliauit, & hunc theſaurum ac fontem ſalutaribus ſuis meritis nobis reſerauit. Rom. 6.

Quandò iam peccator hoc pacto ab anteactis peccatis eſt abſolutus per miniſterium Eccleſiæ virtute gratiæ & meritorum Chriſti, tum demùm de Satisfactione cum eo agit Sacerdos, imponitq́ue illi mulctam quandam vel Satisfactionem, aitque: Quandoquidem graui iam frater peccatorum pondere exoneratus es gratia Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, & ex ſeruitute peccati in miniſterium Chriſti tranſlatus, qui omnem tibi noxam ex gratia condonauit, proindè nunc æquitatis poſcit ratio, quẽadmodùm hactenùs Diabolo te ſeruum præbuiſti peccando & iniquè agendo, ità nũc deincèps Chriſto Domino tuo ſeruias in iuſtitia & ſanctitate. Hactenùs gulæ & crapulæ iuxta tuam ipſius confeſſionem addictus fuiſti, deincèps ergò tanto tempore, & eum in modũ ieiunijs vaces, à vino tibi temperes: pane & aqua, aut ſimplici cibo ſis contentus. Laſciuiẽtis carnis deſideria ſectat^9 es, vt nũc ipſe fateris & deteſtaris: dehinc iã corpus abſtinẽtia,

veſti-

veſtium & lecti aſperitate coërceas & caſtiges, vt aſſueſcas puritatē & caſtitatem ſeruare. Auaritia & vſuris longè vltra metas exceſſiſti, & Chriſtianæ æquitatis menſuram tranſgrediens, DEVM offendiſti, plurimoſq; homines damno & iniuria affeciſti: in poſterū in eleemoſynis præſtandis & iuuandis egenis liberalior eris & largior, quo & DEO pariter rē gratā facies, & proximorū iniuriam ac detrimēta releuabis. Eccè auditores, huiuſmodi exercitia, quæ pro anteactorū peccatorum qualitate pœnitētibus iniungunt, ſatisfactionē appellamus in Eccleſia. Quis verò iſthuc non iuſtū æquumq́ue cēſuerit? Quis aliter cogitare queat, q̄ DEVM eiuſmodi à peccatore, qui verè
Rom.6. à peccatis velit cōuerti, exigere? Quid aliud hoc eſt, q̄ quod Apoſtolus tam ęquū exiſtimat, vt nè humana quidē ratio vlla diuerſum ſentire debeat aut poſſit? Humanū, inquit, dico &c. Atq; hoc odioſum illud Satisfactiōis nomen, cuius cauſa pleriq; Eccleſiā tam contumelioſè criminant. Verùm, vt dixi, eiuſmodi criminatio ex imperitia proficiſcat oportet, quòd ignorēt, quid per Satisfactionem intelligat Eccleſia: aut ſanè ex execa malignaq; inuidia, odio & malitia, quòd omnem Eccleſiæ diſciplinam ſubruere, & Satanam, cum vniuerſa ſcelerum flagitiorumq; turma, in regnum omi diſciplina ſolutum ac liberum per vim intrudere peroptent. Ego autē cordatis & pijs quibuſque iudicandum relinquo, an Eccleſia Catholica eiuſmodi contumeliam & conuicia commereatur, quandò peccatori pœnitentiam agere volenti tam pia exercitia iniungit. Neque enim humanum eſt commentum, ſed ſcriptura omnis id flagitat, vt qui à veteri viuendi ratione verè abſtinere, & ad meliorem frugem ſe recipere velit, eiuſmodi vitę nouitatem è contrario amplectaſ, & antiqua flagitia nouis iiſq; contrarijs virtutibus ſanet & commutet, Roman.6. Eph.4. 1.Pet.4. Porrò tria præcipuè exercitia inūeniuntur in Scripturis, quibus ad expiāda peccata vtendum eſt, cùm & tria quædam præcipua ſint peccata: vndè etiam hæc tria pœnitētiæ opera caſtigandis, mulctandis, & expiandis peccatis omnibus commodè
1.Ioh.2. & aptè deſeruiunt. Tria peccata ſunt hęc: Concupiſcentia carnis, Concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitę. His opponuntur totidem generalia remedia, quę ſemper antehàc vſitata ſunt ab illis, qui reſipuiſſent, & conuerſi eſſent à peccatis, Ieiunium, Oratio, Eleemoſyna. Carnis laſciuiæ opponitur Ieiunium: concupiſcentiæ oculorum, id eſt, Auaritiæ, qua appetimus quicquid nobis adlubeſcit, medetur Eleemoſyna: Aduerſus ſuperbiam vitę facit humilis oratio. Eſt verò etiam hęc natura peccati, quòd Deum offendit, proximum lædit & affligit, hominem ipſum perdit, mentem illi excantat, adducitq́ue eum ad vitam planè impiam. Porrò hęc tria Pœnitentię opera, etiam tribus hiſce vitijs medentur: Per orationem Deo recōciliamur: Eleemoſyna, proximi grauamina ac damna compenſantur: Ieiunio corpus quiſq; ſuū in ſeruitutem redigimus, 1.Corin.9. Attamen cum tribus his generalibus pœnitentię opibus alia etiā in ſcripturis cōcurrere videmus: verbi gratia, indui cilicijs, cōſpergi cinere, humi cubare, flere, &c.

Et in ſumma, quicquid piè agitur, inter pœnitentiæ opera poſsit cenſeri. Præterea ad Satisfactionē & compenſationem peccatorū requiritur, quicquid iuſtitia repoſcit, nempe rerum ablatarum reſtitutionem, eorum quos offendimus, reconciliationem, conuiciorum et contumeliarum palinodiam. Neq; ſibi quieſcēdum putabit ueræ pœnitentiæ ſtudioſus, donec pro uirili ſua eorum omnium, quos læſit, damna & diſpendia integrè reſarciat, ſiue ea famæ & exiſtimationis, ſiue fortunarum & facultatum ſint. Audiuiſtis itaq;, auditores, quid ſit Satisfactio, & quo cōſilio ac intentione, ſeu quem in finem fiat. Subindè audiemus, quorſum utile ſit ac neceſſarium, huiuſmodi mulctam & Satisfactionem pro cōditione peccatorum pœnitentibus imponere, teſtimoniisq; & exemplis Scripturæ docebimus, eiuſmodi in uera pœnitentia fieri oportere, & ſinè hac Satisfactione ueram eſſe pœnitentiam non poſſe, niſi peccator ineuitabili neceſsitate præpediatur.

CONCIO LXIII. HABITA

Dominica duodecima poſt Trinitatis, Anno 1543.

PRoxima concione, Auditores, tertiam ueræ ac germanæ Pœnitentiæ partem explicuimus, nempe Satisfactionem, quæ eis iniungitur, qui à peccatis ad Deum conuerti, & Sacramentorum communione in Dei Eccleſia cum aliis gaudere cupiunt. Hos Eccleſia ad quandam peccatorū ſuorum compenſationem & ſatisfactionem inſtigat & urget, & quædam illis exercitia & opera imponit, quæ commiſsis peccatis ſint contraria, quibus à priſtina uiuēdi conſuetudine auertātur, & à ſolitis peccatis tāto facilius deſueſcāt. Præſcribit eis ieiunia, qui priùs uino madebant; iubet largiri eos, qui prius rapinis & pecuniæ cumulandæ ſtudebant; amare & benignè facere eos, qui alios lædebant, odioq; & liuore tabeſcebant: caſtitatem ſobrietatemq; ſectari, qui libidinibus turpiter flagrabant. Atq; hoc Satisfactionem appellamus, non quòd huiuſmodi operibus per ſe peccatores uerè corā Deo ſua peccata expiare, eorundemq; ueniā promereri poſsint. Nouit enim Eccleſia, quid habeat in mandatis, nimirū ut uerè pœnitentibus, peccatorumq; ueniam corde cōtrito poſtulantibus, per fidem uiuam in Chriſtum, peccata remittere, remiſsionemq; ex gratia & miſericordia Dei per merita Chriſti addicere debeat. Nec hoc priuato cōſilio, aut ex inſtitutiōe humana facit Eccleſia, ſed ex fundamēto & præcepto ſcripturæ, conuenienterq; illi grauitati, quam depoſcit Chriſtianiſmus. Aequum enim eſt, illam peccandi petulantiam iſtiuſmodi aduerſione & caſtigatione expiari & elui, eosq; qui per gratiam Chriſti remiſsionem anteactorum peccatorum adepti ſunt, nunc illam nouitatem, quam Chriſtus exigit, in ſatisfactionem, compenſationem & commutationem amplecti.

Hæc ſiquidem eſt indoles & proprietas Chriſtianæ doctrinæ, atq; in eo uis Chriſtianæ Religionis conſiſtit, quòd Chriſtus ueterem noſtram uiuendi rationem nouæ uitæ ſtudio uult commutatam: ut qui uitam priorem impudi-

cè tranſegit, ad Chriſtum conuerſus, purè & caſtè uiuat. Qui priùs auarus, iracundus, elatus fuit, nunc liberalis, benignus, & humilis fiat. Qui anteà iniuſtitiæ ſeruiuit, in Chriſti gratiam receptus, qui omnem illi iniquitatem abſtulit & remiſit, meritò deinceps ſeruiat iuſtitiæ: atq; in eo ſitum eſt fundamentum Satisfactionis, quæ à peccatore à uitiis ad Deum conuerſo depoſcitur: hi ſunt fructus, quos uera pœnitentia producere debet. Nunc itaq; porrò progrediemur ac docebimus, quorſum peccatori utile ſit & neceſſarium, ut poſteaquàm ſua per contritionem & confeſsionem correxit errata ſua, & eorum quæ hactenus commiſit, ueniam in uerbo & promiſsione Chriſti, ex gratia & miſericordia Dei per fidem uiuam in Chriſtum eſt adeptus, ut præter hæc etiam actualem quandam (ut ſic dicam) adhuc pœnitentiam ſuſcipiat ob peccata admiſſa, quæ tamen iam uigore abſolutionis illi ſunt remiſſa. Hæc enim eſt Chriſtianæ doctrinæ ueritas, remitti nobis peccata, non tam propter opera noſtra, quàm ex gratia & miſericordia Dei per fidem in Chriſtum, qui nos in ſanguine ſuo Deo reconciliauit. Quorſum igitur attinet Satisfactio, pœna & caſtigatio, quam pro peccatis iam condonatis ſuſcipimus? Huius quidem rei urgentes & egregias cauſas ac rationes ex ſolidis ſcripturæ teſtimoniis adducemus. Ità nimirùm ſeſe habet ueritas, ut quilibet in ſe perſentit & fateri cogitur, poſt peccata per gratiam Dei & merita Chriſti iam remiſſa, remanere nihilo minus in homine quaſdam peccatorum reliquias, & quandam ex peccatis cõtractam imbecillitatem, ſubſequenti tempore piis exercitiis curandam & ſanandam.

Atq; hæc una eſt ratio, quamobrem peccator nõ continuò poſt abſolutionem ſit liber dimittendus: ſed conſideranda eſt peccatorum eius qualitas & conditio, & ſecundùm eam quædam exercitia illi iniungenda, quibus liuentes adhuc peccatorum ſuorum plagas paulatim ſanare queat. Neq; enim peccata duntaxat defœdant & contaminant hominis naturam, ſed debilitant quoquè

Ephe. 6. & uulnerant eam. Quamobrem & Paulus peccata appellat tela & ſpicula Diaboli, hoc ipſo innuens, naturam hominis per peccata debilitari et ſauciari. Et quis ignorat, ubi quiſpiam in aliquod crimen prolapſus eſt, illum naturam ſuam hoc ipſo adeò corrupiſſe, ut ad idem facinus pronior iam ſit & procliuior? Hinc igitur aduertas, quorſum pœnitentiæ opera conducant. Gulam & luxum ſectatus es? remittitur quidem tibi noxa per gratiam & miſericordiam Dei, uerum ut ab hoc uitio deſueſcas, neceſſum eſt aliquandiu te ieiuniis operam dare. Eadem in omnibus peccatis eſt ratio, quorum ſordes quidem tollit Abſolutio, ignoſcitur peccatori id quod malè egit ex gratia & miſericordia Dei: uerum ut imbecillitas ex peccatis contracta ſanetur, non eſt opus diei unius, ſed ſuum poſcit tempus: atq; eò conferunt ſalutaria illa exercitia, quæ cuilibet pro conditione peccatorum illius imponuntur. Inducitur peccator in conſuetudinem priori uitæ contrariam, et hac agenda pœnitentia ueluti freno quodam coërcetur, nè tam facilè relabatur in peccata, quæ iam primum reliquit, & nondum penitus dedidicit. Quòd autem eiuſmodi infirmitas & imbecilli-

cillitas in homine remaneat etiam poſt remiſſa peccata, ſuo ipſius exemplo comprobat Dauid.

Nathan Propheta abſoluerat eum à culpa, & liberum pronunciârat in uerbo & mandato Domini: Dominus, inquiens, tranſtulit peccatum tuum: et nihilominùs Dauid precatur Dominum, ut ſpiritum peccato debilitatum rurſus confirmet, et cordis munditiem largiatur. Cor mundum, inquit, crea in me Deus: et Spiritu principali confirma me. Quoniã ergò peccata tela ſunt Diaboli, quæ animam ſauciant, neceſſum etiam peccata inſtàr uulnerum corporis tractari. Chirurgus dum uulneratum ſanare inſtituit, telum priùs educit ex corpore, ac deindè applicat cataplaſmata, ſimulq; diætam, et ut ſe gerere debeat, præſcribit: idq; tantiſper, donec ſenſim curato uulnere, priſtina incolumitate gaudeat. Sic & ſpiritalis medicus ſauciam animam curaturus, ſagittas priùs extrahet, hoc eſt, peccata tollet, eaq; remittet uirtute uerbi Dei & præcepti Chriſti: quibus ità ablatis ac per gratiam et merita Chriſti Dei & Seruatoris noſtri remiſsis, tum ſalutifera malagmata uulneribus per peccatum acceptis applicabit. Si peccatum eſt laſciuia & impudicitia corporis, abſtinentia & oratione curandum eſt. Si auaritia, eleemoſynæ emplaſtra ſunt adhibenda. Atq; ut ſummatim dicamus, talis uiuendi norma peccatori aliquandiù præſcribenda eſt, quæ ueteri uitioſæ illius uitæ ſit contraria, donec paulatim à peccandi conſuetudine abducatur.

2.Re. 12. Pſal. 50. Ephe. 6.

Hæc igitur una eſt ratio, quamobrem utilis eſt & ſalutaris Satisfactio. Atq; hic animaduertitis, falſò inſimulari Eccleſiam DEI, quaſi doceat remiſsionem peccatorum non per Chriſtum, ſed per propria opera quærendam. Abſit, abſit. Eccleſiæ ſatisfactio non ea ſit ſententia: ſed ubi quis à peccatis ad Deum conuerſus eſt, eorundemq; ueniam ex gratia & meritis Chriſti in fide conſecutus eſt, tum porrò Eccleſia docet eum fructus dignos pœnitentiæ proferre, utiturq; illo erga eum inſtituto, quod Apoſtolus longe æquiſsimum cenſuit, ubi ait: Humanum dico propter infirmitatem carnis ueſtræ: ſicut exhibuiſtis membra ueſtra, &c. Rom. 6.

Verum eſt, & ex ſcriptura doceri poteſt, Deum condonatis nobis ex gratia & miſericordia ſua peccatis, et remiſſo æternæ damnationis ſupplicio peccatis noſtris commerito, non ſemper temporariam pœnam ſimul cum æterna remittere: ſed ſæpenumerò et ut plurimùm ex gratia ſempiternam pœnam in temporariam commutare, ut qui peccatis æterna gehennæ tormenta commeruerat, per contritionem & fidem uiuam, peccatorum ſimul & pœnæ ſempiternę relaxationem impetret, reſeruata tamen temporaria quadam caſtigatione & pœna qua delicta eius expientur. Vis eius rei certa habere documenta, Deum peccata condonare quidem, nec tamen temporariam pœnam remittere? Imbecillitas & morbi, quos in corporibus noſtris experimur, prætereà mors corporalis, ſunt pœnæ peccati originalis: Nam ſi peccatum originale commiſſum non eſſet, nunquàm huiuſmodi fragilitas irrepſiſſet in corpora noſtra.

Atqui uerò Deus culpam originalis peccati omnibus nobis ex gratia remiſit in Baptiſmo, et tamen culpam temporariam non remiſit. Neceſſum enim eſt, ut originale peccatum uariis morborum generibus ac denique ipſa corporis morte luamus. Populus Iſraëliticus cùm tentâſſet Deũ, nec credidiſſet ei,
Num. 14. indignatus eſt illi Dominus. Moſe uerò Dominum pro illo deprecante, ignouit quidem ei peccatum, ſed ea conditione, ut temporariam pœnam condonare nollet. Dimiſi, inquit ad Moſen, iuxta uerbum tuum. Attamen nemo illorum, qui non obedierunt uoci meæ, uidebit terram, pro qua iuraui patribus
Num. 20. eorum. Moſes & Aaron cùm aliquãdò de potentia Diuina nonnihil diffiderent, remiſit quidem illis Deus eam culpam, ſed hãc pro peccato irrogauit pœnam temporariã, ut neuter populum in terrã promiſsionis introduceret, ſed uterq; moreretur in deſerto, alio intereà conſtituto, qui Iſraëlitas in terrã promiſſam induceret. Dauid per ſeriam & acerbam contritionẽ & pœnitentiam, per ardentiſsimas preces, per magnã erga bonitatẽ & miſericordiam Dei fiducitam
2. Reg. 11. tiam impetrauit ueniam magnorũ criminum, quæ in Vriam eiusq; uxorẽ perpetrârat: atqui tametſi Deus, cõdonatis illi peccatis, eum in gratiã receperat, grauiſsimis tamẽ uitæ huius afflictionibus et pœnis eum affecit, et caſtigauit, uſq; adeò ut à proprio filio regno pelleretur, et uxores eius ab eodẽ conſtuprarẽtur, queãdmodũm ipſe Vriæ uxorem antè uiolauerat. Atq; ex uno hoc Dauidis exemplo ſatis euidenter appâret, et abundè doceri poteſt, Deum quãdoquè peccatori contrito culpam remittere, æternamq; pœnam condonare, ſed temporariis afflictionibus eundẽ ipſum caſtigare, (leniter tamẽ & clementer, ſi ſpectemus culpæ enormitatem) nè planè impunitum maneat peccatum.

Quod nemini mirum uidebitur, qui ſecum ipſe uolet expendere, Deum nõ
Pſal. 100. & 111. ſolùm eſſe bonum et miſericordem, ſed et ueracem ac iuſtum, dicẽte Prophe-
Exod. 34. ta: Miſericordiam et iudicium cantabo tibi Domine. Et alibi; Dominator Domine, Deus miſericors ac uerax, &c. Itã nimirùm eſt miſericors Deus, ut omnium noſtrũm ſalutem ex æquo deſideret. Bonitatis & miſericordiæ eſt, quòd culpam peccati remittit, et ab æterna damnatione liberat. Veritas & iuſtitia ſeſe nonnihil exerit, dum pœnam aliquam temporariam, licèt exiguam, à magnis peccatis repetit. Vides iam, ad quid cõferat, ut peccator ſeipſum ieiuniis, uigiliis, ciborum omniumq; uoluptatum abſtinentia, aliisq; aſperioribus uiuẽdi modis affligat propter peccata, cum nihilominus confidat ea ſibi ex gratia & miſericordia Dei eſſe remiſſa. Itã ergò temporaria pœna, ultrò à pœnitente ſibi irrogata, illas debet pœnas anteuertere, quas Deus pro peccatis infligit. Siquidem tam iuſtus eſt Deus, ut libenter ſuam ultionem remittat, ſi uideat hominem ſemetipſum punire, iuxta illud Pauli, 1. Corinth. 11. Si noſipſos iudicaremus, &c. Verum ſi tibi uelis eſſe nimium propitius, nec teipſum caſtigare, ipſe Deo præbes occaſionem, ob maleficia tua te puniendi, nè ueritas eius et iuſtitia planè omittatur.

Nunc ergò perſpectum habes, cur precibus, lachrymis, ieiuniis et eleemo-
Eccle. 21. ſynis etiã remiſſa peccata caſtigare debeamus, capisq; et perſpicis, quid ſibi uelint

ſint illæ ſcripturæ parænefes: Fili, peccaſti? non adiicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur. Et alibi: De propitiato peccato noli eſſe Eccle. 5.
ſinè metu, neq; adiicias peccatum ſuper peccatum. Et nè dicas, Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Aduertamus, quid dicat ſcriptura: De propitiato peccato noli eſſe ſinè metu. Dubitabiſne ergo de peccati remiſsione? Nequaquàm. Quinimò ſinè omni hæſitatione credes, certò tibi remitti peccata per gratiam & merita Chriſti Domini noſtri uirtute abſolutionis, qua Sacerdos te abſoluit, iuxta promiſsionem & præceptum Chriſti, dicentis: Quorum remiſeritis &c. De remiſsione igitur non eſt dubitandum. Iohā. 20.
Quàm certum enim & uerax eſt eius uerbum, tam certa & uera eſt peccatorum remiſsio, quæ iuxta promiſſum & mandatum uerbi diuini confertur in Eccleſia. Verùm hoc modo de propitiato peccato non eris ſinè metu, nè tam facilè ac leuiter eorum, quæ feciſti, peccatorum memoriam ex animo excutias, ſed illorum enormitatem tecum conſiderans, aliquam iis pœnam iure deberi agnoſcas, ſicq; ipſe tibi mulctam irroges, teq; caſtiges, ciborum & uoluptatum omnium abſtinentia, precando item pro peccatis tuis, et eleemoſynas præſtando. Quanto enim ſeuerius ipſe te caſtigaueris et egeris pœnitentiam, tanto magis Deum ad miſericordiam commouebis, ut ob tuam caſtigationem, temporariam quoquè pœnam tibi relaxet, quēadmodum antè perpetuum gehennæ ſupplicium per fidem uiuam in Chriſtum filium ſuum dilectum remiſit, et propter eius merita illiusq; gratiam peccatis tuis clementer ignouit. Ex his perſpicuum euadit, Eccleſiæ inſtitutum, quo non quemlibet continuò penitus à peccatis exoluit, ſed ligat quandoquè ad tēpus pro conditione criminum, temporariam pœnā irrogando, aut pia exercitia præſcribendo, putà uel preces, uel eleemoſynas, &c. non ſolum Chriſti mandato conſentaneum eſſe, quo ei diſtinctam tribuit poteſtatem ligandi & ſoluendi, ſed & pœnitentibus conducere, ut quandoquè eiuſmodi temporaria caſtigatione exerceantur, quo Deus tanto promptius pœnā omnem remittat, ſi eos in eiuſmodi caſtigatione & ſui humiliatione conſpiciat. Et quis, oro, eiuſmodi pœnas & mulctas culpare & redarguere poſsit? An non ſatis condonatum tibi eſt, frater, quandò tam ingens debitum peccatis tuis contractum tibi remittitur, et ex graui ira Dei perpetuæq; damnationis carcere liberaris? An non iſthuc tibi ſatis magnum beneficium uidetur? An uerò pigebit adhuc modicam pro peccatis tuis caſtigationem perpeti? Videris mihi ſanè perquàm delicatulus, et mollis nimium ac effœminatus ad ueram & idoneam agendam pœnitentiam.

Si tam ſuauem & facilem gratiam exquiris, ut ne adſpectum quidem paulò ſeueriorē feras, aut digito attingi ſuſtineas ob immania tua flagitia, alia potius tibi inquirenda eſt Eccleſia, ubi tam molliter tracteris: in qua palpones inuenias, qui cum petulanter & ex propoſito peccaueris, et grandia flagitia commiſeris, ridentes & applaudentes te abſoluant, te laudent, hilari & ſoluto ani-

mo eſſe,atq; more ſolito uiuere,ac deinde mox reuerti iubeant, facilem denuò abſolutionem impetraturum. Inquiras licet Eccleſiam,quæ hæc poſsit. Eccleſia enim Chriſti hanc facultatem non habet, ſed inſiſtit exemplis & teſtimonijs ſcripturæ Diuinæ,in quibus comperit,ſeueritate quadā opus eſſe in agenda pœnitentia. Ac tametſi nouit,credit & docet, purè remitti nobis peccata ex gratia & miſericordia Dei per fidem uiuam in Chriſtum,qui nos Deo reconciliauit in ſuo ſanguine: nō tamen ignorat, poſt remiſſa peccata uitæ emēdationem & ſpontaneam quandam ſuiipſius caſtigationem à peccatore requiri, qua ſeipſum puniens & affligēs, Domini iudicium & animaduerſionē anteuertat, atq; hoc pacto propria caſtigatione ſatisfaciat iuſtitiæ Dei,ut is ſuā uindictam & pœnam remittat, dum illius cernit uoluntariam punitionem & humilitatē. Quòd uerò Deus eiuſmodi actuoſam pœnitentiā exigat à pœnitentibus, poſtmodum exemplis & præceptis ex ſcripturis Diuinis deſumptis probabimus, ueterisq; Eccleſiæ conſuetudinem paucis adferemus,uti illa circa pœnitentiā ante mille annos ſeſe geſſerit. Nūc una inſuper ratione allata, finem faciemus: quę ſanè talis eſt,ut eius cauſa ſatisfactio, caſtigatio & pœna, quę pœnitentibus etiam poſt remiſſa peccata imponitur, cuilibet rectè intelligēti & cordato admodum probari ſoleat. Eſt aūt eiuſmodi: Qui Eccleſię miniſterio funguntur, & expendunt diſtinctam atq; diuerſam ſuper hominū peccatis poteſtatē ſibi à Chriſto mandatam, ꝙ tum ligare, tum ſoluere debeant, eos iam oportet uariam & diſparem conditionem eorum, qui à peccatis abſolui cupiunt, accuratè conſiderare. Plurimùm enim inter ſe diſsimiles ſunt, quòd ad peccata attinet. Alius incredulitate, ueneficiis, blaſphemiis, hæreſibus, homicidiis, adulteriis aut aliis grauib⁹ capitalibus flagitiis ſeſe obſtrinxit. Alius uerò peccauit quidē, ſed uel negligentia ſui officii, aut immoderata ira, aut aliis modis multo leuiorib⁹, quàm alter ille. Alius multa habet & grauia, alius & pauciora & leuiora peccata. Eodémne ergò loco & modo utrūq; habebit Sacerdos? Reſpōdeo: Quātùm ad peccatorum remiſsionem & æterni ſupplicii relaxationem attinet, eadem ratione agere debebit cum utroq;, & utriq; peccata remittet, ſi uterq; doleat, & per fidem ac meritum Chriſti ueniam imploret. Quo pacto igitur, inquis, hanc ligandi ſoluendiq; poteſtatem in utrunq; exercet, quandoquidem ambos à peccatis abſoluit? Nimirùm id in externa irroganda pœna appáret. Neq; enim hæreticum & incantatorem perindè tractabit, ut alterum illum minoribus peccatis obnoxium: ſed neq; tamen perire eū patietur in peccatis ſuis, nec ueniam negabit, nec à Dei gratia repellet, quantumuis enormiter peccauerit: ſed temporariam ei pœnam infliget, nec ſinè mulcta ab hæreſi abſoluet.
1.Cor. 5. Tradet eum, exemplo Apoſtoli, in interitum carnis, eiuſq; corpus caſtigabit & puniet iuxta ueteris Eccleſiæ diſciplinam, ut ſaluus ſit ſpiritus in die Domini.

CONCIO LXIIII. HABITA

Dominica XIII. poſt Trinitatis, Anno 1543.

HACTE-

HACTENVS aliquandiù pro Concione uerſati ſumus in explica‑
tione Sacramenti Pœnitentiæ, Auditores, cibi noſtris palatis admo‑
dùm acerbi, ingrati & inſipidi: itemq; Concionis uel prædicationis
multis infeſtationibus, impugnationibus & contradictionibus obnoxiæ. Ne‑
que id ſanè immeritò. Nam omnia ea, undè gaudia ſua & uoluptates mundus
captare ſolet, quæcunque mortalibus adlubeſcunt & plauſibilia ſunt, et qui‑
bus eorum natura delectatur, iſthæc pœnitentiæ prædicatio & doctrina con‑
demnat, interdicitq; & aufert hominibus, eorumq; loco ingerit, quicquid in‑
gratum, contrarium, graue & acerbum eſt. Alioqui enim non foret appellan‑
da pœnitentia, ſi nihil aſperi amari ue haberet. Mundi ſtudia ſunt, omnigenis
ſeſe dedere oblectamentis, epulari, potare, dare ſe iucunditati, quæſtum exer‑
cere, et diuitias accumulare. E diuerſo pœnitentia iubet delectamentis nun‑
cium remittere, ieiuniis ac lachrymis uacare, mœrere & angi animo, faculta‑
tes erogare & aliis impartiri.

Mundus ueſtium ſplendorem, elegantiam & mollitiem affectat, ſomnum
ſuauem expetit. Pœnitentia cilicium et ſaccum porrigit, cinere conſpergit, iu‑
bet humi cubare, totumq; hominem deformem prorſus reddit: eiusq; ſtudia
ſunt, quæ diuus Iacobus commemorat, dicens: Miſeri eſtote, et lugere, et plo‑ Iaco. 4.
rate: riſus ueſter in luctum conuertatur, et gaudium in mœrorem. Humilia‑
mini. Atq; hinc neceſſum eſt, eos harum Concionum tædere, quorum corda
Deus ſuis peculiaribus chariſmatis nondùm imbuit.

Proxima concione poſtremam pœnitentię partem Satisfactionem tracta‑
uimus, eamq; ſic explicuimus, ut iam perſpectum habeatis, quamobrem uo‑
cetur Satisfactio, et quam præbeat utilitatem. Siquidem non eam hic dicimus
ſatisfactionem, cuius uirtute peccata expientur, quæq; per ſe remiſsionẽ me‑
reat. Eiuſmodi eñ ſatisfactio ex precioſo ſanguine et ſalutiferis meritis Chri‑
ſti Dei ac Seruatoris noſtri promanat, qui eſt propiciatio pro peccatis noſtris: 1.Ioh. 2.
non pro noſtris aũt tantùm ſed etiam pro totius mũdi. In illo noſtra eſt ſatiſ‑
factio, qua peccata noſtra expiantur, et remiſsionem impetramus à Deo per
fidem uiuam in Chriſtum. Ad hanc ſatisfactionẽ nos remittit Eccleſia, quan‑
dò in nomine Patris, et Filii, et Spiritusſancti nos à peccatis abſoluit, ut intel‑
ligamus remiſsionem peccatorum ex uirtute gratiæ diuinæ, et nõ ex operibus
noſtris prouenire. Porrò noſtram ſatisfactionem ex præſcripto Eccleſiæ, aut
etiam ſponte nonnunq̃ ſuſcipimus, humiliantes nos, et pœnã ac caſtigationẽ
quandã ferentes, quãdiu id Eccleſia exigit: atq; ità ſatisfacimus ordinationi Ec‑
cleſiæ ex illius præſcripto: largimur Eleemoſynas, ieiunamꝰ aliaue pietatis of‑
ficia exercemus, ut digni fructus pœnitẽtiæ in nobis conſpiciant, et nè in Chri‑
ſti ſeruitio pigriores et negligẽtiores ſimus ad benè agendũ, quàm in ſeruitu‑
te peccati prompti fuimus & expediti ad faciendum malũ. De hac ſatisfactio‑
ne, qua ipſis factis noſtram pœnitentiã declaramus, hanc nos certam cõſola‑
tionem & fiduciã habemus, exemplis & teſtimoniis ſcripturæ diuinæ fundatã,

Deum ſinè dubio ſuam ultionem longè promptiùs ſuſpendere ac remittere, ſi hominem humiliatum conſpiciat, parcitq; libenter Deus, quandò quis ſeipſum caſtigat, 1. Corinth. 11.

Hanc uerò Dei uoluntatem ſancti Dei homines è Scripturis diuinis probè cognitam quum haberent, ieiunando, & alia uitæ auſterioris exercitia ſectando, ſeipſos in pœnitentia extremè abiecerunt ac humiliârunt, in precibusq; & eleemoſynis aſsidui fuere. Papè quantùm in primitiua Eccleſia in primis illis Chriſtianis feruorem, quantam ſeueritatem in eiuſmodi ſatisfactione uidere licet, adeò ut proteruū hoc ſeculum uix quidem audire ſuſtineat, quod illi re & opere complerunt. Verùm Chriſtianus ille feruor & zelus, progreſſu temporis ſenſim deferbuit, atq; ità in maiori ſemper licentia & perulantia adoleuimus, ut iam huiuſmodi ſatisfactionis, pœnæ & caſtigationis planè nullus ſit uſus in mundo. Quid autem commodi hinc percipiamus, declarabit ille dies,
2. Cor. 5. quo omnes ante tribunal Chriſti ſtabimus, ut referat unuſquiſq; propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum: ubi cuilibet ſua peccata perpetuis gehennæ ſuppliciis erunt luenda, qui non hic abiecit & humiliauit ſeſe, atq; in id incubuit, ut peccatorum ſuorum ueniam ex gratia & miſericordia Dei conſequeretur. Atq; tunc coacta illa, ſed inutilis & infrugifera impiorum pœnitentia ſumet initium, qui hic certa ſalutis ſpe propoſita triſtari & pœnitentiā agere noluerunt: qui tum præ anguſtia ſpiritus gementes, & pœnitentiam agen-
Sap. 5. tes, dicent intra ſe: Nos inſenſati &c. errauimus à uia ueritatis &c.

Et quidem de pœnitentia, quemadmodum ea in primitiua Eccleſia obſeruata eſt, ſicuti & aliarum quarundam ſalubrium rerum, umbram ſolum & exigua quædam ueſtigia adhuc retinemus in illis, quæ in die cœnæ Domini erga pœnitentes fiunt: quæ deuotis quidem & præclaris precibus peraguntur, ſed non relucet in factis illud ſtudium, ac feruor ille, quem uerba præ ſe ferunt, & quod rem omnem deſtruxit, maximè facinoroſi ac nocentes, quibus præcipuè neceſſaria eſſet pœnitentia, non uiſuntur; nec procumbunt inter pœnitentes. In ſumma grauitas & ſeueritas illa Chriſtiana, in ludum abiit: pœnitentia ab Eccleſia emigrauit, et proteruia ac malitia indiès augeſcit. Neque me clam eſt, quoſdam inſolenter hinc inter ſe colloqui, quòd auſus ſim concionari de pœnitentia. Sed his, quemadmodum & alias, ità nunc denuò reſpondeo, conciones Eccleſiaſticas haudquaquàm ad fatuum mundi palatum & ſententiam accommodari oportere. Dicenda ſunt, quæ uera ſunt & ſalùtaria, quæ qui ad ſuam ipſius ſalutem recipere noluerit, teſtimonium tamen feret ad tribunal Chriſti, demonſtratam ſibi eſſe ueritatem, modò eam ſequi non detrectaſſet. Proximè de tertia pœnitentiæ parte, nempe de Satisfactione diximus, quæ pro more iam potiſsimum, & penè ſola pro pœnitentia accipitur, eiuſdemq; utilitatem declarauimus.

Nunc de precibus & exemplis Scripturę teſtimonia proferemus, iam olim quoquè eiuſmodi Satisfactione caſtigata eſſe peccata, eſſeq; eam Deo gratā &

acceptam, immò Deum ab illis qui peccârunt, multis ſcripturæ locis eam exigere. Quæ quidem teſtimonia aduerſus temerarios illos & uanos homunciones producere uiſum eſt, ut dum ob ſatisfactionem nates corrugare uolunt, eamq; contemnere, nôrint ſe non ſolùm uetuſtum Eccleſiæ morem, ſed et Dei ordinationem, uoluntatem & mandatum contemnere.

Fatemur quidem coram quouis hoc ipſum à nobis exigente, Satisfactionis nomen in ea ſignificatione, qua hic eo utimur, nuſquàm inueniri in ſcripturis. Ipſum uerò opus & res ipſa paſsim in Scripturis tum exemplis, tum præceptis abundè fundatum eſt. De nomine quorſum opùs eſt altercari? Satis eſſet & ſufficeret ad ſalutem, ſi Eccleſia filios ſuos ità poſſet ad ueram permouere pœnitentiam, quòd eam caſtigandis peccatis ſuis ſeueritatem ac ſedulitatem adhiberent, quam literæ ſacræ à uerè pœnitentibus requirunt: utcunquè deindè eam actionem appellare iſtis collibitum ſit.

Nunc primò quidem exempla, eaq; præcipua tãtùm proferemus illorum, qui pro commiſsis peccatis huiuſmodi actuoſam pœnitentiam egerũt, quam nos ſatisfactionem nuncupamus, quorum etiam Deus miſertus eſt, & placatus eis pepercit. Clariſsimum inter cætera eſt Niniuitarum exemplum, quibus cùm Ionas imminentem propter peccata ciuitatis ſubuerſionem denunciatet, cõtinuò acta pœnitentia, agnitaq; ſua ipſorum malitia, edicto publico ſanxerunt, ſecumq; ſtatuerunt, ut unuſquiſq; conuerteretur à uia ſua mala, & ab iniquitate, quæ erat in manibus eorum. Nec tamen hoc fuêre contenti, ſed & factis ac reipſa pœnitentiam exercuerunt, ipſosq; ſe ob peccata puniuerunt. Rex quoque ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit ueſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens: Homines & iumenta & boues & pecora non guſtent quicquam; nec paſcantur, & aquam non bibant: & operiantur ſaccis homines & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine: Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, et reuertatur à furore iræ ſuæ, et nõ peribimus? Eccè Satisfactionem. Vis autem ſcire quid profecerint? Vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de uia ſua mala, et miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. Ion. 3.

Achab poſt auditam à Propheta Elia Dei comminationem, operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitq; & dormiuit in ſacco, et ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam, dicens: No'nne uidiſti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius. Atq; hic uerum comperimus illud Prophetæ: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Itemq; illud, Iuxtà eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde. Sed quis omnium exemplis recẽſendis ſuffecerit? cùm perpetua fuerit populi Dei, filiorum Iſraël conſuetudo, ut quotiès Deus peccatis eorum offenſus, in eos animaduerteret, illi contrà eiuſmodi Satisfactionẽ & humilem pœnitentiam arriperent: Induebantur ciliciis & ſaccis, conſpergebantur cinere, ieiunabant, plorabant, humi cubabant, atq; hoc pacto uindictam 3. Re. 21. Pſal. 50. Pſal. 33.

Diui-

Diuinam amoliebantur. Nam quotieſcunque ſic humiliati, peccatorum ueniam à Deo poſtulabant, toties Deus flexus ad miſericordiam, et illis ſe præbens exorabilem, ignoſcebat eorum peccatis, iramq; & indignationem ſuam ab illis auertens, aut omninò non puniebat, aut clementer corripiebat: idq; potiùs ad ſalutem eorum, quàm exitium. Sed hæc exempla commemoraſſe ſit ſatis.

Si quis & Scripturæ ſententias uelit legere, quibus Deus huiuſmodi Satiſfactionem præcipit, legat Leuitic. 16. Eſdr. 8. Iudith 4. Pſal. 34. 2. Paral. 7. Hieremiæ 18. Quàm eſt frequens quæſo in Scriptura, Conuertimini, & agite Ezec. 18. pœnitentiam? At dices: Quandò in Scriptura pœnitentiæ uocabulum legitur, accipiendum eſt pro conuerſione à peccatis, & dolore ex eorum perpetratione concepto: ubi uerò præcipitur, ut quis ſeſe hoc pacto caſtiget & offerat ca- Ioël. 2. ſtigandum? Sed heus tu, audi Deum ipſum in Ioële, qualem pœnitentiam depoſcat, quodq; non internum duntaxat dolorem, & à peccatis abſtinctiam, ſed etiam ſeueritatem illam exigat, ut homo ob ſua peccata anxius & ſolicitus ſeipſum affligat, ſi Dei uindictam à ſe uelit auertere. Conuertimini, inquit, ad me in toto corde ueſtro, &c. Huc pertinent illæ de piis operibus exercendis Eccleſ. 3. & 29. ſententiæ: Ignem ardentẽ extinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis, &c. Dan. 4. Et illud Danielis conſilium, quandò ait regi Nabuchodonoſor: Quam ob rem, Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.

Ecce tibi teſtimonia Scripturæ, quo pacto piis operibus peccata caſtigare, & Satisfactionem inſtituere debeamus. Nemo tamen uſqueadeò eſt rudis et imperitus, aut erga ſacroſanctum Chriſti ſanguinem tam ingratus, ut exiſtimet ſe eiuſmodi ſuis ſolis operibus ueniã promereri, aut idcircò ſatisfactionẽ appellari, quòd opera ipſius per ſe peccata expiare, & ex æquo pro illis poſsint ſatisfacere. Abſit ità quenquam ſentire. Deus peccata remittit ex gratia propter meritum Chriſti, Verùm eò noſtra facit ſatisfactio, quòd quandò Deus nos humiliatos uidet, & peccata noſtra ultrò caſtigare, noſtri miſertus, auertitur ab ira ſua, & uindictam iam intentatam remittit, flexusq; ad miſericordiam, condonat nobis mala quæ fecimus propter Chriſtum, in quem credimus, & ſperamus illius cauſa nobis fore propitium Deum. Non ergò putamus noſtra ſatisfactionis opera, propria bonitate ac dignitate ad peccatorum remiſſionem facere, ſed idcircò eò prodeſſe & conferre, quòd Deus clementer ea accipiat, humilitatemq; & laborem ac dolorem noſtrum reſpiciens, noſtri miſereatur. Et talis quidem hæc eſt ſatisfactio, ac ſi filius patrem dirè offenderit, quòd rem quampiam precioſam confregerit, grauiterq; hoc ipſo patris animum commouerit, continuò mater accerſitum ad ſe filium uirgis cædat, aut etiam filius ipſe precibus & lachrymis delicti ueniã à patre poſtulet: pater filium flagellari conſiderans, dicat matri, Sufficit iam: ac tametſi eiuſmodi pœna damnum datum nequaquàm reſarciat, nec peccato filii per ſe correſpondeat, nihilominùs pater ea contentus, placatur, habetq; eam pro ſatisfactione non

non autem pro damni penſatione. Illud præterea expendendũ eſt, Deũ propter pœnitentiam promiſiſſe peccatorum remiſsionem, atq; ideò pœnitentiam noſtram ueniam mereri, eam ipſam ob cauſam, quòd ſe pœnitentibus remiſſurum peccata, ipſisq; propitium fore pollicitus ſit Deus, qui & fidelis eſt in promittendo, et munificus ac liberalis in præſtando. Promiſsionem uidere licet Ezech. 18. 33. Ioël 2. Luc. 3. 13. 24.

Sed & nouæ ac Euangelicæ legis teſtimonia proferenda ſunt, quibus huiuſmodi actuoſa ſatisfactio pro peccatis exigatur. Iohannes Baptiſta doctrinam Luc. 3.
ſuam à pœnitentia auſpicatur, neq; ſolum eam pœnitentiam docet, quam nõnulli ſolam pœnitentiæ loco habent, ut de commiſsis peccatis doleamus, atq; ab iis abſtineamus: ſed actuoſam pœnitentiam uel ſatisfactionem inſupèr docet, qua à malo perpetrato in poſterum abſtinemus, et è diuerſo bonum facimus, ut feriò agi pœnitentiam animaduerti liceat. Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Et Paulus: His, inquit, qui ſunt Damaſci primum, & Hiero- Acto. 26.
ſolymis, et in omnem regionem Iudææ, et gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, et conuerterentur ad Deũ, digna pœnitentię opera facientes. Eccè uterq;, Iohannes et Paulus, dignos à pœnitẽtibus pœnitentiæ fructus et opera exigũt. Et q̃dem omnibus Chriſtianis bona opera faciẽda ſunt, uerum à pœnitentibus peculiaria quædã requiruntur. Tales nanq; fructus ut declarent oportet, quos perſpicuũ ſit, ex dolore, contritione et diſplicentia prioris uitæ proficiſci. Veluti quem auaritiæ pœnitet, is iam liberaliter dare et largiri debet: alioqui fidem nemini facit, ſe auaritiam ſuam expiare uelle. Sic qui luxûs et crapulæ pœnitentiam agit, hunc ieiunare et ſobrium eſſe neceſſarium eſt: alioqui dolere ipſi priſtinam uitam ſuam, animaduerti non poteſt.

De his abundè diſſeruerunt ſancti Eccleſiæ patres et Epiſcopi, qui iam olim ante mille annos diſciplinam ſatisfaciendi ſuis temporibus obſeruatam deſcripſerunt. Tertullianus, Cyprianus de lapſis lib. 3. Epiſt. 8. lib. 4. Epiſt. 8. Hieronymus in Malachiam, et Chryſoſtomus in Matthæum, Homil. 10. Ambroſius, Auguſtinus, Irenæus. Nimis longum foret, eorum ſententias una Concione proferre, quibus ueteris Eccleſiæ feruorem circa ſatisfactionem commemorant: tametſi utile foret omnes nóſſe, quàm ſtrenuè ac feriò Chriſtiana diſciplina à maioribus noſtris fuerit obſeruata: ſed inpræſentiarum temporis inopia referre non permittit. E diuerſo autem dedecoris & ludibrii cauſa uix dicere quiſquam auſus eſt, ut à ſeuera et acri illa primitiuæ Eccleſiæ diſciplina in tam diſſolutos, turpes et impios abuſus ſimus prolapſi. Legatur Tertullianus de Pœnitentia, Cyprianus de lapſis, et prætereà alii plurimi Canones pœnitentiales, in quibus priſca illa Eccleſiæ ſeueritudo conſpicitur, et qua ratione Satisfactionem à pœnitentibus exegerit. Nos uerò noſtra tempeſtate DEVM in eam conſuetudinem induxiſſe uidemur, ut ſinè ullis ſuſpiriis et lachrymis exaudire & abſque ieiuniis aliisq; pœnitentiæ operibus peccata remittere cogatur. Et inueniuntur ſanè Prophetæ, qui huic uulgi ſocordiæ ac incuriæ malè blandis & molliculis con-

Ezec.13. concionibus palpentur, qui (ut uerus ille Propheta inquit) conſuunt puluil los ſub omni cubito manûs, & faciunt ceruicalia ſub capite uniuerſæ ætatis ad capiendas animas, & non niſi placentia loquuntur. Quiſquis ſtatuit remiſſa ſibi eſſe peccata, ei remiſſa ſunt. Hoc enim illi credere appellant. Olim apud laudatiſsimos maiores noſtros illi utiquè credebant, qui peccauerant: et quia credebant, idcircò tam acrem et rigidam ſuorum peccatorum pœnitentiam agebant: alioqui fruſtranea eſſet pœnitentia. Nam cur, oro, quiſquam ſe ob peccata admodùm excruciaret, niſi exploratum haberet, eſſe Seruatorem, qui ipſum à peccatis poſsit extrahere? Atq; hinc ardens illa & ſtrenua maiorum pœnitentia ex firma feruentiq; fide proficiſcebatur. Nunc uerò quãdoquidem fides apud nos nutare & labaſcere cœpit, fit ut & pœnitentia tanto leuior ſit & frigidior: nec aliud eſt fides noſtra, quàm perniciosa ſecuritas: et pœnitentia, non niſi ludus.

Atqui hoc eſt fallax illud & peſtilens Diaboli uirus, qui ſub fidei prætextu, ſub præclaro (inquam) fidei nomine peſsimam diſſolutiſsimamq; ſecuritatem & confidentiam aduehit in animos mortalium: quo fit, ut uitia & flagitia in immenſum excreſcant. Nam quia adeò ſecuri ſumus, et timorem omnem ex animis excuſsimus, eo peccatur licentiùs et audaciùs: cumq; ſatisfactionis et pœnæ nobis ob admiſſa peccata irrogandæ prorſus immemores et inſcii ſimus, peccata noſtra omnia Diuinæ ultioni reſeruamus, quam ſanè haud leuiter quoq; in nos animaduertere experimur.

CONCIO LXV. HABITA
Dominica XIIII. poſt Trinitatis, Anno 1543.

IN ordine Sacramentorum, Auditores, tertio loco Pœnitentiam ſtatuimus, quæ cùm ſacramenti partes rectè tueri poſsit, Sacramenti quoquè nomine et exiſtimatione haudquaquàm eſt indigna: quãdoquidem per eiuſmodi externum actum interna gratia confertur et percipitur. Nam dubium non eſt, quin per Eccleſiæ miniſterium Deus iuxta promiſsionem ſuam peccata remittat. Qui cum uera fide & ſeria contritione ac pœnitentia errata ſua fatentur, & ueniam orant, exorant quoquè & impetrant remiſsionem ab Eccleſia iuxta uerbum & promiſsionem illius, qui in uerbis ſuis fide dignus,
Matt.18. & in promiſsis fidelis eſt & uerax. Sic enim pollicetur apud Matthæum: Amèn
Iohã.20. dico uobis, quæcunq; alligaueritis &c. Et apud Iohannem: Quorum remiſeritis peccata &c. Ità ergò nunc tres Pœnitentiæ partes, quæ ad ueram pœnitentiam neceſſariò requiruntur, audiuiſtis: Contritionem ac dolorem, in animo: Confeſsionem, in ore: et ſuperioris malæ uitæ actuoſam compenſationem, quam ſatisfactionem appellamus: dignos, inquam, pœnitentiæ fructus, quandò priora uitia contrariis uirtutibus commutamus. Hæc tria ſimul coniuncta, ueram abſolutamq; Pœnitentiam conſtituunt, quæ ad obtinendam peccatorum remiſsionem ſalutaris ſit & efficax ex benigna promiſsione Dei.

Verum

Verumenimuerò id rurſus apud uos teſtatum uolo, & ut uerum indubitatũq́; credere uos iubeo, fidem nec debere nec poſſe ab huiuſmodi Pœnitentia ſeparari. Hanc enim cenſemus ueluti baſin & fundamentum Pœnitentię, per quam efficax eſt ad peccatorum remiſsionem. Vt enim Baptiſmum et omnia ſacramenta in fide, quæ eſt in Chriſtum, percipere nos oportet, ſinè qua neq; Baptiſmus, neq; alia ulla Sacramenta quicquam prodeſſent: ſic etiam in fide, quę eſt in Chriſtum, pœnitentia agenda eſt. Nam ſinè fide nulla contritio, nulla Confeſsio, nulla Satisfactio, proficit ad peccatorum remiſsionem. Qui non credit, dolere quidem & deſperare poteſt ob peccata, pœnitentiam autem ueram agere non poteſt. Peccatorum enim remiſsio & unica redemptio noſtra in ſolo Chriſto conſiſtit, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius &c. Rom. 3. Quamobrem ô Chriſtiane, ſic tibi de Pœnitentia, quam hactenùs docuimus, ſentiendum eſt, ſola hæc Chriſti merita coram Deo nos ſoluere è peccatis, et pro iiſdem ſatisfacere. Eadem autẽ Chriſti merita appræhendimus per fidem uiuam in Chriſtum, remittitq́; Deus nobis peccata, filiiq́; ſui merita nobis communicat, ut ad noſtri iuſtificationem faciant, modò in Chriſtum ità ut par eſt credamus. Porrò fides hæc media quædam habet, per quæ Dei gratiam & Chriſti merita appræhendit, et nobis communicat: ueluti qui Chriſto credit, apud Iohannem dicenti: Niſi quis renatus &c. Marc. 16. Qui crediderit &c. is accedit ad Baptiſmum, et Deus emundat eum à præteritis peccatis, et cooptat in hæredem regni cæleſtis per baptiſmum propter IESVM filium ſuum. Ità qui credit uerbo Dei, pœnitentiæ teſtimonium perhibenti, Ezec. 18 itemq́; quo Chriſtus ſalutarem Eccleſiæ ſuæ confert poteſtatem in communem omnium noſtrũm ſalutem et conſolationem: qui, inquam, hæc citra omnem hæſitantiam credit, is confert ſe ad agendam pœnitentiam, hoc eſt, dolet & mœret ob admiſſa peccata, eademq́; confitetur illi, cui collata eſt abſoluendi poteſtas: nec recuſat temporariam aliquam ferre pœnam, quãdoquidem æternam iurè commeritus ſit. Qui eiuſmodi eſt, impetrat à Deo peccatorum remiſsionem per pœnitentiam propter Chriſtum, quemadmodùm antè propter eundem ipſi condonata ſunt peccata in baptiſmo. Sed ut illic baptiſmus medium quoddam fuit, ſinè quo Deus peccata remittere noluit: ità & hic Pœnitẽtia eum ſuis partibus neceſſarium eſt medium, citra quod poſt baptiſmum Deus nullam delictorum ueniam eſt præſtaturus. Vides ergò, ut Chriſtianum pœnitentiam in fide in Chriſtum agere oporteat, et ut per Chriſti merita à peccatis abſoluatur: ac nihilo ſecius pœnitentiam, quæ in Eccleſia docetur, neceſſarium quoddam eſſe medium, ſinè quo nihil queamus efficere, quandò poſt Baptiſmum in peccata ſumus relapſi. Nemo igitur decipiatur nouis fabulis illorum, qui ad ſolam fidem confugere docent, et ab externa hac pœnitentia conãtur abducere. Dicat talibus homo Catholicus: Scio citra fidem in Chriſtum, nihil me poſſe efficere quibuſcunque externis actionibus & exercitiis meis. at tamen quemadmodùm ſpreto aut neglecto baptiſmo, in ſola fide ſubſiſtendum non eſt, ſed neceſſum eſt, ut ba-

ptiſmus in fide ſuſcipiatur iuxta Chriſti inſtitutionem: ſic neque fides ſuffi-
cere mihi debet,ut externam pœnitentiā omittam: ſed pœnitentia hæc in fide
agenda mihi eſt iuxta ſcripturæ præceptum, et ueram, peruetuſtam ac benè
fundatam Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem: atque ità pœnitentia cum ui-
ua fide coniuncta, confert ad remiſsionem peccatorum meorum ex gratia &
miſericordia Dei per Chriſtum Dominum ac Seruatorem noſtrum. Quam-
obrem iterùm repeto,quicunque uerbo Dei ex animo credit, atque itidèm ſi-
nè fictione fidem commodat Scripturæ,ubi ea de contritione, confeſsione et
ſatisfactione,quæ ueteri illi uitioſæ & peccatis deditæ uitæ ſubiungenda eſt,lo-
quitur: itemq́; qui ſcit & credit,peccatorum ſatisfactionem eſſe in ſanguine et
meritis Chriſti ſitam,Chriſtumq́; Eccleſiæ ſuæ mandaſſe,ut ſalutē per ipſum
impetratam hominibus impertiat, eorumq́; peccata in nomine ſuo remittat:
quicunq;, inquam, hæc non fallaciter ac dubitanter credit, is ſe peccaſſe dolet
& lamentatur,ut huius poſsit conſolationis eſſe particeps: neque ſat habet co-
ram Deo ſe accuſaſſe & ueniam poſtulaſſe: ſed inſupèr & illi peccata ſua con-
fitetur,cui Deus hanc poteſtatē delegauit,ut ipſum à peccatis abſoluere queat
uirtute uerbi & promiſsionis Chriſti. Neq; tantùm peccata ſua confitetur,ue-
rumetiam ſerius animi dolor & contritio ipſum compellit,ut omnia lubèns
faciat ac patiatur,tantùm ut tam graui criminum ſarcina exoneretur. Si gulæ
ac uentri indulſit,nunc ieiuniis corpus affligit: inutilia et uana colloquia pre-
cibus expiat, iamq́; Deum ardenter amare incipit, à quo gratiam,ſcelerumq́;
ſuorum ueniam ſperat. Abſtinet etiam pro uiribus ab omnibus, quæ Deo cō-
traria ſunt,et amplectitur ea,quæ grata illi ſunt et accepta. Fugit omnem fa-
ſtum & ſuperbiam,quandoquidem Deo gratior eſt humilitas: opitulatur pro-
ximo quibuſcunq; rationibus poteſt, ſciens Deum id uelle. Liberalitatem eo
magis exercet, quo auidius pauperum loculos exhauſit. Tanto iam affabilior
eſt,famamq́; proximi eo ſtudioſiùs tuetur,quo pronior fuit ad obtrectatiōes:
tanto modeſtior eſt,quanto in uerbis et factis fuit impurior et impudentior.
In ſumma,quicquid ab eo exigi poteſt, quod Deo priori uitæ ſuæ inſtituto ſit
acceptius,et per quod à priſtino uiuēdi more deſueſcat, id ultrò ac lubèns am-
plectitur,ac ſinè ulla querimonia tolerat. Quinimmò ſi peccatorum eius im-
manitas publicam excommunicationem requirat, haud grauatim ſe Eccleſiæ
iudicio ſubmittit, et publicam non recuſat pœnitentiam, ut ipſius exemplo
alii præmoneantur et emendentur, atque ipſe tanto procliuiùs à peccatorum
ſuorum uulneribus curetur. Immò et gratiam eo nomine agit Eccleſiæ, tan-
quàm quæ utilitati et ſaluti ipſius conſulat, dum per temporariam pœ-
nam, Dei ſempiternam erga ipſum ultionem præuertit. Nouit
enim et penſat illud Apoſtoli: Si noſipſos diiudicaremus,&c.
1. Corinth. 11. Hæc itaq; de tertio pœnitentiæ Sacra-
mento dicta ſint ſatis. Deus Optimus Maxi-
mus animos omnium noſtrûm gratia ſua
trahere dignetur.

CHRI-

CHRISTIANA ET ORTHODOXA INSTITVTIO DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

CONCIO LXVI. HABITA Dominica XV. poſt Trinitatis, Anno 1543.

QVI de Sacramentis Eccleſiæ ſcripſerunt aut docuerunt, Auditores, eorum pleroſq; diuerſum ordinem ſecutos comperio, quàm hactenus à nobis ſit obſeruatus: qui fortaſsis etiam uobis melior & accommodatior uideri poſsit, quàm is quem nos ſecuti ſumus. Meritò enim omnibus in rebus, quæ præcipuæ ac potiſsimæ ſunt, eas primum locum obtinere conuenit. Quoniam autem inter omnia Sacramenta nullum præſtantius, nullum auguſtius eſt ſacerrimò ueri corporis & ſanguinis Dominici Sacramento: non abſurdè huius noſtri inſtituti rationem ſcire ex me deſideraueritis, quamobrem non (ut cæteri) celſiſsimum Sacramentum Euchariſtiæ in hoc noſtro Catechiſmo primùm tractauerimus, primumq; illi locum tribuerimus, quum citra controuerſiam ſaluberrimum, ſummum & ſanctiſsimum ſit.

Hac ſanè obiectione, Auditores, non ſolùm non offendor, uerumetiam lætor ac uoluptate afficior. Laudo ueſtræ fidei & deuotionis pro re longè ſacerrima ac digniſsima zelum, quodq; nihil honore dignius, præſtantiusq; hoc Sacramento exiſtimatis. Quinetiam porrò hortor, aperite cordium ueſtrorum ſinus, excitate fidem ac deuotionem ueſtram, et diuinū hoc myſterium ſummo ac præcipuo loco habete, laudibus ac præconiis efferte præ rebus omnibus: admiramini ſalutiferam ac inæſtimabilem gratiam, certi nimirùm, uos in his non poſſe nimios eſſe. Nemo ſacratiſsimum hoc myſterium dignè ſatis admirari ac ſuſpicere poteſt: nemo exuberantem uirtutum gratiarumq; eius copiam ſatis eloqui & expendere ualet: omnibus enim myſteriis et Sacramentis, à Deo noſtræ ſalutis cauſa inſtitutis, ſacroſanctum hoc corporis & ſanguinis Domini Sacramentum antecellit, eaq; omnia uirtute, gratia ac ſanctitate longè exuperat. Siquidem in aliis Sacramentis operatur Deus per gratiam ſuam in creaturis ad noſtram ſalutem: In hoc uerò Sacramento non ſolùm gratiam, ſed totius gratiæ Dominum ſuſcipimus, qui eſt origo, fons & cauſa omnis ſalutis, omnis gratię, bonarūq; uirtutū omnium. In aliis manent in ſua priſtina ſubſtantia creaturæ, eaſq; efficaces reddit Deus ad ſalutem illorū, qui in fide & ſicut oportet ea uſurpant: ueluti in baptiſmo eſt & permanet aqua, et per Dei uerbum Diuinam accipit uirtutem & energiam ad mundandos renouandoſq; homines per Spiritum Dei, qui Diuina ſua uirtute inuiſibili modo in aqua Baptiſmatis operatur, lauatq; et purgat eos à peccatis. Verùm in ſacroſancta Euchariſtia, iuxta ipſius Chriſti uerbum, nō remanet panis & uinum, ſed ſub ſpe-

cie panis habemus ſanctiſsimum Chriſti corpus, quod pro nobis datum eſt, & ſacroſanctum ſalutiferumq; ſanguinem eius, qui pro nobis & pro multis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum. In aliis Sacramentis ſunt cõſecratæ creaturæ, creatura & gratia Diuina. Hic Deus ſubſtantialiter præſens eſt unà cum ſummis et optimis chariſmatis. In hoc enim Sacramento Chriſtus Seruator uſq; adeò ſe nobis adiungit, ut ſeipſum corporaliter et eſſentialiter ſumi permittat, ſuæq; diuinæ naturæ conſortes efficiat, ac trãſmutet nos in ſeipſum, ut membra ſimus corporis eius, de carne eius et de oſsibus eius, Ephe. 5. nimirùm unum cum illo corpus.

Per hanc longè ſanctiſsimam Euchariſtiam Eccleſia Dei, uniuerſi, inquã, fideles, qui de uno corpore et eodem ſanguine participant, unum uiuum corpus efficiũtur, uiuo capiti Chriſto incorporati, alter quidem alterius membrũ, omnes aũt membra Chriſti. In ſumma, quantùm Deus ſuã gratiã exuperat, & quantò Dominus omnis gratiæ, gratia ſua eſt excellentior, tantò hoc Sacramentum inter reliqua dignius eſt & ſanctius. Propter hãc tam præcellentem ſanctitatẽ & ſalutiferam ſacroſanctæ Euchariſtiæ uirtutem, nequaq̃ improbare poſſumus ordinem illorum, qui huius celſiſsimi Sacramenti explicationẽ in ſuis ſcriptis & concionibus reliquorum tractationi præponunt. Attamẽ ſpero & noſtrum hunc ordinem poſſe excuſari, cùm non citra rationem tria illa Sacramenta, Baptiſmum, Confirmationem & Pœnitentiam, ante hoc ſanctiſsimum ueri corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum apud uos tractanda ſuſceperim. Eum enim ordinem in Sacramentorũ explicatione ſequi uolui, qui meritò in uſu & perceptione eorundem obſeruandus eſt. Hoc ſacratiſsimum ueri corporis & ſanguinis Dominici Sacramentum, cibus eſt credentium: neq; ſolùm fides, ſed & ſanctitas in illis requiritur, qui huius cibi uelint eſſe participes. Quamobrem neceſſum eſt, Baptiſmum & pœnitentiã præcedere, per quę fidem adipiſcimur, & à peccatis mundamur: atq; ideò Baptiſmus & pœnitentia tanq̃ neceſſaria præparamenta ſunt ad præſtantiſsimam longeq; ſanctiſsimam Euchariſtiam ſuſcipiẽdam. Si quis incredulis ſacroſanctum hoc myſterium impartiri non uereretur, quid aliud faceret, quàm quòd filium hominis gentibus traderet, & nouũ ſe Chriſti Domini proditorem declararet? Idcircò neceſſum eſt Baptiſmum præcedere. Itidèm & illi cenſentur Chriſtum prodere, qui uenerabile corporis & ſanguinis Dominici ſacramentũ in contaminata & immunda uaſa mittunt, id eſt, eiuſmodi hominibus illud porrigunt, qui fideles quidem appellantur, & fidei Sacramentum, Baptiſmum, adepti ſunt, ſed poſtmodùm nouis flagitiis ab integro ſe conſpurcarunt, neq; tamen ea ſe perperàſſe doluerunt, neq; ullam eorum pœnitentiam egerunt. Hoc nimirùm eſt, mittere margaritas ante porcos, et uerum adeoq; unicum illud ſanctum dare canibus. Immò reuerà hoc eſt Chriſtũ denuò prodere. Iudas tradebat eum in manus hoſtium adhuc mortalem, qui nihil aliud poterãt in Chriſtũ, quàm ut mortale eius corpus diſcerperent ac lacerarẽt, et contumeliis blaſphemiisq; afficerent. Verùm qui peccatis & flagitiis, quorũ eos non pœnitet, fœdati ſunt,

Matth. 7.

atq;

atq; ità diuinum hoc Sacramentum participant, ii certè dedecorant, ignominia afficiunt, et blaſphemiis inceſſunt immortale & clarificatum Chriſti corpus, fiuntq; rei ſancti ac immortalis corporis & ſanguinis eius. Et ſanè dubium non 1.Cor. 11.
eſt, eorum peccatum coram Deo non tam fuiſſe enorme, qui mortale Chriſti corpus diſcerpſêre, et ignominioſè tractârunt, atque eorum, qui in Sacramento corpus & ſanguinem illius indignè ſumunt. Illi quidem per ignorantiam aliquo modo excuſari poſſunt, teſte Apoſtolo 1. Corinth. 2. Si, inquit, cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. Immò & Chriſtus ipſe eos excuſat, et Patrem pro eis deprecatur: Ignoſce Pater &c. Quantò uerò cum Luc.23.
terrore in hoſce temerarios detonat Spiritusſanctus, qui ſcientes prudentesq; ſacroſanctum Chriſti corpus & ſanguinem, quantùm in ipſis eſt, polluunt ac dehoneſtant? Quicunq;, inquit, manducauerit panem hũc, uel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et ſanguinis Domini. Hinc itaq; neceſſarium eſt, ut de ſacroſancta Euchariſtia cum aliquo fructu dicturi, priùs de Pœnitentia ſermonem inſtituãt, nè homines cum peccatis, quorum eos necdùm pœnitet, ad ſacram Domini menſam accedant, iudiciumq; ac damnationem perpetuam ſibi manducent. Hæc breuiter indicare uiſum eſt, ut ordinis noſtri rationem cognoſceretis, quem hactenùs apud uos in explicatione Sacramentorum obſeruauimus. Neq; ſolum hac de cauſa, uerùm etiam ut ſeriam diligentemq; præparationem ad hoc tam diuinum Sacramentum in animis ueſtris excitarem, ſimulq; admonerem, uobiſcum ut perpendatis, quo ſtudio, deuotione ac reuerentia Chriſtiani ad mirificũ hoc ueri corporis & ſanguinis Domini Sacramentũ ſe diſponere debeãt. De quo latiùs in progreſſu dicemus.

Toto hoc tempore, quo hanc curam animarum, ſiue hanc docendi prouinciam, apud uos ſuſtinui, dilectiſsimi, nouit Dominus, nullam me unquàm concionem ſinè cura ac ſolicitudine habuiſſe, cùm ad tam arduum, excellens, immò & ſanctum Dei opus exequendum, inidoneum, atq; etiam multo magis indignum me inſtrumentum cogar agnoſcere. Verùm nunquàm tam ſeria & anxia animum meum inuaſit ſolicitudo, àc nunc, dum cõſidero, qua de re proximis concionibus ſim dicturus. Sanè tam grauis ſarcina alios humeros, alias uires poſtulat, quàm in me comperiam. Meritò poſſem aliũ quempiam peruestigare & inquirere, et cum regio Propheta ſuper hoc uenerabili Sacramen- Pſal. 105.
to exclamare: Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Quis de hoc cæleſti et ſummo myſterio conuenienter dicere queat, ſanctaq; eius chariſmata & uirtutes dignè depromere, quæ Deus in hoc Sacramento ſuæ Eccleſiæ impertiit? Non immeritò ſanè de his apud uos habendis concionibus queri poſsim cum Hieremia: A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Verè equidem ſum puer, ſi imperitiã & indignitatem Hier.1.
meam ad hoc tam ſublime ac ſtupendum Sacramentum, de quo noſtra inſtituetur oratio, conferam et expendam. Quàm non abſurdè alteri cuipiam hãc Spartam delegari poſtulauero, dicens cum Moſe ad Dominum: Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es. Atq; utinàm mihi fas eſſet (quod quidẽ libẽs Exod. 3.

facerem) unà uobiſcũ conſidere,et alium quempiã de hoc auguſtiſsimo Sacramẽto dignè differentẽ audire. Sed quia Deus iuxta ſanctũ arbitrium ſuũ me ad hanc functionẽ uocauit, conſolatur me diuina ipſius uoluntas, et ueſtra pariter deuotio, cùm non ambigam cõplures eſſe inter uos, qui per meas conciones ſa lutẽ animarum ſuarũ à Deo congruenter inquirant: ideoq; cõfido, Deũ ipſorum cauſa gratiã ſuam elargiturũ, ut pia eorũ deuotio & ſanctũ deſideriũ meis concionibus cõfirmetur. Itaq; Deus gratiam ſuã nobis dignetur impartiri, meumq; ſermonẽ ac ueſtrã auditionem ſuo ſancto ſpiritu dirigere, ut de hoc uenerabili ſacramento Dei q̃dem honori & gloriæ nihil inconuenienter, ueſtræ aũt ſaluti utiliter dicere queã: utq; oẽs huiuſmodi cõciones auribus pariter & animis appræhendamus, eaq; diſcamus, quæ Chriſtiani circa hoc digniſsimũ Sacramentũ meritò cognoſcere, credere, et ſentire debeant: ut ad ſacroſanctam Dñi menſam dignè atq; ità ut par eſt accedere, animabusq; noſtris æternã ſatietatem, ſalutẽ ac felicitatẽ indè haurire ac referre poſsimus. Quantũ ergò ad functionẽ mihi delegatã attinet, omni ſtudio conabimur, ut pro gratia quam Deus contulerit, nihil induſtriæ ac diligentiæ noſtræ deſideretur: et hũc q̃dem ordinem in futuris de ſacroſancta Euchariſtia cõcionibus obſeruaturi ſumus.

Principiò docebimus, quid ſit hoc Sacramentum, & de uariis nominibus q̃bus in ſcripturis & in Eccleſia uſitato more appellatur. Deindè quantam habeat uirtutem, quę cõmoda dignè ſumentibus præſtet: et è diuerſo quæ ſupplicia indignè accipientibus incumbant. Tertiò, quo pacto ad hoc uenerabile Sacramentum nos ità ut par eſt præparari debeamus, et qui illo digni, quiq; indigni cenſeantur. Quartò, quid in huius Sacramenti ſumptione faciendũ ſit, deq; eiuſdem inſtitutiõe. Poſtremò omnigenas adhibebimus admonitiones ad illos, qui temerè, incurioſè, incogitanter ac præcipitanter nimis ad hanc ſacerrimam ſynaxin accurrũt. Sed & illos ſalubri exhortatione extimulabimus, qui tardi nimis et ſocordes, et quandoquè omninò nõ accedunt: & ſi quæ alia admonitione egere uidebuntur. In his quinq; capitibus (Deo fauẽte) cõpręhendemus ac dilucidè proponemus, quæcũq; de hoc uenerabili Euchariſtiæ ſacramento homo Chriſtianus neceſſariò ſcire, credere & ſentire debet: ità ut nihil eorũ intermiſſurus ſim, quæ ad inſtructionẽ & cõſolationẽ ueſtri pertinebũt. Intereà precor, ut me dicentem cupidè ac ſedulò audiatis, quãdoquidẽ ſingula quæq; huius ſacramenti utilia ac ſalutaria ſunt. Ac principio quidem de nominibus eius, deindè quid ipſum Sacramentum in ſe ſit, dicemus.

Compluribus & uariis nominibus hoc celſiſsimum Sacramentũ in ſcripturis orthodoxorũ Patrum libris, tum etiam ab Eccleſia Chriſti nuncupatur. Et magnũ ſanè hoc eſt argumentũ multigenæ & ſalutiferæ uirtutis & gratiæ, quã Deus Eccleſiæ & fidelibus ſuis per hoc ſacramentũ impartitur. Nam quia multiplex eius eſt uirtus & gratia, multiplices quoquè habet appellationes, quæ tamen oẽs ex æquo appoſitè huic ſacramento conueniunt. Siquidem prout quiſque ſalutarem eius energiam conſiderauit, ità quoquè nomen eidem attribuit. Nonnulli aptiſsimè uocant Euchariſtiam, alii σύναξιν, neq; id ineptè. Si enim

uirtu

uirtutem & proprietatem eius ſpectemus, rectè uocatur σύναξις: uariisq; prætereà aliis nominibus paſsim appellatur. Nos præcipuorum aliquot nominũ cauſas ac rationes adducemus,quamobrem Euchariſtia & Synaxis,aut alio aliquo modo uocetur,et quid hinc doctrinę haurire debeamus. Euchariſtia idem eſt,quod gratiarum actio,uel bona gratia. Quam appellationẽ habet ex opere & geſtu ipſius Chriſti,quẽ in huius uenerabilis Sacramenti inſtitutione uſurpauit ac declarauit. Teſtãtur enim Euangeliſtæ Chriſtum gratias egiſſe, cùm hoc Sacramentum ueri corporis & ſanguinis ſui inſtitueret ac diſcipulis daret: & ob hanc Chriſti gratiarum actionem Eccleſia hoc ſacramentum Euchariſtiam appellauit. Meritò quoquè & rectè Bona gratia nuncupatur. Nã in hoc ſacramẽto fons omnis gratiæ in nos illabitur, ipſe inquam Chriſtus. Quo autem pacto Chriſtum habentes, uniuerſa cum illo & in illo chariſmata non habebimus? In hoc myſterio participamus illam carnem,quam æternus Dei Filius noſtrę ſalutis cauſa de uirgine caſtiſsima aſſumpſit: illud corpus,quo omnia hominum peccata in cruce pertulit ac depẽdit, ut deincèps liberi à peccato, iuſtitiæ uiueremus per ipſum. In hoc deniquè Sacramento ſumimus illam carnem, quæ ſuſpenſa in cruce, grata ac mũda fuit hoſtia pro peccatis noſtris, per quam hoſtiam Deus mundo reconciliatus eſt: illum quoquè ſanguinem, qui in remiſsionem peccatorum eſſuſus eſt, per quem omnes criminum noſtrorum maculæ & ſordes eluuntur & purgantur.

In hoc eſt unica & ſufficiens totius mundi redemptio: meritóne igitur appellabitur Bona gratia? Iam uerò hoc Sacramentũ non ob id ſolùm Euchariſtia uocabitur, quòd plenũ ſit bona gratia, et quòd Chriſtus illud inſtituẽs gratias egerit, uerùm etiã hac de cauſa, quòd dũ hoc Sacramentũ percipimus, gratias agere debeamus. Ad hanc aũt gratiarum actionem facilè extimulabimur, ſi hæc duo conſideremus: Primò quidẽ, ſi ad miſerias & neceſsitates atq; indigẽtiam noſtrã reſpiciamus: deindè, ſi exuberantẽ Dei erga nos beneficentiã per Chriſtũ exhibitã expendamus, iam intima & flagrans noſtris in animis exiſtit gratiarũ actio. Atq; in his duobus uera gratiarum actio cõſiſtit, quam Deus à nobis requirit, nimirùm ut noſipſos cognoſcamus, quàm undiquè ſcateamus peccatis & iniuſtitia, et quàm indigni ſimus maximis Dei beneficiis, quàm immeriti illis fruamur. Cùm eſſemus inimici, inquit Apoſtolus, reconciliati ſumus Deo per mortẽ Filii eius &c. Quanto igitur maiorẽ in nobis uitioſitatem & indignitatẽ perſentiſcimus, eo maiores Deo gratiarũ actiones debemus, qui redemptionẽ & ſalutẽ nobis procurat per Chriſtũ Dñm noſtrũ. Hanc gratiarum actionem exercebimus, quotiès hoc Sacramentũ participamus: atq; hinc appellatur Euchariſtia. Huiuſmodi gratiarũ actionem Chriſtus requirit, dum inquit: Hoc facite in mei cõmemorationem. Et Paulus ad Corinthios: Quotieſcunquè manducabitis panem hunc & calicem biberis, mortem Domini annunciabitis &c.

Rom. 5.

Luc. 22.
1. Cor. 11.

CONCIO LXVII. HABITA Dominica XVI. poſt Trinitatis, Anno 1543.

VErſamur iam, Auditores, in explicatione celſiſsimi ac ſaluberrimi Sacramenti ueri corporis & ſanguinis Chriſti, ſingularis ac prædiuitis Eccleſiæ theſauri, magni & ſuauiſsimi myſterii, præclariſsimiq; monumenti, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in memoriam ſui reliquit: adeò ut nullus huius mundi Princeps aut Rex, ſuis amicis tam præſtans & mirificum monumentum unquàm donârit. Vniuerſas mundi totius diuitias ac munera hoc ipſo Chriſtus exuperat, quòd ſeipſum nobis dat in ſui recordationem in hoc uenerabili Sacramento. Hæc eſt uera Arca, in qua uerum illud manna perpetuò apud ſe retinet & conſeruat Eccleſia Dei. Non quemadmodùm Synagoga
Exod. 16. ſuum Manna aſſeruabat: quod qui manducârunt, nihilo ſeciùs mortui ſunt. Sed hic eſt uerus ille ac uiuus panis, qui de cælo deſcendit, immò qui cælos uirtute ſua creauit, qui ſe manducantem leuat in cælum, et uitam ei confert ſempiternam. Verum profectò Manna, quo in huius mundi deſerto ſalubriter paſcimur, nec perire nos ſinit.

Hic eſt ille ſubcineritius panis, quem angelus quondàm dedit Helię, in cui-
3. Reg. 19. us fortitudine ambulabat XL. diebus & XL. noctibus uſq; ad montē Dei Oreb. Qui hoc pane ueſcitur, is quandiù in hoc mundo peregrinatur, in nulla moleſtia uel afflictione contabeſcit, donec tandèm animam eius in uita ſempiterna exatiet, & certò perducat uſq; ad montem Dei. Hæc ſunt ſponſalia, quibus Eccleſia cum Chriſto uerè unitur, et unum corpus cū ipſo efficitur. Hoc eſt ſigillum & pignus longè certiſsimum, quo omniū Dei promiſsionū fidem abundè habemus confirmatā. Denique tale, tāq; ſalutiferū & locuples myſteriū, quod omnibus Dei chariſmatis nos cōplere queat, quodq; omnium Chriſti meritorum capaces & participes nos reddat. Quamobrem ſuprà audiuimus, hoc ſacramentū inter alias appellationes rectè Euchariſtiā, hoc eſt, bonam gratiam uel gratiarum actionem nuncupari. Bonam gratiam, quòd omnis bonæ gratię theſaurus hic nobis cōmunicetur. Nam ubi Chriſtum ſumimus, quidni & omne bonum ſimul cum illo adipiſcamur? Gratiarū actionem aūt, quòd quotieſcunquè hoc uenerabile Sacramentum percipimus, ſimul & talium Dei beneficiorum, per Chriſtū nobis exhibitorū recordari, et Deo medullitùs gratias agere debeamus. Atque hucuſquè quidem in proxima concione progreſsi ſumus.

Nunc de alio nomine dicemus, quo celſiſsimum hoc Sacramentum ſæpenumerò & communiter uocari conſueuit: id aūt eſt Synaxis, Latinè coagmētatio uel communio. Ab hoc nomine manat, quòd dum Sacramentū hoc percipimus, communicare dicimur. O nomen uerè amabile. Vtinàm tam benè expenderetur, quàm uulgariter ab omnibus nuncupatur & intelligitur: Tum enim huius ſacramenti deſiderium in nobis excitaret, et doceret nos, quādo & quo pacto illud utiliter percipere queamus. Appellatio Synaxis, uel cōmunio, nō ob hoc ſolū, quòd communis ſit omnium fideliū cibus, ꝙ oēs ſimul de uno corpore & ſanguine participemus, diues ut pauper, ſummus ut infimus, (quilibet em̄ eundē Chriſtum ſumit) quod qdem ad cōmunionem ſatis accommodum eſt. Verū longè magis hinc dicitur Synaxis uel communio, ꝙ deſignet,

immò

immò & faciat quandam communionem omnium illorum, qui hoc Sacramẽtum ſumunt, cum Chriſto Domino & capite ſuo, ità ut per uirtutem huius Sacramenti, omnes fideles unum corpus & una fiant communio; alter quidem alterius membrum, omnes autem ſimul membra Chriſti. Huiuſmodi communionem intelligit Apoſtolus, eamq́; per huius Sacramenti perceptionem fieri teſtatur, dum inquit; Calix benedictionis, cui benedicimus, no'nne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, no'nne participatio corporis Domini eſt? Quoniam unus panis & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus, 1. Corinth. 10. Itaq; hoc Sacramentum percipere, nihil aliud eſt, quàm in Chriſti omniumq́; fidelium communionem ſe recipere, & uelut membrum myſtici Chriſti corporis effici, atq; illam ſodalitatem & communionem amplecti, quam in fidei noſtræ ſymbolo profitemur, Credo communionem Sanctorũ. Sedulò itaq; hoc nomen expendat quilibet Chriſtianus, quamobrem hoc Sacramentum Synaxis ſiue communio nuncupetur, quandoquidem hinc non exiguam conſolationem acquirit, & uaria, eleganti atq; utili doctrina inſtruitur.

Conſolatio quidem hæc eſt, quòd per uſum huius Sacramenti uelut myſtica membra, myſtico Chriſti corpori inſerimur & coaleſcimus, recipimurq́; in illam ſodalitatem & communionem, cuius caput eſt Chriſtus, & omnes fideles, membra. Atqui uerò ius & conditio uniuſcuiuſq; communitatis & ſodalitatis hæc eſt, ut lucra & damna, proſpera & aduerſa omnes ex æquo communiter ſuſtineant. Idem & in hac communione uſu uenit. Chriſtus noſtris miſeriis compatitur, atque adeò electi omnes. & ediuerſò cunctæ Chriſti omniumq́; electorum prærogatiuæ, & quicquid bonorum habent, nobis cedit in bonum uirtute & iure huius communionis: alioqui communio dici non poſſet, ſi ſingulorum commoda & incommoda ad ſingulos duntaxat pertinerent. Omnes electi afflictiones & ærumnas noſtras precibus ad Deum fuſis conantur amoliri. Chriſtus imbecillitatem noſtram ſua potentia tutatur ac ſuſtentat, & errata noſtra ſua iuſtitia excuſat & contegit, & debitum noſtrum ſuis meritis dependit. In ſumma, quicquid mali, fragilitatis & miſeriæ in nobiſipſis comperimus, vnà nobiſcum perferunt, atque à nobis propulſant illi, qui in hac cõmunione nobis fortiores & meliores ſunt, purà Chriſtus & vniuerſa illa omnium electorum frequentia. Et quicquid bonorum in nobis deſideratur, illud eodem huius communionis iure & conditione nobis per hoc venerabile Sacramentum impartitur Chriſtus Dominus noſter, cuius membra & conciues facti ſumus in myſtico eius corpore in communione Sanctorum.

Eccè iam quantam ex hoc Synaxios nomine conſolationem percipimus. Reuerà enim huius cauſa Sacramenti conſolari nos poſsimus illa Apoſtoli ſententia; Nihil ergò nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in CHRISTO IESV. Poſſumus etiam magno cum gaudio gloriari de hoc cibo, cum Propheta dicentes; Paraſti in cõſpectu meo mẽſam aduerſùs eos qui tribulant me. Rom. 8. Pſal. 22.

Qui

Quiaduerſus mundi & ſatanæ tentamenta & inſeſtationes fragilem ſe & imbe-
Pſal. 115. cillum ſentit, hoc cibo ſe confirmare poteſt, & dicere: Calicem ſalutaris acci-
Pſal. 17. piam, & nomen Domini inuocabo. Laudans inuocabo Dominum, et ab ini-
micis meis ſaluus ero. De his aliâs copioſius. Iam porrò audita huius nominis
conſolatione, doctrina pariter adhibenda eſt. Appellatur hoc Sacramentum
Synaxis, ſiue communio: undè qui illud participat, neceſſum eſt ut commu-
nionem cum Chriſto & Eccleſia, hoc eſt, cum Catholicis fidelibus, obſeruet.
Cum Chriſto ſeruatur aut diſſoluitur communio duobus modis, fide ſcilicet
& opere. Qui itaq; in communione Chriſti manere deſiderat, hunc oportet
ſanctam & Catholicam fidem, integram, indiſtractam et inuiolatã corde cre-
dere, et ore confiteri: Deindè ſancta eſſe conuerſatione præditum, et moribus
ac uita quoddam innocentiæ Chriſti exemplar repræſentare, & mandata eius
obſeruare, poſteaquàm corpus et ſanguinem Domini percepit, ut ex ſenten-
Galat. 2. tia dicere queat: Viuo iam non ego, uiuit uerò in me Chriſtus: quæ uita ab hoc
cibo manat. Qui uerè Chriſtum edit, uitam accipit à Chriſto. Vita autem
quę eſt à Chriſto, aut potiùs quæ Chriſtus eſt in nobis, non eſt in peccatis, ſed
in ſanctitate et iuſtitia. Quamobrem non eſt quòd de hac Chriſti commu-
nione glorientur, qui ab unitate ueræ fidei ad ſchiſmata, ſectas & hæreſes deſci-
ſcunt. Similiter nec illi, qui ſe grauibus flagitiis & peccatis occupari ſinunt, de
Galat. 5. quibus ſcriptum eſt: Qui talia agunt, regnum DEI non conſequẽtur. Quot-
quot eiuſmodi ſunt, ad Chriſti communionem non pertinent, niſi per pœni-
tentiam à malo conuerſi, per ſalutarem reconciliationem ex peccatis in unita-
tem & communionem Chriſti reuertantur: alioqui enim partem cum Chri-
Matt. 12. ſto non habent, qui tales à ſui communione excludit, inquiens: Qui non eſt
mecum, contra me eſt. Eodem modo communio quæ eſt cum Eccleſia, in
duobus conſiſtit: Primò, ut in rebus ad fidem pertinentibus ſeruetur conſen-
ſio & conſonantia. Deindè, ut unuſquiſq; ſua officia & quicquid poteſt, in hanc
communionem conferat, atque animo, ſermone & opere talem ſe erga alios
præbeat, quales illos erga ſe cupit experiri. Ad huiuſmodi communionem ſer-
uandam hortatur Apoſtolus 1. Corinth. 1. Obſecro uos fratres per nomen
Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, et non ſint in uobis
ſchiſmata: Sitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadẽ ſententia. Et Ephe. 4.
Obſecro uos ego uinctus in Domino, ut dignè ambuletis uocatione qua uo-
cati eſtis, cum omni humilitate et manſuetudine, cum patientia, ſupportantes
inuicèm in charitate, ſoliciti ſeruare unitatem ſpiritûs in uinculo pacis. unum
corpus, et unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ.

Cognouiſtis itaq;, quorum per hoc Synaxios nomen Chriſtianus admo-
nere ſe poſsit. Appellatur communio: non igitur in ſectas, contentiones & er-
rores concedendũ eſt, ſi huius communionis ſymbolum uſurpare uelimus.
Non parendum eſt uoluntati Diaboli, non ſectandæ mundi uoluptates & ille-
1. Cor. 6. cebræ, ſi quid tibi uoles commune cum Chriſto. Non enim eſt conuentio
Chriſti cum Belial. Sed neque proximos & contribules noſtros odio proſe-
quemur,

quemur, non eos grauabimus, non uſuris exhauriemus. Quemadmodum à Chriſto conſolationem quærimus, itá & membris & conciuibus noſtris ſolatia præbere debebimus, idq; pro uiribus. Atque hoc eſt, quod uocabulum Synaxis, nos docet.

Sed & compluribus aliis nominibus hoc Sacramentum appellatur. Dicitur enim conuiuium Dominicum: item, Myſtica, Sacra, et Diuina mēſa: item Myſterium, quód permulti diuinorum ac cæleſtium chariſmatum theſauri in hoc Sacramento nobis porrigantur, quos fide quidem capimus, ſenſibus autem compræhendere non poſſumus. Fides huiuſmodi ſublimia & cæleſtia in hoc Sacramento cognoſcit & compræhendit: Senſus uerò, putà, uiſus, auditus, guſtus, tactus, nec ſentire nec capere ea poſſunt. Vndè & myſterium uocatur, quod non multum differt à Sacramenti uocabulo. Appellamus enim Sacramentum, quandò ſub externo et ſenſibili ſigno interna gratia continetur & confertur, quam neque corporeis oculis perſpicere, neque ſenſibus compræhendere poſſumus, ſed ſola fide, uerbo & promiſsioni Diuinæ innixa, eam capimus. Vocatur & hinc Myſterium, quód ſalutis & redemptionis noſtræ memoria quotidiè in hoc Sacramento renouetur, prout infrà audiemus.

Aliud inſupèr eſt huius celſiſsimi Sacramenti uocabulum, quod noſtra tempeſtate uulgatius eſſe cœpit, quàm fuit apud antiquos. Et quanuis non ineptè uocetur cœna Domini, Chriſtiani tamen eſt, non contemnere aut conuellere communem Eccleſiæ conſtitutionem uel ordinationem, quæ in honorem huius excellentiſsimi Sacramēti per Spiritumſanctum præſcripta eſt, ut ſacram hanc Euchariſtiam ieiuni ſumamus, et ante exteros cibos. Nam tametſi Chriſtus Dominus hoc Sacramentum poſt cœnam inſtituit, ſuisq; diſcipulis porrexit, non tamen hoc eò referendum eſt, quód proptereà ſacram Euchariſtiam uel poſt uel inter alios cibos ſumere, atq; hoc modo cœnam inſtituere debeamus. Cœna enim Chriſti non pertinet ad hoc Sacramentum. Siquidem cœna illa fuit quædam conſummatio & terminus ueteris legis: Hoc uerò Sacramentum, principium fuit nouæ legis. Quamobrem hæc duo, Cœna et Euchariſtia, diſtincta ſunt & diuiſa, nec debent cōiungi: quemadmodum & Paulus ferre noluit, ut Corinthii ſimul cum aliis cibis Euchariſtiam ſumerent, 1. Corinth 11. Hæc de nominibus dixiſſe ſufficiat: nunc quid hoc Sacramentum in ſe ſit, explicabimus.

Hoc Sacramentum tria, eaq; inter ſe diſtincta, ſimul continet: quæ omnia dignè ſumentibus ſimul porriguntur. Primum eſt, externæ panis & uini ſpecies: Secundum, corpus & ſanguis Chriſti. Tertium, uirtus & gratia Dei, ad temporariam & perpetuam ſalutem illorum, qui dignè hoc præſtantiſsimum Sacramentum percipiunt. Quod oculis uidemus, et palato guſtamus & ſentimus, ſpecies ſunt panis & uini. Quod ſub iis ſpeciebus fides noſtra compræhēdit, uerū eſt corpus & ſanguis Chriſti. Quod aūt ex uſu & digna ſumptione ſacroſanctæ Euchariſtiæ haurimus & reportamus, eſt gratia ſpiritualis & uirtus ad animæ ſalutem. De duobus poſterioribus, nimirùm ueritate corporis & ſanguinis

guinis Chriſti in hoc Sacramento, et ſpirituali gratia, quam in eo cōſequimur, aliās dicemus: nunc de panis & uini ſpeciebus nonnulla diſſeremus Scitis iam dilectiſsimi, ueneranda Sacramenta ità eſſe inſtituta, ut externis uiſibilibusq; ſignis contineantur, quæ ſigna uel creaturæ per uerbum Dei gratia Diuina cōfirmantur & efficacia redduntur ad ſalutem illorum, qui eiuſmodi Sacramenta rectè & legitimè percipiunt: eaq; ſignis illis ineſt conditio, quòd naturali ſua efficientia internam Sacramentorum uirtutem & gratiam innuunt ac inſinuant. In Baptiſmo adhibetur aqua: hoc ſignum & elementum per uerbum Dei hanc energiam & efficientiam accipit, ut purget à peccatis, quemadmodùm alioqui natura aquæ eſt, mundare et abluere quod impurum eſt. In hoc autem ueri corporis & ſanguinis CHRISTI Sacramento, ſpecies & elementa ſunt panis & uinum: ad quæ accedens uerbum Chriſti, tranſmutat creaturas illas in carnem & ſanguinem Domini: ſicq; fit magnum & ſalutiferum illud Sacramentum, de cuius gratia & uirtute inpræſentiarùm diſſerimus, et fauente Deo, quantùm rei neceſsitas poſtulabit, ſequentibus ſermonibus latiùs docebimus.

Panis & vini ſpecies, ſigna ſacra ſunt verè præſentis corporis & ſanguinis Chriſti.

Idcircò autem panis & uini ſpecies, ſanctiſsimi corporis & ſanguinis ſui Chriſtus ſacra ſigna inſtituit, quòd nulla alia creatura ſpiritalem huius ſaluberrimi Sacramenti uirtutem meliùs & euidentiùs referre queat. Natura quidem ità comparatum eſt, ut cibus & potus plenam ac ſufficientem præſtent ſalubritatem. Vt itaq; Chriſtus innueret, in hoc Sacramento ueram animarum noſtrarum ſatietatem inuenire & habere nos poſſe, in panis & uini ſpeciebus illud inſtituit. Siquidem panis & uinum naturalem hanc uitam fouent & conſeruant. Vt ergò ſciremus, uitam noſtram eſſe Chriſtum, ipſe ſe ſub his ſpeciebus panis & uini ſumendum proponit. Et quidem panis, uaria ſignificat in ſcripturis Diuinis. Primò Chriſtum, unicum Dei filium & uerum Deum. Nam ut panis uitam fouet & conſeruat, ità & Chriſtus omnia uiuificat. Deindè per panem intelligitur uerbum Dei, quo piorum animæ paſcuntur & conſeruantur in uitam æternam, Matth, 4. Poſtremò quicquid ad naturalis huius uitæ ſuſtentationem confert, ſub panis appellatione compræhenditur. Eccè hanc tam inſignem & uberem creaturam, quæ iam multa ſignificat in Scripturis, ad hoc corporis & ſanguinis ſui Sacramentum Chriſtus delegit, ut hinc agnoſceremus, ex ipſo et per ipſum omnia bona prouenire.

CONCIO LXVIII. HABITA
Dominica XVII. poſt Trinitatis, Anno 1543.

SVperiori Concione, Auditores, cùm iuxta uerbum Dei & Catholicā doctrinam inueſtigare, itemq; fidem noſtram inſtruere conaremur, quid hoc digniſsimum Sacramentum Altaris in ſeipſo ſit, aut quid accipiant qui illud percipiunt, tria eſſe diximus, eaq; diſtincta, quæ in hoc Sacramento conſideranda & credenda ſint. Primò, externa ſpecies: Secundò, uerum cor-

corpus & ſanguinem Chriſti: Tertiò, gratiam quæ dignè hoc Sacramētum ſumentibus confertur. Primum ſenſibus corporeis facilè cernimus & percipimus: reliqua duo fide compræhendimus ex uerbo Dei. Eadem autem concione externis ſenſibus, quantùm quidem illis tribuendum fuit, ſatisfactum eſt: hoc eſt, iuſtas & idoneas rationes audiuimus, quamobrem Chriſtus hoc præcipuè uenerandum & ſaluberrimum Sacramentum, in ſpeciebus panis & uini porrigat, & quid in eo ſit obſeruandum: Tametſi quidem hac reſpōſione quæſtionem iſtam facilè expediſſemus, quandoquidem Dei uoluntatem re ipſa perſpicimus, non debere nos uoluntatis Diuinæ rationes ulteriùs perquirere, dicentes: Cur tandèm hoc modo facit Deus? Atqui nos diuinam uoluntatem non illibenter potiſsimam rationem ſtatuemus, nec quicquam interpellabimus, in quacunq; demùm ſpecie Sacramenta ſua illi inſtituere uiſum ſit. Prædicamus nihilo minùs Diuinam eius ſapientiam, gratiasq; agimus ipſius bonitati, quòd his ſuis Sacramentis huiuſmodi creaturas deſtinauerit, quæ naturali ſua operatione & efficientia gratiæ Diuinæ uirtutem, in Sacramentis latentem, tam euidenter inſinuant, et ueluti manu ducunt nos, atq; indicant, quid uirtutis & gratiæ ex Sacramētis habere queamus. Scimus pane & uino homines exacurari, uitamq; hanc temporariam & naturalem ſuſtentari. Hinc iam panis & uini ſpecies id innuunt, quòd in Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti uitam æternam habeamus, Iohan. 8. Scimus præterea panem ex multis partibus & granis confici, itidèm & uinum. Vndè hæ ſpecies ſubindicant, per uſum & uirtutem admirabilis huius Sacramenti, omnes nos in unum corpus, unamq; communionem tranſire, quotquot de hoc Sacramento participamus: neq; ſolùm nos inter nos, ſed & cum Chriſto, quem accipimus iuxta illud Apoſtoli: Vnus panis & unum corpus: caro ex carne. Sed de hoc aliâs diſſeruimus: nunc ad reliqua progrediemur. 1. Cor. 10. Ephe. 5.

Externis ſenſibus, uti diximus, Auditores, de hoc uenerabili Sacramento ſatisfactum eſt, ut iam ſciamus, quorum per has panis & uini ſpecies admoneri debeamus. Nunc ad alios articulos noſtra procedit oratio, quid præter panis & uini ſpecies, aut quid ſub iis ſpeciebus percipiamus. Atq; hic unanimiter cōfitemur cum uniuerſa Eccleſia Catholica, idq; etiam ſuper & contra omnem captum, ſcientiam & ſapientiam humanam, nos ſub ſpecie panis uerum Chriſti corpus, quod pro nobis traditum eſt, et ſub ſpecie & guſtu uini uerum eius ſanguinem, qui pro nobis & pro multis effuſus eſt in redemptionem peccatorum, accipere. Stupēdum ſanè & arduum opus, ſenſibusq; & intellectu humano penitùs imcompræhenſibile.

Sed æquum eſt, ut ſenſus & intellectus noſter, in hoc tali opere totū ſe Deo ſubmittat, qui ſenſus & intelligentiam hominis condidit. Quamobrem quod in nobis eſt ſenſûs & intellectûs, aduerſus Deum eius conditorem non intendemus: nec tædebit, ſi fragiles & miſeræ creaturæ, omnia ſublimia Dei opera non intelligamus & capiamus, quæ is Diuina ſua omnipotentia efficit. Sufficerit homini Chriſtiano, atq; adeò abundè ſufficere debebit, ſi Deus in eiuſmodi

magnis mirificisq́; ſuis operibus,uerbo ſuo diuino fidem eius inſtruat,et ueracibus indubitatisq́; teſtimoniis fidei oſtẽdat,quid de talibus Dei operibus ſentire & credere debeat. Iam uerò fides noſtra ſolidiſsimis uerbi Dei teſtimoniis inſtructa eſt circa hunc articulum,iiſdemq́; omni ambiguitate diſpulſa,certiſsimè ac euidentiſsimè docemur,in hoc Sacramento ſub panis & uini ſpeciebus uerum Chriſti corpus & ſalutiferum ſanguinem nos participare. Matthæus

Matt. 26. hunc in modum id teſtatur: Cœnantibus eis,accepit IESVS panem,et benedixit ac fregit,deditq́; diſcipulis ſuis,et ait: Accipite & comedite. HOC EST CORPVS MEVM. Et accipiens calicem,gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro

Marc. 14. multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Apud Marcum hoc modo legitur: Manducantibus illis,accepit IESVS panẽ: & benedicens fregit,& dedit eis,& ait: Sumite, HOC EST CORPVS MEVM. Et accepto calice, gratias agens,dedit eis. Et biberunt ex illo oẽs. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus

Luc. 22. noui Teſtamenti,qui pro multis effundetur. Lucæ teſtimonium hoc eſt: Accepto pane,gratias egit,et fregit,et dedit eis,dicens: HOC EST CORPVS MEVM,quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem,poſtquàm cœnauit,dicens: Hic eſt calix nouum Teſtamẽtum in ſanguine meo, qui pro uobis fundetur.

1. Cor. 11. D. Paulus quoquè teſtimonium perhibet,quod non ab homine didicit, ſed prout accepit à Domino: Ego,inquit,accepi à Domino,quod & tradidi uobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur,accepit panem: & gratias agens,fregit,et dixit: Accipite,& manducate: HOC EST CORPVS MEVM, quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationẽ. Similiter & calicem,poſtquàm cœnauit,dicens: Hic calix nouum Teſtamentũ eſt in meo ſanguine: Hoc facite,quotieſcunquè bibetis,in meam commemorationem.

Iis tam claris & euidentibus uerbi Dei teſtimoniis utimur ad fidẽ noſtram ſtabiliendam & confirmandam: certoq́; ſcimus,impudentiſsima Tartarei ſatanæ mendacia aduerſus hæc teſtimonia non poſſe ſubſiſtere, quæ ille per ſuos prophetas & hæreticos etiam hac noſtra tempeſtate contra uenerandum hoc Sacramentum,aut contra ueritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramẽto excitauit,quaſi uerum Chriſti corpus & ſanguinem in hoc Sacramẽto non habeamus,ſed ſolam duntaxat corporis & ſanguinis eius figuram. Atqui uerò quid fidei noſtræ deficit,ut à Catholicæ Eccleſiæ fide deſciſcendum putemus, quæ fatetur & credit,uerum Chriſti corpus & ſanguinem eſſentialiter eſſe in hoc Sacramento: et hæreticorum ſententiæ accedamus, qui nudam corporis ac ſanguinis Chriſti figuram ex hoc Sacramẽto efficiunt? Neceſſum ſanè erit priùs uerbo Dei minimè fidem adhibere, quàm huic tam uanæ hæreticorum opinioni queamus aſſentire. Quin & diuinorum eloquiorum ueritatem priùs oportebit collabaſcere,quàm illorum mendacia poſsint ſtabiliri & uera effici. Fides enim noſtra uerbi Dei teſtimonia plùs ſatis certa & luculẽta habet. HOC

EST

EST CORPVS MEVM, (inquit Chriſtus) quod pro uobis datur. Et, Hic EST SANGVIS MEVS, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quid, obſecro, Chriſtianus in his uerbis deſiderare queat, cuius nomine communem perpetuamq; Eccleſiæ ſentẽtiam, noua quadam opinione commutandam exiſtimet, quaſi uerum Chriſti corpus & ſanguis non ſit in hoc Sacramento? Luc. 22. Matt. 26.

Claráne ſatis & perſpicua hæc ſunt uerba, Auditores? Quid enim dici potuit euidentiùs, quàm, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS? Quis ignorat, q̃d caro ſit & ſanguis, ubi de uero hoĩe loquimur? Sanè Chriſtus uerus homo fuit, uero cõſtans ſanguine & carne, perindè ut nos, iuxta ſcripturã, Et uerbum Caro factũ eſt. Itemq;, Factus ex muliere &c. Quandoquidem ergò fateri cogimur, uerba dilucida ſatis eſſe & aperta, quæro an quicquam in authore illorum deſideres. An nõ fidelis eſt in omnibus uerbis ſuis, et ſanctus in omnibus operibus ſuis? Nónne ipſa eſt ueritas? Eſt ne talis, qui neq; mentiri, neq; fallere, neq; falli poteſt? Si nec in perſona uitium eſſe concedis, immò & certo compertum habes, Chriſtum eſſe ueritatem, omniaq; eius uerba ab omni mendacio longè eſſe remotiſsima; quæro iam ulteriùs, an eius potentiæ diffidas, ut metuas, eum quòd promiſit, præſtare non poſſe? An uerò ignoras frater, ipſum eſſe Deum omnipotentem, eſſentia, æternitate, ſapientia, potentiaq; Patri Spirituiq; ſancto æqualẽ? Vndè tua totiusq; uniuerſi exiſtentia? Neſcis uerbo Dei mundum eſſe conditum, & res omnes, dicente ſcriptura: Verbo Dñi cæli firmati ſunt, et ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum? Iohan. 1. Galat. 4. Pſal. 144. Ioh. 14. Pſal. 32.

Si ergò Chriſti uerbum facere & creare potuit quæ non erant, idem illud uerbum ea quæ ſunt, in aliud commutandi facultatem non habebit, ut panis in carnem, & uinum in ſanguinem uirtute uerbi Chriſti transferatur? Idcircò nihil iam hominem Chriſtianũ remorari poteſt, quo minùs credat ueram corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in Euchariſtia, iuxta uerbum ac teſtimonium eiuſdem.

Atque hic eiuſmodi quippiam propoſitũ habemus, cui ſenſus noſtri abſq; pudore iurè cedere queant. Nam tametſi panis & uini ſpecies oculis conſpicimus, naribus odorem haurimus, et palato guſtum percipimus, non tamen ſenſibus noſtris, ſed uerbo ac teſtimonio Diuino credimus. Quis autem nobis uitio uerterit, quòd Deo maiorem, quàm uiſui, odoratui, ac guſtui noſtro fidem adhibemus? Si minutum aliquod piſum conſpiceremus, et Deus totum illud uniuerſum, cælum & maria eſſe affirmaret, neutiquàm tamen de ueritate uerbi diuini foret dubitandum, quia uerax & omnipotens eſt Deus. Nec decuerit hic Chriſtianos illud Iudaicum, Quomodò, uſurpare, quemadmodùm Capharnaitæ Chriſto dicebant: Quomodò poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Iohan. 6.

In operibus Diuinis non eſt curioſa inquiſitio facienda, nec Deus in ordinem cogendus, quem ſenſibus queamus cõpræhendere. Siquidem Deus ipſe eſt Dominus, quem creaturis operibusq; ſuis parem æſtimare non oportet.

Operationes Diuinæ credendæ ſunt, non curioſe inquirendæ & perſcrutandę. Dei potẽtia eſt infinita, intellectus aũt noſter ſuos habet limites, nec ad omia porrigere ſeſe poteſt. Ideoq; Dei opificia fide duntaxat compræhendẽda ſunt, nec hoc animo inueſtiganda, ut omnia etiam cognita & perſpecta penitùs habeamus. Quanuis tu non capias, quo pacto uerum Chriſti corpus & ſanguis in Sacramento contineatur, ideòne fieri poſſe negabis? Tametſi nos ad intelligendum hebetes ſumus & imbecilli, non idcircò tamen impotens eſt Deus ad faciendum: nec noſtrum non intelligere, uel ingenii noſtri caligo, Dei omnipotentem facultatem in ullo remorari poteſt. Quamobrem ea quæ Deus loquitur, tanquàm facta iam & extra omnem cõtrouerſiam poſita reputabimus, licèt modum nõ aſſequamur. nec te pigeat miſer homuncio, ſi Dei opera tuo intellectu compræhendere nequeas: quandoquidẽ nec omnes uicini tui actiones exploratas habere potes, et tamen eas nequis inficiari? certæq; ſunt & ueræ, tametſi qua ratione fiant, non intelligis. Quin igitur & Dei opera nè ſis negare auſus: ſi tu ea non aſſequeris, intelligentiæ tuæ imbecillitatem incuſes, nec ueritatem Dei in uerbis eius, nec potentiam in operibus eius abneges.

Atq; ut inſanum Sacramentariũ irridiculè & benè pingui Minerua tractem, noueris infeliciſsimè tenebrio, nos utpotè Chriſto credentes, impudentem tuam temeritatem ferre nequaquàm poſſe. Itaq; ſi tu hoc Dei opus inficiaris, nec uerum Chriſti corpus & ſanguinem in hoc Sacramento adeſſe credis, quòd, qua ratione id fieri queat, non intelligas: proindè craſſam tuæq; ruditati conuenientem ſimilitudinem tibi opponemus. Canis qui apud te in officina tua ultrò citroq; diſcurrit, non intelligit opera quæ tu facis, quo pacto ex corio calceum conficias, aut ſimile quid fabrices: num propterea æquo laturus es animo opus tuum à quoquam negari, nec alio quàm phantaſiæ cuiuſdam, non calcei loco haberi, quã ſoquidem brutum illud animal non percipit, qua ratione corium in calceum formetur? Nos autem Deo longè ſumus inferiores, et ab operibus & uirtute eius intelligentia compræhendendis longè magis diſtamus, quàm bruta à nobis. Procul igitur faceſſat à fidelibus hæc temeritas, ut idcircò diuinis operibus derogemus, et nulla eſſe ſentiamus, uel pro nihilo ea ducamus, quod intellectu noſtro ea non aſſequamur: neq; enim putabimus Deum ſimilem eſſe hominibus, eiuſq; facta nihil ab hominum operibus differre. Quocircà fidem, non intellectum, in Diuina opera dirigemus, ut curioſè ea ſcrutari & capeſſere uelimus: ſed modum & menſurã operum eius ipſi committemus, nũ-
Eſaiæ 55. quàm non memores eius, quod admonet per Prophetam: Non enim cogitationes meæ, cogitationes ueſtræ: neq; uiæ ueſtræ, uiæ meæ, dicit Dñs: quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt uiæ meæ à uiis ueſtris, et cogitationes meæ à cogitationibus ueſtris. Quandocunq; igitur aliquid opus eſſe diuinum audiemus, ſimpliciter ſinè ulla perueſtigatione credendum eſt: niſi enim credamus, operis Diuini loco illud habere nõ poterimus. Quinimmò quo pacto Deum eſſe ſcies, ſi rationes & modum operum eius ab ipſo requiras, alioqui minimè crediturus? Vnica ſanè & ſumma ratio eſt, et certa demonſtratio,

ut credas Deum eſſe qui faciat. Quid autem ſimplex & uiua fides homini conferat, indè diſcimus, quòd tametſi quid ſit Deus, nemo perſpectum habet: tamen quia Deum eſſe credimus, eumq́; iuſtum & omnipotentem, ſibiq́; credentibus felicitatem elargiri, hęc ipſa fides nos ſaluos facit. Eodem modo cùm operibus eius ſimpliciter credimus, id nobis cedit ad ſalutem ſempiternam.

Expende frater, quid hinc conſecuturum ſit, ſi in Diuinis operibus Iudaicũ illud, Quomodò, nolimus intermittere. Quocircà magis nos decet, & præſtabilius eſt credere Chriſto, etiamſi quæ loquitur, captum noſtrum exuperent, quàm ut cum inſanis Capharnaitis clamemus. Quomodò &c. Porrò nunc diſcendum eſt, quid nouos hos Berengarios commouerit, ut negẽt uerum Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia. Quandoquidem Chriſtus, inquiunt, uerum corpus & ſanguinem habet, et Scriptura teſtatur ipſum aſſcendiſſe ad cælos, ſedere ad dexteram Dei, & indè uenturum iudicare uiuos & mortuos: qua ergò ratione fieri poteſt, ut ſedeat ad dexteram Dei, et ſimul corporaliter præſens ſit in Sacramento? Reſponſio: Suprà diximus, nos Chriſtianos Domino committere, quo modo iſthuc fiat, et fieri poſsit: Opera eius non perſcrutari, ſed credere nos uolumus. Hoc tamen interim eiuſmodi ueſanis hominibus reſpondere uiſum eſt, plumbei cuiuſdam ac planè aſinini eſſe ingenii uel intellectùs, ſi opinentur Chriſtum tali modo ſedere ad dexteram Dei, quẽadmodùm in ſympoſiis homines duo conſidere ſolent. Immò uerò ſacroſanctum illud Chriſti corpus tam illuſtri & præpotenti reſurrectione clarificatũ, non iam ulteriùs eſt eiuſmodi maſſa & pondus, cuiuſmodi ſunt pigra & corruprioni obnoxia corpora noſtra, ut ſedili ad ſedendum egeat: nequaquàm hoc pacto in angulum quempiam eum coarctari exiſtimabimus. Ceſſa quærere, & crede Scripturæ. Iohan. 6.

CONCIO LXIX. HABITA Dominica XVIII. poſt Trinitatis, Anno 1543.

Verſamur adhuc, Auditores, in explicando ex Dei uerbo & Chriſtiana doctrina auguſtiſsimo ſaluberrimoq́; Euchariſtiæ Sacramento, quid homini Chriſtiano de hoc ſentiendum ſit & credendum. Huius porrò explicationis partẽ admodùm neceſſariam & præcipuam proximè abſoluimus, quando ſolidis ſcripturarum teſtimoniis docuimus, in celſiſsimo Sacramento Altaris ſub panis & uini ſpecie reuerà porrigi uerum corpus Chriſti, quod pro nobis datum eſt, et ſanguinem qui pro nobis & pro multis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum. Multis ſanè ſacrarum literarum teſtimoniis illic fidem noſtram confirmauimus, certamq́; & indubitatam reddidimus aduerſus nouitios ſimul & ueteres Berẽgarios, qui corpus & ſanguinem Chriſti contra expreſſa Dei reſtimonia nobis conantur eripere, quaſi in Euchariſtia non Chriſti corpus, ſed nudam duntaxat figuram corporis eius habeamus. Atqui nobis, utpotè in Chriſtum credentibus, difficile non eſt, ut in hoc my-

ſterio tum ſenſus noſtros & illorum uidere poſtponamus, tum etiam hæreticos & illorum acutas perſcrutationes miſſas faciamus: ſanctisq́; Christi (qui ipſa eſt ueritas) teſtimoniis innitamur, & ſupra ac contra omnem humanum intellectum, ſcientiam & prudentiam confiteamur, in Euchariſtia uerum corpus & ſanguinem Chriſti à fidelibus participari, iuxta teſtimonium eiuſdem Chriſti, dicentis: Accipite & manducate. HOC EST CORPVS MEVM. Accipite & bibite: HIC EST SANGVIS MEVS. Quid uerò morabitur fidelem, ſi ſenſibus aliud comperiat, et delirus ſtultorum hominum intellectus diuerſum dictitet? Dei'ne teſtimonium potius erit ſenſibus & ratione humana? aut cur de Diuina potentia dubitemus, quam in aliis ſtupendis mirabilibusq́; operibus & credimus, et quotidiè experimur? Creatio huius pulcherrimæ tamq́; admirandæ & uaſtæ totius mundi machinæ, et quotidiana creaturarum omnium conſeruatio & gubernatio, diuinam omnipotentiam tam euidenter cordibus noſtris imprimunt, ut citra omnem hæſitationem credam & ſentiam, nec uerbum quidem ullum impoſsibile eſſe apud

Lucæ 1. Matt. 26. Deum. Quocircà ex illo Chriſti uerbo, HOC EST CORPVS MEVM, pii non grauatim percipiunt & ſentiunt in Euchariſtia ſub panis et uini ſpecie, uerum Chriſti corpus et ſanguinem quotidiè ſumi à fidelibus in Dei Eccleſia.

Hic itaq; eſt unus articulus, circa hoc Sacramentum certò ac neceſſariò credendus: ſed neutiquàm ſufficit, cùm accuratius eum inſtrui oporteat de hoc præcipuo Sacramento, qui ad menſam Dominicam non indignus cõuiua uolet accedere, animæq́; illic ſolatium ac ſalutem adipiſci. Quamobrem nunc porrò conſiderandum uenit, (quandoquidem uerum corpus et ſanguinem in hoc Sacramento percipimus) quid utilitatis & fructûs dignè illud ſumentibus adferant, et è diuerſo quæ pœna & ſupplicia indignè participantibus immineant. Primùm ergò de utilitate & fructu audiamus.

Equidem exiſtimo, Auditores, ſi eorum recordemini, quæ in explicandis huius Sacramenti nominibus indicauimus & admonuimus, ubi horum nominum uobis in mentem uenit, mox etiam ingentis ac multiplicis utilitatis, multorumq́; ſalutarium fructuum, qui ità ut par eſt, et dignè hoc Sacramentum ſumentibus accedunt, uos poſſe admoneri. Appellatur Euchariſtia, id eſt, Bona gratia, cùm hic illum ſumamus, qui omnium cæleſtium bonorum eſt theſaurus, omnisq́; gratiæ fons & author omnis ſalutis. Chriſtus unicus Dei Filius ac Dominus noſter, uocatur Synaxis uel Communio, quòd omnes fideles tam in cælo quàm in terris Chriſto capiti aduniat. Quis igitur non intelligat, quàm ineffabilia beneficia conſequantur illi, qui in Chriſto omniumq́; fidelium communione degunt, et cum Chriſto electisq́; omnibus ſimul participes ſunt bonorum omniũ, quæ Chriſtus habet & electi eius? In horum duorum nominum explicatione permulta bona fructusq́; ingentes uobis commemoraui, quibus illi fruantur, qui ritè ac dignè hoc Sacramentum percipiũt. Verùm hoc loco committere non poſſum, quin eadem iam repetam, et unà uobiſcum fuſiùs pertractem, quæ ſit illa Bona gratia in hoc Sacramẽto, et quid

ſolatii ac uoluptatis hæc unio & communio cum Chriſto, piis mentibus conferat: certò confidens, uos non modò ſine tædio, ſed & nouo quodam animi deſiderio audituros, tametſi iam antè audiêritis. Sitit enim ſalutem ſuam Deo 3. Reg. 19.
deuota anima, quæ uero Dei zelo flagrat, quæ ceu ſpiritalis Chriſti ſponſa, uero amore ardet erga Chriſtum Dominum ac ſponſum ſuum, cui nihil maiorem adſert uoluptatem, quàm ſi commune fiat, quo pacto in hoc auguſtiſsimo ac ſaluberrimo Sacramento illum ſumat, quem concupiſcit, quem amat, cuius unius flagranti deſiderio tenetur. Hæc ſunt ſpiritalia illa ſponſalia, quibus anima fidelis Chriſto Seruatori ſuo deſponſatur. Nam quemadmodùm ſponſaliorum inter uirum & fœminam proprium eſt, ut ex ambobus unum corpus conſtituant, iuxta uerbum Dei, Erunt duo in carne una: & uir obligatur ſponſam ſuam tanquàm propriam carnem diligere, fouere, et ut ſummatim dicam, quibuſcunque poteſt modis iuuare & opitulari: itidèm quoquè per ſumptionem huius ſanctiſsimi Sacramenti deuota ac religioſa anima ſpiritale cum Chriſto capite & Saluatore ſuo connubium contrahit, iamq; porrò ad Chriſtum pertinet, uereq; unum cum illo fit corpus & una caro, quandoquidem ſanguinem & carnem eius uerè participauit, prout ſcriptum eſt: Quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſsibus eius. Gene. 2. Ephe. 5.

Hac unione ſiue cōiunctione Chriſtus animæ deuotæ obligatur & adſtringitur, ut eam diligat, foueat, defendat, protegat, enutriat, ſeq; illi ſeruatorem & adiutorē præſtet. Hæc omnia diuus Paulus eleganti ſententia teſtatur Ephe. 5. ubi de coniugio diſputans, pulchrè commemorat, quo pacto uir & mulier unū fiant corpus, et ut alter alterum ut corpus ſuum diligere debeat ac tueri, tandemq; ſubiicit: Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Si itaq; humani coniugii copula id efficit, ut deincèps uir & uxor unum ſint, mutuoq; ſe diligant, tutentur, conſeruent, foueant, omniaq; beneuolentiæ & charitatis officia ſibi inuicèm exhibeant: quantam putamus habere uim & energiam, quandò ECCLESIA, hoc eſt, credentium deuotæ animæ, Chriſto coniunguntur ac uniuntur, edunt corpus & bibunt ſanguinem eius, atq; ità fiunt membra corporis eius, de carne eius, et de oſsibus eius? Quantus illic oritur amor inter Chriſtū & animam deuotam? Quàm ardentem charitatis affectum, quàm fidele patrocinium, quàm benignam & clementem ſui conſeruationem ac ſuſtentationem anima pia à Chriſto conſequitur per ſumptionem ſacratiſsimi corporis & ſanguinis eius, ſi quidem humana illa coniunctio tantam charitatem & fidem mutuam conciliat? Quanto potior & ſacratior hæc unio eſt, quàm illa humana: et quanto Chriſtus locupletior & opulentior eſt homine, tanto et uirtus huius Sacramenti inter Chriſtum et fideles præſtantior, magiſq; ſalutifera eſt, quàm uirtus illius Sacramenti, quod eſt inter uirum et uxorem.

Si ergò nunc animos Deo deditos ac deuotos haberemus, quàm facilè huius Sacramenti uſus rurſus increbreſceret, & in priſtinum uigorem reſtitueretur apud Chriſtianos? Quanto cum deſiderio perſæpè ad menſam Domini-

cam accederemus, & ſpiritali illic coniunctione Chriſto nos uniremus, qui unica eſt noſtra ſalus & conſolatio? Nimirùm communibus tum uotis in Chriſtianitate concineremus, et ſinguli noſipſos ſæpiùs per totum anni cir-
Pſal. 41. culum adhortatemur: Introibo ad altare Dei, ſumam Chriſtum qui lætificat iuuentutem meam. Quemadmodùm ſponſa ſummo ſponſi ſui tenetur deſiderio, ſic & anima Chriſtum diligens, omnibus uotis ad hoc Sacramētum an-
Ambr. in vita S. Agnetis. helat, intimoq; animi deſiderio illud ſumit, inquiens: Hic eſt dilectus meus, quem cùm amauero, caſta ſum: cùm tetigero, munda ſum: cū accepero uirgo ſum. Iam mel & lac ex ore eius ſuſcepi, et ſanguis eius ornauit genas meas. Haud ſanè uerbis explicari poteſt, quanta conſolatione & delectatione hoc ſalutiferū Sacramentū cor hominis perfundere queat. Nō eſt hoc linguæ opus, ſed tantū corda illa, quæ Chriſtus uero ſui amore ſuccendit, experiūtur & ſcire poſſunt, quantam dulcedinem & uoluptatem animæ deuotę hauriāt, quantoq; accendātur deſiderio ex perceptione corporis & ſanguinis Dñici. Illud tamen dici & ſcripturarū teſtimoniis doceri poteſt, eos qui nullô huius ſacramēti deſiderio tenentur, etiam omni erga Chriſtum dilectione planè uacuos eſſe, nec ullam cum Deo & uita ſempiterna partem habere poſſe, quandoquidem cibum uitæ aſpernantur. Quoniam itaq; cernimus huius Sacramenti uſum adeò penitus in Chriſtianitate intercidere, et ex ſola ferè conſuetudine, nō autem deuotione ac deſiderio ad menſam Dominicam accedimus, omninò fateri cogimur, nos in ipſa Chriſtianitate Chriſtianitatem uel Chriſtianiſmum amiſiſſe. Verùm hæc querela tempus opportunum aliquandò habitura eſt: Nos in præſentiarùm porrò ſimul conſiderabimus, quàm rectè ac meritò hoc uenerabile ſacramentum Euchariſtia, id eſt, Bona gratia dicatur, idq; propter multiplicem gratiam ac utilitatem, quam in eo participamus. Neq; ſanè potiorem prę-ſtantioremq; gratiam habere poterimus, quàm ſi Chriſtum om̄is gratiæ fontem apud nos retineamus: quippe qui & ſaluti noſtrę abundè ſufficit, et eſt nobis protegendis ac tuendis neceſſarius.

Atqui uerò eius promiſsionem tenemus, nimirùm ſe nobiſcum fore omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi, Matth. 28. Hanc promiſsionem peculiariter adimplet in hoc Sacramento. Apud Patrem in cælis integer eſt in uera ſua forma: apud nos quoquè integer eſt in Sacramento, ſed ſub aliena forma panis & uini, nè quiſquam illud ſumere exhorreſcat, in quo præſtantiſsimam ac præcipuam gratiam, Chriſtum inquam Dominum, ſumimus, eumq; in noſtri defenſionem pauperculi hoſpitio recipimus. Deindè percipimus in hoc Sacramento eſcam, quæ nobis uitam confert æternam, quam ex nobiſipſis habere non poſſumus: eripitq; nos à morte perpetua, quum citra hunc cibum
Iohan. 6. non poſſemus euadere. Ego ſum panis uitæ &c. inquit Dñs apud Iohannem. Tertiò ſumimus hic uerum panem illum, quo angeli in cælis, & ſanctæ animæ
Pſal. 77. ſatiantur in terris: qui in uitam ſempiternam homines per ſe mortales, & alioqui morti perpetuæ mancipandos, cōſeruat. In hoc deniquè Sacramēto Deus, quod optimum, ſuauiſsimum, pulcherrimū habet, nobis elargitur, queádmodùm

dum indè loquitur Zacharias: Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum Zach. 9.
eius, niſi frumentum electorum, et uinum germinans uirgines? Bonus & pulcher eſt cibus iſte electis, non impiis: ſacer enim cibus puros uult conuiuas, & uinum hoc uirginibus deſtinatum eſt: illis, inquam, qui ſanctæ fidei noſtræ puritatem integram incorruptamq; conſeruant.

Qui ſectis adhærent uel diſcordia laborant, haud rectè ueſcuntur corpore & ſanguine Domini, quod pacis & unitatis ſymbolum eſt. Itaq; benè ſic appellatur à Propheta. Quidni autem Bona gratia uocetur, quòd omnis boni largitorem porrigit, qui non tantum uulnera pœnitētium peccatorum curare poteſt, ſed & uires ac robur ſuppeditat aduerſus imminētes lapſus & futura peccata. In Leuitico cap. 6. de hoſtia pro peccato ſic loquitur Dominus: Quicquid tetigerit carnes eius, ſanctificabitur. Verum illud typus ſolùm ac figura fuit huius noſtri Sacramēti: & quod ibi præfigurabatur, hic copioſè munificeq; adimpletur. Cùm Chriſtus in corpore iuxta humanitatem etiamnùm mortali degeret, contactu mūdabat leproſos: & ueſtimenti fimbria mulierē tangens, ſanguinis eius fluxum ſiſtebat: mortuos tactu excitabat. Quid aliud hæc nobis indicant, quàm quòd in Chriſti carne, quam in uenerabili Sacramento ſumimus, eam uirtutem inueniamus, quæ commiſſa peccata pœnitentibus auferat & ſanet, præſtet uires & ſanitatem aduerſus futura, refocillet eos ad uitam, qui ob grauia peccatorum ſuorum debita, morti erant obnoxii? In hoc Sacramento ea uirtus ineſt, quæ aduerſus ſatanæ & carnis infeſtationes ſatis confirmare nos poteſt.

Paràſti in conſpectu meo menſam, inquit Regius ille Pſaltes, aduerſus eos Pſal. 22.
qui tribulant me. Quæ item tranquillitatem & pacem contra aduerſa omnia nobis confert. Qui poſuit, inquit idem, fines tuos pacem, et adipe frumenti ſa- Pſal. 147.
tiat te. Atq; ut ſemèl dicam, quid nō bonorum habere poterimus, ſi dignè hoc ſaluberrimum Sacramentum ſumamus? Scimus per uſum huius Sacramenti, Chriſtum in nobis manere, et nos in Chriſto, Iohan. 6. Chriſtus autem eſt uita: ſi itaq; illum in nobis habeamus, et nos ſumus in illo, nihil iam ulteriùs deeſt nobis ad uitam æternam. Pro hac tam longa Dei beneficentia, nullas dignas aut congruas in nobis gratiarum actiones comperimus. At quia ſcimus Pſal. 15.
Deum prædiuitem eſſe, et bonorum noſtrorum non egere, immò ad maiora præſtāda propenſum eſſe, accedimus ad eum orantes, ut nos ſua menſa dignos efficiat, eamq; gratiam tribuat, ut ſacroſanctum corpus & ſanguinem eius tali corporis & mentis deuotione ac puritate ſumamus, quemadmodùm & illius diuino honori cōgruit, et animabus noſtris ſalutare ac conducibile eſt. Et quoniam hæc eſt beneficiorum uel beneficētiæ illius recordatio, id nobis præſtet, ut perpetua cum gratiarum actione eius ſemper memores ſimus, ac tandèm gratia, benignitate ac beneficentia eius æternùm frui mereamur. Amen.

CONCIO LXX. HABITA
Dominica XIX. poſt Trinitatis, Anno 1543.

Inue-

INueſtigamus iam, Auditores, quas ſpiritales delectationes & utilitates, quæ item ſpiritalia gaudia & chariſmata præſtantiſsimum idemq́; ſaluberrimum ueri corporis ac ſanguinis Domini Sacramentum fideli ac deuotæ animæ adferat, de quibus etiam uaria ſuperiori Concione audiuimus. Atqui nihil ambigo, pios ac deuotos in ſeipſis experiri, ſaluberrimum hoc Sacramentum longè maiorem utilitatem & conſolationem adferre, quàm uel ego, uel alius quiſquam uerbis enarrare queat: neq; enim eſt linguæ hoc opus, ſed fidelis ac deuotæ animæ, guſtare & uidere quàm ſuauis ſit Dominus. Abundè quidem multa ſcripturarum teſtimonia habemus, ut uel maxima cũ gratia & conſolatione de hoc tam ſalutari Sacramento diſſerere queamus. Verùm longè ſuauius ac gratius eſt, quandò corde ſentitur, quanta ſalus & gratia nobis in hoc Sacramento conferatur.

Hic eſt fidei noſtræ ſcopus & ultimus finis, cuius gratia omnia & facimus & toleramus, nempe ut aliquandò cum Chriſto & omnibus electis æternùm uiuamus. Huc autem Euchariſtiæ digniſsimum ſacramentum permultùm confert. Vitam enim ſempiternam, ſempiterno cibo ali oportet, nè ſiti aut fame in illa uita afficiamur. Itaq; Chriſtus perpetuæ uitæ cibũ nobis largitur in hoc Sacramento, prout ipſe teſtatur Iohan. 6. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in uitam æternam, quem Filius hominis dabit uobis. Inter cætera quoquè perpetuæ felicitatis & uitæ cæleſtis beneficia illud ſacræ literæ recẽſent, quòd electi nullam illic famis aut ſitis iniuriam perſentient. Nõ eſurient neq; ſitient ampliùs, nec cadat ſuper illos ſol, neq; ullus æſtus: quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad uitæ fontes aquarũ, et abſterget Deus oẽm lachrymam ab oculis eorũ. En ubi erit beatitudo, ibidèm perpetuam ſaturitatem eſſe oportet, fames & ſitis cum beatitudine cõiuncta eſſe non poſſunt. Porrò quemadmodùm corporis fames cibo & potu arcetur, & pane naturali uel factitio temporaria uita ſuſtentatur: ità hac eſca ſpiritali ſempiterna fames propellitur, & gratiſsima uitæ æternæ ſatietas obtinetur. Iohan. 6. Ego ſum panis uitæ: qui uenit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet in æternum. Quoniam itaq; ſalus & felicitas in hoc ſacroſancto edulio conſiſtit, hanc quoquè concionem ei impendamus, et plures huius celſiſsimi Sacramẽti fructus, conſolationes, utilitates, quæ dignè ſumentibus accedunt, ſinè tædio audire ſuſtineatis.

Apoc. 7.

Proximi noſtri ſermonis ſcopus fuit, Auditores, ut multis modis, multiſq; rationibus uos admonerem ac inſtituerem, quamobrem hoc præſtantiſsimũ Sacramentum rectè ac meritò Euchariſtia, id eſt, Bona gratia appelletur. Hãc autem Concionem eò potiſsimùm dirigemus, ut uobis in memoriam redigamus, cur Communio nuncupetur. Neq; enim ſummam utilitatem & largiſsimam huius Sacramenti gratiam aptiùs declarauerimus, quàm his duobus nominibus explicandis: quod tamen eo cõpendioſiùs percurremus, quòd ſæpiùs iam hac de re uerba fecerimus.

Diximus anteà hoc auguſtiſsimum Sacramentum Communionem dici,

cùm non ſolum deſignet, ſed & efficaciter faciat arctiſsimam Chriſti omniumq; credentium coniunctionem & communionem, 1.Corinth. 10. Atque hic ſciendum eſt, duplex corpus Chriſti in ſcripturis inueniri. Vnum eſt, uerum ac naturale eius corpus cum carne & ſanguine, uti illud de caſtiſsima Maria uirgine aſſumpſit, cùm ueram humanitatem noſtræ ſalutis cauſa induit, utq; idem ad necem & crucis ſupplicium obtulit in expiationē & propitiationem pro peccatis noſtris. Hoc illius uerū ac naturale corpus cum carne & ſanguine accipimus in uenerabili Sacramento iuxta certiſsimum ipſius Chriſti teſtimonium, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11.

Alterum Chriſti corpus eſt myſticum ac ſpirituale: quod eſt illa omnium electorum Eccleſia, qui in uera fide, uera Chriſtianæ doctrinę concordia, et legitimo Sacramentorum uſu ſe continent in communione Sanctorū, quam in fidei noſtræ ſymbolo cōfitentes dicimus: Credo communionem ſanctorum. Immò & eorū qui ante nos in terris fidem Chriſtianam profeſsi ſunt ac ſeruârunt, et nunc fidei ſuæ fructū percipiunt, ſalutem animarum ſuarum: necnon illorum etiam, quotquot poſt nos in Chriſtum crediturí ſunt uſq; ad conſummationem ſeculi. Hi oēs pariter ſunt myſticum illud Chriſti corpus, eorumq; caput eſt ipſe Chriſtus. Hoc myſticum Chriſti corpus, quãdoquè et ſpiritualis ciuitas nuncupatur, idq; ea de cauſa, ut ſimpliciores eiuſmodi externo ac uiſibili exemplo admoneantur, quantum lucri & utilitatis ad ipſos redeat, quandò uerum Chriſti corpus in Sacramento participant. Nam ut multotiès iam diximus, perceptio ueri corporis Dominici in Sacramēto, communionē huius myſtici corporis ſignificat, itá ut Sacramentum hoc participare, nihil aliud ſit, quàm corpori Chriſti myſtico inſeri, membrū cōmunionis Chriſti & omniū ſanctorum fieri, et in ciuem huius ſpiritualis ciuitatis cooptari. Atq; hinc appellatur communicare, quemadmodùm excommunicari dicũtur, qui ex hac Chriſti & electorum communione eiiciuntur. Si itaq; rudior quiſpiam & ſimplicioris ingenii Chriſtianus huius auguſtiſsimi Sacramenti utilitatem ſcire & cōſiderare uolet, duas has ſimilitudines ciuitatis & naturalis corporis ſibi proponat, ſeq; admoneat, ſumptionē corporis & ſanguinis Chriſti ipſum efficere ciuem huius ſpiritualis ciuitatis, cuius præfectus eſt Chriſtus, ciues autem, oēs electi: itemq; ipſum membrum efficere myſtici cuiuſdam corporis, cuius caput eſt Chriſtus, et omnes electi ſunt membra: neq; enim alia ratione huius tam ſalutaris Sacramenti utilitas rectiùs & euidentiùs illi demonſtrari poteſt. 1.Pet.1.

Principiò, corporis Chriſti communio illud præſtat, quòd ubi Chriſtus caput noſtrum eſt, eodèm & nos reuerà pertinere: quemadmodùm ille perpetuò uiuit ac regnat ſinè ulla indigentia, itá & nos eius membra æternùm uicturos, cum eoq; regnaturos in beatitudine ſempiterna, ubi gaudium erit, omnis doloris ac mœroris prorſus expers. Hac autem uita, cū Chriſto & apud Chriſtum ſecūdùm animam & in corpore immortalitate iam donato & clarificato uiuemus: nā de tēporaria hac uita intelligi nec poteſt, nec debet ꝙ dicitur, Fideles uiuere in Chriſto, perpetuoq; cum illo uicturos. Oportet priùs corru- 1.Cor.15.

ptibile

ptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem, ac tunc demùm uita & regnum æternum cum Chriſto ſumet exordiũ, ut nos membra unà cum capite noſtro eius gloriæ et regni participes et cohæredes ſimus.

Interim uerò quiddam ſit oportet, quo ſpiritus noſter cum Chriſto capite uniatur: neceſſarium eſt uinculum quoddam, quod membra capiti connectat & adſtringat, nullum alioqui à capite uitalem influxum uel uitam habitura. Vt igitur ſpiritûs noſtri cum Chriſto coniunctio arctiſsima ac certiſsima ſit, ſuam ipſius carnem & ſanguinem ſpiritui noſtro in alimoniam deſtinauit, qua uelut membra ſpiritualiter cum ipſo in unum corpus & uera eius membra efficimur, de carne, oſsibus & ſanguine eius. Hæc eſca uel alimonia nos conſeruat in Chriſto, et uitam largitur in ipſo: et quanuis corpore adhuc in terris degamus, hic tamen cibus uirtute ſua animum & ſpiritum noſtrum in cælum ſubrigit ac ſuſtollit, ut terreſtrium rerum obliti, ſuſpiremus ad cæleſtia, Chriſtum ſitiamus ac deſideremus, et cum illo eſſe cupiamus, dicentes cum Apo-
Philip. 1. ſtolo: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Tunc nimirùm deſiderio & affectu iam conuerſamur in cælis, atq; hoc pacto ſpiritus & uita noſtra in Chriſto cõſeruatur per corporis & ſanguinis eius alimoniam, ſumusq; ſpiritalia corporis eius membra, quandoquidem corpus eius edimus, donec tandem hoc mortale deponamus, et immortale corpus induamus: atq; tunc demùm Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, Philip. 3. Tunc facie ad faciem ipſum contuebimur, cum quo nunc ſpiritu ſolum ac deſiderio uiuimus.

Nunc itaq; perſpicitis, ut Chriſtus in Sacramẽto reuerà uiuus ſit panis pro mundi uita, et quomodò ſinè hoc pane nemo uitam habere queat: dignè autem ſumentes, non moriantur in æternum. Itaq; facilem & gratam habent intelligentiam illæ Chriſti ſententiæ, quibus ſeipſum apud Iohannem 6. cap. uocat panem uitæ: panem, inquam, non qui uentrem paſcat, et corporis famem arceat, ſed qui animam & ſpiritum hominis ſatiet, uitamq; noſtram ſpiritalem in Chriſto conſeruet ac foueat, totiq; homini adferat uitam æternam, atq; ipſa adeò morte ſempiterna robuſtiorem eum efficiat. Qui panem uitæ ſuſcipiunt, ait Cyrillus lib. 4. cap. 10. in Iohannem, immortalitatem conſequentur, et omnia interitûs mala effugient, cum Chriſto æternaliter uiuentes. Nihil autem uerbis noſtris officit, nec idcircò mentiri uidebimur, quia fideles, qui CHRISTO participârunt, corpore moriuntur. Nam etſi hac communi omnium morte cadere uideantur, uiuunt tamẽ Deo, ut Paulus ait. Hæc Cyrillus. Neq; enim hic cibus eò ſpectat, ut mortale hoc corpus ſuſtentet, ſed ut animam ac ſpiritum paſcat, ac tandèm ubi corpus ſuum illud mortale exuerit, animam ſimul & corpus foueat & conſeruet in æternũ. De hac enim uita æter-
Iohan. 11. na loquitur Chriſtus apud Iohannem: Qui credit in me, etiamſi mortuus fu-
Iohan. 6. erit, uiuet. Qui manducat meam carnem, et bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.

Expen-

Expendite nunc, Auditores, quid perindè conſolatorium de ſummi huius Sacramenti vtilitate vobis pro concione dici queat, quàm hac ipſa explicanda cõmunione & concorporatione cum Chriſto: putà, quòd quicunque corpus & ſanguinem Chriſti in Sacramento participant, myſtico Chriſti corpori inſerantur, & viuant in Chriſto, prout Dominus ipſe apud Iohãnem teſtatur his verbis: Qui manducat meam carnem & bibit meum Iohan. 6. ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Quiſquis igitur manet in Chriſto, viuit ſanè & manet in æternum, cùm Chriſtus ſit æternus: ſicuti & ſeptiès illis vitam æternã ꝓmittit, qui corpore & ſanguine ipſius veſcũtur, Ioh. 6.

In hanc ſententiã etiam Apoſtolus dicit, nos vitam noſtram in Chriſto perpetuam habituros. Mortui enim eſtis, inquit, & vita veſtra eſt abſcõ- Col. 3. dita cum Chriſto in Deo. Cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Porrò non vnus aliquis, aut pauci dũtaxat, hac ratione, de qua iam ſæpenumerò dictum eſt, Chriſto vniuntur & cõcorporantur, ſed omnes illi, qui hoc Sacramentũ dignè vſurpant. Quos igitur ſcire iuuat, quo pacto plurimùm conſolationis ex hoc auguſtiſſimo Sacramento haurire queant, ciuitatis aut etiam naturalis corporis exemplũ ſibi proponant: & facilè inuenerint rationẽ, qua in quibuſlibet rebus afflictis & aduerſis pręcipuam ſibi conſolationem & pręſidium ex hoc ipſo Sacramento poſſint petere.

Filij huius ſeculi, quandò hoſtium incurſibus premuntur, nec priuatis viribus illis reſiſtere poſſunt, dant operam, vt in ciuitatem aliquam adſcripti, ciuium iure fruãtur: quo obtento, non ſolùm eius ciuitatis nomen, ſed & patrocinium ac tutelam ſibi communem habent, vt ſi quis eos velit impetere, vniuerſos ciuitatis illius municipes inuadere cogatur. Eſt enim iuris municipalis, vt ciues mutuò ſe tueãtur ac defendant: quo fit, vt dum ſinguli hoſtium vim propulſare nequeunt, omnibus auxilia ſua in commune conferentibus, abundè illis propulſandis ſufficiant. Quis igitur in afflictionibus & calamitatibus ſuis animum deſpondeat, qui in Chriſti & electorũ communionem receptus eſt? Certus enim eſt, ſe in ſuis miſerijs & aduerſitatibus perire non poſſe: donec enim in Chriſto manet, ſolus non eſt, ſed auxiliaribus copijs abundè munitus eſt: quandoquidẽ ipſe Chriſtus & electi omnes onus, quo premitur, vnà ferunt, ac pro ipſo depugnant, Zach. 2. Matt. 25. Verùm quòd in hac tam robuſta & ſancta communione non ſinè anguſtijs ac doloribus viuimus, nihil nos mouebit: ſiquidem ad tempus affligimur cum Chriſto, vt & gaudiorum cum ipſo participes eſſe queamus. Sufficiat, quòd tentatio nos perdere non poteſt. Fidelis enim Deus eſt, qui non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus, 1. Cor. 10.

Præterea nec illa exigua eſt huius ampliſſimi Sacramenti vtilitas, quòd plurimùm in fide confortamur, dum verum Chriſti corpus ac ſanguinem coràm habemus ac percipimus, quemadmodùm olim verè traditum eſt pro nobis & cruci ſuffixum. Nulla iam dubitatio in animis noſtris remanere

nere poteſt de omnibus illis, quæ ſcripturæ de Chriſto cõteſtantur. Quàm facilè enim credere poſſumus, quę de eo dicuntur, quandò corpore & ſanguine præſentem eum habemus, de quo illa dicuntur? Dum corpus & ſanguinem eius percipimus, mortem illius, in qua corpus eius crucifigebatur, & ſanguis effundebatur, tam certò coràm adſpicimus, àc ſi ſub ipſa cruce adſtitiſſemus. Et ſanè plurimæ cogitationes, fidei noſtrę incommodantes ac derogantes, euaneſcunt & abſcedunt ad huius ſalutiferi Sacramẽti præſentiam, prout ſinè dubio experiũtur, qui deuotè illud percipiunt. Ad hæc Sacramentum hoc longè digniſſimum corda noſtra DIUINO amore efficaciter implet. Nam dum expẽdimus, vt Chriſtus non ſolùm iam corpus ſuum in cibum nobis conferat, ſed etiam olim illud reconciliationis gratia in mortem pro nobis tradiderit, intelligimus indè intimum eius erga nos amorem, quo tum ad mutuã dilectionẽ incitamur ac impellimur, vt Chriſtum ſic nos priùs diligentem, viciſsìm redamare incipiamus: quem cùm diligimus, hoc emolumenti nobis indè accedit, vt deincèps maiori nos amore complectatur, & quotidianis nos afficiat beneficijs & bonis omni-

Prou. 8. bus. Ego, inquit apud Sapientem, diligẽtes me diligo. Porrò hic amoris affectus non tantùm in huius Sacramenti ſumptione à nobis requiritur, ſed & confertur per idem ipſum ſalutiferum Sacramentum. Exigit quidem à

Iohan. 15. nobis Chriſtus ſuî dilectionem, dicens: Manete in dilectione mea &c. Vt autem illud pręſtemus, hoc Spiritûs DEI beneficio nobis obtingit, quo ſpiritu complemur & corroboramur in huius ſanctiſſimi Sacramenti perceptiõe, teſte Apoſtolo, dum inquit: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, Rom. 5.

Eſt præterea cumprimìs efficax hoc ſaluberrimum Sacramentum ad veram Chriſtianamque patientiam in nobis confirmandam, promptosque & alacres nos reddendos ad omnia propter Chriſtum toleranda, quemadmodùm ipſe paſſus eſt pro nobis, 1. Pet. 4. Chriſto igitur paſſo in carne, vos eadem cogitatiõe armamini. Nuſquàm autem meliùs renouamus memoriam paſſionis Chriſti quàm in hoc Sacramento. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 2. Conſentit & Ignatius epiſtola ad Rom. Eſt ſchola, in qua diſcimus vehementer ornare dilectionem, manducamus, & in fratres participamus.

CONCIO LXXI. HABITA

Dominica XX. poſt Trinitatis, *Anno* 1543.

COmplura iam de fructu & vtilitate auguſtiſſimi ſaluberrimiq; corporis & ſanguinis Chriſti ſacramẽti hucuſquè diximus, AUDITORES, & longè plura dici poſſent: verùm nunquàm locupletẽ exuberantemq; eius gratiã & fructus verbis poterimꝰ aſſeq & explicare. Sed faciendũ vt poſſumus, quãdò vt volumus nõ licet. Gratia quidẽ & virtus huius Sanctiſſimi Sacramenti interminata eſt & infinita: At quia eruditionis & viriũ

tam

tam mihi eſt curta ſupellex, in ijs conquieſcemus, quæ hactenùs de huius ſalutiferi Sacramenti vtilitatibus attulimus: cætera veſtræ fidei pariter ac deuotioni diligentiùs inueſtiganda relinquemus. Quoniam igitur verbis explicari omninò non poteſt, ſuperiores de gratia, virtute & fructibus ſacroſanctæ Euchariſtiæ cõciones, quodam Epiphonemate cõcludemus, dicentes cum Eccleſia:

O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius: mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, Alleluia. Hoc Eccleſiæ canticum, Auditores, ſit vobis inſtàr pulcherrimi compendij vel ſummæ cuiuſdam diuinorũ chariſmatũ, quę in Euchariſtia vobis conferuntur. Siquidẽ in eo Chriſtũ omniũ gratiarũ bonorũq; theſaurũ ac fontẽ accipitis, recolitis memoriã paſſionis eius, participantes carnem & ſanguinem eius, quæ in remiſſiõem peccatorũ tradita & effuſa ſunt: daſ precium, quo ſalus totius orbis redempta eſt, mentesq; veſtrę gratia adimplenſ. Nam in hoc cibo ſacroſanctę carnis & ſanguinis Chriſti viuificans illa virtus cõtinetur, quę nos in Chriſtum transfert, efficit cęleſtes, & eiuſmodi vitam nobis cõfert, vt dum corpore adhuc humi repimus, animo tñ & ſpiritu ac deſiderio in cælis cum capite noſtro Chriſto viuamus, cũ quo etiã realiter & pręſentes, animo ſimul & corpore in ęternum victuri ſumus, quandò virtute ſua mortalitatem auferet à corporibus noſtris, itemq; corruptionem, & ijſdem conferet immortalitatem & incorruptionem, ſicque ea configurabit corpori claritatis ſuæ, 1. Corint. 15. Phil. 3. Cuius vitæ ſempiternæ certiſſimum pignus accipimus in Sacramẽto, verum corpus & ſanguinem Chriſti, quæ non modò deſignant, & certos nos reddunt de vita æterna, ſed & virtute ſua eandem nobis conferunt, atque in nobis fouent & conſeruant. Quocircà non immeritò in huius ſummè venerandi Sacramenti perceptione canimus Deo, Alleluia: hoc eſt, ore pariter & corde meritò Deum prædicamus, qui nos ad hãc tam ſalubrem alimoniam ex gratia & miſericordia ſua clementer inuitauit, atq; etiamnùm quotidiè admittit, ex qua virtutem accipimus, quæ abundè ſufficiat tum temporariæ, tũ æternæ ſaluti adipiſcendæ. Hactenùs de vtilitatibus & fructibus ſanctiſſimę ac ſaluberrimę Euchariſtiæ, nunc ad reliqua progrediemur.

Quæ hucuſquè de fructibus & vtilitatibus præſtantiſſimi corporis & ſanguinis Dominici Sacramenti dicta ſunt, Auditores, ea vt fideles proculdubiò cum voluptate ac deſiderio audiuiſtis, gaudioque & conſolatione animos veſtros perfuſos confido, quandoquidẽ agnoſcitis, q̃ vberem theſaurum Deus nobis in Eccleſia reliquerit, quem in ſalutem & ingẽtem vtilitatẽ noſtrã etiãnùm quotidiè vſurpamus. Ab huiuſmodi ſpirituali gaudio nulla incredulitas, nulla nos remoraſ ambiguitas circa hoc venerabile Sacramentum: omnia eñ hîc Dei verbo, & ſolidis certisq; ſcripturarũ teſtimonijs ſunt confirmatiſſima. De vera corporis & ſanguinis Chriſti in hoc Sacramento præſentia, clara & manifeſta ipſius Chriſti teſtimonia extant

apud Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. Quoniam igitur Chriſtum in hoc Sacramento ſumimus, facilè vel per noſipſos crediderimus, atq; etiã abundè multis ſcripturarum teſtimonijs certificamur, nos vberrimam ſimul cum illo omnium gratiarum bonorumque copiam adipiſci, ideoque nullus iam ſcrupulus & dubitatio de vtilitate & fructu ſacroſanctæ Euchariſtiæ in animis noſtris relinquitur.

Vnum tamen reſtat, quod fortaſſe quorundam animos nonnihil commouere poſſit. Nam tametſi de gratia & virtute huius auguſtiſſimi Sacramenti nihil addubitant, putabunt tamen fortè nonnulli neceſſarium eſſe, vt idem ampliſſimũ corporis & ſanguinis Domini Sacramẽtum ſub vtraq; ſpecie ſumamus, ſi illius virtutis capaces & participes eſſe velimus, quæ fidelibus in hoc Sacramẽto ſcripta diuina promittunt. Quamobrem hunc quoquè ſcrupulũ animis veſtris eximemus, ac Deo opem ferente, nullam hac de re apud vos dubitationem hærere patiemur, atque Eccleſiæ doctrinam de inſtitutione huius ſanctiſſimi Sacramenti, eiuſdemque ſub vtraq; itemque altera ſpecie ſumptione, proponemus, vt pacem & tranquillitatẽ pectoris retineant, quibus ex tam diuturna Eccleſiæ conſuetudine, hoc auguſtiſſimum Sacramentum ſub altera duntaxat ſpecie miniſtratur. Et quidem principiò dicimus, ſacroſanctam Euchariſtiam, celſiſſimum veri corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum, rectè ac meritò ſub vtraque panis & vini ſpecie cõſecrari, certas quaſdam ob cauſas: Prior eſt, vt huius Sacramenti tractatio in ſancta Eccleſia cõuenienter Chriſti inſtitutiõi, eidemq; conformis ſeruetur, & Eccleſia id, quod à Domino factum eſt, perfectè & cõformiter imitetur, prout eidem præcepit, dicens: Hoc facite in meĩ commemorationem. Altera cauſa, quamobrem hoc ſanctiſſimum Sacramentum ſub vtraq; panis & vini ſpecie debeat conſecrari, eſt, vt ſub diuerſis his ſpeciebus id quod ſignificant, ſufficienter & idoneè repręſentetur. Nam quia Sacramentum hoc corporis & ſanguinis Chriſti eſt quoddam rememoratiuum ſacrificiũ & commemoratio paſſionis eius, neceſſum eſt, memoriam ſiue commemorationem rei geſtæ eſſe conformem. Atquì verò in Chriſti paſſione, per quam redempti ſumus, corpus ipſius pro nobis datum eſt & ſanguis effuſus, atque hoc modo ad ſalutem noſtram corpus & ſanguis eius in eadem ſacratiſſima paſſione abinuicèm ſeparata ſunt. Quãobrem Chriſtus paſſionis ſuæ memoriam volens inſtituere, duobus vſus eſt ſignis: Vno, quo deſignaretur corpus ipſius pro nobis traditũ eſſe, atq; hoc eſt panis ſpecies. Alterum, quo denotaretur, ſanguinem eius pro nobis effuſum: & hæc eſt vini ſpecies. Quô nunc hæc ſuæ paſſionis recordatio & repręſentatio euidentior & illuſtrior foret, voluit Chriſtus corporis & ſanguinis ſui Sacramentũ (quod recordatio quædã paſſiõis ſuę futurum erat) ſub duabus ſpeciebus inſtituere. Per panis ſpeciẽ admonemur, Chriſti corpus pro nobis datũ & in cruce ſuffixũ eſſe & emortuũ. Nanq; ſic Chriſtus ipſemet nos admonet, inquiẽs: Accipite & mãducate. HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis tradetur. Per vini ſpeciẽ, ſanguinẽ eius in peccatorum (1. Cor. 11.)

noſtro-

noſtrorum remiſſionem effuſum admonemur:cuius itidèm Chriſtus nos cõmonefacit,dicens:Bibite ex hoc omnes.Hic eſt enim ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.Hoc itaque modo Dominicæ paſſionis recordatio in duabus huius Sacramenti ſpeciebus conſiſtit:& quandò hæc memoria integrè & abſolutè repræſentanda eſt,ſemper hoc ampliſſimum Sacramentum ſub vtraque ſpecie in Chriſti Eccleſia cõſecrandum eſt.Interim tamen ſinè vlla hæſitatione conſtanter id Eccleſia Dei confitetur,ſub qualibet ſiue panis ſiue vini ſpecie totum Chriſtũ cum carne & ſanguine contineri:nec ſub vtraque ſpecie plùs eſſe, quàm ſub altera. Vtrobiquè integer eſt Chriſtus:nam horribile foret cogitatu, ſub ſpecie panis ſolum corpus,& ſub forma vini ſolum ſanguinem eius exiſtere. Nequaquàm. Nulla hac tempeſtate eſt ſecta tam barbara,quæ huiuſmodi cogitare,nedùm eloqui vel docere audeat.Liquidò cõſtat ex Scripturarum teſtimonijs, Chriſtum poſt reſurrectionem iam non ampliùs mori. Ipſe mors fuit mortis:quomodò igitur morti vlteriùs erit obnoxius?Oſeæ 13.Si itaque Chriſtus iam perpetuò viuit, requiritur omninò, (quemadmodùm & in vnoquoq; corpore viuẽte)vt caro & ſanguis, anima & diuinitas eius, ſemper indiuiſa pariter maneant & coniũcta.Quocircà vbì corpus & caro eius eſt,ibidèm & ſanguis eſt,anima ac diuinitas, atq; adeò totus Chriſtus: Et vbì ſanguis eſt,ibidèm & corpus, & integer eſt Chriſtus. Atq; hoc modo(vtì dictum eſt)Chriſtus in Sacramento ſub vnaquaque ſpecie totus cõtinetur,in vna non minùs quàm altera, & in vtraque nihilo magìs, quàm in earum alterutra. Quod pulchrè in veteri teſtamento præfiguratum legimus,cùm Iſraëlitis Dominus pluit manna de cælo.Nec enim qui plùs collegerat,habuit ampliùs:nec qui minùs parauerat,reperit minùs. Quòd autem Sacramentum corporis & ſanguinis ſui ſub duabus diuerſis ſpeciebus inſtituit,propter ſignificationẽ vel repræſentationẽ factum eſt, queadmodùm ſuprà docuimus. Ex his quæ iam diximus, quilibet facilè per ſe agnouerit,qualem ſe in huius Sacramẽti ſumptione præbere debeat, modò animo ſit à curioſitate, faſtidio & contentione libero. Quandò enim hoc auguſtiſſimum & ſalutiferum Sacramentum tractatur in Eccleſia tanquàm rememoratiuum paſſionis Chriſti ſacrificium,vtraq; ſpecies neceſſaria eſt, propter repræſentationem,vt dictum eſt. Quandò verò ad animarum ſalutem & ſpiritualem conſolationem fideles Euchariſtiam ſumũt, iam vtraq; ſpecies non ampliùs cõfert,quàm altera:& altera non minùs,quàm vtraq;. Vtrobiquè enim totus eſt Chriſtus,cum corpore,ſanguine, anima ac diuinitate præſens, ęqualem gratiam & virtutem operãs,ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie ſumatur. Siquidem ſpecies vero corpori & ſauguini eius, gratiæq; ac virtuti huius Sacramenti nec addunt,nec derogant quicquam. Quamobrem de huius celſiſſimi Sacramenti perceptione ſecundùm orthodoxam & catholicam doctrinam & ſolida ſcripturarum teſtimonia cõcludimus,ſumptionem huius tanti Sacramẽti ſub vtraq; ſpecie,per ſe non

Matt.26. Rom.6. 1.Cor.15. Exod.16. Rom.15.

eſſe culpę obnoxiam, nec hęreticam, neque inſtitutioni Chriſti & ſcripturis contrariam, neque minùs vtilem & ſalutarem, quàm ſub vna ſpecie, immò & ex Eccleſię vſurpatione ſua teſtimōia & documēta habere. E diuerſo autem credimus, Euchariſtiam ſub altera duntaxat ſpecie ſumere, prorſus omni vacare culpa, nec id malè fieri, nec hæreticum eſſe, nec inſtitutioni Chriſti & ſacris literis repugnans, neque minùs vtilitatis & ſalutis cōferre, quàm ſi ſub vtraque ſpecie ſumatur: inſupèr & ex communi totius orbis Chriſtiani conſuetudine & è ſcripturis ſua habere certa teſtimonia & documenta. Et quidem Scripturæ teſtimonijs & Eccleſiæ vſu nunc docebimus, vtrunque ſumendi modum per ſe bonum ac licitum eſſe. Sub vtraq; ſpecie hoc Sacramentum Corinthijs tradidit Paulus Apoſtolus. Temporibus quoquè D. Cypriani vtraq; ſpecies porrecta eſt Carthaginenſibus, lib. 1. Epiſt. 2. de lapſis. Ambroſius lib. 1. Officiorum, cap. 41. teſtis eſt, D. Laurentium Romæ ſanguinē diſpenſaſſe. E cōtrario ſub vna ſpecie Apoſtoli, & qui ipſis cōmorabantur, hoc Sacramentum erogârunt & participârunt, Actor. 2. & 20. Tum verò & ex omnibus totius orbis finibus euidentia extāt teſtimonia, iam indè ab initio in nonnullis Eccleſijs vnam duntaxat ſpeciē eſſe vſitatam. Teſtes ſunt, Theophylactus ſuper Lucā cap. 24. Ambroſius, Auguſtinus, Ignatius &c. Et hæc vnica ſpecies Eccleſię & populo Dei abundè ſufficiebat. Erant enim certis argumentis edocti, ſciebantq́ue totum ſe Chriſtum ſub qualibet ſpecie habere, nec quicquam dubitabant, Chriſtum integrum cum corpore, ſanguine, anima ac diuinitate ſub ſola panis ſpecie contineri: quam dum ſumebant, carnem edebant & ſanguinem habebant ſub vnica illa ſpecie, & vitam iuxta promiſſum Chriſti conſequebantur, dicentis: Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. (Iohan. 6.) Quocircà de illis, qui hoc auguſtiſſimum Sacramentum ſub vtraque ſpecie percipiunt, equidem pronūcio, factum ipſorū per ſe quidem malum non eſſe. Verùm hoc in illis mihi diſplicet, nec ipſi id citra peccatum tueri poſſunt, quòd vniuerſo orbi Chriſtiano ſeſe conformare nolunt, nec vna eſſe ſpecie cōtenti: cùm tamen ſub altera non minus, quàm ſub vtraq; accipiant. Quid igitur eſt, quòd ſpecies externas tantoperè exigunt & vrgent, dumq́; de ijs digladiantur, quę tamē per ſe nihil cōferunt animo, intereà veram huius Sacramenti virtutē amittūt, nempe vnitatē Eccleſię Chriſti, cùm tamē hoc Sacramētum, ſingulare quoddā ſit vnitatis ſymbolū: quiq; pacem & vnitatē ſiue concordiā Eccleſię conuellunt, nullam ex hoc Sacramēto vtilitatē haurire queant? Prętereà non ignorant, Eccleſiā vnius ſpeciei vſum non ſinè arduis grauibusq; cauſis aſſumpſiſſe, quod meritò illis ſatìs eſſe deberet, donec vnanimi Eccleſię conſenſu ſtatueretur. Quapropter illos qui hactenùs Eccleſię obtēperârūt, & diuturnā totius orbis Chriſtiani conſuetudinē adhuc obſeruârunt, admonemus, vt animis ſint pacatis, trāquillis & ſecuris, certoq́; perſuaſum habeāt, ſe ſub vna panis ſpecie verè, legitimè & integrè percipere carnem,

ſangui

ſanguinem, animam ac Diuinitatem Chriſti cum omnibus virtutibus & chariſmatis, non minùs quàm ſub vtraque ſpecie. Atque eo contenti ſint, & diuturnum hunc Eccleſiæ morem, ceu bonum & ſalutarem ſibi retinendum ſtatuant, donec vniuerſa Eccleſia aliud conſtituat. Eccleſiæ enim Sacramentorum ac myſteriorum Dei diſpenſatio commendata eſt: eam nos audire & ſequi debemus, & vnitatē ſeruare: cùm non ſolùm non ſit nobis vlli detrimento, verùm etiam ob iuſtas rationes & benè & vtiliter ità ſeruari poſſit. Illud tamen ardentibus votis ac deſiderijs à Deo precabimur, vt Eccleſiæ ſuæ ſpiritum concordiæ circa hoc præſertim celſiſſimum Sacramentum inſpirare dignetur, vt Chriſtiani omnes in indiſſimilē huius Sacramenti ſumptionem & vſum conſentiant: ſeruetur que conſonantia & concordia: quandoquidem hæc peculiaris eſt virtus & efficientia huius ſaluberrimi Sacramenti, vt pacem vnitatemque conciliet & conſeruet inter omnes illos, qui dignè illud participant.

CONCIO LXXII. HABITA

Dominica XXI. poſt Trinitatis, *Anno* 1543.

LAborauimus nunc aliquot concionibus, Auditores, in explicandis fructibus & vtilitatibus longè ſaluberrimi & ſanctiſſimi Sacramenti veri corporis ac ſanguinis Chriſti, vt ì locupletiſſimus diuinorum chariſmatum omniumque bonorum theſaurus, atque adeò vita æterna in eo nobis proponatur, quemadmodùm prolixè iam audiſtis, & ſinè dubio cum gaudio ac deſiderio excepiſtis, veſtriſque animis affixiſtis. Et quia tantam ſalutem, vtilitatem & felicitatem ex digna corporis & ſanguinis Chriſti ſumptione haurimus, quantis proh dolor ſe periculis exponunt, q̄ ſunt ſuæ ipſorum ſaluti infeſti, q̄ grauiter ac miſerè damnant & perdunt animas ſuas, qui tam ſanctum ſalutiferumq; Sacramentum vel ex incuria & negligētia omninò non participant, ac ſeipſos gratia & vita deſpoliant: vel perperàm & indignè pcipiunt, nō ad ſalutē, ſed ad iudicium & perpetuam damnationem. Illos incurioſos ac negligentes vel ſola illa grauiſſima Chriſti comminatio perterreret meritò, qua eos regno ſuo excludit, ac planè alienos facit à felicitate & vita æterna, quādoquidem cibum vitæ, putà carnem & ſanguinē ſuū manducare detrectāt: Amèn amèn dico vobis, inquit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui mādùcat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. E cōtrario alios illos, qui tam temerarij, inepti ac imparati ad hæc diuina myſteria proruūt, abſq; pręuia ſuī probatione, nec acta priùs idonea de peccatis pœnitētia, Apoſtolus ſaltem deterreret, dum tam ſeriò & terribiliter intonat: Quicunq; manducauerit panē hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autē ſeipſum homo,

1. Cor. 11.
Iohan. 6.
1. Cor. 11.

& ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enī mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Cæterùm & illi, qui planè ad hæc myſteria ſumenda torpēt, ſuam quoquè audient reprehenſionem, quàm irreligioſè & impiè faciant, quantum animæ ſuæ detrimentum adferant, quòd erga ſaluberrimum hoc Sacramētum tam ſunt faſtidioſi.

Nunc ſupplicia & pericula illorum, qui indignè Euchariſtiam tractant & ſumunt, clariſſimis Scripturæ teſtimonijs indicabimus: necnon quo pacto nos ad eius ſumptionem præparare debeamus, breuiter oſtendemus. Nam hoc ſeriò monendi ſunt Chriſtiani, non ſufficere huius celſiſſimi Sacramenti ſumptionem, ſed etiam ſummo ſtudio eò conniti ipſos debere, vt dignè tam ſacrum ac planè diuinum myſterium participent. Siquidem haud ſatis perſpicio, vtra ex duabus hiſce horrendis & exitioſis peſtibus pernicioſior ſit Reipu. Chriſtianæ, quòd alij quidem venerandum hoc Sacramentum tam deteſtanda incuria negligunt: alij verò tam incogitantes, nihil præparati, prorſusq́; incurioſi & indigni accedunt. Quanquàm verum eſt, quanuis ineptus & inconſideratus quis ad hoc Sacramentum veniat, nihilo ſeciùs tamen verum eum Chriſti corpus, ſanguinem, animam ac diuinitatem percipere. Neq; enim indignitas aut malitia ſumētis, quicquam derogare poteſt ſanctiſſimo Sacramento, nec malum facere poteſt eum, qui eſt in Sacramento, qui ſemper & ſolus eſt bonus, eſtq́; & manet perpetuò verum, Chriſtum eſſe fontem omnis ſalutis, atque omnis boni theſaurum, nihilq́; in ipſo eſſe poſſe, niſi gratiam & bonitatem. Hūc Chriſtum, inquam, etiam indignus ſumit in Sacramento, verùm ad horrēdam ſuijpſius perniciem, non aliquam vtilitatem: ad exitium, non ad ſalutem: ad iudicium & æternam damnationem, non ad felicitatem: nam quod per ſe quidem bonum & ſalutiferum eſt, noxium tamen eſt malè & indignè vtenti. Quo ſalubrius & ſanctius eſt hoc Sacramentum, eo deteriùs peccāt & pereunt, qui illud indigni accipiunt. Nam neq; naturalis ratio improbauerit, ſi quis eum obiurget, qui purum aliquid & venerandum ſordidis pollutisq́; manibus indecenter contrectare non dubitet. Cibus per ſe bonus, ſi in ſtomachum malè affectum traijciatur, non ſolùm non paſcit, verumetiam affli ctioris valetudinis eſt occaſio: nec tamen id cibo, ſed malè conſtituto & prauis humoribus oppleto corpori imputandum eſt. Eadem ratione hoc celſiſſimum & auguſtiſſimum Sacramentum indignis cedit ad pœnam & damnationem non niſi ex culpa ipſorum: p ſe quidem hoc digniſſimum Sacramentum virtutem ſuam nunquàm poteſt amittere: maieſtas enim diuina non recedit à ſuis myſterijs, nec fallit aut vacillat verbum Dei in Sacramento. Vbicunquè enim fuerit, ſanctum eſt & efficax. At tamen ſi indignus aliquis id vſurpet, percipit quidem verum Sacramentum, ſed Spiritum & gratiam nō participat: ſumit verum Chriſti corpus ab altari in Sacramento, non autem vitam, quam Chriſtus donat: ſuſcipit verū eius ſanguinem

guinem & carnem, ſed eſſentialiter duntaxat, non gratiam illius & ſalutarem operationem. Verumenimuerò quo grauiorem perniciem & pœnam ſibi conciliant tales in Sacramento, eo ſanctius & melius eſt id quod malè & indignè tractant ac ſumunt. Quamobrem ſi te conſcientia enormium ſcelerum incuſat & arguit, quæ nulla adhuc pœnitentia expiaueris, noueris te indignum, qui ad tam Diuinam ſacri conuiuij menſam accedere debeas. Contumelia afficis, quantùm in te eſt, ſacrum corpus & ſanguinem Domini tui, quo redemptus es, & peccata tua non ſolùm non imminuis per huiuſmodi indignam tremendi Sacramẽti ſumptionem, verumetiam grauiora reddis, maioremque tibi pœnam & damnationem accerſis. Irritam quis faciens legem Moiſis, inquit Apoſtolus ad Hebræos 10. ſinè vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magìs putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam ſecerit? Quid verò aliud eſt filium Dei conculcare, quàm incurioſè & negligẽter eum habere? Quod vile ac nullius precij putamus, abijcimus humi & pedibus calcamus. Itaque filium Dei conculcare cenſentur, qui indignè ac cõtemptìm ſacram eius carnem & ſanguinem in Sacramento percipiunt. Audes ſanctiſſimum Chriſti corpus & ſanguinem ore ſuſcipere, cùm necdùm tamẽ proprium corpus à peccati ſorde & ſpurcitie purgatum reddideris, atq; hoc modo Diuinum hoc Sacramentum in impurum fœtidũq; vas profundis, taliq; domicilio excipis, in quo etiamnùm malus dæmon cum magna immunditia degit. An non hoc eſt filium Dei conculcare, ſanguinem eius pollutum ducere, & Spiritui gratię contumeliam facere? Irritam quis faciens legẽ Moiſis, ait Apoſtolus, ſinè vlla miſeratione moritur: quãto magìs putatis deteriora mereri ſupplicia, q filium Dei conculcauerit? Hęc autem ſupplicia idem Apoſtolus tanto cum terrore & ſeueritate decernit ac nominatìm pronunciat, vt Chriſtianum pectus contremiſcere, immò & diſrumpi poſſit. Reus erit, inquit, corporis & ſanguinis Domini. Quid eſt, corporis & ſanguinis Domini eſſe reũ? Nihil aliud eſt, quàm latrocinio ac cæde ipſum Dominũ ſuſtollere. Illũ planè crudeliter enecamus, q noſtrę ſalutis cauſa de cęlo deſcẽdit, qui cùm Deo eſſet ęqualis, in humanã ſe demiſit miſeriam, omneſq; huius vitę ærũnas, ac tandèm acerbiſſimam ignominioſiſſimamq; mortem ꝓ nobis perpeſſus eſt: illũ, inquã, immani cæde cõficimus, illius homicidę efficimur, quandò carnem & ſanguinem eius manducamus & bibimus indignè: longeque duriora ſupplicia commerebimur, quandoquidem clarificatum illius corpus hoc pacto conculcamus, quaſi illi, qui Chriſtum adhuc mortalem contumelijs, conuicijs, flagriſq; ac verberibus proſciderũt, ac tandèm in crucem egerunt. Hoc ſibi vult Apoſtolus dum ait: Reus erit corporis & ſanguinis Domini. Vide hîc, obſecro, quantum momenti in eo ſitũ ſit, vt ſacratiſſimus illę corporis & ſanguinis Dominici cibus, idoneos dignoſq; habeat Hebr. 10.

con-

Pſalm.17. conuiuas. Verè ac certò vſu venit in hoc cibo illud Pſalmographi: Cum ſan
ɓo ſanɓus eſt, & cum peruerſo peruertitur. Non ꝙ malus & prophanus fi
eri queat, ſed ꝙ ad pœnã ac detrimentũ illis vergat qui in ipſum peccãt, eo
ipſo quòd eum indignè participant. Legimus Arcam Domini Azotijs ma
1.Reg.5. gnas calamitates & graues morbos attuliſſe. Cùm Philiſtæi Arcam Dei in
templum Dagon intuliſſent, inuenerunt poſtridiè ipſum Dagon iacẽtem
ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini: caput autẽ Dagon & duæ
palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen.

Oza quoquè cùm extẽderet manũ ad Arcã Dei, iratus Dñs cõtra Ozam,
2.Reg.6. pcuſſit eũ ſup temeritate, & mortuus eſt iuxta Arcã. E cõtrario cùm eadem
Arca in domũ Obededom hoĩs probi ac Deũ timentis eſſet introduɓa, be
nedixit Dñs eũ & oẽm domũ eius ꝑpter Arcã. Hæc exẽpla figura quædam
fuère ac typus huius ſanɓiſſimi Sacramenti, eaque id nobis innuunt, ſi ſa
cratiſſimus hic cibus impurũ habeat conuiuam, illi eum certam adferre ꝑ
niciem: ſin purum & mũdum, magnam vtilitatem ac ſalutẽ. Qui ſacrũ cor
pus & ſanguinẽ Chriſti animo peccatorum ſordibus etiamnùm cõtamina
tõ, ſuſcipit, hic Arcã Dei infert in templũ idoli: quod deindè capite ac ma
nibus trũcum redditur, hoc eſt, eiuſmodi diuinorum myſteriorum teme
rator hac pœna ob indignam venerandi Sacramẽti ſumptionem mulɓa
tur, quòd Diuinis priuatur chariſmatis, omnemq; gratiam & virtutem be
nè agendi amittit, & penitùs in poteſtatem Diaboli redigitur, quemadmo
dùm Euangeliſta de Iuda teſtaẽ: qui cùm ampliſſimũ hoc Sacramentũ mala
Iohan.13. cõſcientia cũ cæteris Apoſtolis à Domino percepiſſet, ingreſſus eſt in eum
Satanas: & nefariũ facinus quod iam dudùm animo cõceperat, reipſa perfe
cit. Neq; ſanè mirũ, ſi deterior eius fiat cõditio, ꝗ peccatis implicatus, hoc
Sacramentũ percipere nõ reformidat. Ipſa enĩ peccata per ſe pœnam com
merentur: quanto igitur peiori loco res illius fiunt, ſeque gratia & miſeri
cordia DEI reddit magìs indignum, qui peccata ſua etiam abominanda hac
temeritate accumulat, vt ſacratiſſimum Chriſti Domini corpus & ſangui
nem indignè ſumere non dubitet? Hæc igitur parænesis haud dubiò id
nos docebit, atque ſeriò & ſedulò vt ꝑpendamus efficiet, non vtiquè ſuffi
cere nudam Sacramenti ſumptionem, ſed ſummoperè in hoc enitendum,
quo paɓo ſic accedamus, nè detrimentum ac damnationem indè refera
mus, vndè commodum & ſalutem haurire volumus. Apprimè neceſſari
um foret, veſanam ac præcipitem illam temeritatem reprimi, quã hac verè
deplorata tempeſtate exoriri videmus, quòd plerique illotis pedibus, tan
quàm incurioſè ad hoc celſiſſimum & digniſſimum myſterium proruunt.
Illorum temeritati hanc admonitionem obijcimus, maximè verò illam
1.Cor.11. Diui Pauli comminationem: Qui manducat indignè, &c. Veruntamen
nullus hanc Apoſtoli comminationem, aut etiam noſtram hanc præſen
tem admonitionem eò ſpeɓare exiſtimet, quaſi hac terribili Diuinę in in
dignos animaduerſionis commemoratione velimus homines ab hoc ſa
luber-

luberrimo Sacramento deterrere. Immò ſalus hîc eſt, Auditores, nõ diſcrimen: gratia, non pernicies: niſi quis erga hoc celſiſſimum Sacramentum petulanter temerarius eſſe velit: cui ſanè hanc volumus factam admonitionem. Certè enim præſtaret, mola aſinaria in collum eius ſuſpenſa, demergi eum in profundum maris, quàm vt huic Diuino myſterio contumeliam faciat, vt reus fiat corporis & ſanguinis Domini. Quamobrem eò dirigitur hæc admonitio, non vt ab huius Sacramenti ſumptione abhorreamus, ſinè quo nec ſalutem, nec vitam habere poterimus vnquàm, ſed & ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem antè nos præparemus. Probet autem ſeipſum homo, inquit Apoſtolus. Porrò hæc probatio & præparatio conſiſtit primùm in fide, vt verè credamus corpus & ſanguinem Domini nobis in hoc ſanctiſſimo Sacramento porrigi: cum omni illa gratia, prout ſuprà declaratum eſt, certoque confidamus, eiuſmodi bonorum & chariſmatum nos participes fieri. Secundò, hæc præparatio, aut ſuprà ſius probatio in eo præcipuè ſita eſt, vt quilibet ſuam conſcientiam exploret, culpas & peccata prioris vitæ expendat, atque ad animum reuocet, num in via Domini ambulauerit, & præcepta eius obſeruauerit. Si conſcientia eum accuſet, grauiumque peccatorum redarguat, agat pœnitentiam, confiteatur ac deploret peccata, priuſquàm ad ſacram Domini menſam accedat. Nam reuerà quiſquis peccata, quorum ipſum non pœnitet, ad ſacram Euchariſtiam adducit, non purgat ea, ſed veriùs aggrauat & exaggerat: non ſanat nec ſeruat, ſed condemnat animam ſuam, & non ſimpliciter iam, ſed dupliciter fit reus, tum propter peccata illa, tum ob temeritatem ſuam, quòd ſacrum Domini corpus & ſanguinem impuris labijs contingere, & corde ſceleribus contaminato ſuſcipere non erubeſcat. Atque vt ſemel dicam, menſa Dominica nihil commune habet cum menſa Diaboli: quandiù Satanæ & peccatis ſeruimus, menſa Dominica digni eſſe non poſſumus. Neutiquàm tamen omnes in vniuerſum peccatores ab hoc ſalutifero Sacramento volumus excluſos, cùm ſciamus DEVM nulli gratiæ & miſericordiæ ſuæ gremium præcludere. Sed de ijs loquimur, qui in peccatis impœnitentes permanent. Hi enim menſa Dominica digni eſſe nequeunt, quandiù à ſceleribus ad meliorem frugem non conuertũtur. Ceterùm ſcripturæ & DEVS in ſcripturis plurimùm faciunt diſcriminis inter peccatorem pœnitentem, & inter eum qui ſinè pœnitentia in ſordibus ſuis magìs ac magìs ſordeſcere deſiderat, nec ad vitæ emendationem anhelat: & eum, qui dolore ac diſplicentia peccatorum ſuorum torquetur, implorat ac ſuſpirat DEI miſericordiam, precibusque ſuppliciter DEVM pulſat, omniaq; pietatis officia exercet, vt erratorum ſuorum veniam conſequatur, & à futuris in poſterum præſeruetur. In obſtinatis & nullam pœnitentiam agentibus, omnia peccata grauia & damnabilia ſunt, etiam ea quæ alioquì non adeò magna ſunt. In verè pœnitentibus omnia peccata ſunt leuia: immò nullius iam ſunt ponderis propter pœnitentiam, etiam ſi per

Matt. 18.

ſi per ſe grauia ſint. Quocircà ſi hactenùs citra peccati contagium non vixiſti, nec adhuc vitæ puritatem & ſanctimoniam adeptus es, nihilominùs tamen ad ſanctitatem adſpira: confuge ad pœnitentiam: plange & confitere tua peccata: da operam pijs exercitijs, tanquàm qui percupias liberari à peccatis tuis: itá fiet vt peccata tua iam non ſint tua, quandò tu illis dominaris: Et tũc mitiſſimus Seruator ab hoc ſalutifero Sacramento neutiquàm te arcebit, immò nullius gratiæ ſuæ aditum tibi præcludet propter delicta, quæ pœnitẽs defleuiſti, & etiamnùm defles, & quorum à Deo veniam poſcis, Matth. 9. 11. Tum, inquam, huius præſtantiſſimi Sacramenti non ſolùm non eris indignus, verùm etiam illud te exatiabit, vitia curabit tua, ac beatum te efficiet, efficaciſſimaq; metamorphoſi in alium hominem trãſformabit. Talem conſolationem manere illos, qui à peccatis ad pœnitentiam conuertuntur, eleganti exemplo declarat ſcriptura. Ezechias cùm miſiſſet ad omnem Iſraël & Iudam, ſcripſiſſetque epiſtolas ad Ephraim & Manaſſen, vt venirent ad domum Domini in Ieruſalem, & facerẽt Phaſe Domino Deo Iſraël: magna autem pars populi de Ephraim & Manaſſe, Iſſachar & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comederet Phaſe, non iuxta quod ſcriptum eſt: orauit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur cũctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum, & non imputabit eis, quòd minùs ſanctificati ſint. Tu itaque ad ſacram Euchariſtiam ſumendam acceſſurus, proba tuam ipſius conſcientiam: dole de commiſſis peccatis: appræhende priùs diſciplinam & pœnitentiam: confitere peccata tua: ora Deum, vt illa tibi condonet, nec imputet q; indignus & nulla ſanctimonia commendabilis ad ſacratiſſimam corporis & ſanguinis ſui menſam accedas: & proculdubiò Deus, qui anteà ſceleribus tuis indignabatur, nunc gemitus contriti cordis tui exaudiens, propitius erit tibi, teq; in gratiam recipiet, & in ſanctorum numero habebit, atq; corporis & ſanguinis ſui perceptionem ad temporariam ſimul & perpetuam faciet cedere ſalutem tuam. Quòd ſi non doles de peccatis, hoc ipſum dole, quòd non doles: Nec hunc affectum reijciet Deus, qui pro pietate reputat, ſi quis pius eſſe optet. Cõcupiuit anima mea, inquit Pſalmiſta, deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.

2. Par. 30. | Pſalm. 2. | Pſal. 118.

CONCIO LXXIII. HABITA

Dominica XXII. poſt Trinitatis, Anno 1543.

SVperiori concione, Auditores, ſeueram ex verbo Dei comminationem audiuimus de pœna ac diſcrimine illorum, qui verum corpus & ſanguinem Chriſti indignè percipiunt in ſacroſancta Euchariſtia: quæ tamen comminatio non ità accipienda eſt, vt idcircò ab diuiniſſimo Sacramento abhorreamus & abſtineamus, ſinè quo nullam ſalutem, vitam aut

aut felicitatem in nobis habere poſſumus:ſed vt priùs noſipſos probemus, & ſic de pane illo edamus: vtque nos ad hoc Sacramentum congruenter præparemus,cùm ad obtinendam ſalutem nobis prorſùs ſit neceſſarium. Quo pacto autem ſeipſum quis probare & preparare debeat,priuſquàm ad hanc menſam accedat, proximo ſermone breuiter quidem, attamen pro neceſſitate ſatìs declarauimus: Vndè haud obſcurè licet animaduerti, nullum in huius ſanctiſſimi Sacramēti ſumptione ſubeſſe periculū, niſi quod propria incuria ac temeritate qs ſibimet accerſit. Eſt eñ cibus ad ſalutē dūtaxat,& nemini in perniciem & ruinam propoſitus:immò nec illis quidē, qui hactenùs in peccatis vixerunt, modò propriam indignitatē agnoſcāt, vitam in melius commutent,& peccata ſua per pœnitentiam & confeſſionem expient, antequàm ad ſacratiſſimum Domini conuiuium accedunt. Hæc enim eſt præparatio & ſuiipſius probatio,quæ ante ſumptionē ſacroſanctæ Euchariſtiæ fieri debet,iuxta illam diui Pauli parænesin: Probet autem ſeipſum homo, &c.Porrò qui tam temerarij ſunt & ſocordes,& venerandum hoc Saccramentum adeò non verentur contemnere, vt ſinè præparatione ſuiq; probatione ad menſam Domini accurrere velint, & priuſquàm peccatorum ſuorum ſordes per pœnitētiam abſterſerint, ità etiamnùm cōtaminati, ſacerrimum corpus & ſanguinem Domini ſumere non verentur,hi illam Apoſtoli comminationem reformident: Qui manducat(carnem Domini)& bibit(ſanguinem eius)indignè,iudicium ſibi manducat & bibit. Quamobrem hinc abſtinebunt omnes,quotquot ſinè contritione & pœnitentia grauibus illis ſunt peccatis impliciti, de quibus loquitur Paulus Epheſ.5.Gal.5.Cuiuſmodi ſunt,adulterium, fornicatio,immunditia,homicidium,auaritia,furtum,maledicta,& reliqua carnis opera, de quibus dictum eſt:Qui talia agunt,regnum Dei non cōſequentur: quæ omnia ad ſingula hominem hoc celſiſſimo Sacramento indignum efficiunt,quandiù debita contritione & pœnitentia ea non expurgauerit.Nam ſi Chriſtianus cum eiuſmodi fratre nec cibum ſumere,nec quicquam cum illo habere cōmercij debet,vt vult Apoſtolus, multò minùs is qui talis eſt, cum reliquo Dei populo ad menſam Dominicam accedet,& indè ſacratiſſimum Chriſti corpus & ſanguinem vnà cum alijs Chriſtianis percipiet. Eodem modo nec illi ad hoc Sacramentum admittēdi ſunt, qui diſcordias ſeminant,rixas & turbas excitant in Eccleſia, qui errores, falſa dogmata & ſectas non metuunt introducere vel amplecti, qui in articulis & capitibus ſacroſanctæ religionis & fidei Chriſtianæ à communi Eccleſię ſentētia deſciſcentes,priuatas opiniones ſequūtur.Diuus Paulus Corinthios hoc Sacramento indignos pronunciat,eoq; Deum in illos animaduertere minitabundus affirmat,quòd hoc Sacramentum indignè perciperent:cuius illorum indignitatis duas cauſas cōperimus.Prior eſt,quòd inter ipſos eſſent contentiones:Altera,quòd ſuperbi & illiberales eſſent in egenos. Et contentiones quidem in fidei negocio eum habebant modum, quòd ſinguli

[Margin: 1.Cor.11. — 1.Cor.11. — 1.Cor.5. — 1.Cor.11.]

gloriaretur ſe vel ab hoc, vel ab illo fuiſſe baptizatos: interim nihilominùs omnes Chriſtianæ doctrinæ articulos concordi ſententia retinentes.

Quátam ergò, Deus bone, pœnam commererentur illi, quanto cum ſtomacho illos obiurgaret Apoſtolus, ſi nûc reuiuiſceret, quàm aſperis verbis à ſanctiſſimo corporis & ſanguinis Dominici Sacramento illos abarceret, qui myſticû Chriſti corpus erroribus, ſectis & prauis dogmatis tam miſerè & exitioſè diſcerpunt ac dilacerant? Quomodò enim ſymbolum vnitatis Chriſtianę dignè percipere poſſunt, qui om̃em vnitatẽ & concordiam reſpuunt & faſtidiunt, quorum peſtilentiſſimi conatus eò tendunt, vt myſticum Chriſti corpus & Dei Eccleſia, pacem, tranquillitatem & concordiam tum in fide, tum etiam extrinſecùs aſſeruare nequeat? Eadem hæc de inuidis & æmulis intelligenda ſunt, qui proximo vel malè cupiunt, aut faciunt, nec neceſſitati & calamitati eius, dum poſſunt, ſubueniũt. Hi enim corpore & ſanguine Dominico planè ſunt indigni. Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? quoniã vnus panis & vnũ corpus multi ſumus, om̃es qui de vno pane & de vno calice participamus.

1. Cor. 10.

Quo pacto autem communitati ſeſe adiungere poteſt, qui non corde & voluntate, immò & omnibus quibus poteſt modis communem ſe præbere vult? qui frui tantùm vult alijs, ſe verò minimè alijs communicare? Tu inuide vitam quęris in Chriſti Repub. & cõmunitate, & interìm proximo mortem imprecaris, quãdoquè etiam inferre non dubitas: quæris in communitate Chriſti præſidium ac protectionem, & tamen fratrem tuum perſequeris, qui etiam Chriſti eſt membrum, & tuum (vt ità dicam) commembrum. Scelerum tuorum veniã expetis in Chriſti Eccleſia, & proximo noxam remittere detrectas. Chriſtum vis tua flagitia contegere, & apud Deum excuſare: tu autem per omnes plateas paſsim, & vbicunquè ſtas vel ambulas, de proximi peccato garrulus loqueris, idq́; diuulgas, & gaudio exultas, ſi malum eius poſſis deterius efficere. Itidèm & tu crudelis auare, ſalutem & bona ſempiterna quæris in Chriſtiana Republica & in Dei Eccleſia, & tuas breuì perituras facultates proximo impartire grauaris. Vis Chriſtum tuæ calamitatis miſereri, & tu pauperum ac egenorum fratrum tuorum calamitatem prorſus non miſeraris. Nemo errauerit, Dilectiſſimi: quotquot odio vel inuidia proximum proſequuntur, nec ſolùm illi, verumetiam qui amorem & commiſerationem ac compaſſionem erga egenos nos declarant, mortem æternam in corpore & ſanguine CHRISTI ſibi manducãt & bibunt. Cùm enim corpus & ſanguis Chriſti ſymbolum eſt vnitatis & cõmunitatis, nihil illi tam poteſt eſſe cõtrarium, vt odiũ, inuidia, rixę, contentiones, & aliorum erga alios infidelitas & animus immiſericors. Quamobrem qui Chriſto frui deſiderat, etiam ſe proximis cõmunicet, & charitatis officia exerceat, alienamq́; egeſtatẽ ſibi communẽ exiſtimet, iuxta illud Sapientis Prou. 24. Magna profectò & pciocioſa fuit hęc in

Chri

Chriſtiana Republica infirmitas, quòd res in hoc Sacramento ſummè neceſſaria non fuit agnita & penſitata, tamque altum in Eccleſiaſticis concionibus de ea fuit ſilentium, vt naturale quidem Chriſti corpus conſiderarent, myſticum autem negligerent. Expenderunt homines corporis Chriſti in venerabili Sacramento præſentiam, eamque preculis deuotè & religioſè venerati ſunt, nihil vlteriùs requiri putãtes. Sed longè aliter ſe res habet, Auditores. Credenda quidem & veneranda eſt veri corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramẽto præſentia: ſed & myſticum prætereà Chriſti corpus, communio, in quam, fidelium cogitãda eſt, quòd per ſumptionẽ veri corporis Dominici, membra efficiamur myſtici corporis eiuſdem, quódq; virtus Sacramenti in eo conſiſtat, vt quemadmodùm nos protectionem, vitam, ſalutem & felicitatem conſequimur à Chriſto, idemque cum omni gratia & virtute ſua nobis communicatur & communis fit in Sacramento: ità & nos myſtico eius corpori, hoc eſt, omnibus fratribus noſtris Chriſtianis, nos communicemus & impertiamus. Atq; id ſanè longè magìs neceſſarium foret, quàm credere duntaxat & venerari naturalis corporis Chriſti præſentiam in Sacramento. An ignoratis Chriſtum myſticum corpus ſuum magìs adamâſſe, quàm naturale, vſqueadeò, vt & morti iſthuc pro illo, id eſt, naturale pro myſtico tradiderit? quocircà huius myſtici corporis memoriam, hodieq; nobis vult cõmendatam, quod qui dehoneſtat, Chriſtũ honorare non poteſt. quales nos erga myſticum hoc Chriſti corpus declaramus, tales erga Chriſtum ipſum nos declaramus, Zach. 2. Matth. 25. Et quiſquis corde, fauore, beneuolẽtia, & tota virium ſuarũ facultate ſeſe non confert & impendit in communem huius myſtici corporis vtilitatem per charitatis & beneuolẽtię exercitia, non niſi ad iudicium ac damnationem ſumpſerit ſacramentũ corporis & ſanguinis Domini. Sed hæc de indignis, eorundemq; ſupplicio, & quibus modis probare nos ac præparare debeamus, vt huius ſalutaris menſę digni & idonei cõuiuę efficiamur, dicta ſint. Itaque hucuſquè audiuimus de auguſtiſſimo altaris Sacramento, quid ſit, quamque virtutem & gratiam dignè ſumentibus conferat, & è contrario quam pœnam irroget indignis: qua item probatione nos ad huius Sacramenti perceptionem nos pręparare & formare debeamus: atq; ità iam piorum animos in omnibus neceſſarijs articulis inſtruximus, & vſq; ad ipſum altare perduximus, vbì porrò de ſumptione eſt dicendum.

Sanè citra controuerſiam vnaquælibet deuota & religioſa anima id vel maximè deſiderat, vt hoc auguſtiſſimum corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum ſumptura, eiuſmodi exercitijs & meditationibus poſſit eſſe intenta, quæ Deo honorificæ ſint & gratæ, & ipſi frugiferę & ſalutares.. Nam hoc ęquitatis ratio omninò expoſcit, vt dum ad hęc tremẽda myſteria iam iamque accedimus, non leuia aut vana, ſed ſancta & cæleſtia meditemur. Multę quidem preces conſcriptę ſunt, quas in huius Sacramenti ſumptione legamus. Sed nihil vnquàm fecerimus conſultiùs, quàm ſi ſecundùm

Chriſti mentem & intentionem nos geramus. Is enim nouit, quinam verus ipſique gratus cultus DIUINUS: neq; corda noſtra vnquàm rectiùs conſtituta ſunt, quàm cùm illis ſeſe occupant cogitationibus, quas Chriſtus à nobis exigit. Vbi Chriſtus nos docet, ibi interim nemo aliud docere nos debet. Quocircà precationes & meditationes noſtræ in huius Sacramenti perceptione ad doctrinam & mentẽ Chriſti dirigendæ ſunt, qui claris perſpicuisq; verbis docuit, quid in ſacratiſſimi corporis & ſanguinis ſui participatione cogitare debeamus, dum ait Luc. 22. Hoc facite in meĩ commemorationem. Quæ autem horum Chriſti verborum ſit ſententia, aut quid ſit, ſumere hoc Sacramentum in Chriſti cõmemorationem, luculenta oratione tradit Apoſtolus, inquiens: Quotieſcunquè mãducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem DOMINI annũciabitis donec veniat. Ecce ergò, hoc Sacramentũ in Chriſti cõmemorationem pcipere, eſt memoriã mortis eius in hoc Sacramẽto celebrare, eamq; annunciare: eius quoquè meminiſſe, & id cogitare ac perpẽdere, quomodò & quamobrẽ Chriſtus illam in cruce ſubiuerit. Quandò itaque mortem Domini penſitamus, iam comperimus, quòd cùm propter peccata noſtra dãnationi & ſempiternæ morti mancipati eſſemus, per ſalutiferam Chriſti mortem redempti, & ab æterna morte liberati ſumus, iuxta ſcripturas Coloſ. 3. Tit. 2. Oſeæ 13. Atque hoc tantum beneficiũ Chriſtus non ſolùm præſtitit immerentibus, ſed & cùm inimici eſſemus, per mortẽ ſuam nos Deo reconciliauit Rom. 5. Hæc dum cogitamus, fateri cogimur nos Domino & Seruatori noſtro nec dediſſe, nec dare quicquam, ſed omne bonum, omnem iuſtitiam noſtram, & tandèm vitam æternam nos adipiſci ex ſacratiſſimę innocentiſſimæq; mortis eius meritis, quam propter peccata & ſalute noſtra in cruce perpeſſus eſt.

O verè & miſericordem & benignum Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui morte ſua tot bonis ac beneficijs nos cumulauit. Eccè, hoc eſt Euchariſtiam in Chriſti cõmemorationem percipere, & mortem eius recolere. Quandò itaque Sacramentum hoc eo modo ſumimus, is eſt reuerà inſignis & egregius Dei cultus, quo verus ac diuinus Chriſti honor conſeruatur, amplificatur, & prędicatur, & vndè ipſe Chriſtus verus Deus agnoſcitur. Hoc enim eſt, verũ eſſe Deum, opitulari, redimere, gratificari, omnibus largiri, & nullius ope egere. Hęc autem om̃ia de Chriſto nos cõfitemur, quandò corpus eius manducamus, quod pro nobis datum eſt, & bibimus ſanguinem eius, qui pro nobis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Itaque intelligitis nunc, Auditores, vbi venerandũ hoc veri corporis & ſanguinis Dominici Sacramentum iam iamque ſumere vultis, aut in ſumptione tractationéve eiuſdem præſentes eſtis, quibus meditationibus corda veſtra occupare debeatis. Conſiderabitis magnum illud munificumq; opus, quod vnigenitus & ſanctus Dei filius in veſtram & totius generis humani redemptionem perfecit. Sumitis corpus & ſanguinẽ filij DEI: recordamini igitur, quid veſtrę omniumq; hominum ſalutis cauſa,

hoc

hoc corpore & ſanguine actum & geſtum ſit:tranſite animo & ſpiritu ad locum illum, in quo Dominus & Seruator veſter ob peccata veſtra cruce ſuffixus eſt:contuemini miſerandum & triſtiſſimũ illum eius adſpectum & ſpeciem, vti illam Eſaias longè antè in ſpiritu præuidit,& lamentabiliter ſanè deſcripſit: vt innocens Dei filius, medius inter duos latrones crucifixus,cum ſceleratis reputatus ſit, vulneratus & attritus, vt non eſſet ei ſpecies neq; decor: Deſpectus & nouiſſimus virorum, vir dolorum & ſciens infirmitatẽ:quaſi leproſus & percuſſus à Deo, & humiliatus. Deindè perpendite,quomodò Seruator veſter in miſerijs ſolus derelictus ſit,amicis & notis intereà procùl ſtantibus,nec quicquam auxilij vel conſolationis adferentibus,prout illam diſcipulorum fugam haud fruſtrà deſcribũt Euangeliſtæ. Tunc impletum fuit illud Prophetæ: Quarè ergò rubrum eſt indumentum tuum,& veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus,& de gentibus non eſt vir mecũ. Tertiò conſiderate, quàm triſtis & anxius Seruator veſter in cruce pependerit, quum deſolatam matrem ſuam iuxta ſe inter medios hoſtes in tanto mœrore, lamentatione & condolentia conſpiceret. Quin & hoc cogitate,quantis cũ ludibrijs,quanto cum dolore ſacratiſſimam paſſionem ſuam vſque ad acerbiſſimam mortem perduxerit & conſummauerit,eaque omnia ſinè vlla culpa ſpontè noſtrĩ cauſa ſubiuerit:ſimulq; memores ſitis, vos eſſe qui ſancto Dei filio tam crudelis ſupplicij fueritis occaſio: nec leuia aut ludicra æſtimetis in poſterum peccata veſtra, quæ tam dira morte expiari oportuit.

Eſa. 53.

Eſa. 63.

Iam porrò & hoc expendatis, quantam vtilitatem & fructum hæc ſanctiſſima Domini noſtri paſſio nobis attulerit. Cogitetis, vt per hanc ſacroſanctam hoſtiam,corpus(inquam) Chriſti Domini in cruce ſuffixum, & ſacrum ſanguinem ex eo profluentem, cælum terræ, hoc eſt, Deus generi humano ſit reconciliatus:vtque Deus huius ſanctiſſimi ſacrificij cõtemplatione, diuturnam illam erga hominum genus iram remiſerit, dicente Apoſtolo: Quoniamquidem Deus erat in Chriſto,mundum reconcilians ſibi,&c. Penſetis,vndè hac morte ſalutifera extracti ſitis. O quàm acerbum & moleſtum vobis futurum erat,ſi peccatorum veſtrorum pœnas ipſi debuiſſetis dependere? Quanto(obſecro)terrori nobis eſt vel cogitare,nè dicam perpeti,ſi ob peccata noſtra,in tenebras illas ſempiternas eſſemus præcipitati,ibique perpetuas gehennæ flammas & Tartari cruciatus ac miſerias cum Diabolo & angelis eius ferre deberemus? Ab his omnibus vnigenitus Dei filius Chriſtus Dominus nos vindicauit,cùm corpus ſuũ in hoſtiam & ſacrificium obtulit, ad reconciliationem pro peccatis noſtris, & mortuus eſt,vt nos in ipſo & per ipſum perpetuò viuamus. Hæc autem poſtrema non triſti,ſed læto & hilari animo cõſiderabitis, quandoquidem in ijs ſummum gaudium noſtrum conſiſtit:niſi fortè eo nomine dolere velitis,quòd hæc tam precioſa Chriſti mors permultis, ipſorum propria culpa, neutiquàm cedat ad ſalutem & beatitatem.

CONCIO LXXIIII. HABITA

Dominica XXIII. poſt Trinitatis, Anno 1543.

MVLTIS iam cōcionibus verſati ſumus, Auditores, in explicādo veri corporis & ſanguinis Dominici ampliſſimo Sacramēto: nec mirum eſſet, homines parùm ſpiritales ac Deo deuotos, harū cōcionum eſſe pertæſos, pręſertim quandò & hoſtis ſalutis noſtræ Diabolus non ceſſat in hoc aduigilare, vt vbicunquè aliquem habet in pectus hominis aditum, vel aliquod initium, continenter maius faſtidium ingerat, pręſertim aduerſùs illa, quæ ad regni ſui Tartarei exitium, & Chriſtianorum ædificationem, ſalutem & vtilitatem vel maximè nouit facere ac pertinere. Equidem ſanè fateri cogor, me iam indè ab initio non planè ab omni metu liberum fuiſſe, nè his tam crebris de ſacra Euchariſtia ſermonibus, malam apud quoſdam plebeios gratiam inirem. Nam ſi corda hominum malè ſint cōſtituta, facilè id accidit, vt tędium ac nauſeam adferat, quicquid non ſedet animo & adlubeſcit. Cęterùm nunc Deo laudes grateſque ago, quòd tantam in vobis patientiam in omnibus hiſce concionibus compererim, vt me quidem nullius concionis pœniteat. Nanque videre mihi videor, vos per gratiam Dei ea adhuc pietate ac deuotione erga Diuinum hoc Sacramētum teneri, vt gratis & alacribus animis acceperitis, quæ hactenùs indè docuimus & mnouimus. Neque quicquam vobis vel nimium, vel faſtidio eſſe permiſiſtis. Nam cùm Euchariſtię ſacramentum, ſummum præſtantiſſimumque ſit bonum, ſaluberrimumque κειμήλιον vel clinodium, inter omnia quæ vnquàm Deus Eccleſiæ ſuæ donauit: dignum profectò eſt, vt Dei populus accuratiſſimè de eo erudiatur. In hoc verò hactenùs, quantùm Dei gratia & auxilio cōſequi potui, pręcipuam nauaui operam, vt nihil eorum vobis deeſſet, quæ vulgari Chriſtiano de hoc ſanctiſſimo ſacramento ſcitu ſunt neceſſaria. Et quidem ſuperiori concione eò rem deduximus, vt iam didiceritis, quibus meditatiōibus animos veſtros occupare & exercere debeatis, quandò ad Dominicam menſam acceditis, & ſacrum Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia ſumitis, aut etiam aſſiſtitis, vbi Diuinum hoc myſterium tractatur. Hoc facite, inquit Chriſtus, in meī commemorationem. Quæ autem ſit Chriſti commemoratio, docet Apoſtolus: Quotieſcūque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.

I. Commemoratio autem mortis Domini in eo cōſiſtit: primò, vt igno-
II. miniam ac dolores, quos noſtrī cauſa perpeſſus eſt, expendamus. Deindè,
vt mortis eius cauſam conſideremus, nimirùm peccata noſtra: atque hinc
peccati malitiam & peruerſitatem diſcamus agnoſcere, quippe cuius expia-
III. tio talem mortē popoſcit. Tertiò, quis fuerit huius ſacratiſſimę mortis fru-
ctus & vtilitas, vt DEVS hoc ſuaue fragrās ſacrificiū pro peccatis mūdi ſuſce-
perit, & humano generi recōciliatus ſit per precioſum ſanguinē & acerbā

mortem

mortem vnigeniti Filij ſui Ieſu Chriſti. Quartò, vt ardentiſſimam & incompræhenſibilem illum Dei Patris erga nos amorem nôſſe diſcamus: vtpotè qui ſic mundum dilexerit, vt Filium ſuum vnigenitum daret, Iohā. 3. Et qui prior dilexit nos, immò cùm adhuc in maioribus noſtris Ethnici idololatræ atque inimici eius eſſemus, percuſſit Filium ſuum propter nos, vt eſſet propiciatio pro peccatis noſtris. IIII.

Præterea hæc commemoratio ſummam illam Chriſti obedientiam animis noſtris proponit, quam cæleſti Patri ſuo noſtræ ſalutis cauſa tam benignè exhibuit vſque ad mortem, Philippeñ. 2. flagrantiſſimamque erga nos charitatem nemo habere queat, quàm vt animam ſuam ponat pro aliis, ijs præſertim, qui nihil tale ſint ꝓmeriti. Immò cùm nec digni eſſemus, vt vel nudus aliquis homo pro nobis moreretur, vnicus ille & ſanctus Dei Filius corpus ſuum tradidit in mortem cauſa ſalutis noſtræ. Huius traditionis & oblationis memoriam celebramus, dum ſumimus ſacroſanctam Euchariſtiam: atque ità circa celſiſſimum hoc Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, eſt viuum & efficax argumentum ac documentum perpetuæ illius ſalutis, per mortem CHRISTI omnibus credentibus partæ ac impetratæ. Dum CHRISTI mortem commemoramus vel cogitamus, eiuſmodi cogitamus opus, quo omnia illa comparata, perſoluta, completa, parta & confecta ſunt pro nobis, quæ ad perpetuam ſalutem, vitam & felicitatem noſtram requiruntur: ſiquidem mors Chriſti conficit, donat & confert nobis hæc omnia.

O quàm delectabile & conſolatorium eſt deuotis ac pijs mentibus, hoc modo Chriſti mortem in ſacroſancti corporis & ſanguinis eius perceptione meditari. Cuius animus amore non flagrabit, & conſolatione ac gaudio non exundabit, quandò ſaluberrimum illud opus reputat, quod Chriſtus noſtra cauſa ea nocte, qua tradebatur, aggreſſus eſt, & in ſacratiſſima paſſione ſua abſoluit.

Hæc commemoratio mentes noſtras in Chriſtum erigit, vulnera eius commonſtrat, ex quibus ſalus & felicitas nobis profluxit: tamq; illum nobis charum & dilectum reddit, quàm prior ipſe nos dilexit. Eiuſmodi recordatio multùm timoris & terroris immoderati ex animo diſpellit, & conſolationem ſuffundit aduersùs commiſſa peccata, & odium erga futura. Quis enim tam leuiter in peccata velit relabi, ſi accuratè conſideret Filium Dei propter peccata noſtra duriſſimę mortis ſupplicium pertuliſſe? O ſi huiuſmodi meditationibus intenti, ab huius ſacroſancti myſterij ſumptione, aut etiam quotidiè à MISSAE ſacrificio domum reuerteremur, atque hoc pacto in animis noſtris mortem Domini annunciâſſemus ac recoluiſſemus, quantū Deo honorem, quàm gratū Deo obſequium, diabolo verò quantum moleſtiæ ac tædij exhiberemus?

Hucuſquè de commemoratione Chriſti ſub Miſſæ ſacro, aut corporis ac ſanguinis eius ſumptione, facienda: reſtat nunc, Auditores, aliud,

magnum ſanè ac præcipuum opus, in huius Sacramenti perceptione neũtiquàm prætereundum. Quod quidẽ paucis perſtringam, cùm quiuis Chriſtianus ſciat, qualem ſe hac in re debeat præſtare. Hæc eſt gratiarum actio, quam Deo ac DOMINO noſtro Ieſu Chriſto referre debemus pro omnibus chariſmatis ac beneficijs ſuis, quæ nobis exhibuit, atq; etiamnùm quotidiè exhibet. Quid æquius eſt, obſecro, aut quid poſſumus præſtare Deo aliud, quàm gratias agere? Deus ipſe eſt vnicum illud & ſummũ bonum, ex quo
Pſalm. 15. prománat quicquid bonũ eſt: qui nullius indiget, cui nihil deficit: quamobrem etiam bonorum noſtrorum non eget, nec poſſumus eum noſtris muneribus ditiorem reddere. Hãc autem duntaxat remunerationem à nobis ſuſcipit, ſi pro donis nobis ab ipſo collatis, corde, verbis ac factis ei gratias agamus: prætereà verò nihil recipit ex nobis, niſi quòd ex noſtra gratitudine quandam capit voluptatem. Atq; ideò preces, gratiarum actiones, & ſacrificia noſtra Deo ſunt accepta, non quòd his indigeat, ſed quòd hæc ſint illi quędam grati animi ſignificationes. Qua enim alia ratione Dei dona compenſaremus?

Porrò tunc nos dignos ſuis muneribus exiſtimat Deus, ſi pro his non comperiat nos ingratos. Quamobrem Diuinus ille Spiritus paſsìm in veteris ſimul & noui teſtamenti ſcripturis nos ad gratiarũ actionẽ & ſacrificium laudis exhortaf, Eſa. 5. Nehe. 12. Ephe. 1. Theſſa. 2. 5. 2. Theſſ. 2. 1. Tim. 4. Cùm itaq; pro omnibus Dei beneficijs gratias agere debeamus, quanto melius eſt, pro optimo hoc & ſummo munere ſummas referre gratias, quo Deus dilectum Filium ſuum nobis donauit, primò in redemptionem, atq; etiamnùm quotidiè in cibum, quo animas noſtras exatiamus, ex terreſtribus in cæleſtes transformamur, ac ſolatiũ & vitam æternam manducamus? Meritò ſanè, Auditores, requiritur, vt hoc auguſtiſſimum Sacramentum participantes, non mortem & beneficia Chriſti duntaxat recolamus & cõſideremus, ſed vt gratiarũ quoquè actiones referamus. Ad hanc gratiarum actionem illud Apoſtolorum exemplum nos excitare debet, qui vt teſtantur Euangeliſtæ, cùm ex manibus Chriſti Domini Sacramentum ſuſcepiſſent, hymnum dixerunt. Prætereà conſuetudo & admonitio Eccleſię. Scitis enim hunc morem in Eccleſia Chriſti obſeruari, vt Sacerdos hoc ampliſſimum Sacramentum in Miſſæ ſacro tractaturus, priùs admoneat circunſtantes, antequàm SANCTVS dicatur, ità inquiens: SVRSVM CORDA. Cui reſpondet Chorus: HABEMVS AD DOMINVM. Ac deindè Sacerdos: Gratias agamus Domino Deo noſtro. Cui denuò accinit chorus, Dignum & iuſtum eſt. Atq; iterùm Sacerdos: Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbiquè gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Hanc ad gratiarum actionem paræneticam præfationem dum facit Sacerdos, vniuerſus populus ex ſedilibus aſſurgit, & corpore ac geſtibus ſe ad gratiarum actionem componit: quod ſanè, dici non poſſit, quàm decorum ſit, quantamq́ue habeat

grati-

gratiam in cœtu populi Dei. Sanè quandò integer quiſpiam Chriſtianus conſiderat & coram conſpicit tam multos ſe ad gratias agẽdas in pedes erigere, iam animus eius exuberat, atque ad Deum conuerſus, inquit: Omnipotens Deus, Pater indulgentiſſime, tuę clementiæ & bonitati laudes grateſque ago, quòd in hac fidelium congregatione tam multos adhuc ſeruas, qui pro hac tua beneficentia ſuam tibi gratitudinem declarant. Ad hãc itaque gratiarum actionem hac ipſa Eccleſiæ conſuetudine velim vos admonitos, quotieſcunquè Miſſæ ſacro vos intereſſe contigerit, vbì venerandum corporis & ſanguinis Dominici Sacramentum tractatur: & præcipuè quandò ipſi illud ſumitis, vt Chriſti mortem recolatis, ac Deo pro beneficijs ſuis & noſtrì redemptione gratias agatis. Quibus autem verbis hæc gratiarum actio circa hoc venerabile Sacramentum inſtituenda ſit, vniuſcuiuſque deuotioni committo. Chriſti enim commemoratio per ſe admonet, quo pacto gratiæ ſint agendæ. Qui Dei beneficia diligenter & accuratè expendit, vberem ſatis habet medullitùs gratias agendi materiam. Licebit autem ità dicere: Omnipotens Deus, gratias ago tuæ Paternæ bonitati, quam in me & omnes miſeros peccatores hoc ipſo declaràſti, quòd noſtræ ſalutis cauſa Filium tibi vnicè dilectum, pro peccatis noſtris mortem pati voluiſti. Gratias tibi ago benigniſſime Deus, Ieſu Chriſte fili Dei viui, pro prómptiſſima obedientia tua, quam pro me & omnibus miſeris peccatoribus Deo Patri præſtitiſti, quodque innocens noſtrorum criminum debita dependiſti, ac mortis ſupplicium noſtrę ſalutis cauſa pertuliſti, vt nos tua morte viuificares, & à perpetua morte liberares. Gratias ago tibi, qui mihi indigno corpus & ſanguinẽ tuum (quæ iam olim mihi redimendo impendiſti) nũc in cibum largiri dignaris, quô in te conſeruer, & habeam vitam æternam. Conſideret hîc Chriſtianus, ſe ſinè Chriſto nullius neque hominis, neque angeli opera redimi potuiſſe. Expendat, à quibus per Chriſtum liberatus ſit malis: cogitet ſe non tantùm ab æternis vindicatum ſupplicijs, verùm etiam lætitiæ & felicitati perpetuæ aſſertum. Siquidem ex miſeris peccatoribus & perpetuo gehennę incendio adiudicatis, in Dei filios & ſempiternæ felicitatis hæredes cooptati ſumus per Chriſtum Dominum noſtrum: quod vtiquè ſummam gratiarum actionem promeretur. Hanc autem non verbis ſolùm teſtari, ſed quatenùs ex feruenti corde proficiſcitur, etiam factis & operibus declarare neceſſum eſt. Et proindè amorem proximo, & obedientiam Deo ſic exhibebis, tanquàm qui maximi id beneficij loco putes, quòd Chriſtus te à peccatis tuis liberârit.

Aliud quoquè eſt, Auditores, quo erga Chriſtum Dominum noſtrum circa hoc venerabile Sacramentum, ſummam poſſimus declarare gratitudinem: iſthuc nimirùm, vt ad hoc tam Diuinum conuiuium crebrò & frequẽter accedamus. Didiciſtis iã abũdè, huius ſanctiſſimi Sacramẽti ſumptionẽ non modò hominibus ſalutarẽ, ſed etiã inſignẽ & honorificũ Dei cultum eſſe, quo Diuinũ Chriſti honorẽ prędicamus, eidemq; pro beneficijs

eius gratias agimus. Agedùm igitur, ſiquidem probi ac germani noſtrarum concionum fuiſtis Auditores, ſi ex animo de hoc venerabili Sacramento differentem audiuiſtis, id nunc rebus & factis declarate. Offertur vobis commoda inſtantis feſti opportunitas. Videamus ergò, quanto ſtudio & amore hoc præſtantiſſimum Sacramentum complectamini. Si Deum honorare, ſi gratos vos illi exhibere vultis, ſi veſtris animabus gratificari cupitis, nulla fuerit ratio expeditior, quàm vt hoc ſanctiſſimũ Sacramentum percipiatis. Sed inquis: Egóne peccatorum cœno lutulentus accedam? Reſpondeo: Non hoc te facere iubeo, quo magnam tibi perniciciem acceríueris. Sed neque leuius diſcrimen, neque minus inſtabit exitium, ſi diù admodùm indè abſtineas, nec ità te compares, vt hoc Sacramentum dignè percipere queas. Pertimeſcis Deum, ſi diuinum hoc myſterium ſumere debeas indignus: cur non eius etiam minas times, dum abſtines?
Iohan. 6. Amèn amèn dico vobis, ait Dominus, niſi mãducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Formidas, delictis contaminatus, corpus & ſanguinem Domini manducare indignè: & non metuis tamen in peccatis, quæ te indignum reddunt, perpetim permanere abſque pœnitentia. An ignoras, diuturnam illam pœnitentiæ expertem vitam, etiam in æternæ damnationis voraginem te demergere? Rom. 3. Vtrunque æquè eſt & malum & periculoſum: indignè hoc Sacramentum percipere, & indignè ab eo abſtinere. Qui indignè illud participat, ſua ſe temeritate condemnat: qui abſtinet, ſua perit & damnatur negligentia. Dicis: Peccator ſum: non accedam, nè Deum offendam. O te fatuum. Putas ergò Deum non offendi, ſi abſque contritione, confeſſione & pœnitentia in peccatorum ſqualore permaneas? ſinè contritione & reſipiſcentia tua te damnabunt peccata. Agè igitur, doleas te peccâſſe, errata tua confitere, accede ad Sacramentum, & iam fueris dignus. Omnes quidem ſanctiſſimo corpore & ſanguine Chriſti ſumus indigni, & oportet omnes
Matth. 8. nos cũ Centurione dicere: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Atquì verò tunc Deus nos ſuo Sacramento dignos putat, quandò de admiſſis peccatis dolentes & pœnitentiam agentes, humiliter ac deuotè corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum percipimus. Quamobrem, ſi peccâſti quidem, ſed iam agis pœnitentiam, dasque operam, vt dolendo & confitendo facias pro peccatis tuis, quę facere debet is, qui cupit à peccatorum ſarcina exonerari: caue vlteriùs moreris, ſed accedas ad ſacroſanctum Domini conuiuium: atq; hoc pacto quod nondùm es, per virtutem & gratiam Sacramenti fies. Rem omnem in partes omnes expendamus, & nil niſi diſcrimen & exitium comperiemus in longa huius Sacramenti abſtinentia. Sanè cauendum eſt, nè, dum adeò tardè accedimus, aut penitùs
Matt. 22. abſtinemus, illam Domini vocem audiamus: Qui inuitati erant, non fue-
Luc. 14. runt digni. Et illud: Nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam. Metuendum profectò eſt, nè, dum adeò faſtidioſi ſumus, & ad

hanc

hanc Domini cœnam venire detrectamus, dum iam ad illam inuitamur, tandèm vrgente ſuprema neceſſitate quandò optabimus eius fieri participes, à Domino nobis negetur. Nunc quidem inuitat nos Deus:&, ſi veniamus, parcit nobis, & multos defectus ac vitia diſſimulat miſericorditer. Eſt enim adhuc tempus gratiæ. Sed etiam atque etiam vide, nè, dum gratiæ tẽpus præterlabi ſinis, tempus iudicij & iræ Dei nec opinantẽ te occupet.

Hęc illis dixiſſe volumus, qui propter peccata formidoloſi, ſacratiſſimę Euchariſtiæ ſumptionẽ intermittunt. Qui verò ex incredulitate aut incuria vel contemptu non accedunt, hos clementiſſimus ille Deus miſerari, aliamq́; eis mentem largiri, atq; ex damnatione extrahere dignetur: ſiquidem iam alterum pedem poſuêre in gehenna.

Agedùm Auditores dilectiſſimi, habete commendatam vobis ſalutem veſtram, & hoc ſanctiſſimum Sacramentum percipite: nec hinc vos detineant peccata, quibus facilè mederi poteſt. Nôſtis eñi quam gratiam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ donârit, vt omni hora in Eccleſia Dei peccatorum remiſſionem impetrare valeatis, Iohan.20. Matth.16.18. Hac igitur tanta Dei benignitate ac beneficentia freti, deponite illam peccati ſarcinam per contritionem & pœnitentiam. Nulla hic temporis obſtet anguſtia: adeò vel vnius horæ ſpatio peccatis poſſumus exonerari, quandoquidem tam immenſa eſt Dei miſericordia. Exemplo ſint Niniuitæ, peccatrix Lucæ 7. publicanus Luc.18. Nam vt mulier vterũ gerens, inſtãte pariendi tempore, partum eniti deſiderat, itá Deus miſericordiam & gratiam ſuam in nos effundere peroptat. In hoc ergò elaborate, vt per contritionem, confeſſionem, aliaque media à Deo inſtituta, peccatorum veſtrorum remiſſionem conſequamini, (hac enim ratione eam obtinebitis) atq; ſic accedentes, Diuina hæc myſteria percipite, & requiem, conſolationem, vitam & perpetuam animarum veſtrarum ſalutem inuenietis.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA EXPLICATIO SACRAMENTI EXTREMAE VNCTIONIS.

CONCIO LXXV. HABITA

Dominica II. poſt Epiphaniæ. *Anno* 1544.

Eò iam aliquandiù noſtras conciones direximus, Auditores, vt deuotionem, deſiderium & reuerentiam erga veneranda Sacramenta in animis veſtris excitaremus & confirmaremus, prout meritò omnes orthodoxi iſthæc gratiæ Dei media, ſumma deuotione proſequi debent: cùm vtiquè Sacramenta nihil aliud ſint, quàm inſtrumenta quędam & media

dia à Deo inſtituta, quibus Diuinam gratiam captare, & per quæ omniuariam Dei opem, gratiam & virtutẽ in nos adducere ac deriuare, atq; ità multiplicem noſtram indigentiam ac inopiam leuare & ſarcire queamus.

Quòd autem hæc tam ſalubria Diuinæ gratiæ media non eo in precio, quo par eſſet, apud nos habentur, id noſtræ cæcitati potiſſimùm eſt imputandum, quòd non habeamus illos oculos, quibus miſeriam, inopiam & vitioſitatem noſtram poſſimus perſpicere. Vbi itaq; ignoratur infirmitas, facilè contemnitur medela. Verùm ſi penitùs conſideraremus, quibus ærumnis & calamitatibus omnis vita noſtra circũuallata ſit, citra dubium omnibus votis ad Diuina chariſmata anhelaremus, atque omnia eiuſcemodi media ſumma cum gratiarum actione vſurparemus. Tumque agnoſceremus, vt Deus, qui cognouit figmentum noſtrũ, & indigentiam noſtram probè cognitam & perſpectam habet, paternum amorem ſuum tam largè in nos profuderit eoipſo, quòd huic tam multiplici miſeriæ & indigentiæ noſtrę tam multigenam medicinam & tot gratiæ ſuæ media deſtinauit. Diuus Iob humanæ vitæ calamitates vno quaſi faſce compræhendit, dicens:
Iob 7. Oſe. 13. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Quos præterea & quàm terribiles hoſtes habeamus, paſsim indicant ſcripturæ. Principiò enim peccatum, ſtatim in ipſo vitæ noſtræ exordio ſauciat nos, priuſquàm ex materno vtero prodeamus. Cùm primùm hanc lucem contuemur, peccatum, damnationem atque infinitas ærumnas nobiſcum trahimus, Romano. 5. Epheſ. 2. Eccl. 40. Aduerſùs primam hanc & ingenitam miſeriam Deus, qui diues eſt in gratia, quoddam ſuæ gratiæ medium inſtituit, quo poſſimus liberari, nempe ſacrum baptiſma, quo tum de originali, tum de reliquis omnibus peccatis expurgamur, vindicamur à damnatione, & in hæreditatem filiorum Dei collocamur, Iohan. 3. Acto. 2. Romano. 8. Porrò mox à Baptiſmo alius hoſtis nos inuadit, caro (inquam) noſtra, quæ ſpiritui aduerſatur, & ad ſua opera nos ſolicitat: quæ ſunt, teſte Apoſtolo, Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, &c. Huius hoſtis infeſtationes queritur Apoſtolus ad Roma. 7. dicitq; cum gemitu: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Aduersùs huius quoquè hoſtis impugnationes haud deſtituit nos ſuis præſidijs Deus, ſuisq; fidelibus poſt baptiſmum ſanctum ſuum ſpiritum tribuit, ipſos confortandi gratia, idque per Sacramentum Confirmationis, Acto. 2. 8. 19. vt is nobis tanquàm pupillis & orphanis Dei in hoc mundo aſſiſtat, ſuaque gratia in omni nos tentatione confirmet. Quòd ſi ne ſic quidem tantis Spiritus Dei auxilijs freti, peccato reſiſtamus, eccè clementiſſimus Deus pœnitentiæ Sacramentum reliquit, per quod, in peccatum prolapſi, reſurgamus, & in priſtinam Dei amicitiam & gratiam reſtituamur.

At verò non ſola caro hoſtis nobis eſt à baptiſmo formidãdus, ſed longè

gę etiam periculoſior nobis ſubeunda eſt colluctatio, eaque non aduerſùs carnem & ſanguinem, (Ephe.6.) ſed aduersùs principes & poteſtates, aduerſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ: qui omnem vitam noſtram obſident, omnesque perdendi nos occaſiones captant. Sed proculdubiò eorum malitia, tētationes, oppugnationes erga nos tum acerrimè & ſęuiſſimè graſſantur, cùm iam ſuprema neceſſitate nos cōſtrictos animaduertunt, quandò extrema corporis infirmitate premimur, & angoribus ac doloribus mortis circundati ſumus. Tunc ſiquidē permulta concurrunt, quę hominis colluctationem longè acerrimam & vehemētiſſimam efficiūt, vt omninò nullæ tantę curę, nullę tales anguſtiæ & preſſurę in cor hominis vnquàm incidere & irruere queāt, atquè ſub ipſo mortis tempore in eum cōfluunt. Primò eſt ibì naturalis ille corporis & animi erga inuicèm amor, quæ citra miſeriam & dolorem omninò diuelli non poſſunt, vſqueadeò, vt hic angor Chriſto ſanguineū ſudorem expreſſerit. Luc.22. Nec obſcurè D Paulus ſubindicat, 2. Cor.5. non ſinè moleſtia & angore corporis domicilio nos ſpoliari. Deindè peccatorū conſideratio nūquàm penitiùs hominis animum penetrat & occupat, quàm imminente morte, quandò illi omia peccata eius cumulatìm & velut recèns facta, diabolus ob oculos reuocat & proponit. Tertiò ſeueriſſimum iamiamque impendens Dei iudicium, animo hominis obuerſatur. Nouit enim ſe breuì omnium ſuarum actionum & cogitationum, immò & vniuſcuiuſq; verbi ocioſi rationem redditurum coram omia ſciente, & ſecundùm veritatem iudicāte. Quandò itaq; moriturus his cogitationum anguſtijs æſtuat & laborat, citra dubium hoſtis noſter diabolus hanc opportunitatē minimè patitur elabi, ſed omnes ſuas machinas in aciem producit, omnibusq; artibus pertētat, an hominem, quem toto vitæ tempore perſecutus eſt, tandèm in extremo vitę tempore comprǽhendere & proſternere queat. Cæterùm quemadmodùm Deus nos amans, noſtriq; curam gerens, & ſalutis noſtrę deſiderantiſſimus, contra noſtram indigentiam vbiquè ſua ſalutaria Sacramenta, ceu quædam gratiæ ſuæ media ordinauit ac inſtituit, vtì per hæc ipſa media ex gratiæ eius theſauro hauriamus quod nobis deeſt, ſic aduerſùs extremas morborum & mortis anguſtias, quoddam gratię ſuæ mediū inſtituit, quo fidelis huiuſmodi tentationes & anxietates anteuertere & mitigare poſſit, quæ alioquì communiter cuilibet inſtante morte ſunt eluctādæ. Hoc medium, eſt Sacramentum ſalutiferæ vnctionis. Dices: Quid oleum aduerſùs mortis angores, & malorum ſpirituū tentationes cōferre poteſt? Reſpondeo, Quod aqua in baptiſmo ad nos mundandos valet, quādò originali vel etiam actualibus peccatis contaminati ſumus, idem valet ſacrum oleum ad illuſtrandum hominis animum aduerſùs cacodæmonum tentamenta, vel alios quoſcunq; angores, qui illi aduerſa valetudine laboranti vel ex peccatorum ſuorum conſideratione, vel aliundè accidunt.

1.Pet.5.

Iſthuc autem aqua & oleum non vi naturali efficiunt, verùm ſunt ſigna

quędam Diuinarū promiſſionum, quibus Deus gratiam ſuam nobis promiſit: quocircà huiuſmodi creaturæ ex verbo Dei ad tales effectus producendos efficaces ſunt, quales ex natura ſua neutiquàm proferre poſſent. Quemadmodùm igitur aqua & verbum Dei baptiſmum conſtituunt, qui emūdat à peccatis, cùm Deus ſe per aquam peccata abluturum promiſerit: eodem modo oleum & verbum Dei, Sacramentū cōſtituere poſſunt, quòd hominem in infirmitate alleuiare & conſolari, eiusq́; anguſtias & tentationes mitiores efficere queat, cùm verbum Dei promittat, ipſum Deum per olei vnctionem infirmos fideles alleuiaturum & conſolaturum.

Quamobrem in eo nunc huius argumēti ſumma conſiſtit, vt expreſſis verbi DIUINI teſtimonijs doceamus, Deum hoc Sacramentum vnctionis ſuis verbis inſtituiſſe & confirmâſſe, circa illud promiſiſſe, externum hoc Sacramentum per gratiam ſuam infirmis fidelibus leuamen quodam & ſolatium allaturum. Huius rei documenta ex verbo Dei proferemus. De hoc Eccleſiæ Sacramento, quòd Sacramentum Vnctionis appellatur, haud cōmodiùs vtiliusq́; verba fecerimus, quàm ſi primo loco eius inſtitutionem ex ſacris literis audiamus. Siquidem DIUINUS ille ſpiritus ex verbo ſuo clariſſimè demōſtrabit, quæ ſit virtus, & quis verus ac legitimus vſus huius Sacramentalis Vnctionis in ditione Chriſtiana. Et quicquid ab hoc doctore didicerimus, huic citra omnem hęſitantiam firmiter inniti poſſumus, & vt bonum, diuinum & ſalutiferum tenere.

Deindè totius orbis Chriſtiani teſtimonia de hoc Sacramento proferemus, ex quibus liquidò pcipietis, quid primitiua Eccleſia iam olim de hoc Sacramento ſenſerit: non quòd fidem veſtram humanis teſtimonijs cogere & adſtringere velim: nam verbum Dei huic Sacramento abundè magnā fidem conciliat apud veros & ſynceros Chriſtianos. At nihilominùs illorum patrum, qui ab initio & perpetua temporum ſerie in orbe Chriſtiano extiterunt, teſtimonia non ſinè voluptate percipiuntur, cùm ex ijs manifeſtum euadat, vtì primitiua & Catholica Eccleſia nobiſcum in cōſono ſcripturę diuinę intellectu & indiſſimili Sacramentorum vſu concordet. Atq; hinc relucet, Spiritum DEI eſſe in Eccleſia, qui eſt Spiritus vnanimitatis &
1. Cor. 14. cōcordię, non autem diſſenſionis. Quandò igitur Chriſtianus huiuſmodi patrum teſtimonia legit vel audit, vtì in tradendis vſurpandisq́; Sacramentis continua quædam & perpetua conſonantia permanſerit in toto orbe Chriſtiano, ſtabilitur certè in fide, & animaduertit Chriſtum ſuæ Eccleſiæ adeſſe & adfuturum vſq; ad conſummationē ſeculi, itemq́; DEVM operari in Eccleſia, cuius opus eſt id efficere, vt fratres vnius moris habitēt in domo.

Nunc ſcripturas audiamus. D. Marcus 6. cap. huius Sacramenti inſtitutionem indicans, teſtatur diſcipulos Chriſti, cùm ex illius mandato ad prędicandum eſſent ordinati, & vt Chriſtianiſmū in mundo erigerent, emiſſi, tum etiā hoc Sacramentū inter alia Chriſti mādata erga ęgrotos vſurpâſſe. Exeuntes, inquit, prædicabant, vt pœnitentiā agerent, & dęmonia multa eijcie-

eijciebant,& vngebant oleo multos ęgros,& ſanabantur. Hæc eſt origo & inſtitutio huius Sacramentalis Vnctionis,quam etiamnùm vſurpat & perpetuò vſurpauit Eccleſia Chriſtiana.Porrò ritum & modum,per quem, & cui,quomodò & in quem finem fieri debeat,idem ille Spirituſſanctus per verbum Dei alio teſtimonio Eccleſię ſuæ multo apertiùs declarauit,Iacob. 5.Infirmatur quis in vobis?inquit ſanctus ille Apoſtolus,inducat presbyteros Eccleſiæ,& orent ſuper eum,vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit,remittentur ei. Quibus verbis Apoſtolus omnes huius Sacramenti circunſtantias,materiam,formam,effectum & vtilitatem deſcribit,atque huic Apoſtoli ſententię Chriſtianam de hoc Sacramento doctrinam mox ſubijciemus,quam aduerſarij eo minùs impugnare & cõuellere poterunt, ſi ſcripturis & verbo Dei innitatur.

Primò ergò fidelis corporali ægritudine correptus, hac Sacramentali Vnctione inungetur, putà qui graui & periculoſo morbo laborat,qui naturalis vitæ interitum minetur, qui terreſtrem huius habitationis domum diſſoluat,& huic tẽporariæ vitæ finem imponat. Iam ſi vera & ſtabilis erga verbum Dei in Chriſtianorum pectoribus eſſet fides & fiducia,haud ſanè in morbis & ęgritudinibus periculoſis conſtituti,tam eſſent tardi ad huius Diuini remedij expetitionem & vſurpationem: impiamq; ac ſathanicam ſuperſtitionem procùl ex animis profligarent,quaſi hęc vnctio imminentem mortem pręſagiat,aut eam acceleret.Chriſtiani hominis eſt,verbo DEI potiùs credere,quàm opinioni vel ſuſpicioni ab inferis oriundæ. Vtiquè deceret Chriſtianos non ignorare hanc vnctionem cum oratione fidei cõiunctam,infirmos iuuare,ac Deum promiſſionẽ ſuam,quam huic Vnctioni addidit, ſeruare velle, ipſumque infirmum alleuiare, quemadmodùm verba Apoſtoli clarè teſtantur.Quę quidem alleuiatio pręcipuè ad internã & ſpiritualem infirmitatẽ conducit, qua Deus gratia ſua hominis animũ conſolatur, alleuiat,& confirmat aduerſùs inſtantis mortis anxietatem & formidinem, peccatorumque ac diaboli tentationes. Veruntamen præter hoc etiam corporis imbecillitas nonnunquàm alleuatur. Nam & naturali ratione corpus longè rectiùs conſtitutum eſt, dum animus ſedatus eſt ac trãquillus: & prætereà ex ſcripturis demonſtrari poteſt, ſæpenumerò homines corporali ęgrotatiõe corripi & affligi propter peccata. Quandò itaque infirmus Deo reconciliatur per gratiæ eius media, ab ipſo in Eccleſia inſtituta, vtiquè faciliùs eam in ſpem adduci poteſt, fore vt Dei beneficio priſtinam etiam corporis ſanitatem recuperet, ſi animæ ſuæ ſaluti id expediat. Sin autẽ diuerſum expoſcat animę ſalus, iam Chriſtiani pectoris fuerit,corporis valetudinem DIUINÆ permittere voluntati, omniq; animi cõtentione & ſtudio internam ac ſpiritalem ſanitatem expetere. Quotiès igitur fidelis in grauem aliquam & periculoſam corporis infirmitatem incidit,hanc Sacramentalem Vnctionem adhibebit iuxta mandatum Chriſti,

promiſſionemq; & cóſolationem verbi Dei, atq; Apoſtolorũ & vniuerſæ Catholicę Eccleſię conſuetudinẽ. Non eñ idcircò vocatur Extrema, quòd ſemèl dũtaxat eam vſurpare liceat: immò in quouis periculoſo morbo adhibẽda eſt: ſed hinc extrema Vnctio nũcupatur, quòd iam antè homini Chriſtiano duplex Vnctio impẽſa ſit: vna in Baptiſmo, altera in Confirmatiõe. Hæc itaq; de primo illo dicta ſufficiãt, nimirùm quòd infirmi quoties exitiali ac periculoſo corporis morbo laborãt, hanc Vnctionem requirere debeant, iuxta doctrinam Apoſtoli: Infirmatur quis in vobis? &c.

Secundò fieri debet & adminiſtrari hæc Vnctio per presbyterum Eccleſiæ: vt indè certò liceat animaduerti, eam eſſe Sacramẽtalem & myſticã Vnctionem, non autem medicã aut chirurgicam. Siquidem vt corpus ob ſanitatem reſtituẽdam vnguẽto perliniatur, non opùs eſt presbytero, cùm hoc vel cuilibet etiam perſonæ ſit integrum. Quoniam autem Spiritusſanctus iubet Vnctionem hanc à presbytero fieri, voluit hac ratione certò inſinuare, hanc Vnctionem eſſe Sacramentalem. Presbyteris enim Sacramẽtorum Diuinorumque myſteriorum diſpenſatio credita eſt: ea tamen conditione, vt ſolummodò tanquàm miniſtri & inſtrumenta manus & linguam accommodent: Deus autem eſt, qui iuxta promiſſionum ſuarum tenorem, ſanctiſſimis myſterijs ſuis præſtò eſt, & in Sacramentis intrinſecùs per ſuam virtutem, gratiam & Spiritumſanctũ operatur, vt id ipſe Iohanni

Iohan. 1. reuelauit: Qui miſit me, inquit Iohannes, baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manẽtem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritusſancto. Sic Chriſtus in omnibus Sacramẽtis intùs operatur: quamobrem etiam preces, verba & ritus Sacramentorum à fidelibus accipi & æſtimari non debent ſecundùm miniſtrum ea tractantem & diſpenſantem, ſed ſecundùm illum qui Sacramenta inſtituit, ſuisque promiſſionibus confirmauit, quique ipſe etiamnùm in illis operatur ad ſalutẽ ſuorum fidelium. Diſpares quidem habet Deus miniſtros in Eccleſia, per quos verbum & myſteria ſua diſpenſat: at Dei verbum, dona & Sacramẽta perpetuò ſunt æquè vtilia & efficacia ad ſalutem credentium, qui vera fide & Chriſtiana deuotione ea expetunt & percipiunt.

Tertiò, Hęc Apoſtoli verba materiam ſimul & formã huius Sacramenti indicãt, hoc eſt, qua in re, & qua verborum forma debeat adminiſtrari. Elementum ſiue creatura, in qua Sacramentum hoc conſiſtit & porrigitur, eſt oleum, neque id ſinè ratione: Nam Diuinam ſapientiam, eiuſdemque clementiſſimam erga nos volũtatem vobis apud ſingula Sacramenta ob oculos poſuimus, ac docuimus, Chriſtum Sacramenta ſua in talibus creaturis ordinâſſe & inſtituiſſe, ex quibus ſimpliciores internam Sacramenti vim, operationem & effectum agnoſcere & colligere poſſent.

CONCIO LXXVI. HABITA
Dominica tertia poſt Epiphaniæ, Anno 1544.

Proxi-

PRoxima concione, Auditores, Extremæ Vnctionis Sacramentum auſpicati ſumus, cœpimusq; tentare, quinam ex ſcripturæ fundamētis, & totius orbis Chriſtiani teſtimonijs iuxta Catholicam veritatem, vobis hinc ſolidam, veracem & Chriſtianam doctrinam depromere poſſemus. Et quidem ex inſtructione verbi Dei didicimus, quibus, per quos, & in quo elemēto ſeu ſigno externo hoc Sacramentū debeat cōferri: nimirùm infirmis, per presbyteros Eccleſiæ, & in Oleo. Nunc porrò de forma dicemus, quibus ritibus & verbis hæc Vnctio ſit peragenda. Hoc autem euidenter docet ſcriptura Iacob. 5. his verbis: Orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Hoc præceptum etiamnùm illis in partibus, vbi viget Catholica religio, propriè & eleganter obſeruatur. Primùm fit oratio: nam recitatis quibuſdam Pſalmis, inter cæteras precandi formulas in hanc ſententiam oratur pro infirmo, vt Deus illi pacem & ſanitatem, veramque cordis compunctionem pro admiſſis peccatis, & gratiam Spiritusſancti donare, & ad gaudia æterna eum perducere dignetur. Inter alias preces hanc etiam recitat Sacerdos: Reſpice Domine famulum tuum, in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refoue quam creâſti, vt caſtigationibus emendatus, continuò ſe ſentiat tua medicina ſanatū, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Poſt complures eiuſmodi orationes vngitur demùm infirmus in ijs corporis membris, quæ inſtrumenta ſunt ſenſuum. Origo enim & radix peccatorum omnium, in hominis voluntate ſita eſt. Voluntas autē exerit ſeſe per ſenſus, viſum ſcilicet, auditū, odoratum, guſtum & tactum.

Vnguntur itaque ſenſuū organa oleo conſecrato, quo inſinuatur, peccata, miſerias, infirmitates & inopiā noſtrā, ex nobiſipſis & noſtra ipſorū culpa promanare: auxilium verò & robur, ſalutem & incolumitatem noſtram, ex ſola Dei gratia prouenire per Chriſtum Dominum noſtrum, iuxta illud Prophetæ: Perditio tua, Iſraël: tantummodò in me auxilium tuū. Oſeæ 13.
Porrò hæc Vnctio iuxta præſcriptum verbum Dei, ſemper fit in nomine Domini. Nam quotieſcunq; Sacerdos membrum aliquod infirmi inungit, dicit: Vngo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Et: Per iſtam vnctionem & per pijſſimam miſericordiā ſuam indulgeat tibi Dominus quicquid peccâſti, Per Chriſtum Dominū noſtrum. Pax tecum, Deindè infirmus elegantiſſimis verborū formulis Diuinæ protectioni cōmendatur, oratq; Sacerdos, vt propitietur Dominus cunctis iniquitatibus eius, & ſanet oēs languores eius, redimatq; de interitu vitam eius, & faciat in omnibus bonis deſideriū eius. Multæ ſunt huiuſmodi precationes, ex quibus has duntaxat vobis cōmemorare viſum eſt, vt intelligatis Eccleſiā Catholicam verbi Dei præceptum non intermittere circa ęgrotos ſuos, dicente Scriptura: Et orent ſuper eum, vngentes eum oleo, &c. Nunc de effectibus.

Reuerà etiamſi hæc Vnctio Sacramentalis à Chriſto inſtituta, & à pri-

mitiua Apoſtolicaque Eccleſia vſurpata non foret, nec quicquam haberet prӕter preces illas, quas Sacerdos tanquàm Eccleſiӕ miniſter, omnium fidelium nomine ad Deum pro infirmo profundit, tamen vel harum duntaxat cauſa Chriſtianus huiuſmodi Vnctionem ſummoperè expetere deberet. Scimus enim Dei noſtri bonitatem, eiusque largam miſericordiam, quòd nullam precationem velit inanem à ſe dimittere, quam vllus ſuorum fidelium in vera fiducia ad ipſum fuderit, per Chriſtum Dominũ noſtrum. Omnibus enim fidelibus hӕc facta eſt promiſſio: Omnia quӕcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Hӕc vera ſunt de precationibus ſingulorum, etiam vnius duntaxat fidelis: quanto minùs reijciet Deus illas preces, quas vniuerſa Eccleſia, omnis fidelium cœtus ſuppliciter obtulerit? vbi multis in oratione adiuuantibus, ex multarum perſonis facierum per multos gratiӕ aguntur, 2. Corin. 1? Dico enim vobis, inquit Chriſtus, ſi duo ex vobis cõſenſerint ſuper terram de omni re, quӕcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis eſt.

Mar. 11.

Matt. 18.

Ecce igitur qui Eccleſiӕ preces auerſatur, ſuam ipſius ſalutem exoſam habet: qui verò diligit animam ſuam, ſalutisque ſuæ deſiderio tenetur, orationi quoquè ſtudioſè nauabit operam: potiſſimùm autẽ illius erit auidus, quæ pro ipſo à multis Deo offertur. Quanuis itaq; Sacramentalis Vnctio nihil prӕtereà in ſe contineret, quàm quòd nomine Eccleſiæ pro infirmis oratur, non poſſem tamẽ non vehemẽter admirari, quibus ex cauſis nonnulli hac tempeſtate eam cõtemnant, prӕtermittant & negligant. Iam verò in hac Vnctione non ſolæ ſunt preces, verumetiam expreſſum verbi Dei prӕceptum, & vera, certa ac luculenta Dei promiſſio, non fore ſcilicet ſuperuacuum eius vſum, ſed per virtutem gratiӕ diuinæ plurimùm vtilitatis, ſalutis & emolumẽti infirmis allaturam. Audiamus verba Scripturæ: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Ex quibus euidentiſſimè liquet, prӕceptam eſſe à Deo hanc Sacramẽtalem Vnctionem. Vis & promiſſionem audire, quorſùm ex gratia Dei cõducat? Agè aduertas. Oratio fidei, inquit, ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittẽtur ei. Vbi nunc illi, qui iuxta ſua ipſorum ſomnia longè acutiùs ad diuini verbi amuſſim collimant, & firmiùs ei credunt atque fidunt, quàm vlli alij vnquàm? Cur hanc ſcripturam negligunt? aut quid hîc eis deficit, quo minùs ei cõfidant? Sin autem credunt quid igitur huiuſmodi promiſſioni renunciant? Cur eam in ſeipſis & ſuis aſſeclis negligunt & prætermittunt? Cùm primùm hanc ſuam nouationem auſpicarentur, hanc ſuſpicionem quibuſdam iniecerũt, quòd hӕc Iacobi epiſtola non ſit Apoſtolica. Verùm citò admodùm frons illis erubuit, ità vt huius aſſertionis ipſos puderet, & nunc cum Eccleſia Catholica rotundis verbis fateantur, hanc epiſtolam ex ſpiritu Dei conſcriptam, quemadmodùm & reliqua Apoſtolorum ſcripta. Nihiloſeciùs tamẽ miſeram plebeculam ſuam in cœptis erroribus hærere

Iac. 5.

rere

rere ſinunt, tanquàm hęc vnctio, quam Apoſtolus tam grauiter pręcipit & promittit, ſuperuacanea ſit & neutiquàm neceſſaria: quo ex fundamento aut qua de cauſa, equidem ignoro, niſi quòd peruenit ſuper eos iudicium Dei, qui eorum corda ad veritatem agnoſcendam illuſtrare dignetur. Nos veterem & orthodoxam Eccleſiæ doctrinam ſequemur, atque ex his Scripturæ verbis diſcemus, quid hæc Sacramentalis Vnctio conferat infirmis.

Primò quidem dictum eſt, ꝙ oratio fidei ſaluabit infirmum. Hinc intelligimus, hanc eſſe cõmunem totius Eccleſiæ Chriſtianæ actionem. Porrò actio illa & preces, quæ circa infirmũ peraguntur, nõ ipſi Sacerdoti innitũtur, ſed fiũt nomine totius myſtici corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, cui⁹ miniſter eſt Sacerdos: itaq; orat tota fideliũ cõcio ꝓ infirmo verbis ſacerdotis. Atq; hoc in omnibus Sacramentis aduertẽdum eſt, ꝙ eorũ actio vel tractatio non in paucis illis perſonis ibidèm præſentibus ſita ſit, verũ in toto credentium cœtu, cuius illi ſunt membra, omniaq; faciunt & peragunt Dei eiuſq; Eccleſię nomine. Exempli cauſa: In baptiſmo, quãdò Sacerdos orat ꝓ infantibus, facit id nomine totius Eccleſię: quãdò baptizat itidèm in nomine, mandato & virtute Dei baptizat. Eodẽ modo & ſuſceptor, quãdò fidẽ pro infante profitet̃, loco totius Chriſtianitatis eã profitetur: ſicq; infantes ad baptiſmũ admittunt̃ & baptizantur, non in fide paucorũ Suſceptorũ, ſed Eccleſię & totius cœtûs fidelium. Sic & in extrema Vnctione Sacerdos orat nomine totius Eccleſię: & dum vngit, id quoquè facit in nomine, mandato & virtute Chriſti, qui eiuſmodi vnctionem ad ſalutẽ hominũ inſtituit, & p Apoſtolos in orbe terrarũ ꝓmulgauit, & in vſum deduxit. Itaq; hęc fidei oratio ſaluabit infirmũ, poteſtq; infirmus huic verbi Dei ꝓmiſſioni innixus, ſemetipſum cõſolari, ſicq; cogitare ſecum: Gratias ago tibi clementiſſime Deus, ꝙ meæ ſaluti tam abundè proſpexiſti, in hac mea infirmitate tua gratia me confortare & releuare vis, cuius alleuiationis ſignũ externum mihi donâſti, hanc ipſam Olei Vnctionem, nè vlla ratione tuis ꝓmiſſis diffidam. Sum quidem ego membrũ tui myſtici corporis, & ſanctorum cõmunioni aſſcriptus: ac tametſi pro meipſo ſum peccator, attamẽ tota Eccleſia magnum amoris & exiſtimatiõis locum obtinet apud te ô Deus. Quamobrem confido, quòd me ceu dilectæ Eccleſiæ tuæ membrum ſis gratia tua complexurus, & ab infeſtis tẽtationibus & maligna poteſtate Satanæ principis huius mundi, conſeruaturus ac protecturus.

Eccè hanc conſolationem percipit Chriſtianus ex prima promiſſione, quæ ei circa hãc Sacramẽtalem vnctionem facta eſt his verbis: Oratio fidei ſaluabit infirmum. Iacob. 5.

Secunda promiſſio hæc eſt: Et alleuiabit eum Dominus: id eſt, moleſtias & anguſtias eius mitigabit, quas tum ex infirmitate corporis, tum ex peccatorum & ſeueri iudicij conſideratione, tum deniquè ex tentatione ſentit diaboli, qui nunquàm vehementiùs atrociuſque hominem oppugnat, quàm in mortis neceſſitate. Atque hęc iuncta ſimul, infirmi animum plu-

rimùm grauare & contriſtare queunt:è contrario verò gratia Dei & auxilij Diuini ſpes & fiducia,credentis animum leuare & exhilarare poteſt, & cor-
4.Reg. 6. dis oculos aperire, ſicut puero Heliſæi factū legimus:vt iam infirmus perſpiciat,ſe longè fortius habere auxilium à Deo, quàm ſit aduerſarius ipſius Diabolus. At tunc ſanè fidelis animo ſuo gratiæ & promiſſis ità poteſt inniti,vt verè lætus ac benè animatus aduerſus omnes Satanæ tentationes,
Pſalm.26. apud ſeſe pronunciet cum Propheta:Dominus protector vitę meę: à quo trepidabo?cùm exploratū habeat, Deū tam eſſe potentē, vt poſſit eiuſmodi pręſtare:& veracē, vt nolit promiſſionū ſuarum fidem labefactare. Hoc ipſum & natiua olei vis nobis inſinuat, quę eſt confortare & illuſtrare. Itaque hoc ipſo conſolari nos voluit Deus,nobiſq; innuere per oleū, ſe in extrema neceſſitate per hanc ſacramentalē Vnctionem nobis gratiam ſuam infuſurum,quę corda noſtra corroboret & tueatur aduersùs deſperationē: prętereà ſe per gratiam ſuam,veluti lumen quoddā in cordibus noſtris acceſurum,gratia & virtute ſua Diuina ſe pectora noſtra ab om̄i anxietate,triſtitia,& Diaboli tentatione leuaturū, atq; perniciofas eiuſdē ſuggeſtiones ac ſęuiſſimas inſidias per hanc Sacramentalē Vnctionem ex cordibus credentium profligaturum non ſecùs,àc lumen om̄em caliginem ex domicilio diſpellit. Hîc iam vobis conſiderandum relinquo, Auditores, qualis ſit ſpiritus,qui Chriſtianos ab hac tam munifica Dei promiſſione auertit,inuiſam illis reddit hanc Sacramentalem Vnctionem, & hac Diuinę gratię ſpe & conſolatione in ſummo & extremo vitę diſcrimine eos priuat. Attendite vobis ab his Satanę inſidijs,Auditores,optimi:eſtote prudentes.
1.Pet. 5. Circuit eñ tanquàm leo rugiens,quęrens vt vos deuorare & perdere poſſit:atque vbì per impoſturas & praua dogmata omnibus eiuſmodi Diuini auxilij pręſidijs in ſuprema illa vrgentiſſimaque neceſſitate vos nudârit ac deſpoliârit,tum longè procliuiùs in teterrimam deſperationis & damnationis voraginem vos pręcipitare queat.

Vnum adhuc reſtat in hac promiſſione:Si in peccatis fuerit,inquit,remittentur ei. Cur autem hîc dubitanter loquitur Apoſtolus,(Si in peccatis fuerit)cùm nemo mortaliū viuat ſinè peccato?Iob 5.1.Iohan.1. Nemo quidē viuit ſinè peccatis. Verùm ſunt adhuc alia Sacramenta in Eccleſia ad impetrandum peccatorum remiſſionem deſtinata, cuiuſmodi eſt pœnitentia,confeſſio & contritio:& Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, plurimùm confert ad ſananda peccatorum per pœnitentiā caſtigatorum vulnera:atq; his Sacramentis Chriſtianus meritò priùs vti debebit, quàm res ad extremum vergat, vbi hæc Vnctio vſurpanda eſt. At tunc quidem poſt pœnitentiam & ſacram communionem ſi fortè nonnullæ peccatorum reliquiæ illi adhæreſcant,aut ſi cogitationibus leuioribusque peccatis (quæ in hac vita ſemper incidunt, & in ipſo mortis lecto patrari poſſunt, quæque venialia appellantur, ſe commaculauit, gratia & miſericordia Dei per hanc vnctionem iuxta promiſſionem ſuam ab eiuſmodi reſiduis peccatis

catis ipſum expurgabit. Cùm igitur peccatum tam pernicioſus ſit hoſpes, haud ſanè nimis multa Diuinæ gratiæ media contra illud poſſunt adhiberi, omnibusq; vti debemus, quandoquidem Deus ea nobis donauit & inſtituit, iubetq; nos illa vſurpare.

Hactenùs itaque de Sacramento Vctionis ex Scripturis. Quiſquis autem vſum Apoſtolicæ Eccleſiæ ſcire cupit, & teſtimonia audire, an hæc Sacramẽtalis vnctio eo modo ab initio in Dei Eccleſia circa infirmos ſit vſitata, habet euidens de Apoſtolis teſtimonium, Marc. 6. Præterea apud Dionyſium Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. ſeptimo: Apud Chryſoſtomum de Sacerdotio libro tertio: Apud Hieronymum & Theophylactũ ſuper Marcum cap. 6. Apud Auguſtinum de viſitatione infirmorum, libro 2. cap. 4. item de rectitudine Catholicæ conuerſationis. Ambroſius quoquè & Gregorius adminiſtrandæ huius ſacræ Vnctionis formas tradiderunt, quæ per Eccleſias adhuc obſeruantur.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA EXPLICATIO SACRAMENTI MATRIMONII.

CONCIO LXXVII. HABITA

Dominica Septuageſima, *Anno* 1544.

ORDO noſtri Catechiſmi & temporis opportunitas, Auditores, nunc eò me deducunt, vt inter alia Sacramenta, etiam de Matrimonij Sacramento ex verbo Dei Catholicè vos inſtituam. Nam cùm hic ſtatus omnium maximè ſit vulgaris & vſitatus, etiam apud Chriſtianos, vtiquè communiter & vulgariter ſciendum eſt, quo pacto ſecundùm voluntatem Dei aſſumendus ſit & obſeruandus. Nam dubium non eſt, id indignè ferre Deum, ſi fideles hunc ſtatum non ſuſcipiant vel gerant ſecundùm ſcientiam, & ſcripturæ Diuinæ pręſcriptum, ſed in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum. Hanc autem Dei voluntatem in ſcripturis perſpicimus ex eo, quòd Matrimonium tam accuratè & multifariàm verbo Dei compræhenſum eſt: Nam omnia quæ ad piam huius ſtatûs obſeruationem deſeruire queant, euidenter & certò in ſcripturis teſtata ſunt & demõſtrata. Siquidem à Deo eum primò inſtitutum legimus Gen. 2. Deindè in lege Moſaica Deus varia præcepta dedit, vt rectè atquę ordine ſeruari poſſit. Atq; huc pertinet illud Decalogi præceptum, Non concupiſces vxorem proximi tui, Exodi 20.

Indicauit pręterea Deus in Scripturis, qui Matrimonio coniungi poſſint. Item quarum perſonarum nuptias ambire, aut ad quas accedere non debea-

debeamus, Leuit. 18. Si puellam virginem deſpóderit vir, & inuenerit eam aliquis, & concubuerit cum ea, qua pœna is mulctandus ſit, legimus Deut. 22. Similiter quę irrogari debeat mulcta ei, qui inueuerit puellam virginē nō habentem ſponſum, & appręhendens concubuerit cum ea, Deut. 22. Item quomodò deferendum ſit & indulgendum nouis coniugibus, pręcipit Deus Deut. 24. nimirùm vt qui nupèr vxorem acceperit, non procedat ad bellum, nec ei quicquam neceſſitatis iniungatur publicè, ſed vacet abſq; culpa domi ſuæ, vt vno anno lętetur cum vxore ſua. Quinetiam quo pacto cōiugijs inauſpicatò & parùm feliciter initis conſuli queat, vias quaſdā ac modos ſacræ literæ demōſtrant: aliter tamen Moſes, & aliter Chriſtus. Moſes concedebat vt, ſi accepiſſet quis vxorem, & non inueniret gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatē, ſcriberet libellum repudij, & dimitteret eam de domo ſua. Tum verò maritus & vxor hac ratione ſeparati, poterant aliud contrahere Matrimonium pro ſuo arbitratu, Deut. 24. Quod quidem Iudæis fuit indultum: non quòd iuſtum eſſet ac diuinæ inſtitutioni conſentaneum. Nam ſecundùm Dei ſanctionem, indiuiduum & indiſſolubile eſſe deberet Matrimonium, iuxta illud Chriſti: Quod Deus coniunxit, homo nō ſeparet. Verùm propter duritiem cordis eorum permiſit eis Moſes libellū repudij. Quia enim ferus & moroſus erat ille populus, tolerabilius eſſe arbitrabatur Moſes, vxorē marito exoſam dimitti, quàm enecari, prout nonnunquàm apud illos fiebat. Apud Chriſtianos verò idem permiſſum nō eſt, ſed obtinet illud Chriſti Matt. 19. Quod Deus coniūxit, &c. Illud tamen Chriſtus indulſit, ſi alter cōiugum fidem coniugij violet, & alij commiſceatur, licitum vt ſit innocenti, adulterum dimittere, itá tamen, vt quandiù alter coniugum ſuperſtes fuerit, alter contrahendi Matrimonij facultatem non habeat, aut inuicèm reconcilientur. Hæc & horum ſimilia Matrimonium concernentia, ex iuſſu Dei paſsìm in ſcripturis annotata comperimus, ex quibus vtiquè animaduertimus, Matrimonium ex Deo eſſe, & apud illum magni fieri, eſſeque ei curę hunc ſtatum, & velle vt legitimè, piè & inuiolatè ſeruetur, & inter coniuges omnia ſecundùm ſcientiam, rectè & ordine, modeſtè ac ratiōabiliter peragātur, non inſtār brutorum animantium, aut eorum qui Deum non nôrunt.

Matt. 19.

Prolixè quidem de Matrimonij ſacramēto & ad id pertinētibus diſſeri poſſet. Sed quia in explicatione Sexti pręcepti, & aliâs ſępenumerò de fide coniugali, & quid coniuges inuicèm ſibi præſtare teneantur, ex verbo Dei perſpicuè demōſtrauimus: eo ſuccinctiùs hinc iam agem', indicabimusq; duntaxat, idq; breuiter, vt & quamobrem Matrimonium ſit & nuncupetur Sacramentum, & quid cōſolationis ac doctrinę coniuges ex eo ſumere queant. Equidem paucis verbis Matrimonium maiori & inſigniori prędicatione efferre non poſſim, quàm quòd non ab hominibus, ſed mox vnà cum ipſis hominibus à Deo eſt inſtitutum ad ſolatium & conſeruationem vitę humanę, eſtq; eiuſmodi ſtatus, à quo reliqui ſtatus om̄es, qui vtiles ſint

& laude

& laude digni,initium capere coguntur,& finè quo effici non queunt.

Sanè vt bonus eſt Deus, omniſq; boni author, ità ſuam erga homines bonitatem peculiariter declarauit in inſtitutiõe Matrimonij, videlicet ſtatûs vſqueadeò neceſſarij,permultiſq; ijſdemq; grauibus de cauſis humano generi vtilis,iucundi & ſalutaris,ac per ſe honeſti, immò & ſancti.

Prima cauſa,cur Deus id inſtituerit, Gene.2.indicať,vt ſcilicet inter homines quędã foret ſocietas,quę reliqs oĩbus ſocietatibus pręſtaret,ſuper oẽs alias ſuauis & amica,fidelis & cõſtans: & vt hoĩes in hac ſocietate cõſolationẽ quandã haberẽt aduersùs diuturnas humanæ vitæ miſerias. Nõ eſt bonũ,inqt Deus,hoĩem eſſe ſolũ:faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi. Et cùm non inueniretť adiutor ſimilis Adę,immiſit Dñs ſoporem in Adam:cumq; obdormiſſet,tulit vnam de coſtis eius,& repleuit carnẽ pro ea. Et ędificauit Dñs Deus coſtam,quam tulerat de Adam,in mulierem, & adduxit eam ad Adã, dixitq; Adam:Hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabiť virago,qm̃ de viro ſumpta eſt. Propter hoc etiam derelinquet homo patrem & matrem,& adhęrebit vxori ſuæ. Hæc itaq; ſumma eſt hominum inter ipſos ſocietas,quam Deus ad leuandas varias huius vitę moleſtias & tædia inſtituit,quam ſummo amore præ cæteris cõiunxit,quamq; ſup oẽs alias vult conſtantem,perpetuam & indiuiduam ſeruari. Vehemens eſt & planè admirabilis amor naturalis,velutì parentum erga liberos,& horum erga parentes,itemq; fratres & ſorores. Verùm lõgè flagrantiorẽ amorem Deus Matrimonio indidit:eſtq; coniugalis amor vnicus ille,cui naturalis amor cedere cogitur,iuxta verbum Dei:Relinquet homo patrẽ & matrem,&c. Hinc facilè perſpexerint coniuges,ſe non ſecundùm ordinationem Dei,ſed conſilium & opera diaboli in coniugio viuere, ſi mutua inuidia,odio & contentione inuicẽm diſſideant. Matt.19.

Altera cauſa,quamobrem Deus Matrimonium inſtituit,hæc eſt,vt coniunctio & ſocietas viri & mulieris,non ad liberorũ procreationem duntaxat, verùm etiã ad piam eorundem in timore Domini educationẽ. Et hoc eſt ꝓprium ac peculiare Matrimonij opus,quod coniugibus mãdauit Deus his verbis:Creſcite & multiplicamini, & replete terrã, &c. Eſt itaq; honorifica,inſignis & vtilis Matrimonij laus,quòd ex eo ſolo reliqui ſtatus omnes,qui modo frugi ſint ac laudabiles,naſcantur,propagentur & conſeruentur,& ſinè quo nullus omninò ſtatus eſſe poſſit. Si laudabilis eſt ſtatus virgineus,vt reuerà eſt, ergò vt Matrimonium laudabile ſit, neceſſum eſt quòd homines producat Deo in caſtitate ac virginitate ſeruientes. Si pręclara res eſt, eſſe Chriſtianos,qui Deum in terris cognoſcant & prędicent,& ruinam malorum angelorũ in cælis ſarciant: eſt ergò quod Matrimonio gratias agamus,quod homines profert: niſi enim Matrimonium homines ꝓduceret,haud ſanè Baptiſmus Chriſtianos efficeret. Atq; vt ſemèl dicam,nullus ſtatus toti' orbis laudari poteſt,quin & aliqua huius laudis portio ad Matrimoniũ deuoluatur. Siquidem omniũ ſtatuũ fons eſt & Gene.2.

origo

origo, progignitq́; homines, ex quibus reliqui omnes ſtatus conſtituuntur, & ſinè eo ne homo quidem vllus, & per conſequens, neque ſtatus hominum aliquis exiſtere poteſt.

Tertia cauſa, quamobrem Deus Matrimonium inſtituerit, hæc eſt, ꝙ peculiare quoddam Sacramentum & ſignum habere voluerit, quo amorem illum & coniunctionem inſinuaret, qua Chriſtus Eccleſiæ ſuæ cōiunctus & vnitus eſt. Non ignorabat Deus, hoīem per prçuaricationē mandati, ſemetipſum in çternā damnationē prçcipitaturū, & ꝓindè ſeruatorē illi neceſſarium fore, qui humanas miſerias ſuſcipiens, eū ex damnatione vindicaret, & ad ſalutem reduceret: prout etiā Deus poſt lapſum Adami & Euæ, ſeruatorē & Meſſiam illis promiſit, q quandoquè venturus eos redimeret, Chriſtū filium Dei, mediatorē Dei & hominum. At verò flagrantiſſimo erga humanum genus amore Deū impulſum oportuit, vt ꝓprio Filio noſtri cauſa non parceret, Iohan. 3. Rom. 8. Ingens etiam amor fuerit neceſsè eſt, qui Chriſtum eò adduxit, vt propter Eccleſiam ſuam ſemetipſum humiliaret, factus obediens Deo patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vt itaque huius tam arcti amoris & coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, ſignum aliquod & Sacramentum foret inter homines, ex quo animaduerterent, quantoperè Chriſtus Eccleſiam ſuam diligat, & vt cum ea vniri velit, eccè inſtituit Deus Matrimoniū, illudq́; ſummo amore arctiſſimaq́; coniunctione donauit: vndè non obſcurè depræhendere poſſimus, Chriſtum ità Eccleſiam ſuam diligere, quemadmodùm maritus vxorem ſuam diligere debet, eumq́ue vnitum eſſe cum Eccleſia, ſicutì vir cum vxore cōiunctus eſſe debet. Atq; hinc eſt, quod ait Apoſtolus, Matrimonium magnum eſſe Sacramentum, præcipuè in Chriſto & Eccleſia. Et pulchrè ſanè inter ſe conuenit vtrunque Matrimonium, illud quod inter homines eſt, & hoc quod inter Chriſtum & Eccleſiam, tam in ſuî exordio, quàm in aliis omnibus. Cùm adhuc ſinè vxore eſſet Adam, immiſit Dominus ſoporem in eū, & mulierē ex coſta eius formauit. Itidèm & Chriſtū, cùm Eccleſiam nōdùm haberet, obdormire fecit Deus in cruce, & Eccleſiā ex latere eius ædificauit. Nā cū miles lancea latus eius aperuiſſet, cōtinuò exiuit ſanguis & aqua. Sanguis, vt dependeret pœnas noſtris peccatis cōmeritas: aqua, vt peccata noſtra dilueret. Habemus nanque ex latere Chriſti, ex ſanguine & meritis eius, quo à peccatis emūdamur, & Chriſto cōiungimur ac deſpondemur in ſalutem ſempiternam. Et quemadmodùm Adam & Eua, vxor & maritus, vna caro fiunt: ità & Chriſtus ſe cum Eccleſia vniuit, non dilectione duntaxat & ſpiritu, verùm etiā natura, nobiſcū vna caro factus, Rom. 1. Ioh. 1. Gal. 2. vt iā Chriſtus & Eccleſia vnū ſint corpus: ſumus enī nos mēbra corporis eius, &c. Et ſicut maritus vxorē diligere & fouere debet, cùm nemo carnem ſuam odio habeat, ſed nutriat & foueat eam: ſic & Chriſtus Eccleſiam ſuam diligit & fouet, ipſe Saluator corporis eius. Hinc iam illam in Scripturis loquendi conſuetudinē videmus, vt de regno Chriſti eo ferè modo

Philip. 2.

Ephes. 5.

modo loquantur,quo de deſponſationibus ac nuptijs hoies loqui ſolent. Videre hoceſt apud Prophetas,Oſe.2.Iohã.1.3. Et Chriſt⁹ ipſe apud Matt. 22. Regnum cælorũ,inquit,ſimile eſt hoĩ Regi,qui fecit nuptias filio ſuo. Hęc ſanè Chriſtiani coniuges altè in animos ſuos demittere,probeq́; memoria complecti debent, nempe hunc ſtatum ſuũ,Sacramentum & ſignũ eſſe non ſolùm iſtius vnionis,quæ eſt inter maritum & vxorẽ:ſed & illius arctiſſimæ coniunctionis,quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiã. Atque hinc præclaræ admonitiones deſumi poſſunt,quomodò coniuges in ſuo ſtatu modeſtè,pacificè & amicè conuiuere debeant, cùm ſit ſignum quoddam illius excellentis ac ſacroſanctæ vnionis, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam,de quo latiùs ſuo tempore dicemus.

Quarta cauſa,ob quã Matrimoniũ à Deo inſtitutum eſt, humanæ conſulit infirmitati,putà,vt per coniugiũ vitetur fornicatio.Nam quod extra Matrimonium eſt peccatum ad mortem & damnationem,illud permittitur & peccatum non eſt in Matrimonio. De quo Apoſtolus ad Corinthios ſcribens:Propter fornicationem,inquit, vnuſquiſq; ſuam vxorẽ habeat,& vnaquæq; ſuum virum habeat,1.Corint.7. Et excuſat ibidèm coniugium ab omni peccato:Melius eſt nubere,inquiens,quàm vri. Qui matrimonio iungit virginẽ ſuam,benè facit.Alijs quoq; in locis egregiè nuptias commendat,Honorabile,inquit,connubium &c. Hebr.13. Quin & beatitudinẽ promittit coniugio,1.Tim.2. Mulier ſaluabitur per filiorum generationem,ſi permanſerit in fide,& dilectione,& ſanctificatione cum ſobrietate.

Ex his rationibus facilè appáret,Deum ipſum eſſe coniugij authorem, illudq́; per ſe eſſe honeſtum ac ſanctum,& hominibus iucundum,vtile & ſalutare.Prætereà oẽs ſemper omnium nationũ populi,naturalis luminis illis prælucente ſcintilla,id perſpexêre & animaduertêre, quoddã præſtãs, immò & diuinum bonum eſſe matrimonium.Vndè etiã apud omnes populos illud ſua encomia:adulteriũ verò & reliquæ libidinũ ſpecies extra legitimum torũ,commeritum odium apud honeſtos omnes,imò & ſupplicium habuêre.Verùm illud omnibus qui iam olim ante nos extiterũt, gentibus defuit,quòd,cùm Deus illis per naturæ lumen,per hęc viſibilia & creaturas & ſeipſum & opera ſuã reuelãſſet:non tamẽ Deum glorificauerunt,ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis,Rom.1.Tales etiam ergà Matrimonium ſe præbuerunt: cuius quidem honeſtatem naturali ratione agnouerunt, ſed tamen ſuis moribus & legibus potiùs illud ſeruârunt, quàm ex pręſcripto voluntatis Diuinæ.Hinc crebra illa repudia & polygamia apud illos,quæ omnia Diuinæ inſtitutiõi aduerſantur. Atq; ità quidẽ Matrimonium iam indè ab initio apud omnes gentes perdurauit, ſed demùm apud Chriſtianos ſuos numeros & perfectã obſeruationẽ obtinuit. Tunc enim ad Diuinę ordinationis normam redactum eſt, cùm Chriſtus doceret: Ab initio non fuit ſic. Et ità Chriſtiani primi ſunt omniũ,apud

quos perfectum fuerit Matrimonium iuxta inſtitutionem & ordinationem Dei. Matrimonium habuerunt alij, Sacramentum non habuerunt. Diſcite Chriſtiani: Non omne Matrimonium bonum eſt, ſed Matrimónium ritè obſeruatum, Deo placet, & ingreditur regnum Chriſti.

CONCIO LXXVIII. HABITA. *Dominica Sexageſima, Anno.* 1544.

PRæcedente concione, Auditores, de Matrimonio ex verbo DEI vos inſtruere cœpimus, vt & quilibet vulgaris Chriſtianus ſcire & intelligere poſſet, quo pacto Matrimonium inter fideles in Eccleſia Dei ſit Sacramentum, atq; adeò magnum Sacramentū: prætereà, quidnam fidelium coniugia plus & peculiarius habeant vltra Ethnicorum, Iudæorum & hæreticorum Matrimonia. Nanq; in ſuis Matrimonijs Chriſtiani aliud quiddam ſibi propoſitū habere & nôſſe debent, quàm Ethnici, Iudæi & hæretici. Filij Sanctorum ſumus, (inquit Tobias ad Sarā coniugem ſuam) & nón poſſumus ità coniungi, ſicut gentes quæ ignorant Deum. Et D. Paulus admonet Chriſtianos, vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum 1.The.4 poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.

Indè proximo ſermone diximus, nec tædebit eadem hîc repetere, cùm ſciam vtile vobis fore & ſalutiferum, plurimaq; incommoda poſſe auerti, ſi intelligant Chriſtiani quid ſit Matrimonium, quomodò de eo ſentire debeant, non ſecundùm ſua peccata, ſed iuxta voluntatem Dñi: nō ſecundùm mores & leges Ethnicorū, ſed ſecundùm iuſtificationem, ordinationem & verbū Dei. Sic oēs populi de Matrimonio ſentiunt, quod ſit maris & fœminæ, ad indiuiduam vitæ conſuetudinem inter ſe mutuò retinendam & traducendam, legitimus conſenſus, in qua omnes huius vitæ caſus communiter ſuſtineant, cōmunes liberos gignant & éducent, omnemq; fidem pariter & amorem ſibi inuicèm exhibeant.

Atq; hæc ſola fuerunt, quæ Ethnicos ad coniugium inuitabant. Iudæi porrò aliam inſupèr ineundi Matrimonij cauſam habebant, qua ad Chriſtianum matrimoniū aliquātò propiùs acceſſerunt, quàm Ethnici, nempe hanc, quòd etiā ex pietate quadā vxores ducebāt, nō ob ſolā voluptatem, aut corporalis conſuetudinis ſolatiū: ſed quòd ſcirent fore, vt in ſemine Abrahæ oēs gentes benedicerentur, & ex ipſorum progenie Meſſiam & Seruatorē toti orbi redimēdo naſciturū. Hac re permoti ſancti hoīes apud Iudæos, Matrimoniū inibant, vt quātùm in ipſis eſſet, eam progeniē conſeruarent & propagarent, ex qua omnes generationes redemptionem, ſalutem & felicitatem eſſent conſecuturæ. Tali propoſito ſe ad nuptias acceſſiſſe pij illi coniuges Sara & Tobias conteſtabantur. Tu ſcis Do-
Tob.3. mine, quia nunquàm concupiui virum, inquit Sara, & mundam ſeruaui animā ab omni concupiſcentia, &c. Virum aūt cum timore tuo, non cum libidine

libidine mea,conſenſi ſuſcipere.Et Tobias: Domine, tu ſcis, inquit, quia nō luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem,ſed ſola poſteritatis dilectione,in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſeculorum. Tob. 8.

Chriſtianorum verò Matrimonium illud præter Ethnica & Iudaica habet coniugia,quòd eſt ſacramentum Euangelicę legis,& vinculum ſacroſanctum,quo per gratiam Dei duo,maritus & vxor,in indiuiduā vitæ ſocietatem traducendā colligantur & vna caro fiunt, vt iam nō ampliùs ſint duo,ſed vnum corpus,queadmodùm Chriſtus & Eccleſia ſunt vnū. Quā coniunctionem Deus internis chariſmatis donat, excitatq; & conſeruat amorem,fidem & beneuolentiam inter coniuges, efficitq; apud illos per gratiam ſuam,quod eſt Matrimonio iunctis in Dei verbo promiſſum,vel quod ab illis exigitur.

Hoc Sacramentum non patitur vllum coniugum diuortium,exceptā ſola adulterij cauſa:ità tamē,vt coniuges propter adulteriū duntaxat corporaliter ſeparari poſſint,Sacramentali intereà fœdere rato & indiſſolubili manente ad vitam vtriuſq;, vt iam ſinè dedecore & adulterij pœna alteri perſonæ coniūgi nequeāt. Prohibet quoq; hoc Sacramentum, nè Matrimonium inter plures cōtrahatur,ſed inter duos tantummodò, qui vna fiunt caro,& vterq; poteſtati ſui corporis renunciat, & coniugis voluntati permittit iuxta Scripturam:Itaq; iam non ſunt duo,ſed vna caro. Audiuimus nunc,Auditores,aliā Matrimonij rationē eſſe in domo Dei inter fideles,quàm apud alios aliarum nationū populos.Nam Chriſtiana Matrimonia duo quædā peculiaria habent,quòd ſint indiuidua,& nō niſi inter duos eſſe queant.Ac proindè ceſſat hîc Repudiū & Polygamia,& Diuinæ ordinationi cedere cogitur,quę duos tantùm in vno corpore & vna carne coniungit.Et quidē repudiū vel diuortium verbo Dei contrariū eſſe, iam demonſtratum eſt. Itidèm & polygamiā Diuino inſtituto aduerſari, perſpicuis Scripturarum teſtimonijs conuincitur. Adam Diuinam diſpoſitionem nō ſinè Spiritusſancto pronunciabat,dicēs:Erunt duo in carne vna. Quod Adæ vaticinium Chriſtus luculenter explicans,demonſtrat Deum hanc ſocietatē coniugalē inter duos dūtaxat ſanxiſſe: neq; poſſe matrimonium inter plures quàm duas perſonas conſiſtere, quę in vnū corpus colligantur in indiuiduā coniunctionē.Nō legiſtis, inquit Chriſtus, quia qui fecit ab initio,maſculū & fœminā fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrē et matrem,& adhærebit vxori ſuę:& erunt duo in carne vna. Itaq; iam nō ſunt duo,ſed vna caro.Hāc tā efficacē coniunctionē reſpexit Apoſtolus,dum dicere nō dubitat,Mulierē(nuptam)corporis ſui poteſtatem non habere,ſed virū.Similiter et virū ſui corporis poteſtatem nō habere,ſed mulierē,cùm ambo in vnam carnē iuxta Dei ordinationem conuenerint.Ex his omnibus manifeſtum euadit, Matrimonialem coniunctionem inter duos tātùm conſiſtere poſſe,qui ſimul vnum corpus fiunt. Et ſicut humanæ rationi,iuri naturali,& diuinæ ordinationi contrarium

Matt.19. Gene.2. Matt.19.

foret,ſi fœmina fœminæ nuberet:eodem modo iuxta Dei ſanctionẽ abſurdum foret,ſi maritus iam cum vxore vnum corpus factus,denuò velit illud corpus,quod iam ſuũ ampliùs non eſt,cuiuſq; poteſtatem nõ habet, ſecundæ aut tertiæ vxori tradere. Hoc validiſſimè teſtantur Diuinæ Scripturæ ſententiæ &c. Porrò vnum eſt,quod probari videtur,Polygamiam Diuinæ legi & ordinationi non aduerſari,quòd ſanctos Patres & ſummos Dei amicos,Abraham,Iacob & Dauid,plures ſimul vxores habuiſſe legamus,de quibus vtiq; dici nõ poteſt,quod in illicito concubinatu vixerint, aut contra Dei voluntatem plures illas vxores duxerint ac ſeruârint.

Si ergò illi,dicet aliquis,ſua polygamia nõ peccârunt,quid eſt quod nũc prohibetur & iniqua cenſetur? Reſponſio:Nemo ſanè in Chriſtiana religione tam rudis eſſe debet,vt ignoret,legem & quæ in lege fuêre, Chriſtũ præfigurâſſe:oĩa enim in figura illis contingebant,vt ea præſignificarent, quæ in noua Chriſti lege fieri & impleri debebãt.Quocircà multa in lege, quæ figura erant Chriſti venturi,rectè fiebant ac Deo placebant,quandoquidem Chriſtus adhuc erat venturus:quæ tamẽ poſtquàm Chriſtus iam venit,ceſſare æquũ eſt. Non enim fas eſt, nec Deo gratũ,ſi typos retinere velimus,quãdò veritas iam venit & impleta eſt.Inter has aũt Moſaicæ legis figuras recenſetur & polygamia,quæ venturũ Chriſti regnum præfigurauit.Suprà diximus,Deum idcircò Matrimoniũ inſtituiſſe, vt Sacramentum eſſet & ſignum,quo inſinuaretur,vtì Chriſtus ſibi in terris Eccleſiam,hoc eſt,fidelium congregationẽ deſpõſaturus eſſet:atq; ità per amorem & coniunctionem coniugalem deſignaretur,quomodò Chriſtus Eccleſiam dilecturus,ſeq; cum ea vniturus eſſet,Oſeæ 2.Matth.22. Lucæ 14. Iohan.1. & 3. Apoc.19. Ephe. 5.

Iam porrò cum Eccleſia Chriſti ità comparatũ eſt,vt ex multis gẽtibus adunata,in vnam ſocietatem,vnam Eccleſiam,vnumq́; corpus redacta ſit. Neq; eñ ſolos Iudæos,verùm etiam oẽs gentium nationes in Eccleſiã ſuã Chriſtus congregauit,pro omnibus totius mundi familijs mortuus eſt,vt oẽs populos in vnam fidem & vnam Eccleſiam congregaret,in qua per fidem in Chriſtum ſalui fierent in eius ſanguine,Rom. 5. quemadmodùm ipſemet Chriſtus fatetur Iohan.8.Quoniã ergò Chriſtus adhuc venturus expectabatur,& neq;dùm Eccleſiam per ſanguinẽ ſuum ſibi deſponſauerat,Matrimoniumq́; typus quidam erat futuræ deſponſatiõis Chriſti: idcircò permittebat Deus vni marito plures vxores coniũgi,propter ſignificationẽ,quòd nimirùm Chriſtus non vnum dũtaxat populũ, ſed multos ſibi vniturus eſſet,& pro multis ſanguinẽ ſuũ effuſurus, quò multas gẽtes in vnã fidẽ,in vnã Eccleſiã adunaret,& ad beatitudinẽ perduceret. Anteà quidẽ varij erãt populi,alij Græci,alij Iudæi appellabãtur,cùm tñ Chriſtus Græcos & Iudęos ſuſceptur⁹ eſſet,& ſaluos beatoſq; facturus. Quod vt figura quadam adumbraretur,plures habuerunt vxores Abraham, Iacob & Dauid,qui typi fuerunt ipſius Chriſti. Nunc verò ex Græcis & Iudæis vnus

vnus factus eſt populus, vna Eccleſia, vna fidelium congregatio. Quamobrem & in Matrimonio, quod Chriſtũ & Eccleſiam eius deſignat, vna tantùm erit vxor, queadmodùm & Chriſtus vnam ſolùm habet Eccleſiã. Quocircà Chriſtianis illa veterum Iudæorũ polygamia nequaquàm imitanda erit. Illi ſiquidem viuebant ſub lege, conditioni diſpenſationiq́; eorum temporum ſeruientes, & quæ ſub lege decebant, facientes. Nos verò in regno Chriſti & Euangelica lege viuimus, quæ eſt veritas & adimpletio legis Moſaicę. Seruiamus igitur & nos noſtrorum temporum conditioni & diſpenſationi, & faciamus quæ regno Chriſti conueniunt: hoc pacto à regia via non exorbitauerimus, & noſtris temporibus Deo placebimus, non ſecùs àc illi ſuis Domino placuerunt. Abſurdũ fuerit, illis conformari nos velle, cùm mutata iam ſit temporum ratio. Tunc adhuc venturus expectabatur Chriſtus, iam autẽ venit. Tunc in ſola promiſſione erat, Chriſtum ſibi vnam ex multis gentibus Eccleſiam deſponſaturum: iam porrò factum & adimpletum eſt. Vndè & Matrimonium, quod Chriſtum & Eccleſiam eius præfigurat, aliam in lege rationem habuit, meritoq́; & nunc aliam habere debet. Sic & alia multa Deus præcepit in lege Moſaica, & rectè legitimeq́; faciebant, qui ea obſeruabant. Verùm ſi eadem in lege Chriſti obſeruare velimus, nequaquàm Deo placuerit, cùm diuerſum à nobis requirat. In lege MOSIS maledictioni ſubiacuit virginitas. Maledictus enim qui non reliquit ſemen in Iſrael. In Eccleſia Chriſtiana obtinet illud: Qui poteſt capere, capiat. Fueritq́; laudabile, ſi quis virginitatem ſeruare queat. Matt.19. Nam & Paulus inquit: Bonum eſt homini mulierem nõ tangere. optatq́; 1.Cor.7. omnes homines eſſe ſicut ſeipſum, multaq́; bona commemorat, quibus virginitas præ Matrimonio abundet, & quibus fruantur ſoluti præ cæteris Matrimonio ligatis, 1. Corinth. 7. Quo fit, vt maledictio illa, quæ in lege Moſaica ſteriles & cælibes feriebat, in lege Chriſti in benedictionẽ ſit conuerſa, ſi quis virginitatem ſuam illibatam conſeruauerit. Atque hoc ex eorum numero eſt, vndè liceat animaduerti, legem Moſaicam ſuam peculiarem conditionem ac diſpenſationẽ habuiſſe: itidèm & legem Chriſti propriam ſuam conditionem habere, multaq́; in lege pro conditione, iuſtè, legitimè, & ad voluntatis Diuinæ præſcriptũ eſſe facta, quæ ſub lege Chriſti vlteriùs fieri non debeant. Simili modo ſub lege Chriſti multa rectè, legitimè, & ſecundùm Dei voluntatem fieri, quæ tempore legis Moſaicæ fuiſſent prorsùs illicita. Sic & polygamia illorum temporum conditioni ſinè peccato ſeruiuit. Sub lege Chriſti polygamiæ mera ſunt adulteria, & manifeſtæ prȩuaricationes verbi & ordinationis DIUINÆ. Olim circuncidi præceptum erat: nunc ſi circuncidaris, fruſtrà crediſti. Hæc de Chriſtianorum monogamia, quodq́; in noua Chriſti lege maritus vnã duntaxat vxorem habere debeat, ſicut & Chriſtus vnam tantùm habet Eccleſiam.

Ex ijs igitur, quæ hactenùs de Matrimonio diximus, vos intelligere

ſpero,quomodò & quamobrem Matrimonium apud Chriſtianos ſit Sacramentum: nimirùm idcircò,quòd Deus coniugum conſenſum,qui extrinſecùs verbis & geſtibus, vtpotè mutua ſtipulatione & promiſſiõe præſtatur,intrinſecùs ſua gratia confirmet,idemq́; eos coniungat, eamq́; gratiam fidelibus conferat, vt ſe mutuo amore ac ſtudio proſequantur, paremq́; fidem ſibi inuicèm exhibeant vſq; ad mortem. Proſpiciat prætereà Deus illis de neceſſarijs,& extrahat eos ex omnibus aduerſitatibus: aut eã gratiam præſtet,vt patienter ferre queant quaſcunq; illis carnis tribulationes Matrimoniũ attulerit,iuxta illud dictũ Apoſtoli:Tribulationẽ carnis habebunt huiuſmodi. Propter hæc Dei chariſmata, Matrimoniũ appellatur & eſt Sacramentum:& quandò coniuges ſpe & fiducia eiuſmodi diuinorum chariſmatum freti,ſibi inuicèm fidem coniugalẽ promittunt, vèrè hoc Matrimonij Sacramentum obſeruant.

1.Cor.7.

Hinc comperimus Sanctos,quandò Matrimonio iungebantur, cogitationes,mentem & ſpem ſuam in ſolam Dei gratiam direxiſſe,& in bona erga Deum fiducia cõueniſſe. Vbi verò Matrimoniũ contrahitur ſinè vllo Dei timore,& abſq; eiuſmodi erga Dei gratiã fiducia, nihilq́; iam ſpectatur & requiritur aliud,quàm corporalia & temporaria:putà,forma,nobilitas, opes,&c. Deus verò obliuioni datur, id Matrimonium quidẽ eſſe poteſt, an verò Chriſtianum ſit Matrimoniũ & Sacramẽtum,equidem affirmare non auſim. Illud autẽ pro comperto habeo,neq; ſcripta vlla Diuina, neq; Chriſtum talia Matrimonia probare. Grauiter olim tulit Deus, quòd filij Dei filias hominum ſibi accepiſſent vxores ex omnibus quas elegerant: & Chriſtus pronunciat,eiuſmodi coniugia horrendo diluuij ſupplicio occaſionem dediſſe, Matth. 24. Et Luc.14. in parabola quadam ſubindicat, quendam Dei regno priuatum,eò quòd vxorem duxerat. Prætereà Angelus Tob. 6. inquit: Qui coniugiũ ità ſuſcipiunt,vt Deum à ſe & à ſua mente excludant,& ſuę libidini ità vacent,ſicut equus & mulus,quibus nõ eſt intellectus,habet poteſtatem dæmonium ſuper eos.

Altera ratio,cur Matrimonium ſit Sacramentum, eſt, quòd ſit ſignum quoddam eius amoris & vnionis,quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiã. His ergò duabus de cauſis matrimonium & eſt & dicitur Sacramentum. Tum autem ſcitis,hanc eſſe huius Sacramenti conditionem,duos in vnam carnem coniungere & colligare: vndè fit, vt coniuges ſeparari non poſſint, quandiù vterq; viuit: neq; matrimonium inter plures, quàm vnum maritum & vnam vxorem,eſſe queat.

CONCIO LXXIX. HABITA

Dominica Quinquageſima, Anno 1544.

VErſamur iam,vt ſcitis,auditores,in Sacramento Matrimonij explicando. Quoniam autem de mutua coniugum obligatione & officio aliàs ſæpenumerò, & prout rei poſtulauit neceſſitas, ſatis copiosè

copioſè pro concione ex verbo Dei docuimus:ſtatuimus inpræſentiarùm eò ſermonẽ noſtrũ dirigere,vt intelligatis,vtì & quamobrẽ coniugiũ Chriſtianorum ſit Sacramentũ:id quod Chriſtianis côiugibus permultùm vtilitatis,conſolationis & inſtructionis adferre poterit.

Matrimonium igitur appellatur,quandò vir & fœmina, quos nullum alioquì impedimentũ contrahere prohibet,libero & ſpontaneo cõſenſu ſibi mutuam fidem promittunt,& perpetuam fidelemq; cohabitationem & coniunctionem ſibi inuicèm pollicentur,in qua omnes huius vitæ caſus,tum proſperos,tum aduerſos, cõmuniter ſuſcipere & tolerare velint. Huiuſmodi mutuus conſenſus facit matrimonium:quod Chriſtianis cũ Ethnicis,Turcis,Iudæis & Hæreticis eſt cõmune:verùm nõ facit Sacramẽtum,quod propriè eſt Chriſtianorũ duntaxat,& tãtùm inter Chriſtianos eſſe poteſt. Tunc autẽ ex Matrimonio fit Sacramentũ, quandò eiuſmodi mutua coniugũ promiſſio,in Dño,cum Dei timore & reuerẽtia,& in fide præſtatur,quandò in Dei nomine mutuã ſibi dant fidem,& per fidẽ agnoſcunt,hanc coniunctionẽ,qua inuicèm copulãtur & connectũtur, nõ eſſe opus humanũ,ſed diuinum:intelliguntq; & ſentiunt,Deũ eſſe qui coniuges copulet,& per ſuã gratiã omnia in eis effecturus ſit, quæ Matrimonio promiſit,aut etiã ab illo requirit. Talis coniugũ promiſſio, quæ nõ verbis tãtùm,ſed & fide præſtatur,innititur verbis Chriſti: Quod Deus coniũxit, homo nõ ſeparet. Atq; hinc matrimoniũ eã naturã & rationẽ ſortitum, vt ſit Sacramentũ:nõ tã ex mutua hoĩm promiſſiõe & conſenſu,quàm ex interna gratiæ Dei operatiõe. Hoc eñ eſt ſacramentũ,quandò externus aliquis actus per Dei verbũ & promiſſionẽ cõfirmatur ad gratiã internã conferendã illis,q in fide eo vtunt. Sic baptizare in aqua,ex verbo Chriſti Ioh. 3. Marc. vlt. eſt Sacramentũ valẽs ad remiſſionẽ peccatorũ. Eodẽ modo,vbi duo fideles fidẽ coniugalẽ ſibi inuicèm promittũt in verbo Chriſti,ibi Matrimoniũ eſt Sacramentũ,in quo Deus per gratiã ſuã inter cõiuges amorẽ, pacẽ & concordiã operat̃,eorumq; ſtatũ corã Deo ſanctũ, bonũ & acceptabilẽ reddit. Atq; hinc iã Chriſtiani in matrimonijs ſuis permulta magnifica ac Diuina perſpiciunt,dũ matrimoniũ Sacramentũ eſſe agnoſcũt, quæ Iudæi,Ethnici,Turcę & Hęretici in ſuis coniugijs nec ſciũt,nec intelligũt, quandoquidẽ in matrimonio Sacramentũ nõ agnoſcunt,aut etiã negant. Principiò nanq; Chriſtiani per fidẽ cognoſcũt, illã coniugũ copulatiõem nõ tãtùm per mutuã illorũ ꝓmiſſionẽ & externos geſtus fieri,veluti quãdò in manus ſibi mutuò promittũt:ſed Deũ in eiuſmodi actu præſentẽ contuentur per fidẽ. Ille eñ inuiſibilis adeſt,& per Diuinam gratiã ſuã ibi operatur,& vtrunq; coniugẽ in vnã carnẽ connectit & colligat tali amore, talibusq; officijs,quibus quiſq; ſuã propriam carnẽ proſequitur. In hanc ſententiam loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 5. Viri,diligite vxores veſtras, &c. Et Sapiens Prouc. 19. Domus & diuitiæ dantur à parentibus,à Domino autem propriè vxor prudens. Pars bona, mulier bona: in parte bona

timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis, Eccleſ. 26.

Secundò intelligunt Chriſtiani, matrimonium ſemel contractum, deinceps planè indiuiduum eſſe, neq; vllo alio modo quàm ſola morte diſſolui poſſe: non eò duntaxat, quòd ſibi mutuò fidem dederint coniuges, ſed quòd matrimonium ſit Sacramentum. Non poſſunt, inquam, coniuges alia ratione, quàm per mortem ſeparari, non idcircò tãtùm, quòd ſuis ipſorum verbis & externis geſtibus: putà, in manus promittendo, ſe mutuò ſibi deuinxerint ac obligauerint, ſed quia Deus ipſos coniunxit & copulauit. Interna illa & inuiſibilis colligatio & copulatio, quam Deus operatur, multo firmior eſt & maioris momenti, quàm humana promiſſio: atque eam ipſam ob rem, quòd Deus eos coniunxit, nulla ex cauſa per homines dirimi poteſt ea coniunctio. Huc pertinent illa Scripturæ loca: Et erunt duo in carne vna, &c. Quos Deus coniunxit, &c. Propter hoc derelinquet homo patrem & matrem, &c.

Gene. 2. Matt. 19 Ephe. 5.

Tertiò Sacramentalis illa connexio, quæ Deo colligante fit in matrimonio, non tantùm efficit Matrimonium indiſſolubile, ità vt coniuges non niſi per mortem ſeiungi poſſint: verùm & hoc præſtat, vt neque vir, neque mulier vlli alij fidem coniugalem addicere poſſit, quandiù ſuperſtes eſt, cum quo prius matrimonium eſt initum. Siquidem coniugalis conſociatio non niſi inter duos cõſiſtere poteſt: ratio eſt, quia matrimonium eſt Sacramentum, hoc eſt, non tantùm eſt humana quædam externa promiſſio, verumetiam Diuina quædam interna confœderatio, per quam duo vna caro fiunt, ità vt neuter eorum deinceps proprij corporis poteſtatem habeat, ſed vnum iam ſint corpus. Hæc clariſſimis verbi diuini teſtimonijs confirmantur, inprimìs dum Chriſtus inquit: Erunt duo in carne vna. Deindè vbi Apoſtolus ad ſuos Corinthios ſcribens, Vir ait, corporis ſui poteſtatem non habet, ſed mulier: & mulier corporis ſui poteſtatem nõ habet, ſed vir. Et Rõ. 7. Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri.

Quemadmodùm igitur cum omni ratione, verbo & ordinatione Diuina pugnaret, ſi mulier cum muliere Matrimonium iniret: ità nõ minùs abſurdum fuerit, & Sacramento matrimonij inconueniens, contraque Dei verbum ac ordinationem, ſi vir vxorem iam habens, alterius fœminę maritus fieri velit. Ratio eſt, quia per Sacramentum matrimonij, cũ priore vxore factus eſt vna caro & vnum corpus, nec habet proprij corporis ſui poteſtatem, ſed mulier. Si itaque corpus ſuum alteri mulieri fide matrimonij obſtringere velit, oportebit etiam corpus prioris vxoris ad ſecundas illas nuptias obligare, perindè vt ſuum ipſius corpus. Nã ſecundùm internam illam vnionem & coniunctionem, eius corpus & vxoris corpus, verè vnum ſunt corpus, iuxta verbum Dei. Quàm ergò nõ poteſt mulier alterius mulieris vxor eſſe, tam nec vir iam vxorem habens, alterius vxoris maritus eſſe poteſt. Eſt enim cum priore vxore vnum corpus,

ciuſdemq;

eiuſdemq́; legi alligatus eſt, quoàd illa vixerit, ità vt corporis ſui poteſtatē non habeat, ſed vxor. Quocircà Anabaptiſtica matrimonia, nō matrimonia ſunt, ſed adulteria & manifeſtariæ præuaricationes Diuinæ ordinationis. Sed nunc alia porrò de Matrimonio dicamus.

Didiciſtis iam ex verbo Dei Auditores, quomodò & quamobrē matrimonium Chriſtianorum ſit Sacramentū, nimirùm quia coniuges nō per ſua duntaxat verba & ſuas proprias promiſſiones inuicèm copulātur, ſed quoniā Deus illic per gratiā ſuā præſtò eſt, ſuorumq́; fideliū verba confirmat, eosq́; coniungit, & ſua gratia efficit apud ipſos, quod ad ſtatū eorum conſeruandū eis vtile eſt & ſalutare. Nam hunc in modū Chriſtus de matrimonio loquitur: Quod Deus cōiunxit, &c. Nō dicit, Qui ſibi mutuam dedēre fidē: ſed, Quod Deus cōiunxit. Vndè liquidò cognoſci poteſt & debet, Deum matrimonij eſſe authorē & inſtitutorem, eiusq́; opus eſſe, coniuges in indiuiduā vitę ſocietatē copulare, quæ nō niſi per Deū & debeat & poſſit diſſolui. Hinc iā animaduertitis, quid Chriſtiani in matrimonio agnoſcant præ cęteris gētibus. Nam præter internam illā colligationem, nōrūt etiā Sacramētalem copulationē, quam Deus efficit inter coniuges: quæ ſanè longè plura præſtat, quàm noſtra quę fit per hoīes. Hæc interna & Sacramentalis connexio id facit, vt matrimoniū ſit indiſſolubile, & vt non niſi inter duos conſiſtere queat. Ex quo patet, cur Ethnicorū, Iudæorum & Hæreticorū matrimonia Diuinæ ordinationi repugnēt. Ethnici & Iudæi Sacramentū non agnoſcunt in matrimonio, Hæretici negāt. Hinc fit, vt licita ſint apud eos diuortia, nec peccatū exiſtiment plures ſimul habere vxores. Nam tametſi matrimonium à Deo inſtitutum, & Diuinam ordinationem agnoſcant, nihil tamen in eo perſpiciunt, quod polygamiam impediat, aut cur diuortium (præcipuè ſi ſubſit cauſa) non debeat iure eſſe licitum. Matt.19.

E contrario verò Chriſtianus, quoniam nouit Sacramentū eſſe Matrimonium, nouit etiam Sacramentū hoc nō niſi inter duos eſſe poſſe, & viuente vtroq;, nulla ex cauſa dirimi ac ſeiūgi poſſe. Apud Ethnicos fas erat marito, vxorem dimittere, & alteram ducere, etiam citra cauſam, adeò vt quandocunq; maritę fuiſſet collibitum, ſimul etiā eſſet conceſſum. Apud Iudęos quædam debuit ſubeſſe cauſa: ſed quælibet ſufficiebat dando libello repudij, ſi maritus aliquam fœditatē in vxore inueniſſet, ob quam alieno & aſpero in eam eſſet animo, Deut. 24.

Chriſtus verò docet, matrimoniū iuxta Dei ſanctionem, nullā pati diremptionem, ſed indiuiduum eſſe debere vſq; ad mortem: idq́; propterea, quòd Deus ſit ille, qui coniuges per gratiam ſuam intrinſecùs cōnectit & copulat, efficitq́; vt duo ſint vna caro & vnū corpus. Atq; idcircò Dei ordinatio citra peccatū violari nō poteſt: quiq́; per Diuinę gratiæ operationē, vnum corpus, vnaq́ue caro facti ſunt, diſiungi nequeunt, nec ſinè peccato corpora ſua alijs tradere poſſunt, cùm alterum alteri deuinctum ſit, quandiù

quandiù vtrunque eſt ſuperſtes. Hanc inſeparabilem coniugum vnionem Chriſtus euidentibus Scripturis ſuis teſtatur, docetq; ſecundùm Diuinam ordinationem matrimoniũ inter duos eſſe indiuiduum oportere vſq; ad extremum vitæ halitum. Non legiſtis, inquit, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminã fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet. Porrò quòd Moſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere: ad id hoc pacto Chriſtus reſpondet, nempe, non eò permiſſum eſſe diuortium, quòd iuſtum eſſet, ſed vt vitaretur maius malum: nihilominùs tamen diuortia Dei inſtituto planè aduerſari. Ad duritiam, inquit, cordis veſtri permiſit Moſes vobis dimittere vxores veſtras: ab initio aũt non fuit ſic. Sed inquis, Chriſtũ permiſiſſe viro ab vxore adultera ſecedere, eamq; repudiare. Reſpondeo: In Chriſti lege Euangelica marito, immò & vxori, permiſſum eſt, atq; adeò tenetur alter alterũ fornicationis cauſa dimittere. Nam tametſi alter alteri charitatis officia & bona om̃ia, tanquàm propriæ carni præſtare tenetur, huiuſmodi tamen obligatio ceſſat erga illum, qui fidem coniugalẽ violauerit: & minori cum peccato adulteram quis dimittit, quàm ſciens & prudens eã in ſua perfidia & adulterio teneat. Qui enim tenet adulterã, patronum ac defenſorem ſe facit eius turpitudinis, fitq; particeps peccati illius, quẽadmodùm ſcriptum eſt: Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui aũt
Prou. 18 tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens. Hoc diuortium Chriſtianis permiſſum eſt, neque alia vlla, quàm ſolius adulterij cauſa: & rectè quidem, nec tamen niſi quatenùs ad ſolam externam conſuetudinem & conuictũ attinet. Quoniam autem matrimonialis coniunctio externum eſt Sacramentum, Deo ſcilicet matrimonium copulante ac colligante, idcircò manet coniugij vinculum etiam inter illos, qui externa cohabitatione propter adulterium abinuicèm ſeparati ſunt, ità vt ratione coniugij ſui neque abinuicèm ſoluti ſint, nec poſſint cum altero contrahere, ſed manere ità eos oporteat, aut inuicèm reconciliari. Nam ſi cum altero velint inire matrimonium, non fuerit id ſanè coniugium, ſed adulterium, atq; ordinationis Dei præuaricatio, qui ex duobus fecit corpus vnum, & præceptum adiunxit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Huc pertinent illæ Chriſti ſẽtẽtiæ Matt. 5. Qui dimiſſã duxerit, adulterat, & Marc. 10. Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, &c. Hoc Dei præceptũ de indiuidua Matrimonij coniunctione, luculentis ac diſertis verbis Paulus Corinthijs ſuis annunciat: Ijs, inquit, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dñs, vxorem à viro nõ diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et Rom. 7. Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adulterã, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à

~~vir eius, liberata~~ eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.

Eccè ſic ſe habet matrimoniũ in lege Chriſti. Quo ad externam cohabitationẽ & conuictũ, permiſſa quidẽ eſt coniugibus diuiſio ac diſiunctio corporalis, nulla tñ alia de cauſa, quàm ſolius adulterij. At verò Sacramentum nihilo ſeciùs manet inter illos, qui adulterij cauſa ſeparati ſunt, ità vt alter alterius coniunx permaneat, quandiù vterq; vixerit, nec liceat alteri commiſceri. Aut eñ manere debebunt innupti, aut inuicèm reconciliari, ac ſibi vt priùs cõmorari. Dices: Ergò matrimoniũ moleſtꝰ & periculoſus eſt ſtatus in Eccleſia Chriſti, ſi maritus in has anguſtias redigitur, vt vel adulteram ad ſe recipere cogatur, aut omnẽ vitã ſinè vxore traducere: vtrobiquè diſcrimen eſt & calamitas. Cum adultera conuiuere, quàm durũ ſit & acerbum, nemo ignorat, & Scripturæ teſtantur. Sinè vxore eſſe, cui datum non eſt, non vacat magnis periculis, iuxta verbum Pauli: Melius eſt nubere quàm vri. Quocircà admodùm periculoſum eſt, quandoquidẽ in Chriſtianorum Matrimonijs non alia diuiſio, quàm quo ad mutuam cohabitationem duntaxat permiſſa eſt, manente interìm nihilominùs Sacramentali vinculo, vt alteri cõiungi nõ liceat. Reſpõſio: Concedo quidẽ periculoſum eſſe matrimonij ſtatũ, & iuxta conſiliũ Chriſti & Apoſtoli, longè melius foret hoĩ vxorem nõ tangere, & coniugij nexibus nõ implicari. Verùm quia non omnes capiunt verbũ iſtud, propterea qui non continere volunt, & vxorem ducere inſtituunt, conſideratis his periculis, in timore Domini matrimonium inibunt: Quoniamquidem mulier bona donum Dei eſt, ob oculos habendus ille eſt in contrahendis matrimonijs, & ſummoperè orandus, vt talem coniugẽ largiatur, apud quem hîc tam periculoſus adulterij caſus metuendus non ſit. Quin & coniuges eo diligentiùs ſtudebunt fidem coniugalem inuiolatam ſeruare, quandò ſciant ſe alteri, quoàd vixerint, coniungi non poſſe. Et ſi maximè propter adulterium quandoq; corporaliter diſiuncti ſint, fraterna tamen charitas hoc tam graue incommodũ nonnihil mitigare poteſt. Expendat eo caſu Chriſtianus, Deum poſt tot tamq; enormia peccata, ſemper tamen in gratiã nos recipere, noſtriq; miſereri paratum, & vt Chriſtus nos hortetur ſimilem in proximos declarare miſericordiam, atque vt minetur, ſi non ſimus miſericordes, neque Deum nobis miſericordem futurum: & niſi proximo dimittamus, nec Deum nobis peccata noſtra dimiſſurum. Homini igitur Chriſtiano graue non erit, vt quam adulteram eiecit, eam pœnitentem recipiat. Qui expellit adulteram, quod iuſtum & æquũ eſt, facit. Qui pœnitentem in gratiam recipit, facit quod dignum eſt homine Chriſtiano, & vt fraternam charitatem & Chriſtianam miſericordiam decet. Cur non ignoſcas, cui ignouit Deus? Cur non accipias pœnitentem, quam recipit Eccleſia?

1. Cor. 7

Matt. 18
Marc. 11.

CONCIO LXXX. HABITA

Dominica Inuocauit, Anno 1544.

Supe-

SVperioribus de Matrimonio concionibus, Auditores, identidem repetij & indicaui, vt & quamobrem Matrimonium rectè ac meritò Sacramentum credatur & ſentiatur, vt plenè faſtidium mouere poſſit vnius rei tam crebra iteratio. Verùm ego iſthuc citra rationem nõ feci. Prudentes & cordati facilè animaduertũt cauſas, quamobrem fecerimus, aut ad quid conducat, vt vulgus Chriſtianorum matrimonij Sacramẽtum probè intelligat. Videmus enim quid incommodi exiſtat apud illos, qui in matrimonio Sacramentum vel non nôrunt, vel etiam negãt, quomodò ſanctum connubium leuiſſimis diuortijs & impijs adulterinis coniugijs tam temerè ab illis contaminetur. Quæ fœditas indè exoritur, quòd Diuinam operationem & Sacramentalem virtutem in matrimonio non agnoſcunt, aut nõ credunt, aut ſanè nõ perpendunt. Si matrimoniũ eſſet humanũ opus, & nihil aliud quàm data fides mutua ac ſtipulatio coniugũ, minùs foret mirandũ, ſi quandoq; maritus & vxor ex cauſis dirimerentur, aut ſi maritus quiſpiam πολύγαμος ſecundam aut tertiam vxorem ad primam adſciſceret. Quod enim homines colligâſſent, etiam diſſoluere poſſent: & quod vni alicui mulieri quis promiſiſſet, idipſum & ſecũdæ ac tertiæ promittere poſſet. Sed ſic matrimoniũ eludant illi, qui nihil præter opus humanum in eo cognoſcunt aut credunt.

Cæterùm Chriſtianis myſterijs imbuti, ſciunt & credunt Dei operationem & Sacramentalem vim in matrimonio. Tametſi quidem externa coniugum ſponſio ad Matrimonium requiritur, quemadmodùm aquæ lauacrum in Baptiſmo neceſſarium eſt, agnoſcit tamẽ & intelligit fidelis, externam illam ſponſionem non eſſe præcipuam in Matrimonio, ſed illam potiùs colligationem, quam DEVS per gratiam ſuam inuiſibiliter operatur, verum legitimumque Matrimonium efficere: externam verò ſponſionem, ſignum duntaxat eſſe internæ connexionis, qua Deus coniuges inuicèm copulat: ſicut in Baptiſmo interna illa ablutio, quæ fit per gratiam Diuinam, præſtantiſſima potiſſimaque pars eſt Baptiſmi, & ſalutare efficit Sacramentum. Atque internum hoc vinculum & connexio id efficit in matrimonio, vt duo verè in vnũ corpus & vnã carnẽ cõpingãtur.

Hinc igitur intelligunt coniuges, non eſſe in ipſorum, immò nullius hominis poteſtate, coniugium ſemèl contractum dirimere, non propter mutuam coniugum ſponſionem: nam quod homines promittunt & connectunt, ab hominibus reſolui poſſet: ſed ob vinculum illud, quo Deus inuiſibili modo intrinſecùs colligat coniuges, cuius cauſa eſt & manet indiſſolubile matrimonium. Nam iuxta verbum Chriſti, Quos Deus coniunxit, homo ſeparare non poteſt. Ex hac quoquè Sacramẽtali virtute fit, vt maritus ad primam vxorem, aliam aſſumere nequeat, non propter fidẽ quam priori præſtitit: nam quod ei ſpopondit, itidèm & ſecundæ & tertiæ ſpondere poſſet: ſed propterea viuẽte prima vxore cũ altera matrimoniũ inire nequit, quòd per Diuinam operationem & Sacramentalẽ virtutem,

vna caro factus ſit cum priori vxore, iuxta verbum Dei, Erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Et corporis ſui poteſtate ſe abdicauit, quę per virtutẽ Sacramẽti in vxorem tranſlata eſt, iuxta illud Pauli: Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Gene.2. Matt. 19. 1.Cor.7.

Quamobrem maritus cùm corporis ſui poteſtatem non habeat, alteri illud tradere non poteſt: daret enim quod ſuum non eſſet, quodque priùs alteri dediſſet. Eiuſmodi verò iniquitas & iniuſtitia aduersùs Diuinam militaret ordinationem, certoq́; gehennam ac damnationem ſtipendij loco haberet. Hinc ergò matrimonium eſt Sacramentum, quòd Deus ipſe illud copulet, ipſe benedicat, ipſe per gratiam ſuam conſeruet. Deindè magnum eſt Sacramentum, quòd ſignum ſit arctiſſimę & ſanctiſſimę illius vnionis, qua Chriſtus Eccleſiam ſuam ſibi coniungit. Hæc igitur Chriſtianis coniugibus diligenter memoria retinenda ſunt, perpetuoq́; meminiſſe debẽt, ipſorum coniugium à Deo copulatum eſſe, idemque quandam ſignificationem & ſignum eſſe ſacerrimæ coniunctionis illius inter Chriſtum & Eccleſiam. Nunc porrò audiemus, quid cõſolationis & inſtructionis Chriſtiani coniuges hinc haurire queant.

Qui ſi hæc duo capita rectè intelligant & perpendant, nimirùm quòd ipſorum Matrimonium à Deo ſit coniunctum, & per Deum ipſum inter ipſos inſtitutum & conſtabilitum, quodque idem coniugium ſignũ quoddam ſit illius cõiunctionis inter Chriſtũ & Eccleſiam, poteſt id illis omnẽ tum conſolationem vtilem, tum neceſſariam inſtitutionem rectè & abundè ſuppeditare: & quantùm quidem neceſſitas poſtulat, ſatis nôrunt, quæcunq; coniuges Chriſtiani ad ſolatium & informationem nôſſe debent. Paucis tamen idipſum in ſimplicium gratiam declarabimus, quo pacto cõiuges conſolationem ſimul & inſtructionem hinc haurire queant. Et quidem de conſolatione priori loco dicẽdum eſt. Principiò fieri nequit, quin gaudium & conſolationem in Orthodoxorum animis pariat, quandò intelligunt ſtatũ ſuum Deo eſſe acceptum, adeoq́; ipſum Deum eius eſſe primum authorem & inſtitutorẽ, qui nec vllius mali eſt author, nec quicquã facit quod malum eſt. Huius autem certiſſima luculentiſſimaq́; extant teſtimonia in Scripturis, nempe Deum matrimonium inſtituiſſe. Non eſt bonum, inqt Deus, hoĩem eſſe ſolum &c. & adduxit Euam ad Adam. Pro.18. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino. Prou.19. Domus & diuitiæ dantur à parẽtibus, à Domino autem propriè vxor prudens. Eccl 26. Pars bona, mulier bona: in parte bona timẽtium Deum dabitur viro pro factis bonis. His ſententijs probatur, Deum ipſum eſſe matrimonij authorem, & coniuges coniungere: vndè certiores fiunt, ſtatum ipſorum Deo eſſe acceptum, & ſecuriori cõſcientia ſe in hoc ſtatu viuere poſſe. Habent prætereà Scripturæ teſtimonia, matrimonium etiam meritorium eſſe regni Dei. Saluabitur mulier, inquit Apoſtolus, per filiorum generationẽ, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatio- Gene.2.

ne cum ſobrietate. Deindè coniuges huiuſmodi conſolatione ſubnixi, fiduciā ſuam in Deum collocare poſſunt, Deum vtiquè in hoc ſtatu ipſos ſaluaturum, in quo ipſe nos collocauit. Quia enim hunc ſtatum inſtituit, proculdubiò etiam conſeruabit eum, & de neceſſarijs rebus, victu inquam & veſtimentis, coniugibus proſpiciet: neq; enim Deus curam illorum abijcit, quę ipſe facit, quēadmodùm ſcriptum eſt Sap. 11. Domine, nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid cōſtituiſti, aut feciſti: Quomodò autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatū non eſſet, cōſeruaretur? Quicquid ex Deo non eſt, in eo ſanè metuendum eſt, nè fideli ac pia DEI cura deſtitutum, diſſoluatur & peſſùm eat. Matrimonium tanquàm ſuum opus, ſua ope non deſtituet, ſi in timore ipſius cum fide ac fiducia ſeruetur. Si cui id cōſolationi eſſe poteſt, quod ſcriptum eſt:

1. Pet. 5. Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis: indè certè conſolationē accipere poſſunt cōiuges. Nam multa ſatìs extāt teſtimonia in Scripturis, ipſorū ſtatum bonum eſſe coram DEO,

Matt. 5. eumq; curā illi⁹ gerere. Quamobrē nè ſoliciti ſitis, q̄d edatis aut bibatis, &c.

Eodem modo de tribulatione illa dicere poſſumus, quā plerunquè ſecū trahit matrimoniū: ſiquidem profectò verum eſt in coniugio illud Pauli,

1. Cor. 7. Tribulationem tamen carnis habebūt huiuſmodi &c. Verùm hoc mitigat omnē fidelium tribulationem, quandò certi ſuut, Deum nondùm ipſorū eſſe oblítum. Nouit enim & videt Deus eorū afflictiones, qui fidelis eſt, & faciet prouentū vel exitum earū oportuno tempore, aut gratiā præſtabit, vt tribulationē patienter ferant. Et reuerà poteſt ille tēporarias moleſtias ſempiterna cōſolatione pēſare. Vbì porrò cōſcientia quempiā redarguit ac cōuincit, afflictionē ab irato DEO ꝓuenire, ibì vel leuis etiā afflictio ſupra modum eſt grauis. Vbì autē pacē habet cū DEO cōſcientia, crux om̄is fit leuis & tolerabilis.

Sap. 15. Iam porrò cōiuges illud Sapientis dictū cōſolabit: Scimus quoniā apud te ſumus cōputati. Huc nos vocâſti, exploratas habes noſtras miſerias, ex q̄bus opportuno tēpore facilè nos eripies: aut ſi hìc ad tēpus nos miſeriarum finis eſſe participes, vtiquè eo procliuiùs ſempiternę gloriæ ac lętitię facies conſortes.

Tertiò coniugum animi mutua charitate ſuccendūtur, quandò cogitāt DEVM matrimonij & cōiunctionis ipſorum eſſe authorem & auſpicē: tunc ſiquidem ſe inuicèm præ cęteris hoīb9 diligere, venerari ac ſuſpicere poſſunt: nam alter alterū non ęſtimat ſecundùm perſonā, ſed DEVM in ipſo conſiderat, cogitatq; pia mulier: Sit hic maritus meus. qualiſcunque volet, DEO tamen viſum eſt, illum mihi caput conſtituere: quocircà DEVM in ipſo diligam & ſuſpiciam, qui hunc mihi maritū deſtinauit. Itidèm & vir pius hoc pacto ſecum cogitat: Agè verò cur aliam magìs tibi cordi eſſe velis, magiſq; placere, cùm ex omnibus fœminis hęc ipſa tibi à DEO ſit ſelecta, & in ſociā data? An non DEI opus & voluntatem in ipſa diligam & venerabor?

Apud

Apud coniuges infideles prauis ex cauſis oritur amor, vt vel propter formam ſe mutuò diligant, vel propter diuitias, aut generis nobilitatem, aut quippiam eiuſmodi, ſe inuicèm magni æſtiment. Eiuſmodi amor venerem duntaxat aut priuatam vtilitatem reſpiciẽs, facilè euaneſcit. Nam ſicutì fragili & infirmo fundamento innititur, ità eodem nutãte aut ruente, corruet etiam amor: hoc eſt, ſi fortè morbus aut ægritudo formam auferat, aut alioqui aduerſi aliquid eueniat, frigeſcit amor, oboritur faſtidium, lis & contentio, adulterium aut diuortium. E diuerſo apud probos & pios coniuges eſt firmus, conſtans & perpetuus amor, quem nullus externus caſus labefactat: innititur enim timori & voluntati Diuinæ: & quia fideles & probi coniuges cogitant & credunt, ſe à Deo coniunctos, hinc propter Deum ſe mutuo amore & ſtudio proſequuntur. Dei authoritas id efficit, vt in oculis ſuis ſibi inuicèm videantur formoſiſſimi, opulentiſſimi & generoſiſſimi: nec mouentur quicquam, ſi fortè vel alteri, vel vtrique externus aliquis defectus aut calamitas accidat. Eiuſmodi ęſtimationem Apoſtoli paſsìm præclaris adhortationibus animis fidelium coniugum imprimere nituntur, Ephe. 5. 1. Pet. 5. Heb. 13. Hęc breuiter, quę aliâs copioſiùs.

Porrò hîc paucis etiam admonere viſum eſt, quid meritò meminiſſe debeant Chriſtiani, quandò ſciunt & credunt Matrimoniũ eſſe Sacramẽtum, ac Deum illud copulare, coniungere & benedicere. Iam enim DIUINŨ illud myſterium magna veneratione, ſtudio ac deuotione proſequentur: & quicquid ad matrimonium inſtituunt, ità agent & gerent, vt in eo verus Dei timor poſſit animaduerti. Credis ô Chriſtiane, Deũ eſſe, qui vnicuiq; ſuam vxorem adducat, quemadmodùm Scriptura habet, Adduxit eam ad Adam: &, Quod Deus coniunxit, &c? Credis mulierem bonam eſſe à DEO? Geneſ. 2.
Prou. 18. 19. Eccl. 26. quodq; ſalus & proſperitas in matrimonio, à ſolo DEO Marc. 10.
proficiſcatur? Vide ergò eo animo matrimonium ineas, ità ſerues, nè quicquam coneris, mediteris, proponas aut aucuperis, vndè Deus iurè tibi ſuccenſeat. Vxorem ducturus, non carnis voluptatem, non auaritiam, nõ ſuperbiam, ſed Dei timorem in conſilium adhibebis. Sine filios ſeculi paſſionibus deſiderij ductos ire in coniugium, & formam, diuitias ac ſtemmata ſpectare. Tu qui fidelium albo aſſcriptus es, quære vxorem in timore Dei, quæ ſit honeſta, proba, religioſa, Catholica & orthodoxa: ſicque tibi perſuadeas te ſeculi gazas vniuerſas in dotem accepiſſe, ſi probam & pudicam vxorem in timore Dei & iuxta voluntatem eius acceperis. Extant huius rei Sanctorum exempla, qui DEI timorem & morum integritatem potiùs, quàm diuitias, in contrahendis Matrimonijs reſpexêre. Erant potẽtia, genere & opibus inſignes inter Cananæos, inter quos habitabat Abraham. Verùm quòd eſſent idololatræ, noluit Abraham filio ſuo Iſaac vxorem ex filiabus Cana- Gene. 24.
næorum dare, ſed miſit ſeruum ſuum in Meſopotamiam, & curauit puellã indè adduci filio ſuo ex terra & cognatione ſua, qui Deum agnoſcebãt & timebant. Eodẽ modo fecit Iſaac filio ſuo Iacob. Vide Tob. 6. & 8. cap. Ioſeph

& Moſes, qui inter Ethnicos vxores ſibi adſciſcere cogebantur, non tamẽ ambiebant potentium & nobilium filias, tametſi in magna erant æſtimatione, ſed ſacerdotum filias accipiebãt propter morum probitatem. Et paſsim habemus exempla Sanctorum, in contrahendis nuptijs principiò fidem & religionem eſſe conſiderandam, nè famulus Dei cum famula Diaboli iungatur in Domino. Prohibent iura ciuilia, nè ſerui ſeruas alienas in Matrimonium ſeu contubernium accipiant. O mundi prudentiam, quàm callidè & exactè ſuis nouit inuigilare commodis: multò ergò minùs Dei ſerui, Chriſti fideles, cum Ethnicis, Iudæis, Hæreticis & Schiſmaticis Matrimonium inibunt. Explorata deindè religióe, probitas quoq; & morum inſtitutio eſt inquirenda, vt ſit educata, quàm proba, modeſta, pia, & morigera ſit. Hæc enim eſt voluntas Dei, vt coniugem ex moribus, non ex nobilitate, petamus & quæramus. Aduerſùm hæc toto impetu inſurgit mundus, & ambiuntur apud Chriſtianos Matrimonia tàm non Chriſtianè tam impiè, vt penè dicere cõpellar, multa apud Chriſtianos iniri coniugia, quæ Sacramenti ſanctitatem non magìs habeant, quàm Ethnicorum, quandoquidem nullus in ijs DEI timor conſpicitur, nulla Dei ratio haberi videtur.

Principiò, pro nihilo ducitur coniugis fides, & an Deum timeat, an erga Chriſtianam fidem & quicquid ei annexum eſt, deuota ſit. Deindè haud multùm de moribus & virtute inquiritur. Auaritia, faſtus & voluptas, ſunt prora & puppis in contrahendis Matrimonijs. Siquidem primùm quæritur, Quid habeat, Cuius ſit generis & familiæ, An pulchra & formoſa. Si tãdèm aliquis quęrere velit, an proba & religioſa & benè educata ſit, hic peregrinam & ſuperuacaneam quæſtionem attulerit. Ità nanque mundi more comparatum eſt, vt eiuſmodi inquiſitiones omnes faſtum & auaritiam redoleant, non aliter àc ſi equus aut domus quępiam ſit emẽda. Vtuntur hìc dicto quodam Germanico, alibì ſanè nunquàm mihi comperto, Der hat ein Frawen kaufft, id eſt, Hic mercatus eſt vxorẽ. Rectè ſanè ô impie & ſcelerate munde: ſicut facis, ità & loqueris. Procare tuum, nundinationi ſimilius eſt, quàm negocio Sacramentali aut operi DIUINO. Quandò igitur de pecunijs, facultatibus & ſupellectile, neutiquàm autem de probitate, fide, modeſtia ac Dei timore inquiritur, propriè nimirùm dicitur, vxorem mercari. Atquè hoc eſt Matrimonia & opera Dei temerare, ac ignominia afficere: nec mirum eſt, Deũ tot calamitates in eiuſmodi Matrimonia immittere, quæ planè contra inſtitutum & voluntatem, & citra omnem timorem & reuerentiã Dei cõtrahuntur. Eſt prætereà aliud quiddam: Quandò coniugiũ recèns cõtractum cohoneſtandũ eſt, ingens fit pompa & apparatus, omniaq; eo modo peraguntur, vt nihil minùs illic, quàm Sacramentum & actio DIUINA requirẽda ſit. Si habet DEUS quod hìc agat, ſi illius eſt opus, cur om̃ia ſunt Tartareo & ſatanico more tam Tragicè apparata & inſtructa, pſtrepẽtibus inſtrumẽtis muſicis, choreis, comeſſatióibus & ſimilibus? Non quòd hilaritatẽ & lætitiã dãnemus in nuptijs. Semper id obtinuit cõſuetudo, &

do, & Scriptura permiſit, vt ad nuptias cum quodam veſtium ornatu accedere, & ibidèm frontem exporrigere liceat, idq́; etiã hac de cauſa, vt ex externa illa lætitia intelligi poſſit, quantum gaudium & quis ornatus ſit in nuptijs Chriſti & Eccleſiæ, & quàm formoſi ac iucundi futuri ſint illi, qui ad cœnam nuptiarum agni Dei vẽturi ſunt. Ad hoc igitur internum gaudium ſignificandum, quantoperè vnaquęque anima ſit gauiſura, quandò iam in æternum Chriſto ſponſo ſuo coniungetur, externa quoquè in nuptijs gaudia adhibenda & declaranda ſunt. Verùm hæc ipſa cum timore Dei coniuncta eſſe debent.

Poſtremò, quæcunque de Matrimonio vtiliter ſcire & volumus & debemus, omnis amor, fides & obedientia, quam coniuges ſibi mutuò præſtare debent, ea omnia hoc ipſo compræhenſa ſunt, quòd Deus coniuges coniungit: quodq́ue ijdem ſuo amore, fide & concordia Chriſtum & Eccleſiam eius deſignant. Hoc coniuges attendere iubet Apoſtolus, vt indè diſcant perpẽdere, qualem alter alteri amorem, fidem & obedientiam exhibere teneatur. Epheſ. 5. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, &c. Quam fidem alter alteri debeat, hinc facilè animaduerti licet, quòd Chriſtus erga Eccleſiam ſuam adeò eſt zelotypus, vt non niſi vnam nôrit ſponſam, & Eccleſia vnum duntaxat maritum.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA EXPLICATIO SACRAMENTI ORDINIIS.

CONCIO LXXXI. HABITA

Dominica Reminiſcere, Anno 1544.

AB eo tempore, quo de Sacramentis docuimus, Auditores, ſępenumerò, neque id citra rationem, illum noſtræ fidei Chriſtianæ articulum concionibus noſtris inſeruimus, quo ſanctam Eccleſiam Catholicam credimus & confitemur. Hunc ſiquidem articulum ego, perindè vt Chriſtiani omnes, in Baptiſmo confeſſus ſum: atque ad hanc confeſſionem, Chriſtiani hominis characterem ſuſcepi. Hunc articulum parentes mei in pueritia me recitare docuerunt, eundemq́; à primis, quibus rationis compos fui, annis in congregationibus Chriſtianorum audiui & didici. Atq; vbi per gratiam Dei eouſquè progreſſus fui, vt & ipſe verbum Dei lectitare poſſem, re ipſa comperi hũc articulũ ex ſolidis Scripturarum fundamentis in fidei noſtrę Chriſtianę Symbolum vel Confeſſionẽ redactũ & receptũ: quandoquidẽ luculẽtę ſunt Chriſti ꝓmiſſiones, Eccleſiam ipſius in orbe terrarũ fore Catholicam & vniuerſalẽ, atq; ità Catholicam,

Matt. 28. vt indeſinenter vſq; ad conſummationem ſeculi in perpetuo progreſſu & ſucceſſione ſit duratura, atque in omnes fines terrarum propaganda, Gen. 12. Pſalm. 2. Matth. 8. Acto. 1.

Quoniam verò à DEO, non pro mea dignitate & eruditione, ſed ex ipſius gratia eò vocatus ſum, vt Eccleſiæ miniſter & eſſe & nũcupari debeam: quo pacto alium me prębere poſſum, quàm miniſtrum Catholicæ Chriſti Eccleſię? Qua frõte à fidei meæ profeſſione deſciſcam, & cõtra ſcripturam, aliam Eccleſiam credere aut recipere auſus ero, quàm Catholicam, in cuius confeſſione baptizatus ſum, quam ab infantia credidi, quæq; in ſcripturis fundata eſt, neq; aliam Scripturę nouerunt Eccleſiam, quàm Catholicam? Quinimmò mihi atq; ijs qui me audiunt, expedit, vt in hoc articulo perſiſtam, & credam vnam ſanctam Catholicam Eccleſiam. Hic enim articulus docet me, veram Chriſti Eccleſiam à factionibus & ſectis admodùm ſcitè & certò diſcernere & dignoſcere. Porrò vbi veram Chriſti Eccleſiã cognoſco, ea mihi indicat ſynceram Chriſtianæ doctrinæ veritatem. eſt enim ſi-
1. Tim. 3. nè dubiò, vt Paulus de ea teſtatur, columna & firmamentũ veritatis: & extra Chriſti Eccleſiam, Chriſti doctrina neutiquàm eſſe poteſt. Hoc velut Lydio lapide probantur & cognoſcunt quicunq; errores. Donatiſtę Chriſti eſſe Eccleſia non potuêre, nec eorum doctrina, Chriſti eſſe doctrina. Illorum enim dogmata in Aphrica duntaxat ferebantur: alię verò Chriſtiani orbis nationes eam, quam illi, fidem & doctrinam non habebant. Itaq; non erant illi Eccleſia Chriſti, quæ Catholica eſt, & de qua prædictum eſt, diffuſum iri eam in omnes orbis terrarum fines, Pſalm. 2. Acto. 1.

E diuerſo Arriani, tametſi eorum doctrina penè Chriſtianũ orbẽ vni-
Matt. 28. uerſum occupauit, non tamen fuerunt Eccleſia Chriſti, q̃a defuit ijs, quod Chriſtus Eccleſię ſuæ promiſerat, Eccè ego vobiſcum ſum om̃ibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Erat autem noua Arrij doctrina, & ante ipſum ſancti Patres, Apoſtoli, eorumq́; diſcipuli, eiuſmodi fidem & doctrinam non tenuerant. Atq; vt ſummatim ac certò rem expediamus, Spiritus Chriſti certus eſt & pfectus: & om̃is doctrina ex ſpiritu Dei promanãs, itidem certa eſt & perfecta: nec quicquã in ea deſideratur, quamobrẽ nõ debeat appellari Catholica. Ipſa hanc notam & hoc ſuî documentum ſecum adfert, quòd omni tempore & in omnibus Chriſtianæ ditionis locis viguerit. Hac nota deſtituuntur om̃es factiones & Sectæ, quæ quantumcunquè ſua dogmata comant & fucent, non tamen eò rem deducere poſſunt, vt doceant ac ꝓbent ſuam doctrinam eſſe Catholicam, hoc eſt, perpetuò & in omnibus Chriſtiani orbis finibus durâſſe. Quocircà nec poſſunt eſſe Chriſti Eccleſia: nam huic promiſſum eſt, ipſam omni tempore ſinè intermiſſione duraturam, & in omnes terræ fines propagandam.

Hæc ego iterùm, duntaxat cuiuſdam Apologiæ ac defenſionis loco dicere volui in hac tam monſtroſa & multiplici diuerſitate, quã hac tẽpeſtate ſeruari videmus in Sacramẽtis, vt alij nulla om̃inò, alij pauca admodùm Sa

cramen-

cramenta admittāt, & pauciora hodiè, q̄ ante aliquot annos. Si itaq; de Sacramentis non ꝑ vniuſcuiuſq; ſenſu & ſentētia docuero, vno hoc reſponſo me aduerſùs quaſuis nouationes tutatū volo: Sum miniſter Eccleſię Catholicæ: Doceo Sacramenta quæ Eccleſia Catholica à Deo accepit, ꝑpetuoq́; ſeruauit: & quia huiuſmodi doceo, quæ ſemꝑ omnibusq́; in locis orbis Chriſtianus ſenſit, credidit & docuit, certò ſcio me Chriſti doctrinā habere, ꝑmaneoq́; in ea Eccleſia, quę Catholica eſt. Qui odit animam ſuam, poteſt, deſerta Eccleſia Catholica, ad ſchiſmata & ſectas profugere. Porrò nos ſancta Sacramenta iuxta veterē, orthodoxam & Catholicam doctrinam ꝑgemus explicare. In tam multis cōcionibus, Auditores, quas de Sacramētis habuimus, id à me nominis illis tributū audîſtis, quòd ſint media quædam gratiæ Diuinæ, quandoquidem Sacramenta vtiquè nihil aliud ſunt, q̄ inſtrumenta & vaſa, per quæ Deus gratiam ſuam & Chriſti merita fidelibus impartitur: atque ità Eccleſiam Chriſti ſanguine redemptam fouet, confirmat & conſeruat vſque in finem. Nam vt communiter Sacramenta definiuntur, ſunt externa ſigna internæ gratiæ: quæ quidem Deus verbo ſuo reddit efficacia ad internam operatiōem exercendam, & ꝑ quæ ſalutem & gratiam à Deo conſequuntur illi, qui ea ipſa ſigna & media gratię Diuinæ in fide vſurpant. Hucuſquè ſanè audiuimus, vt Deus largiflua ſua chariſmata & beneficia tam munificè in nos effundat per ſua veneranda Sacramenta. Baptiſmus abſoluit nos à caſu & pręuaricatione Adę, efficit filios Dei & hæredes æternæ beatitudinis. Confirmatio munit & corroborat nos aduerſùs peccata & quaſlibet tentationes. Pœnitētia nos in gratiam cum Deo reſtituit, illisq́; peccatis exonerat, quę poſt Baptiſmū vel ex infirmitate, vel etiā ex malitia cōmiſimus. Auguſtiſſima ſaluberrimaq́; Euchariſtia nos Chriſto Dn̄o incorporat, & ſemel atque ſimul theſaûrum & fontem omnis gratiæ in nos effundit. Extrema Vnctio alleuat & mitigat imbecillitatem corporis & animi, & pręcipuè in extrema illa, eademq́; periculoſa mortis hora, idq́; per virtutem & gratiam Dei, qui in inſtitutis ſuis præſtò eſt cum gratia ſua iuxta verbū ſuum, eaq́; reddit efficacia ad ſalutem noſtram. Nunc alíus Sacramenti tractationem aggrediemur, atque indè Chriſtianam inſtitutionem ad noſtrî ædificationem audiemus.

Eſt autem ordo miniſtrorum Eccleſiæ, per quod Sacramentum Deus gratiam ſuam ſingulari quadam munificentia & fructu ſuæ Eccleſiæ communicat. Per hoc enim Sacramētum reliqua Sacramenta ad noſtram vtilitatem & ſalutem adducuntur, nobisq́; bono fiunt, quæ alioquì nihil prodeſſent, niſi Deus miniſterium Eccleſiaſticum inſtituiſſet, ac peculiaribus quibuſdam chariſmatîs cumulâſſet & confirmâſſet.

Sunt quidem Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, ſalutaria myſteria, inſtrumenta & vaſa Diuinæ gratiæ, in ſalutem illorū qui huiuſmodi myſteria in fide vſurpant. Cęterùm adſint oportet Epiſcopi, Sacerdotes & miniſtri Eccleſię, tanq̄ ſucceſſores Apoſtolorū, qui vt miniſtri

Chri-

Chriſti,& œconomi ac diſpẽſatores myſteriorum Dei, huiuſmodi Diuina myſteria nobis impartiantur, 1.Corint. 4. Sacramentorum em̃ fructus in vſu conſiſtit,& q illis nõ vtitur,nihil ex eis percipit. Si interrogeris, quæ ſit tuæ ſalutis cauſa,ſatis nôſti,ſalutem tibi per te non obtingere,ſed felicitatem & ſalutem ex verbi Dei auditu & Sacramentorum vſu tibi prouenire. Hæc enim ſunt duo media,per quæ Deus ſalutem noſtram ꝓcurat, verbum & Sacramenta,ſinè quibus medijs perperàm, ſtultè & inutiliter ſalutem & beatitudinem inquirimus. Iam verò quînam populus Chriſtianus verbo Dei ducetur ac dirigetur ſinè prædicante? Quomodò verò prædica-

Rom. 10. Eſa. 52. bunt,niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Pręterea quomodò paſcetur, enutrietur & conſeruabitur Eccleſia Dei, ſi in ea non ſint conſtituti œconomi ac Diuinorum myſteriorum diſpenſatores? Quandò ergò verbum & Sacramenta, media ſunt omnis ſalutis in Eccleſia Dei, neceſſum quoquè eſt certos eſſe miniſtros, qui verbum annuncient,& Sacramenta diſpẽſent. Porrò vt huiuſmodi Eccleſiaſticum miniſterium, quod in verbo Dei annunciando, Diuiniſq; myſterijs diſpenſandis, & ijs quæ his duobus annexa ſunt, conſiſtit, rectè vtiliterq; obeatur & peragatur, eò ſanè peculiaris quædam Dei gratia requiritur: neque enim eſt eiuſmodi opus, quod in humana duntaxat habilitate & induſtria ſitum ſit,& cui quilibet aptus ſit & idoneus: ſed principiò eò pertinet, vt ad hanc functionem vocetur & mittantur, quemadmodùm ſcriptum eſt Roman. 10. Eſa. 52. Hebræ. 5. Deindè vt q ad miniſterium Eccleſiaſticũ vocati miſſi ſunt, peculiaribus quibuſdam Dei donis & chariſmatis ſint inſtructi. Siquidem duo hæc, Electio & Ordinatio, efficiunt Eccleſię miniſtrum. Electio vocat & adducit eum ad mi-

Luc. 24. niſterium. Ordinatio inſtruit eum donis, induitq; virtute ex alto, vt commiſſa ſibi dona in populo rectè collocare, opuſque Dei in ijs efficaciter poſſit exequi ad illorum ſalutem. Hæc duo itaque ex ſolidis ſcripturarum fundamentis inueſtigabimus, quomodò & in quem finem circa Eccleſiæ miniſtros fieri debeant.

Et priori quidem loco de electione D. Paulus, immò & Spirituſſanctus in compluribus Scripturarum locis, electiõem miniſtrorum Eccleſię tanquàm naturalem, neceſſariam & ſubſtantialem eorum officij partem ducunt, ſinè qua ad functionem Eccleſiaſticam nemo idoneus eſſe poſſit. Siquidem nihil niſi ſchiſmata, diſſenſiones, euerſiones & exitia plurimarum animarum id efficere ſolet, cùm munia Eccleſiaſtica ſibi vendicare audent illi, qui legitimè ad ea vocati non ſunt. Atque hoc eſt quod ait Apoſtolus Hebræ. 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Et Roman. 10. Quomodò prædicabunt, niſi mittãtur? Quin & paſsìm in Scripturis Deus nullius rei crebriùs & acriùs incuſat Pſeudoprophetas, quàm quòd ſemetipſos ingerebant, currebant, & nõ mittebat eos: loquebantur & prophetabant, nec præceperat eis, Hieremię 14. 23. 27. Ezech

Ezech.13.Erit hoc quoquè illius deteſtabilis Antichriſti inſtitutum, vt ſeipſum in Cathedram collocet, ſeque exhibeat tanquàm in Chriſti nomine venientem, & nemo erit tamen, qui ipſum ad eiuſmodi functionem obeundam miſerit, elegerit, aut ordinârit. Itaque Eccleſiaſtici miniſterij principium à vocatione ſeu electione ſumendum eſt. Nemo ſanè Dei dona vtiliter collocare & expendere, populoque Dei benè præeſſe poteſt, niſi qui legitimo modo ad ea accedit. Olim huiuſmodi electio quandoquè immediatè fiebat à DEO, ſoluſque duntaxat Spirituſſanctus habebat ius & ſuffragium ſuos miniſtros eligendi. Sic vocatus eſt Moſes, ſic Hieremias: ſic in ſacroſanctę fidei noſtrę exordio vocati ſunt Apoſtoli per Chriſtum, cùm adhuc corpore verſaretur in terris. D. Paulus à CHRISTO electus è cęlis, poſtquàm Dominus iam ad cælos remigrâſſet. Et Actor.13. legimus vt miniſtrantibus Domino Apoſtolis & ieiunantibus, Spirituſſanctus illis dixerit: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Sic nonnunquàm electiones ſinè medio & ſinè opera humana diuinitùs factæ leguntur: verùm nouit DEVS, quandò & quem hoc pacto vocare debeat, foretque vehementer incertum & ambiguum, huiuſmodi electiones ſemper præſtolari velle. Quin & ſpiritus illi accuratè ſunt probandi, qui ſe à DEO miſſos iactitant, nec legitimè tamen ab hominibus vocati ſunt: huiuſmodi, inquam, ſpiritus probãdi ſunt, an ex DEO ſint: nec credendum eſt illorum dictis ſinè ſignis & documentis, ac manifeſtis Diuinæ virtutis & operationis indicijs, Exod.4. Actor.13. 1.Ioh.4.

In noſtro Chriſtianiſmo vel Eccleſia Chriſti, cùm iam prodigia & miracula ceſſaſſent, quæ naſcente primùm fide propter imbecillitatem adhibita erant, itidèm electio miniſtrorum Eccleſiaſticorum à Deo ad homines deuoluta eſt, vt reſpub. DEI ipſa ſibi miniſtros, prout res poſtulabat, vocaret & eligeret. Principiò hic modus obſeruabatur, atq; ità multis ſeculis deincèps obtinuit, vt miniſtri Eccleſiæ à toto fidelium cœtu eligerentur. Non quòd vulgus hanc poteſtatem haberet pro ſuo arbitratu Eccleſiæ ſuos miniſtros dandi & præſtituendi, ſed audiebantur teſtimonia populi, eiuſque ſuffragia etiam ea de cauſa recipiebantur, vt colliqueſceret, quem ad Epiſcopatum, Presbyterium, Diaconatum, & cætera munia aptum aut ineptum cenſerent. Nihilo ſeciùs tamen poſteà penès legitimum Eccleſię magiſtratũ authoritas erat cum ijs agendi, quos Reſpu. obtulerat. Atteſtatur hoc illa ſeptem Diaconorum electio Actor.6. Vbi primùm Apoſtoli multitudinem fidelium admonebant, vt cõſiderarent viros boni teſtimonij ſeptem, plenos Spirituſancto & ſapientia. Et eligebant ſeptem, eoſque ſtatuebant ante conſpectum Apoſtolorum, qui orantes impoſuerunt illis manus, eoſque confirmabant, quos multitudo credentium pręſentauerat. Concordat electio Ambroſij, Eradij apud Auguſtinum Epiſtola 110. Vide etiam Cyprianum lib.1. Epiſt.3.

Hæc conſuetudo longo tempore in Eccleſia permanſit, vt miniſtrorum

Eccleſiaſticorúm conſtitutio eſſet penès legitimum Magiſtratum, Tit. 1. Attamen & populi ſuffragia ac teſtimonia audiebantur de illis, qui munijs Eccleſiaſticis erant præficiendi. Poſteaquàm autem cœtus fidelium admodùm excreuerunt, & Chriſtianus ille zelus ac Dei timor in animis vulgi refrixit, atque è contrario inuidia, auaritia & ambitio apud Chriſtianos inualuerunt, atque ità popularis electio perniciosis artibus, ſeditióibus & ſumma perfidia fieret, electio ſoli Ordinario Magiſtratui commiſſa eſt, & vulgi ſuffragia intermiſſa. Nec equidem ſatìs perſpicio, quid hinc modò futurũ eſſet, quandoquidem mundus tam inſolenter affectus eſt, ſi parochi, concionatores & Epiſcopi omnium votis eſſent eligendi. Intereà tamen ſummoperè foret optandum, Magiſtratum in conſtituendis Eccleſiæ miniſtris debitam diligentiam adhibere, eaque ſolertia & vigilantia vti, quam Apoſtolus à ſuo Timotheo requirit, nè ſcilicet manuũ impoſitionem, hoc eſt, presbyterorum ordinatiõem tam leuiter & promiſcuè exerceret, nec ſinè examinatione ac certa cauſa vnumquenque ad Eccleſiaſtica miniſteria promoueret. Verùm ſi vlla in re pernicioſè dormitatur in ditione Chriſtiana, ſi vſpiàm eſt virus peſtilens, multorum animas perimens, & fidem Chriſtianam cõtaminans ac euertens, id planè eſt execrabilis illa magiſtratûs noſtri incuria in eligendis Eccleſiæ miniſtris. Hæc eſt illa à Deo damnata radix, ex qua noſtræ ſacroſanctæ religionis pernicies om̃is exoritur & excreſcit. Meritò ſanè Epiſcopi, Principes, & quicunque Eccleſiaſtica beneficia cõferre debent, id expenderent, quid ſint bona Eccleſiaſtica. Sunt nimirùm patrimonia Martyrum & donaria fidelium & deuotorum hominũ: quæ omnia eum in finem Eccleſijs donata ſunt, vt huiuſmodi bonorum ſubſidio miniſteria Eccleſiaſtica ad ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ quàm optimè procurentur. Collatores autem ſunt Eccleſiæ curatores, quorum officij eſt, curare vt Eccleſiæ proprijs ipſorum ſtipendijs eiuſmodi miniſtris prouideãtur, qui gregi Dominico benè & vtiliter præeſſe queant. At nunc Collatores tam iniquè & ſceleratè tractãt bona Eccleſiaſtica, quaſi alea & luſu ea ab Eccleſia lucrati ſint. Videas eorum ſtabula & culinas Eccleſiæ facultatibus inſtrui & procurari: de reditibus Eccleſiæ, venatoribus, piſcatoribus, adeoque omnibus qui in illorum ſunt miniſterio, ſua perſolui ſtipendia, atque intereà miſeræ ac deſolatæ Eccleſiæ per iniquos & infidos ipſius curatores de nullo, aut propemodùm de nullo, nec proprijs eius ſumptibus proſpicitur, qui poſſit aut velit ei inſeruire. Atque vt ſimpliciter, quod res eſt, dicam, Eccleſiæ bonis nemo frui poteſt hodiè, niſi beneficiorum Collatorem aliquo ſibi priùs officio demeruerit, aut alioqui per preces vel amicos ei commendatus ſit. An autem Eccleſiæ ſeruire poſſit aut velit, de eo verbum nullum. Vndè fit vt tam præclara ſimus familia, vt ſi quis vel numeroſum etiam gregem congreget eorum, qui Eccleſiæ miniſtri appellantur, admodùm tamen paucos inuenturus ſit, qui ſuo miniſterio Eccleſiæ commodare queant aut velint vt par eſſet. Siquidem ſupra modum

dum iam adaucta eſt illa calamitas, quam ſanctus ille pontifex Gregorius ſua tempeſtate deplorat: Eccè, inquit, mundus ſacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei rarus valdè inuenitur operarius: quia officium ſacerdotis omnes ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus.

CONCIO LXXXII. HABITA

Dominica Oculi, *Anno* 1544.

ADmonemur paſsim in ſcripturis diuinis, Auditores, vt in Eccleſia Chriſti ſobrij, vigilantes & ſoliciti ſimus, & ſinè intermiſſione vndiquè nobis caueamus ac proſpiciamus ab hoſte ſalutis noſtrę, qui vt ſacræ literæ teſtantur, Chriſti Eccleſiam circuit, perindè vt lupus famelicus, vel fur prædæ inhians, ouile circunluſtrat, atq; omnibus in locis & angulis pertentat, ſi quà irrepere, furari, latrocinari, iugulare & laniare queat. 1. Pet. 5. Apoc. 12. Vbi minis & aperta vi aduerſus Chriſti gregem nihil poteſt, iam dolis & occultis inſidijs rem aggreditur, & per fraudem & impoſturam ſeſe inſinuat, ità vt non omninò grex Dominicus ſaluus maneat & illæſus. Et nuſquàm ferè periculoſior eſt & pernicioſior, quàm dum pacem ſimulat, transformat ſe in angelum lucis, ſuasq́ue ſeductiones verbi Dei ac pietatis colore fucat. Eiuſmodi eſt hic diaboli dolus, qui iam olim communibus Eccleſiæ Dei querimonijs impetitur, quòd Tartareus ille ſatan in ipſis primis Eccleſię naſcentis initijs conatus eſt Eccleſiaſticarum functionum ordinem euertere, Sacerdotes ceu diſpēſatores myſteriorum Dei, ad quod peculiaribus donis à Deo inſtructi & vocati ſunt, profligare, eos in ordinem cogere, & laicos efficere: atque è diuerſo laicos in ſacerdotium & eius munia intrudere, idq́ue ſub hoc prætextu, quaſi ſacerdotiū omnibus Chriſtianis communē eſſe debeat, iuxta Scripturam 1. Pet. 2. Apocal. 1. Neque verò hîc illud ſibi ſtudio habet flagitioſiſſimus impoſtor, vt vnum hunc ſtatum & ordinem ex Eccleſia Chriſti ſubmoueat ac tollat: ſed hoc molítur, vt ſimulatquè ſacerdotium apud vulgus in contemptum adduxerit, conſequenter & ea omnia vilipendantur & negligantur, quæ per Sacerdotes ad populi ſalutem tractanda, adminiſtranda ac diſpenſanda ſunt: vt omnia Sacramenta, Conciones, Orationes & quicquid ad pietatem & cultum Diuinum pertinet, eo maiori contemptu apud vulgum laboret, ſi priùs Sacerdotium vilipendere ac nullo in precio habere didicerint.

Huic tam pernicioſo errori vt occurrerem, cœpi proxima cócione inſtructionem de Sacramento Ordinis ex verbo Dei proponere, & fateor quidem om̄es Chriſtianos eſſe ſacerdotes iuxta Scripturā 1. Pet. 2. Apoc. 1. verùm ſpiritaliter, vtì etiā omnes ſunt Reges: Nimirùm reges ſunt, vt vnuſquiſque ſuis affectibus dominetur, in eos imperium exerceat, & ſeipſum in obedientiam & ſeruitutem iuſtitiæ redigat: Sacerdotes, vt quilibet Chriſtianus laudes, hoſtias, gratiarum actiones, preces ex mundo corde Deo

offerat:immò & deſideria,affectus & voluntatem ſuam mactet, & Deo of-
Rom. 12. ferat ac permittat. Cęterùm quemadmodùm præter hos ſpirituales Reges,
externus nihilo minus eſt Magiſtratus in Eccleſia,ad quos externi regimi-
nis adminiſtratio pertinet,& quibus parére tenemur, Rom.13.1. Pet.2. ſic
præter ſpirituale illud Sacerdotium alij ſunt, qui peculiariter Sacerdotes,
Ephe.4. Epiſcopi, Diaconi & Paſtores vocantur,quibus diſpenſatio myſteriorum
Dei credita eſt,1.Cor.4.qui ad gubernandá Chriſti Eccleſiam quædam ſpe-
cialia acceperunt,de quibus loquitur Apoſtolus 1.Cor.12. Ad has functio-
nes non pertinent Chriſtiani omnes,nec quilibet ijs obeundis eſt idone-
us,neq; ſunt eiuſmodi munera,q̃ humana induſtria aut habilitate geri poſ-
ſint:ſed Deus efficit idoneos ſuorum chariſmatum miniſtros, & eius gra-
tiæ opus eſt in miniſterijs Eccleſiaſticis rectè & legitimè laborare. Ad hui-
uſmodi functionem Eccleſiaſticam duo potiſſimùm requiruntur, Electio
& Ordinatio: Electio,vt quis ad eam vocetur: Ordinatio, vt peculiaribus
chariſmatis ad eam obeundam inſtruatur. De electione proximè audiui-
Act.1. mus,vt Apoſtoli ex multis probatæ vitæ Chriſtianis Mathiam in Apoſto-
lum,atq; ex compluribus religioſis & ſpectatę pietatis viris,qui omnes ple
Act.6. ni eſſent Spirituſancto,ſanctum Stephanum vnà cum ſex alijs ad Diaco-
natum vocauerint & elegerint. Vndè id ſatis conſtat,non quemlibet poſſe
citra legitimam vocationem ſacerdotale munus ſibi vendicare:alioquì enim
& Mathias ſine electione Apoſtolus, & Stephanus itidem ſine electione
idoneus Diaconus fuiſſent,quandoquidem Chriſtiani erant & pietate in-
ſignes,atque adeò pleni Spirituſancto. Cæterùm non attento eo quòd eſ-
ſent Chriſtiani,per electionem ad Eccleſiaſticum miniſterium accerſiri &
admitti eos oportebat.

Nunc de Sacramento Ordinis latiorem ex ſcripturis inſtitutionem au-
diemus. Neq; hęc eiuſmodi eſt concio aut doctrina,de qua laici dicere poſ
ſint,Quid hæc ad nos pertinent? Illud ſanè vos monitos velim,cumprimìs
neceſſarium eſſe populo Chriſtiano,omnes diaboli verſutias & fraudes ca
uere,atque ſuis in cordibus præmunitos eſſe & ſcire, vtì de ſacerdotio iu-
xta Dei voluntatem & præceptum ſentire debeant.

Vnam nunc partem explicuimus,Auditores,nimirùm quid præter vul
garem Chriſtianum peculiare & ampliùs habere eum oporteat, qui mini-
ſterio Eccleſiaſtico vtiliter ac decenter perfuncturus ſit: nempe vt ad hoc
eligatur & vocetur,Hebr.5. Actor.16. Hier.14.23.27. Ezec.15. Reſtat iam,vt
alteram quoquè partem ex Scripturis & perpetuo totius orbis Chriſtiani
vſu diſcamus. Hæc eſt Ordinatio,qua is,qui ad munus Eccleſiaſticū electus
eſt, peculiaribus Dei chariſmatis ac donis ad illud inſtruitur & idoneus ef-
ficitur,induiturq; virtute ex alto. Nam ſacerdotalis functio in Eccleſia Chri
ſti non conſiſtit in humana induſtria, nec viribus humanis ſuſtineri po-
teſt. Quemadmodùm citra medium,ipſius Dei eſt opus,ità non niſi cæleſti
virtute & gratia Diuina neceſſum eſt adminiſtrari. Pręcipua & ſumma ope-
ra,

ra, quæ Chriſtus ſacerdotio ad ſalutem Eccleſiæ ſuæ demandauit & commendauit, hæc ſunt:

Primò, vt Euangelium, hoc eſt, prędicationem ſalutis per totũ terrarum orbem annuncient. Hoc mandatum inuenit apud Mat. 10. & 28. Luc. 10. Marc. 16. I.
Deindè, vt inter fideles veneranda Sacraméta & myſteria Dei diſpenſent. Vndè Paulus inquit: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorũ Dei, 1. Cor. 4. Et Chriſtus non tantùm pręcipit diſcipulis ſuis prędicare hominibus Euangeliũ, regnum Dei annunciare, artẽq; & ſcientiã ſalutis docere, verũ etiã baptizare, Mat. 28. Marc. 16. II.

Tertiò, Sacerdotum eſt, vt per ipſorum miniſteriũ in verbo & mãdato CHRISTI, panis & vinum in verum corpus & ſanguinem eius conuertatur, ad ſpiritalem fidelium alimoniam, quod CHRISTVS diſcipulis ſuis pręcepit, Matth. 26. Hoc facite in meĩ commemorationem. III.

Quartò, ad ſacerdotium ptinet et adminiſtratio circa peccata, itã vt CHRISTVS in miniſterio Eccleſiæ per ſacerdotes peccata hominum retinere & remittere, ligare & ſoluere, excommunicare & abſoluere velit. Iohan. 20. Quorũ remiſeritis peccata, &c. Mat. 16. & 18. Hæc omnia ſola humana induſtria geri neutiq̃ poſſunt, ſed requirunt hoĩem peculiaribus, Diuinis ac cæleſtibus chariſmatis ad ea exequenda inſtructum & expeditum. Quinimmò in huiuſmodi operibus homo nihil aliud quàm inſtrumẽtum eſſe poteſt. eſtq; ei in eiuſmodi rebus exercendis Spiritusſanctus tanquàm magiſter neceſſarius, qui miniſterio ſacerdotum adeſt, & Diuina gratia ac donis ſuis hæc omnia operatur & exequitur circa fideles. IIII.

Quoniam itaque hæc dona & chariſmata, Eccleſiæ miniſtris in ipſa ordinatione per manuum impoſitionem & preces Eccleſiæ conferũtur, ea cauſa Ordo inter Sacramenta connumeratur: & id meritò ſanè, cùm ſit ſignum externum & viſibile internæ & inuiſibilis gratiæ. Nam queadmodùm externa illa Baptiſmi ablutio per internam DEI gratiam alium hominem efficit, purum à peccatis, donatum Spirituſancto, perfuſum charitate, Rom. 5. itã manuum impoſitio ſiue Ordinatio aliũ efficit hominem per gratiam Diuinam, illiſq; donis eum inſtruit, quæ ad arduum illud Eccleſiaſticæ functionis opus neceſſaria ſunt propter ſalutem totius populi. Diuina autem chariſmata ac dona, quę per Ordinem miniſterijs Eccleſiaſticis conferuntur, hæc ſunt, quòd per huiuſmodi legitimam miniſtrorum inſtitutionem, Deus eos qui ordinantur, ad functiones ipſas aſſumit, & confirmat ad opera ſua, ratum & firmum habet, immò ipſe exequitur & facit intrinſecùs gratia & virtute ſua Diuina, quicquid illi extrinſecùs agũt legitimè & ex officij ſui pręſcripto. Quocircà Ordinatio ſiue manuum impoſitio ſignũ eſt externũ, quo Ordinatus iuxta CHRISTI promiſſionẽ certus efficitur, Deũ gratia ſua apud ipſum & p ipſum cõfirmare & peragere velle, quicquid eius functio ab ipſo poſtulauerit: queadmodùm in Baptiſmo certus factus ſum, Deũ me à peccatis emũdare, ac ſpiritum ſuum

ſanctum conferre,atque in regni ſui hæredem cooptare velle.

Porrò quòd per manuum impoſitionem iſtiuſmodi gratia ad ſacerdotium adminiſtrandum conferatur, luculenter admodùm & efficaciter atteſtatur Apoſtolus 1. Timot. 4. Noli negligere gratiam quę in te eſt,quæ data eſt tibi per Prophetiam,cum impoſitione manuum presbyterij. Et 2. Tim. 1. Admoneo te,vt reſuſcites gratiam Dei,quę in te eſt per impoſitionem manuum mearum. Huiuſmodi autem gratiam illi cōſequuntur, qui legitima ratione ad Eccleſiaſtica miniſteria ordinantur: ipſaq; Ordinatio & dicitur & eſt Sacramentum propter eiuſmodi diuinam operationem & gratiam. Neq; verò hęc eſt ratio perſonalis,quę propria ſit accipientis,ſed eſt Ordinis,ipſi miniſterio inſeruiens,illiſq; proficiens & commodás, erga quos poſtmodùm munus ſuū exercet, eademq; gratia operatur in multis,qui tamē propterea in ſeipſis neq; meliores,neq; deteriores fiunt,quēadmodùm & Iudas erat inter Apoſtolos, & gratia Dei operabatur in eius miniſterio,quandò vel baptizabat, vel docebat:aut ſicut virtus Dei etiam

Matth. 7. in illis operatur,q in extremo iudicio dicturi ſunt: Dn̄e Dn̄e,nónne in nomine tuo prophetauimus,& in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo virtutes multas fecimus? Atquì tametſi fuerint organa Dei in cōmodum & ſalutem aliorum,& ſpiritus Dei magnas virtutes in eorum mu

Ibid. nijs fecerit,nihilo ſeciùs audituri ſunt à Chriſto: Nūquā noui vos: Diſcedite à me omnes q operamini iniquitatem. Sic Iohannes Euangeliſta cap. 11. teſtatur, Spiritumſanctum per Caipham locutum, quia pontifex erat anni illius, quanuìs eius peccatum & ſumma iniquitas, quam in mundi ſeruatorem,innocentem filium Dei exercuit, nunquàm in æternum obliterari queat.

Hinc agnoſcitis,in Ordine,hoc eſt,legitima miniſtrorum Eccleſiaſticorum inſtitutione & ordinatione,gratiam ipſis conferri ad ſuæ functionis executionem, ſinè qua munus Eccleſiaſticum adminiſtrari non poſſet. Neq; eſt quiſquam idoneus ad huiuſcemodi officium exequendum, qui talibus donis nō inſtruitur, quātunuìs alioquì probitate & ſanctimonia ſit conſpicuus.

Adducamus iam Scripturæ teſtimonia, & præthereà primitiuę Eccleſiæ morem videamus, an etiam promiſcuè quilibet Chriſtiani ad Eccleſiaſtica miniſteria aſſumpti & admiſſi ſint, an verò quidam peculiariter ad hoc ordinati ſint & initiati. Teſtimonia de Apoſtolorum Chriſti ad miniſteria Eccleſiæ ordinatiōe ac inſtitutiōe peculiari,habemus abūdè multa in Euāgelio, ijſdemque verbis hodieque vtitur Eccleſia in ordinandis Eccleſiæ miniſtris. Pręcipuum teſtimonium eſt Iohan. 20. Chriſtus inſufflauit in Apoſtolos,dicens: Accipite Spiritumſanctum,&c. Aliud extat Matth. 28. Euntes docete oēs gētes,&c. Eccè ego vobiſcū ſum om̄ibus diebus vſq; ad conſummationē ſeculi. Et Mar. 16. Eūtes in mundū vniuerſum, prædicate Euāgeliū,&c. Itē Luc. 22. & 1. cor. 11. Hoc facite in meī cōmemorationē. &c.

San-

Sanctus ille Stephanus & ſex alij virtute & pietate præſtantes, quanuis pleni eſſent Spiritusſancto, nondùm tñ ad Diaconatum ſatis erãt apti, niſi priùs ad Apoſtolos adductis manus impoſitæ fuiſſent cum oratione, Act. 6. Sic Paulus ordinauit Timotheũ, Petrus Zachęum in Epiſcopũ, & alios duodecim in presbyteros. Clemens lib. 3. Irenęus libro 4. cap. 20. Origenes à duobus Epiſcopis presbyter ordinatus eſt, Alexãdro & Theoctiſto. Euſebius libro ſexto, cap. 6. Eccleſiaſticę Hiſtorię. Ambroſius cùm à populo in Epiſcopum poſtulatus eſſet, continuò intra proximum octiduum ſacerdos ordinatus eſt. Nuncupaturque hinc Ordinatio ſiue ſacer Ordo, quòd ad rerum ſacrarum adminiſtrationem inſtruat, quodque ſacerdotalis officij adminiſtratio peculiaribus chariſmatîs & haud vulgaribus myſterijs peragatur: vtpotè vbi homo extrinſecùs baptizat, & Deus expurgat intrinſecùs peccata: vbi homo exteriùs verbis hominũ peccata ſoluit aut ligat, & interiùs ligat aut ſoluit Deus virtute cæleſti. Quæ ſunt non parua vtiquè myſteria & efficaces operationes, quas Chriſtiani omnes ſcire & fateri debent. Nanque alioqui ſi huiuſmodi virtus Diuina in munere ſacerdotali non operaretur, iam loco baptiſmi, non niſi vulgare aquæ lauacrum accepiſſes, atque etiamnùm hæreres in peccatis tuis, nihilq; differres à Turca non baptizato. Iſthæc autem Ordinatio mox ab initio naſcentis Eccleſiæ (prout etiamnùm obſeruatur) facta eſt cum oleo conſecrato, quod non caret inſigni & ſalutari ſignificatione. Quod idcircò dicere viſum eſt, vt pij & ſynceri Chriſtiani à ſectarum cauillis & ſannis ſibi cauere diſcant, neque talem tamque vetuſtam Eccleſiæ conſuetudinẽ aſpernentur, cùm hęc vtiquè nemini obſit, ſed pios quoſque non mediocriter in pietate promouere queat. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1.

CONCIO LXXXIII. HABITA

Dominica Lætare, Anno 1544.

DVabus proximis concionibus, Auditores, de ſacerdotio diſſeruimus, tantumque de eo in medium attulimus, quantum cuilibet Chriſtiano de ſacerdotio vtiliter & neceſſariò cognoſcendum arbitratus ſum. Audiuimus illic, omnes quidem Chriſtianos eſſe ſacerdotes, ſed ſpiritualiter, quatenùs nimirùm quilibet laudes, gratiarum actiones, puras ſynceraſque preces, immò & ſeipſum Domino Deo quotidiè offerre debet. Attamen præter hoc ſpiritale ac commune omnibus ſacerdotium, aliud eſt externum in Eccleſia CHRISTI, quod in obeundis Eccleſiaſticis miniſterijs, in annunciando verbo DEI, in remittendis peccatis, tractandis diſpenſandiſque Sacramentis conſiſtit, idque totum in ſalutem ædificationem Eccleſiæ DEI & myſtici corporis CHRISTI. Quod haud quilibet Chriſtianus ſibi vendicare debet, ſed illi duntaxat, qui ad hoc vocantur, (Hebræor. 5. Hieremiæ 14. Ezech. 13.) & per Sacramen-

mentum Ordinis peculiaribus ad hoc Dei chariſmatîs ac donis inſtruuntur. Hæc omnia eo promptiùs & lubentiùs vobis pro concione explicui, vt ſacerdotio ſuus debitus honos & exiſtimatio in Eccleſia Dei permaneat ac tribuať, aduersùs inſidioſas illas nequiſſimi noſtræ ſalutis hoſtis technas & fraudes, qui in ſacerdotij excitádo contēptu ſanè longè aliud ſpectat, quàm fortaſsis multi exiſtiment. Huius tam atroces inſidiæ & pernicioſa molimina vt eludantur ac diſſipentur, ſacerdotij dignitas & authoritas ex ſcripturis Diuinis ſummo ſtudio docenda, aſſerenda, ac fortiter tuenda & vindicanda eſt: non ob ſacerdotes tantùm, ſed longè magis propter communem totius Reipub. Chriſtianæ vtilitatem. Contempto eñ ſacerdotio, putáſne in ſolos ſacerdotes eum contemptum redundare? Minimè verò. Si ſacerdotes nihil maioris incommodi perpeterentur, modò alioquì tales forent, quales eſſe deberēt, haud quicquam illis obfuerit contemptus, immò plurimùm illis vtilitatis conciliare poſſit. Verùm tua hîc agitur cauſa Chriſtiane frater: nam ſimulatquè ſacerdotium cœperis vilipēdere, mox etiam illa tibi vileſcent, quæ à ſacerdotio vel per ſacerdotum miniſterium in ſalutem tuam tibi ſumenda & percipienda ſunt. Mox, inquam, conciones, Sacramenta, & in vniuerſum omnes res Diuinę, quę in Eccleſia geruntur, ducentur pro nihilo: atq; hoc eſt, quod pertinax ille noſtræ ſalutis hoſtis machinatur & quærit.

Conatur te venerandis Sacramentis priuare, & gratiæ Diuinæ merita tibi ſubducere: itaque primò tibi inuiſum reddit miniſtrum, per cuius manus & officium huiuſmodi Diuinæ gratię media conſequi deberes. Vt autem ſuperiores hac de re conciones vtriq; parti, hoc eſt, tum Eccleſiæ miniſtris, tum populo Dei, magìs ex vſu eſſe queant, pluſq́; proficiant: ſingulis ego congruas proponam adhortationes, vt & Eccleſiæ miniſtri admoneantur, quo pacto cōmiſſa ſibi munia adminiſtrare: & populus, qua ratione Sacerdotum miniſterium ad ſuam ſalutem & ſempiternam vtilitatem cum deſiderio, deuotione & gratiarũ actione erga Deũ expetere & vſurpare debeat: atq; id paucis expediemus. Et priori quidē loco de ſacerdotibus.

De Sacerdotibus duplici ratione non incommodè poſſem dicerę: quãdoquidem & paſsim in Scripturis duplices admonitiones, et duplicia pręcepta Sacerdotibus propoſita comperimus. Siquidem quilibet Sacerdos duorum inſtàr eſt hominũ, & geminum illi officiũ præſtandũ eſt. Primò, eſt Chriſtianus, atq; idcircò Dei ſeruus. Secũdò, Sacerdos eſt, & eo nomine miniſter Eccleſię & populi Dei. Quatenùs Chriſtianus eſt, teneť vitam ex virtute & ſanctè traducere (quemadmodùm hoc renatos Dei filios decet) & diligēter obſeruare, quæ Deus illis præcepit, qui diuinas eius ꝓmiſſiones cōſequi cupiũt. Atq; vt cōpendiò dicã, Sacerdotes, quatenùs Chriſtiani ſunt, ſuę ipſorũ ſaluti inuigilare debent: quatenùs autem ſunt miniſtri & præpoſiti Eccleſiæ Dei, habent etiam animas populi Dei ſibi commendatas, & coguntur rationem pro animabus ſubditorum ſuorum reddere.

dere. Hac de cauſa permultæ, eæq́; feriæ, admonitiões & præcepta Scriptu- Hebr. 13.
ræ ad eos peculiariter pertinẽt, quomodò commiſſum ſibi officium fide- Ezech. 3.
liter, rectè & accuratè obire & exequi debeant. Loquimur autem inpręſen & 33.
tiarùm de officio, & non de vita illorum. Cõcio enĩ noſtra eſt de Sacramẽto Ordinis: & de Ordinatiõe Sacerdotũ in duobus Sermonibus ꝓ rei neceſſitate ſatis diximus. Quòd ſi de vita quoque Sacerdotũ dicere velimus, de inordinatione Sacerdotum vel mille Conciones fuerint inſumendæ, necdùm tamen pro rei neceſſitate omnes vitæ noſtræ defectus commemorauero. Cæterùm de vita eorum inpræſentiarùm ſilebimus. omnes enĩ conciones etiã ipſos attingunt, quemadmodùm & reliquos omnes Chriſtianos: & quicquid generatìm om̃ibus dicitur Chriſtianis, id quoquè reſpicit Sacerdotes. Porrò officium illis peculiariter demãdatum eſt, cui ſua propria eſt adhibenda admonitio: quanquàm Dei Eccleſię multo magìs curanda eſt illorum functio & miniſterium, quàm vita.

Atq; tametſi verum eſt, eiuſmodi hinc honorem Eccleſiæ Dei acceſſurum, qui etiam in Dei gloriam cederet, ſi in omnibus Chriſtianorum or- Tit. 2.
dinibus & ſtatibus ſobriè, iuſtè & piè viueretur, præſertim apud Sacerdo- 1. Pet. 5.
tes, qui ſunt lux mundi & ſal terræ, quiq́; ſe virtutũ omniũ exẽplar Reipu. Matth. 5.
Chriſtianæ præbere debent: attamen & aliud Sacerdotibus præter priũatam ipſorum integritatem curandum eſt. Neq; enĩ probos illos eſſe ſufficit, cùm & cerdoni ꝓbitas neceſſaria ſit, ſi ſaluus fieri velit: & licèt probus ſit, non tamen eam obtinet dignitatẽ in populo, quam miniſter Eccleſiæ: nec concedit, vt de reditibus & ꝓuentibus Eccleſiæ ſumptus faciat. Quocircà tu qui es ſacerdos, maiorem in curam incumbere debes, quàm vt tuam duntaxat vitam ſerues. Probitatem quidem ac vitam tuam tibi ſoli vindicare potes: munus autem & officium quod ſuſtines, eſt Eccleſię Dei, cui pati non debes vt quicquam deſit. Tua ipſius probitate & propriæ vitę integritate nondùm ꝓmereris, vt de prouentibus Eccleſię ſuſtẽteris: alioquì & omnibus probis mechanicis idonea vitę ſubſidia ab Eccleſia, abſq; illorum opera, tribuenda forent. Sacerdoti vel hoc ſolùm nomine, quòd Chriſtianus eſt, neceſſaria eſt probitas: honorem verò & ſtipendium ab Eccleſia pręſtandũ, exequendo munere ſuo promereri debet, teſte Apoſtolo 1. Tim. 5. Proindè ad Sacerdotes id propriè ptinet, vt hoc Ordinis Sacramẽtũ ſecũ ipſi accuratè perpendant: & quò per Ordinatiõem deſtinent & vocentur, cùm Deus dona & chariſmata ſua neutiquàm rideri ſuſtineat. Verum quidem eſt, ſplendida & præclara dona eum à Deo adipiſci, qui Sacerdotio initiat: certus enim eſt Deus in promiſſis ſuis, & efficax per gratiam ſuam in venerandis Sacramentis. Sed cogitãdum eſt Sacerdoti, vbi cumulantur & augentur dona, ibidèm & rationes creſcere donorum. Deus eſt, qui vos ad munia ſua chariſmatìs inſtruit: ſed & idem ille eſt, ô Sacerdotes, qui cum ſeruis ſuis ratiõem poſiturus eſt, & illis q ꝓbè ſeruiẽrint, vitã daturus eſt æternã: inertes aũt & pigros diuidet, partemq́; eorũ ponet cũ hypocri- Mat. 24.

tis,& ſempiterna eis ſupplicia cum omnibus damnatis pro mercede repen det. An neſcitis quis ſit ille Dominus, & qui ſerui, de quibus loquitur illa
Matt. 25. parabola Euangelica, Sicut homo peregrè proficiſcens, &c?

Lucrum ſeu vſura, quam DEUS à Sacerdotibus repoſcet, nihil aliud eſt, q̃ ſalus animarum, quæ ipſorum curę commiſſę ſunt, quemadmodùm inquit Dominus apud Ezechielem 33. Fili hominis, ſpeculatorẽ dedi te domui Iſraël: audiens ergò ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impiũ, Impie, morte morieris: non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinẽ autem eius de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium, vt à vijs ſuis conuertatur, non fuerit cõuerſus à via ſua: ipſe in iniquitate ſua morietur, porrò tu animam tuam liberâſti. Hęc eſt illa vſura, quã DEUS ab Eccleſię miniſtris expoſcit, vt eorum miniſterio q̃ plurimi à peccatis auertãtur, & ad felicitatem ꝑducantur. De hac vſura quoquè loqtur DEVS, vbi pręcipit Eſaię 58. Clama, nè ceſſes. quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorũ. Ad hãc vſuram D. Paulus ſuum exhortatur Timotheũ: Prædica verbũ, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.

Eiuſmodi futurę rationis admonet etiam D. Paulus Sacerdotes Act. 20. vt ſagaciter aduigilent, ac DOMINO gratam vſuram importent: Attendite, inquit, vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam DEI, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Et Heb. 13. Obedite prępoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enĩ peruigilant, quaſi rationẽ ꝓ animabus veſtris reddituri. Hęc porrò cura omnia illa includit, quę ad ſalutem Eccleſię Chriſti deſeruire poſſunt, quã ſanguine ſuo redemit. Et quiſquis in antiſtitem ſeu præpoſitum ordinatur, & ſacerdotium aſſumit, ad oẽm quoquè curã eiuſmodi ſe obligat, eaq́; omnia pręſtare tenet, quę gregi Dominico ad ſalutem animarum ſuarum neceſſaria eſſe queant. Tenetur quod infirmum eſt, conſolidare: quod ęgrotũ eſt, ſanare: quod confractũ eſt, alligare: quod abiectũ eſt, reducere: & quod periêrat, quęrere: Ezec.
Iohan. 21. 34. Om̃em hanc curam vnico verbo Dñs complexus eſt, mandans Petro, vt ſi amaret ipſum, paſceret oues eius. In quo Sacerdotum officium breuiter compręhenditur: Eſt enim & Sacerdotum, paſcere. Hæc autem paſtio id ſibi vult, vt veſtra incuria & culpa ô Sacerdotes, nullam Dominici gregis ouiculam perire patiamini, cuius tantum intereſt Chriſti Domini veſtri, vt hanc paſtionem ſui amoris argumentum reputare velit. Magnam certè veſtra in paſcendo ſedulitate gratiam inibitis: ſed & iram Dei & ſumma ſupplicia commerebimini, ſi incurioſè & infideliter vos geratis circa gregem Dei. Si quis mercenarius ouium paſtor ouem quampiam Domi-
1. Pet. 1. no ſuo perire ſinat, æſtimatione facta, pecuniam ouis loco refundere poteſt: vos autem alij eſtis paſtores, ouibus Chriſti paſcendis pręſtituti, quas
Acto. 20. ille ſanguine ſuo redemit. Harum ſi vnam perire patiamini, non alio pre-

tio, quàm ſanguine & proprijs animabus redemeritis: quod ſummo (quęſo) ſtudio proſpicite. Actō. 28.

Quocircà æquum eſt, vos ad tam arduum & difficile munus obeundum Diuino aliquo Sacramento præparari, diuiniſque chariſmatis inſtrui. Sanè non minùs neceſſarium eſt hoc Sacramentum, quàm aliud vllum in ditione Chriſtiana. Quemadmodùm enim ſinè gratia Diuina impoſſibile eſt ex peccatore fieri Chriſtianum, & aduersùs omnes ſatanæ tentationes Chriſtianum permanere: ità æquè impoſſibile eſt, curam officij ſacerdotalis ſinè auxilio & gratia Diuina ſuſtinere & obire. Sed videamus quàm temerè & horribiliter hoc Sacramentum ludibrio habeatur, quàm petulanter gratia Diuina in eo contaminetur & in cœnum deprimatur. Nolo autem hîc de moribus & vita ſacerdotum dicere: hæc enim eos priuatìm concernit, & coram DEO indè rationem reddere cogentur, quanuis ea ſua habeat vitia ſanè horrenda. Iuſſit Deus Moſi, vt Exod. 3. calceamenta de pedibus ſolueret, cùm locuturus eſſet cum eo, & conſtituturus eum in ducem populi ſui: nimirùm veteris vitæ prauos mores dediſcere, & nouam vitam amplecti æquum eſſet eos, qui dare ſe vellent Sacerdotio. Haud ſanè præclarum is præbet populo exemplum, qui in moribus & vita non melius aliquid & ſublimius habet, quàm infimi quique ex plebe: & Apoſtolus vitam irrepræhenſibilem in Eccleſię miniſtris ſpeciatìm requirit. Sed nunc de officio ſermo nobis eſt, & quæro ex quopiam ad Sacerdotium adſpirante: Quo animo ſacramentum Ordinis appetis? Vis quidem in Sacerdotem ordinari, & rectè facis: verùm nunquid perpẽdiſti, quid habeat in receſſu, quàm grauis curæ onus tuis humeris ſis impoſiturus? Suſcipis in te curam gregis Dominici, & obſtringis te ad illas animas cuſtodiendas, pro quibus CHRISTVS ſanguinem ſuum profudit. Itaque doctrina & ſacramentis eas paſcere cogéris, & ab omni ſpirituali incommodo ac damno tuéri. Expendiſtíne quàm fallax & inſidioſus ſit hoſtis? Quoniam non eſt tibi colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, &cæt. Epheſ. 6. Nunquid vires tuas ac teipſum probè examinâſti? num ſtudia tua ità inſtituiſti, vt tam egregio officio par eſſe queas? Nôſti quid ſcriptura à talibus requirat. Sed ais: Ego animarum curam habiturus non ſum. Hoc verò nouum & inſolens fuerit Sacerdotium. Quò igitur refers tuum ſacerdotium? Cuius vis eſſe ſucceſſor? An non ſucceſſorem Apoſtolorum profeſſurus es? Nullum vtiquè eſt aliud in Eccleſia Chriſti Sacerdotium, quàm quomodò Chriſtus illud in Apoſtolis inſtituit: quocircà aut Apoſtolorum eris ſucceſſor, aut ſacerdotis nomen tueri non poteris. Apoſtolorum autem mandatum, quod aliud eſt, quàm animarum cura, vt per eorum miniſterium non illi tantùm, ſed etiam Eccleſia & populus Dei ſeruetur? Neque vnquàm Eccleſia Sacerdotem vllum ordinauit, cui non animarum curam, tanquàm debitum & congruum officium, commendauerit.

Tit. 1. 1. Tim. 3.

1. Tim. 3. Tit. 1.

Prima itaq; miſeria & abominatio hæc eſt, quòd Sacramentum Ordinis Presbyterij affectare non verentur illi, qui animarum curæ ſuſcipiendæ neq; idonei ſunt, neq; animo & voluntate addicti. Dices, non omnes ab initio concionatos eſſe. Fateor equidem: immò nec expediret quidem, omnes Eccleſiæ miniſtros vnam eandemq; habere functionem: attamen cæteri omnes erant miniſtri Sacerdotum & Epiſcoporũ, eorumq; qui curandis animabus vacabant. Non omnes eodem in Eccleſia Chriſti officio fungebantur, ſed tamen vna & eadem erat omnium voluntas, & quilibet iuxta muneris ſui rationem in eum finem miniſtrabat, vt Deo non à presbyteris tantùm, ſed ab omni quoq; populo probè ſeruiretur. Exemplum familiæ. Itaque hoc generatìm in presbyterij ſtatu repræhenſioni obnoxium, quòd illi qui Parochi aut Paſtores non ſunt, animo ſunt ab animarum cura planè alieno, quaſi eos nõ concernat. Immò honorẽ ſimul & reditus Eccleſiæ ſibi vendicârunt, curam aũt paſtoralem ad externũ vſq; gradum reiecerunt, vt inter ſacerdotes non ſit quiſquam cõtemptior aut pauperior, quàm qui animarum curam ſuſcipiãt, quos iuſto ordine oportebat eſſe pręcipuos. Magis adhuc culpabiles ſunt illi, qui miniſterium Eccleſiaſticum ſubeunt, Sacerdotij, Diaconatûs, & Subdiaconatûs ordinẽ aſſumũt, & nihilò ſeciùs his ipſis quoq; officijs ſe ſubducunt, & nihil penitùs miniſterij præſtant, ſed tanquàm dñi Eccleſiaſticis reditibus viuere volunt. O Zach. 11. paſtor, ô idolum. De eiuſmodi metuendum eſt, eos Sacramentum Ordinis eo tantùm conſilio recipere, vt Redituum participes eſſe poſſint. Neq; verò hoc nomine excuſantur, quòd illuſtris, nobilis aut præclaræ ſint proſa-Gene. 14. piæ. Melchiſedec nec patrẽ, nec matrem habuit. Neq; hoc quoq: prætextu, Heb. 7. quòd ſtatuta eorum iſthuc permittant. Non placent tales Deo. Ipſi regna-Oſe. 8. uerũt, inqt apud Oſee, & nõ ex me: Principes extiterũt, & nõ cognoui, &c.

Verum quidẽ eſt, in ea te functione cõſtitutum, quæ honore digna eſt, & væ illi qui eam non honorat, cùm Deo authore ſit inſtituta: ſed & væ tibi, qui ſolùm de honore cogitas, illud negligis quo honor acquiritur. Audi quid Deus Hieremiæ, cùm in eum honoris gradũ illũ collocaret, in quo tu modò verſaris, præceperit: Conſtitui te hodiè ſuper gentes & ſuper re-Hier. 1. gna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Eccè ergò conſtitutus es in officio, in quo non dominum, ſed operarium te eſſe oportet: ligone verbi Dei, quod malum eſt euellere, & quod bonum eſt, plantare debebis.

CONCIO LXXXIIII. HABITA

Dominica Iudica, *Anno* 1544.

IN explicatione Sacramentorum, Auditores, tandèm ad Ordinem & miniſterium Eccleſiaſticũ deuenimus, quod velut inſtrumentũ quoddam ad omnia reliqua ſacramẽta deſeruit: fruſtrà eñ forent hęc ſacramẽta & media gratiæ diuinę in Eccleſia, ſi nõ miniſtri ac diſpẽſatores eſſent cõſtituti, qui eiuſmodi myſteria & gratię Diuinæ media, ꝑ cuiuſq; neceſſitate

tate & conditione populo erogare & diſpenſare poſſent, 1. Cor. 4. Quoniam autem omnia Sacramenta ad ſalutem fidelium, diuina virtute & gratia prædita ſunt, & præter externum illud opus, quod in Sacramentis hominis miniſterio efficitur, alia adhuc fit interna & efficax operatio, quæ naturam pariter & vires humanas exuperat: velut in baptiſmo præter aquę lauacrum, quod homo præſtare poteſt, quippiam intùs agitur per ſpiritum & gratiam Dei: eam ob rem, vtiquè neceſſum eſt, in erogandis ac diſpenſandis Sacramentis aliquid ſupra hominem eſſe. Qui vtilis ac frugi diuinorum myſteriorum diſpenſator eſſe deſiderat, is alijs donis inſtructus ſit oportet, quàm quæ naturæ beneficio habet. Neque enim Eccleſiaſtici miniſterij adminiſtratio in naturalibus operibus conſiſtit, ſed in cæleſti & diuina virtute.

Hanc ob cauſam Deus Eccleſiæ ſuæ ſacramentum quoddam ordinauit & inſtituit, quod Eccleſiæ miniſtros inſtruit, & idoneos reddit ad tam prę-clarum & excellens officium obeundum. Atq; hoc eſt ſacramẽtum Ordinis, vbi per impoſitionem manuũ Ordinatis perſonis gratia à Deo confertur, vt deinceps efficax ſit, ratumq́;, quicquid in Eccleſiaſtico miniſterio & Sacramentorũ diſpenſatione iuxta præceptum & inſtitutũ Dei geſſerint. Hæc porrò gratia Dei in Eccleſiæ miniſtris ad ſalutẽ verè credentium om̃i tempore æqualiter operatur, etiã per inæquales miniſtros: nonnunq̃ per probos, nonnũquàm etiã per improbos & malos, ſiquidẽ diuinorũ Sacramentorũ diſpenſatio, propriũ eſt & peculiare opus Spirituſſancti, qui ſemper virtutẽ ſuam exercet per miniſteriũ Ordinatorũ miniſtrorum: plerũq; tñ ità, vt inſtrumento ſanctitatẽ nõ conferat, per quod operatur. Quemadmodùm igitur gratia Spirituſſancti in illis efficax eſt, qui dęmones eijciũt, & miracula faciunt in nomine Ieſu, & tamen multos eorum Dominus in Matt. 7. iudicio non agnoſcet, ſed tanquàm operarios iniquitatis à ſe diſcedere iubebit in ignem æternum: ſic in ſacramẽto Ordinis Eccleſię miniſtri gratiã accipiunt ad efficacem ſui muneris executionẽ, quod in tractandis & diſpenſandis diuinis myſterijs cõſiſtit. Hæc aũt gratia miniſtrorũ propria nõ eſt, neq; pertinet ad ſanctificationẽ aut priuatam duntaxat vtilitatẽ ipſorũ, ſed ad ſalutẽ & commodum totius Eccleſiæ Dei. Illis tñ miniſtris, qui religiosè & pię viuunt, & demandatam ſibi prouinciam ſedulò adminiſtrant, prodeſt gratia collata nõ ſolùm ad efficacẽ officij ipſorum executionẽ, ſed etiam ad ſublimem in ſempiterno Dei regno beatitudinis gradũ obtinendum. Dan. 12. In reſurrectione fulgebunt docti quaſi ſplendor firmamẽti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et Chriſtus ſedulis fidelibusq; miniſtris pro laboribus ipſorum, gaudia regni ſui repẽdet, dicturus illis: Eugè ſerue bone & fidelis, quia ſuper pau- Matt. 25. ca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Et D. Petrus, 1. Pet. 5. paſtoribus loquens, Paſcite, inquit, qui in vobis eſt gregẽ Dei: & cùm apparuerit princeps paſtorũ, percipietis immarceſcibilẽ

gloriæ coronam. Hinc & Paulus 1. Timo. 3. de presbyteris & Diaconis, qui filijs ſuis benè præſint & ſuis domibus, ità loquitur: Qui enim benè miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirēt. Hæc de Sacramento Ordinis vobis ꝓponere viſum eſt, cuius inſtitutio fundata & teſtata eſt in ſcripturis, Mat. 26. 28. Mar. 16. Luc. 22. Iohā. 20. 1. Cor. 11. Act. 6. 1. Tim. 4. 2. Timot. 1.
Porrò vt huiuſmodi de Sacramento Ordinis inſtitutio & doctrina maiori cum fructu fieret, proxima concione Eccleſiæ miniſtros admonui, quomodò munia ſua adminiſtrare debeant. Nunc reliquum eſt, vt & populū Dei inſtruam, ſuiq́; officij admoneam, vtì miniſteriū Eccleſiaſticum ad ſuā ſalutem & perpetuam vtilitatem cum alacritate ac deſiderio, deuotaq́ue & prompta voluntate atq; erga Deum gratiarum actione inquirere, illo vti, idemq́; venerari debeant. Proximè vobis indicaui, quamobrem vos inſtruere & admonere velim, vt erga Sacerdotij functionem & perſonas ipſas eo præditas vos gerere debeatis: haud ſanè in gratiam illorum, ſed ad promouendam ſalutem & vtilitatem veſtram. Equidem cuperem hoſtis ſalutis noſtrę periculoſa exitialiaq́; molimina impedire & ſubuertere, qui plerū; vitia & ignauam, fœdam & flagitioſam Eccleſiæ miniſtrorum vitam populo ob oculos ſtatuit, eaq́ue omne miniſterium Eccleſiaſticum in contemptum & odium apud plebem adducit. Et principiò quidem animum tuum quodā afficit perſonæ faſtidio & abominatione, defectus & vitia illius tibi obtrudens, atq; hoc pacto adducto in contemptum miniſtro, deindè ad eorum quoq; deſpectum te impellit, quæ tibi apud Eccleſiæ miniſtros inquirenda, & ad ſalutem tuam vſurpanda forent. Haud ſufficit illi, quòd Sacerdotes aſpernaris: vbì ſimul ſacramenta omnia paruipendere & negligere cœperis, iam demùm voto potitus eſt ſuo.

Quocircà nè indignitas & malitia perſonarum vos à ſalute veſtra abducat, vt illa negligatis, quæ à ſacerdotali functione veſtrę ſaluti neceſſaria expetere debetis, accipite ſuccinctam parænefin, quomodò erga miniſtros ratione muneris ipſorum affecti eſſe debeatis, propter ſalutem veſtrā. Poſſem hìc vobis continuò Scripturas opponere, quibus populo præcipitur, vt præpoſitos Eccleſiæ venerentur, ijsq́; obediant, vt 1. Reg. 8. Heb. 13. Luc. 10. Verùm ego mâlim impręſentiarùm vos admonitionibus ducere, quàm præceptis adigere & vrgere: ſatiusq́; exiſtimo, rationes indicare, quamobrem æquū ſit, & vobis expediat, præpoſitos veſtros honorare, quàm legibus ad hoc compellere. Ex ijs quæ ſuprà docuimus, facilè cognouiſtis, & ità quoq; ſe rei habet veritas, dignitatē Sacerdotū aliorumq́; Eccleſiæ miniſtrorum, non à perſona ipſorum, ſed officij adminiſtratiōe pendére: neque æſtimabit eos, quatenùs homines ſunt, ſed tanquàm diſpenſatores myſteriorū Dei, atq; ità munus ipſum & dona Dei in illis venerabimini, quorum adminiſtratio illis in rem & vtilitatem veſtram commiſſa eſt. Tam autem prudenti & probo Chriſtiano vtiquè graue eſſe non debet, vt Chriſtum Dominum ſuum, eiusq́; dona, etiam in indigno miniſtro veneretur.

Neque

Neque illi ſemper optimi ſunt & probiſſimi, qui ciuilibus munijs à regibus & principibus præficiuntur: & tamen illis omnibus honorem & obedientiam præſtare teneris,propter officium quo funguntur,nõ habita ratione indignitatis & improbitatis eorum,1.Pet.2.Roma.13.Hominis igitur miniſtrum propter officium,immò ꝑpter Dñm,à quo muneri præfectus eſt,honorare & ſuſpicere potes:cur non ergò & Dei miniſtrum? Deindè iniquum non eſt,vt honorem ei exhibeas, qui animal ſimul & ſalutem ſuam pro te Deo obſtrinxit,Heb.13.Siqdem coram diſtricto Dei iudicio de vnoquoq; ſuo ſubdito examinari,& ità de cuiuſq; anima rationem reddere cogetur. Dicis: Nouit qd ſui ſit muneris, quo ſi legitimè functus fuerit,non tenetur illam meî cauſa rationem reddere,Ezech.3.& 33.

Cõcedo:Cęterùm quantis moleſtijs, curis & laboribus cõſtat legitima muneris eius adminiſtratio? Quotiès tuî cauſa vigilandum, ferẽdi labores & anguſtię,vt illa qualiſcunq; reuerentia,quam ipſi præſtas,tantarum moleſtiarum & curarum admodùm ſit exigua merces?Ac tametſi quidem ſuę conſcientię in adminiſtrando officio ſatisfacit, quàm crebrò tamen indè mœret,quòd fida eius diligentia & ſtudiũ indefeſſum dignos fructus non ſemper in populo proferat? Etiamſi pater non ceſſet admonere filium, ſi tamen perditè ſe gerat filius, grauiter contriſtatur pater, quanuìs idipſum ei in culpa poni nõ poſſit. Sic religioſo præpoſito extra dolorem eſſe non poteſt,ſi operam ſuam & ſtudiũ abſq; fructu abire cernat. Quinimmò pręclara eſt roſa,prępoſitum eſſe in Eccleſia Dei: ſed ex acutiſſimis ſpinis carpenda eſt. Aut enim temporarias habet moleſtias,curas & anguſtias,ſi munere ſuo rectè fungi velit:aut ęternam damnationem, ſi præbeat ſe negligẽtem. Nihil hìc fraudis ſubeſt:alterum ei eueniat oportet. Quamobrem om̃is honos,& om̃e ſtipẽdium temporariũ, admodùm vile, exiguũ & impar eſt Sacerdotio. Sed ais:Impij,leues & laſciui prępoſiti mores efficiunt, vt cogamur eũ cõtemnere. Reſpondeo: Ab initio iam diximus, prępoſitũ bifariàm cõſiderari poſſe, queãdmodùm & duplicia pręcepta eum reſpicientia,in ſcripturis cõperimus. Primò quidem quatenùs homo eſt & Chriſtianus,ſicut & alij:Altero modo,quatenùs illud habet peculiare,ꝙ eſt Eccleſię miniſter,& Diuinorũ myſteriorũ diſpẽſator. Si quatenùs homo eſt, facit id quod hoĩem Chriſtianũ nõ addeceat, nôſti qualẽ te erga ꝓximi tui peccata pręberе debeas,Mat.18.& 1.Cor.5.Gal.6. Admonere eum in omni charitate, inſtruere in ſpiritu lenitatis:aut,ſi nullã emendationẽ cõſpicias, vitare, nec peccatis eius communicare. Quatenùs verò miniſter eſt Dei, & myſteriorum eius diſpenſator, potes vitã & mores eius relinquere iudicio Dei,qui nouit rationẽ à ſeruis ſuis exigere,longè rectiùs q̃ tu,Rom.14. Nihilo minùs tamẽ officium in ipſo ſuſpicere & venerari potes, quod ad tuam ſalutem & vtilitatem gerit: hac in re nihil officiet tibi eius improbitas. Neq; eñ tua mẽs eſt,peccatorẽ ob illius vitia,ſed miniſtrũ Dei ꝑpter eius officium honore afficere. Itaque & à Deo præmium & gratiam relaturus

es,tanquàm is,qui Dei miniſtrum ſuſceperit & honorauerit, prout Chri-
Matt.10. ſtus inquit:Qui recipit Prophetam in nomine Prophetę,mercedem Prophetę accipiet.Quemadmodùm inopes & egenos, eosq; ignotos ſuſcipimus,illisq; benefacimus,quos non nouimus quales ſint:ſcimus autem acceptam eſſe Deo miſericordiam,atq; eam ob rem honoramus Deum liberalitate & beneuolentia etiam erga peregrinos & incognitos, medicos & pauperes: Sic & grata eſt Deo obedientia erga omnium Ordinum ſiue ſtatuum Eccleſiaſticorum præpoſitos,etiamſi quòd ad ipſorum vitā attinet, huiuſmodi honorem non promereantur,1.Timo.2.Rom.13.

Dicis hinc naſci inobedientiam,quia non faciant ipſi quę docent.Immò verò hæc inobedientia in illis exiſtit, qui alioquì pigri ſunt & ignaui, ſuamq; ſalutem & felicitatem in alterius gratiam negligere volunt.

De concionibus & annunciatione verbi DEI ſublimiùs exiſtimare debes,mi frater.Non tuus prępoſitus te docet & inſtruit ad conſequendam
Matth.5. felicitatem:ſed ille DEI verbum & mandatum annunciat, cuius eſt inſtrumentum.Eiuſmodi mandatum non minùs tibi q̄ illi faciēdum incumbit. Qui verbo Dei non paruerit,pœnas luet,ſiue tu,ſiue ille.Nec vlla ex parte inobedientia cuiuſquam excuſabitur,quòd culpę ſocium habeat:& dicere poſſit,Nec ille ſeruauit.Remuneraturus ſiquidem tibi eſt DEVS,quicqd benè & rectè ex verbi eius præſcripto feceris:illud autē minimè,quod alius quiſpiā neglexerit,aut perperàm egerit. Quocircà in id intētus ſis, vt verbum Dei obedientia proſequaris,quicunq; demùm illud tibi annunciet: neq; enī virtus & efficacia verbi Dei,ſita eſt in perſona. Si Petrus, Paulus, aut angelus è cælo ſuum ipſorum verbum annunciarent, & non ex Deo, vana eſſet eorum pręedicatio,& citra diſpendium poſſet cōtemni. Sin autem Deus per Iudam prædicaret,aut per brutum aliquod animal loqueretur,iſtud ipſum DEI verbum virtus eſt in ſalutem illis qui crediderint,&per
Ro.1. obedientiam conciliat ſalutem ſempiternam. Vbi doctrina Chriſtiana purè & veraciter docetur,ibì & ſalus eſt coniuncta, qualiſcunque demùm ſit docentis perſona.Si quis autem doctrinæ Chriſtianæ veritatem peruertere,& à vera ſalute impedire te velit, hūc deuita, etiamſi vel angelus fuerit.

Inquis:Vtcunq; ſe res habeat,ſi tamē conſideremus Scripturam, quid ea ab Eccleſiæ miniſtris repoſcat,quales eſſe debeāt, nō poteſt turpis & irreligioſa illorum vita defendi.Itidèm & ego pronuncio:nulla ratione poteſt excuſari,& experientur id illi certè in die illo,quo Dominus iudicatu-
2.Co.5. rus eſt viuos & mortuos,vt referat vnuſquiſq; propria corporis,prout geſſit,ſiue bonum,ſiue malum. Illud autem interim dixerim, te q. es ex Chriſtiana plebe,rectiùs facturum,ſi in tuam ipſius vitam oculos tuos conuertas,& teipſum iudices.Conſidera quid tibi præceptum ſit, & quid à te exi-
Roma.6. gat Scriptura. An non omnibus Chriſtianis dictum eſt, Qui mortui ſumus peccato,quomodò adhuc viuemus in illo?&c.Et paulò pòſt: Nō ergò re-
Col.3. gnet peccatum in veſtro mortali corpore,&c.Et iterùm:Mortificate ergò mem-

membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, &c. Et rurſus: Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Et iterum: Sobriè, iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, &c. Itaq; ſi horũ ipſe nihil prętermiſeris, eo minùs id tibi vitio dari poſſit, ſi alterius vitam velis redarguere. Verùm quia & in te vltra modũ multa ex his deſiderantur, eſt ꝙ metuas illam parabolam Euangelicam: Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, &c. Aut etiamſi ꝓbior & melior ſis præpoſito tuo, tamen vel hoc nomine nullius precij eris, ſi teipſum alio probiorem exiſtimes, Luc. 18. Hæc ego profectò nõ in gratiam Eccleſiaſticorum, ſed veſtrę ſalutis cauſa dixerim. Principiò, ꝙ vetitum ſit Chriſtianis, nè alter alterum iudicet: immò quòd Deus illos ob peccata eorum grauiter accepturus ſit, & ſinè miſericordia iudicaturus, qui ſeipſos tam exactos & ſeueros alienorum vitiorũ cenſores & iudices conſtituunt, ſuĩpſorum interìm obliti. Chriſtianos id decet, vt opus ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantùm gloriã habeat, & non in altero. Quo pacto autem ſe in aliorum vitijs gerere debeat, ibidèm quoquè pręclarè docetur: Si quis præoccupatus fuerit, &c. Præcipuè verò nec iudicandi, nec obtrectationibus lædendi ſunt illi, qui in Magiſtratu & ſublimitate ſunt conſtituti. 1. Theſ. 5. Tit. 2. Matt. 7. Galat. 6.

Deindè etiam idcircò hæc dicere viſum eſt, vt ſi omninò in præpoſitis veſtris ipſam perſonã nec amare, nec ſuſpicere & venerari poſſitis, vel earum duntaxat rerũ cauſa, eos honoretis, quæ vobis ex illorum officio percipiendæ ſunt & vtendæ. Nemo tam eſt vecors & inſipiens, qui corporali aliqua infirmitate laborans, aut vulneribus ſaucius, ideo medicum exhorreat, quòd & ipſe medicus quandoquè morbo laboret, ac vulneretur. Modò artem calleat Chirurgicam, & vulneribus tuis mederi nôrit, iure profectò id te ſolicitum non habet, an quandoquè & ipſe ſaucietur. Apud Eccleſiæ miniſtros inuenitis, quo iuuari poteſtis: auditis ex ore eorum pręcepta Dei, quorum authoritas non eo minor apud vos eſſe debebit, quòd miniſter ex omni parte illud non obſeruet. Inuenitis apud illos diſpẽſationem Sacramentorum, quę nequaquàm ſunt miniſtrorum: nõ illis donata ſunt, ſed communiter vniuerſæ Dei Eccleſię, pro cuiuſq; indè tuenda & obtinenda ſalute: Miniſtri verò, diſpenſatores duntaxat ſunt horum Diuinorum myſteriorum, quorum virtus non ab homine, ſed à ſolo Deo promãnat. Quamobrem efficacia eorum neq; minuitur per improbum diſpenſatorem, neque augetur per bonũ. Deus eſt qui omni ex parte Sacramenta ſua confirmat & reddit efficacia: proindè & ſemper æquè conferunt ad ſalutem illorum, qui in fide rectè ac dignè ea percipiunt. Hæc eò dicta ſint, nè quis propter contemptum Miniſtrorum, etiam ſalutis ſuæ inſtrumenta negligat, nempe Sacramenta, &c.

FINIS.

AVTHOR IPSISSIMVS LECTORI.

QVid pietas & priſca fides mea funera plangis
Ecquid uana capis gaudia ſchiſmatice?
Non eſt iuſta ſatis queruli tibi cauſa doloris,
Et tuus hic riſus nil rationis habet.
Parca quidem terris abduxit inutile corpus,
Condens exili uiſcera ſarcophago.
Mens ſecura uiget, uolitatq; per alta perennis
Aethera, nec mortis dira capiſtra ſubit.
Fallimur? ecce nouo Chriſtum ſermone docebo,
Et Latio cunctis gentibus ore loquar.
Nec te priſca fides unquàm ceſſabo tueri,
Donec in his ſcriptis uita ſuperſtes erit.
Nec tibi ſchiſmatico fugiens mea terga relinquam,
Donec non ceſſat litera muta loqui.

Erratulorum in folijs initialibus Catechiſmi huius admiſſorum, breuis aſsignatio.

In hac poſt indicationem folij, ſuperficiei & lineæ, ſequitur aut breuiſſimè innuitur vera lectio.

Fol. a ✶ 2, facie 1, linea 20, ſupplicatum fuit, vt
Ibidèm, facie 2, linea 1, menſi, ac
Fol. b ✶ 1, facie 2, linea 30, cognoſceret. Plinius vt Veſuuij montis conflagrationem videret, manifeſto mortis periculo ſe ſubiecit, & perijt. Quin
Fol. b ✶ 2, facie 1, linea 12, exaduersò eruditionis præſidio potiſsimùm munitur pietas augeturq;.
Ibid. facie 2, linea 30, ahenens, licèt.

Reliquum nihil eſt, cuius hoc loco monendus ſis lector beneuole, niſi ut trium illorum Ternionum, h h, i i, k k, ſeorsim habeatur ratio. nam hi tres, nobis anguſtia temporis circũuentis, aliena cura foris elaborati ſunt.

DE SANCTISSIMO AC PRAESTANTISSIMO

MISSAE SACRIFICIO CONCIONES XV. IN COMITIIS AVGVSTANIS ANNO M. D. XLVIII.

HABITAE PER REVERENDVM IN CHRISTO PATREM ac D. D. Michaëlem Epiſcopum Sidonieñ. & Suffraganeum Moguntineñ. nunc demùm ex Germanico idiomate redditæ Latinè per F. Laurentium Surium, Carthuſiæ Colonienſis ex profeſſo monachum.

Acceſſit eiuſdem Concio de ſacroſancta Euchariſtia, habita Auguſtæ. ipſo die Dominicæ Cœnæ, Anno 1548.

Cum Indice Argumentorum in ſingulas Conciones.

I. IOANNIS 2.

IESVS CHRISTVS PROPITIATIO EST PRO PECCATIS NOSTRIS: NON PRO NOSTRIS AVTEM TANTVM, SED ET TOTIVS MVNDI.



COLONIAE

Apud hæredes Iohannis Quentel, & Geruuinum Caleniũ, anno 1562.

Cum gratia & priuilegio FERDINANDI *Cæſaris Auguſti in decennium.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, EIDEMQVE AMPLISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. ROBERTO A BERGIS EPISCOPO LEODIEN. DVCI Bulloneñ, ac Comiti Loſſeñ, Domino ac Patrono ſuo longè colendiſsimo.

NON ità pridèm tuæ Celſitudini, antiſtes Celeberrime, & Princeps clariſſime, librum dedicaui doctiſſimi viri D. Friderici Staphyli, mea qualicunq; opera Latinitate donatum: quod munuſculum licèt per ſe vile & exiguum, quòd quidem ad meam verſionem attinet, quàm gratum fuerit T. C. haud obſcurè ſignificârunt literæ C. T. ad venerabilem virum D. Nicolaum Eſchium datæ, quas ego quoquè legi. Itaque fretus humanitate tua, Ampliſſime Præſul, iam alterum quoquè offero munus literarium, paruum illud quidem, ſi chartas & folia ſpectes, ſed auguſtum ſanè, & tanto Pontifice, vt equidem mihi perſuadeo, non planè indignum, ſi argumentum & res ipſa propiùs inſpiciatur. Sunt enim Conciões de Sacroſancta Miſſa, ante aliquot annos in frequentiſſimo principum Conuentu habitæ Auguſtæ à ſpectatiſſimo ac doctiſſimo viro D. Michaële tum temporis Moguntino ſuffraganeo, at poſteà Merſpurgenſi Epiſcopo: quæ quidem tam gratæ fuêre id temporis ſereniſſimo Romanorum Regi, nunc verò Imperatori electo Ferdinando ſemper Auguſto, vt eum compulerit conciones illas typis excuſas omnibus legendas communicare. Agunt enim de Miſſa ſanctiſſima, eamq́; contra impios noſtræ ætatis Antichriſti ſatellites Miſoliturgos ac Miſſæmaſtiges egregiè & accuratè tuentur, abſque tamen mordacitate & conuiciandi libidine, qua ſcatent ſcripta pleraque omnia modeſtiſſimorum Euangelicorum noſtrorum. Rem ipſam, vt eſt, luculenter proponit ob oculos, explicat omnia, argumenta partis aduerſæ diſſoluit dexterrimè, deniquè paſſim quid ex hoc auguſtiſſimo Sacro ſinguli quiq; ſibi & poſſint & debeant haurire ſalutis, tum temporariæ, tum æternæ, docet haud vulgariter. Nec eſt dubium, quin aduerſarij, infauſtum hoĩm genus, cùm iſta legunt, cogantur fateri omnia cum verbo Dei, cum totius orbis Chriſtiani perpetuo iam indè ab Apoſtolis ſenſu & conſenſu pulcherrimè conuenire: nihil hîc nouum fingi: ab Apoſtolis & eorũ diſcipulis accepta, et velut per manus alijs ab alijs tradita ad nos vſq; perducta, ſanctiſſimorum quoq; patrum ſcriptis confirmata, & toto orbe ſemper obſeruata eſſe oĩa: nec quicquã hîc haberi, quod impugnare meritò poſſint. Quid eſt igitur, dicet aliquis, quòd nihil ferè atrociùs, nihil maiori contentione oppugnant, atquè hoc ipſum Miſſæ ſacrũ? Quid eſt, niſi quòd res ipſa loquitur, abſque vlla dubitatione eos plenos malo dæmone rem tam diuinam, tam Deo gratam, tam Eccleſiæ ſalutarẽ, tam diabolo & angelis eius inuiſam ferre nulla ratione poſſe? Niſi enim iſti miſeri & perditi in ſatanæ ius et poteſtatem toti conceſſiſſent, immò, dicam quod ſentio, niſi planè in cacodæmones horrenda metamorphoſi mutati eſſent, nõ poſſent ſinè magno horrore vel cogitare tenuiter, quæ

iam incredibili inſania & impietate dicunt et ſcribunt contra Miſſam: et niſi hæc deplorata et nimiùm calamitoſa tempora prohiberent, eorum impudens et blaſphemum os non verbis, ſed verberibus, nõ argumentis, ſed flammis iampridèm oppreſſum oportuit. Non poſſunt ferre iuge Eccleſiæ ſacrificium, quod in Miſſa litatur: et cùm nihil ſit in Eccleſia ſanctius, nihil Deo gratius, iſti, proh nefas, idololatriam vocãt cultum Dei, qui in Miſſa peragitur. Nimirùm torquetur in iſtis diabolus, qui illos totos occupat, & quod per ſe non poteſt, per iſtos, aptiſſima ſuæ malitiæ organa, efficere conatur, videlicet tollere ab Eccleſia iuge ſacrificium: quod tamen cum vnus Antichriſtus demùm facturus ſit, fruſtrà nituntur. Donec lex Euangelica incolumis erit in Eccleſia, itidèm Eccleſiæ & ſacerdotium & ſacrificium ſaluum erit. Hæc enim ità inter ſe cohærent, vt aliud ab alio ſeparari non poſſit. Mirum eſt profectò, quid iſti mentis habeant, cùm legunt ſcripta ſanctorum patrum, quos vident in longè alia eſſe ſententia, quàm ſint ipſi. Nolo citandis patribus T. C. ampliſſime antiſtes eſſe moleſtus: tamen vt iſtorum pudefiat perfricta frons, et perſpicuum fiat, non me temerè dixiſſe, torqueri diabolum in iſtis miſeris Miſſæ ſanctiſſimo ſacro, vnum duntaxat illius verè aurei oris adſcribam ſententiam, quæ eſt in eius Homilia de Euchariſtia in Ençænijs, his verbis compræhenſa: Papè, menſa myſterijs inſtructa eſt, & agnus Dei pro te immolatur, ſacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis èx ſacra menſa refluit: Seraphim adſtant, ſex alis faciem tegentia: omnes incorporeæ virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cælo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt. Et non erubeſcis, reuereris & confunderis, neq; Deum tibi propicium facis? &c. Hæc Chryſoſtomus, vndè T. C. celeberrime Præſul facilè animaduertit, quàm cruciet dæmones Miſſa noſtra, quæ nobis tanto maiori in precio, ſtudio & obſeruantia ſemper habenda eſt, quanto ea diabolo & membris eius maiori eſt horrori & abominationi. Libenter hoc loco in T. C. laudibus promendis etiam prolixè verſarer Antiſtes ampliſſime, ſed prӕterquàm quòd incertum habeo, num id gratum illi futurum ſit, ipſa per ſe tam eſt apud omnes celebris, vt ego me inidoneum prorſus ſentiam, qui laudes illius vel attingere debeam. Vnum hoc obnixè oro, vt T. C. hanc meam opellam placido accipiat vultu, vt ſolet ſtudioſorum omnium, meq́; inter ſuos clientulos annumerare dignetur. Chriſtus Opt. Max. T. C. nobis diù ſaluam & incolumem tueatur Pontifex celeberrime, et Princeps illuſtriſſime. Datum Coloniæ in Cellula mea 17. Auguſti, Anno M. D. LXII.

T. C. deuotiſſimus clientulus

F. Laurentius Surius Carthuſianus.

SERE-

SERENISSIMO EIDEMQVE LONGE POTENTISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. FERDINANDO, ROMANORVM, GERMANIARVM, VNGARIAE AC BOHEMIAE &c. REGI, ARCHIDVCI AVSTRIAE &c. DOMINO SVO CLEMENTISS. S. D.

QVANDOQVIDEM temporibus hiſce maximè turbidis ac procelloſis, REX illuſtriſſime & clementiſſime Domine, inter alios ſacræ Religionis noſtræ controuerſioſos & in contentionem adductos articulos, quidam etiam ſpeciatim in digniſſimum atq; ſanctiſſimum MISSAE ſacrum acriter incurrerunt, idemq; contra peruetuſtam ECCLESIAE vniuerſalis tum traditionem, tum morem & conſuetudinem, in contemptum, inuidiam, indignamque ſuſpicionem adduxerunt, in imperiti hominum vulgi animos indigniſſimis ac acerbiſſimis vocibus impreſſerunt, & magna deniquè ex parte ceu rem horrori & execrationi habendam, in odiũ nauſeamq; verterunt: vndè nimirùm tum Creatoris Opti. Maxi. honos, tum innumerabilinm Chriſtianorum ſalus, non minimam iacturam fecit: committere neutiquàm volui, quin pro concionãdi munere, quò me in hiſce comitijs pro ſanctiſſima voluntate ſua creator benigniſſimus vocare dignatus eſt, quaſdam de ſanctiſſima MISSA conciones inſtituerem: quas etiam ex ſuperni numinis gratia publicè in aures omniũ declamaui, hac potiſſimùm ſpe adductus, ſi quidẽ tum aduerſæ partis indignæ & abſurdæ in præſtantiſſimum MISSAE ſacrum blaſphemiæ conuiciaq;, tum optimis ſubnixa rationibus ac firmamentis antiquæ ECCLESIAE veritas ſub omniũ oculis ponerentur, atq; inter ſeſe componerentur, fore, vt aliquammulti alioqui pij è religione Chriſtiani hoĩes, qui fortaſſe antehàc nonnihil hinc animo vacillârint, repudiato errore, ad veritatis lucem ſeſe recipiãt: qui verò etiamdũ Apoſtolicæ & veteris ECCLESIAE dogmatibus ac inſtitutis continẽter adhærent, deincèps demonſtratę veritati libentiùs acquieſcant, nec ſe facilè in errores pellici & abduci patiantur. Atq; vtinã is meã operã conatusq; effectus cõſecutus eſſet, quẽ ipſe mihi propoſueram, vt & pernicioſus periculoſusq; hic error profligatus foret, & Dei Opt. Max. honor, fidei Chriſtianæ veritas, & communis Chriſtianorum omnium ſalus proſperitasq; nonnihil promota prouectaq; eſſent: equidem ita iã tum mihi perſuaſiſſẽ, eiuſmodi conciones meas licèt ſimplices, non tamẽ omninò infrugiferas fore: atq; hac ego ſorte contẽtus abiſſem.

Quãdò verò ſereniſſima Maieſtas tua pro ſua id à me popoſcit clementia, vt iam dictas conciones meas in ſcripta redigerem, ac deindè typis excudendas curarem, vti & ad aliorum notitiam peruenirent, vberioremq́; fructum apud alios vtilitatemq́; referrent: mearum equidem partium eſſe arbitratus ſum, Maieſtati tuæ hac in re omni qua poſſem animi ſubmiſſione morem gerere: id quod & inpræſentiarùm facio, Concionesq́; haſce meas Regiæ Maieſtati tuæ id à me flagitanti, promptiſſima voluntate trado ac offero, hoc minùs ſubterfugiens ac recuſans, vt in lucem emittãtur, ſi regiæ Maieſtatis tuæ iudicio id operæprecium fore viſum erit. Qua in re ea me fiducia ſolatur, tametſi exiguus quidem labor ac tenuis eruditio mea non ab omnibus gratiam initura ſit, neque laudem vllam relatura, pios tamen & intelligentes omnes, debitam ſubmiſſamq́; erga Celſiſſimã Maieſtatem tuam obedientiam meam facilè probaturos eſſe. Itaque vt Maieſtas tua, quod à me obtemperanter curatum ac præſtitum eſt, benigniſſimo libentiq́; animo ſuſcipere, ſeq́; clementiſſimum erga me DOMINUM præbere nè dedignetur, etiam atque etiam eandem rogatam velim. Equidem ſi qua in re deincèps Sereniſſimæ Maieſtati tuæ gratum facere, aut cõmunibus Chriſtianæ Reipubl. vtilitatibus ac profectui ſeruire potero, ſumma id à me contentione agetur, vt paratiſſimus ſemper, propenſiſſimæq́; voluntatis inueniar. DEVS Optim. Max. Regiam Maieſtatem tuam, cui me obnixè commendo, ad Germaniæ noſtræ, adeoquè totius Chriſtiani orbis ſalutem ac proſperitatem, diù tueatur incolumem, & Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula feliciſſimè moderantem. Datum Auguſtæ Vindelicorum XI. Februarij, Anno M. D. XLVIII.

Veſt. Rom. Reg. Maieſt.

Deditiſſ. ac obedientiſſ. à concionibus

Michael Suffraganeus Moguntinus.

INDEX

INDEX, SVCCINCTIM COMPLECTENS EA, QVAE SEQVENTIBVS XV. DE SANCTISSIMA MISSA CONCIONIBVS CONTINENTVR, ET QVIBVS QVASQVE FOLIIS REPERIRE LICEAT.

SERMO primus de ſacroſanctæ Miſſæ officio, hæc habet: Chriſtum quidem omnibus beatitudinem impetrâſſe ac meritum eſſe: at ijs ſolis ad ſalutem, qui eiuſmodi beneficium iuſtis atque à Deo conſtitutis medijs ritè amplectantur. pag. 2.

Sermo II. Dominica prima Aduentûs: Miſſæ ſacrificium etiam Apoſtolorum temporibus in Catholica Eccleſia vſitatum fuiſſe: & quamobrem Chriſtiani omnes haſce de priſcæ ac veteris Eccleſiæ actu ſiue ſacro conciones ſtudioſè atque libenti animo auſcultare debeant. 9

Sermo III. in feſto S. Andreæ apoſtoli: Eſſe in Eccleſia ſingulare ſacerdotium externumq; ſacrificium, idemq; ipſum Eccleſiæ ſacrificiū, verum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti in Altari ſub panis viniq́ue ſpecie & figura. 14

Sermo IIII. Dominica II. Aduentûs: Chriſtum Ieſum in cœna vltima corpus & ſanguinem ſuum ſub panis ac vini ſpecie Deo patri cæleſti obtuliſſe, idemq́ue ſacrificium Eccleſiæ ſuæ in ſuî memoriam aſſeruandum demandâſſe. 24

Sermo V. Dominica III. Aduentûs: Chriſtum in Miſſa non cruenta ratione offerri, nec per Miſſæ ſacrum paſsionis Chriſti meritis quicquam detrahi, ſed ea potiùs honorari, celebrari, ac maximi fieri. 31

Sermo VI. Dominica IIII. Aduentûs: De ſanctiſsimæ Miſſæ cæremonijs & præparatione. 38

Sermo VII. in feſto D. Thomæ apoſtoli: De Introitu, & quid in Miſſa vſque ad Collectas agatur. 45

Sermo VIII. in ipſa Seruatoris Chriſti natiuitate: De diſcreto ac diſtincto Chriſti & ſacerdotis in Miſſa, vel etiam cuiuslibet Chriſtiani pro altero medium intercedendi officio. 53

Sermo IX. in feſto D. Stephani, Anno XLVIII. De Epiſtola, & ijs quæ deincèps ad Sanctus vſque, in Miſſa tractantur. 58

Sermo X. in feſto D. Iohannis Euangeliſtæ: De ſacroſancto Canone, & quid is complectatur: de obſecrationibus pro Eccleſia vniuerſali, pro magiſtratibus & omni populo Chriſtiano: de ſanctorum veneratione, vtq́ue corū preces ac merita nobis proſint adhuc in terra degentibus. 64

Sermo

Sermo X I. in Circuncisione Domini: De diuina conſecratione & exhibitione immolationeq́; veri corporis & ſanguinis Chriſti coram Deo patre cæleſti:& ad quid ſacrificium quotidianum poſt crucis victimam neceſſarium, vtile,ac ſalutare ſit. 72
Sermo X II. in Epiphania Domini: De obſecratione pro defunctis, quæ tum in Miſſa,tum aliâs in Eccleſia vniuerſali & ſemper & vbiquè fieri ſolita ſit,hodieq́; fiat & obſeruetur. 80
Sermo X III.Dominica prima poſt Epiphaniæ:Vt ſacerdos pro ſe adminiſtriſq́; ſeu coadiutoribus ſuis, & circunſtantibus Deum oret, ad dignam ſacroſanctæ Euchariſtię ſumptionem ſe præparet,ac Miſſam concludat. 90
Sermo X III I. Dominica II. poſt Epiphaniæ: Quibus ex cauſis Miſſa apud quoſdam contemptu laborârit,atque abrogata ſit, quid itidèm homini piè ac deuotè Chriſtiano commodi & vtilitatis adferre queat. 96
Sermo X V. Dominica III. poſt Epiphaniæ: Quas ſibi Chriſtiani hoïes ſub Miſſæ ſacro preces,geſtus & cogitationes ſumere debeant. 103
Concio vna ſingularis de Sacroſancta Euchariſtia. 111

IN FE-

IN FESTO D. CATHARINAE VIRGINIS, EVANGELIVM Matthæi XXV.

IN illo tēpore dixit IESVS diſcipulis ſuis parabolā hanc: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exiêrunt obuiā ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinq; fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt oēs, ac dormiêrunt. Media autem nocte clamor factus eſt: Eccè ſponſus venit, exite obuiàm ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes, dicentes: Nè fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias: & clauſa eſt ianua. Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine Domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amèn dico vobis: neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.

QVAE quidem ad Euangelij iſtius explanationem atque ſacræ diei huius ſolennitatem pertinent, inpræſentiarùm multis à me commodè agi haudquaquàm poſſunt: quandò id cumprimìs aggredi vehementer cupio, cuius mihi Diuus Ioannes in epiſtola ſua anſam ſuppeditabit. Quod etiam, vt mea fert opinio, ad ſalutarem Chriſtianæ plebis inſtitutionem atque informationem vtile, accommodum, adeoque neceſſarium erit. Itaque vulgarem atque pręcipuam duntaxat Euangelij iamiàm recitati ſententiam carptìm breuiterque perſtringam, cætera cuique pro ſalute ſua exactiùs atq; diffuſiùs ſecum meditanda relicturus.

Quid ſpectârit Dominus, quóve intenderit auimum, quídve apud
nos efficere voluerit, dum hanc proponeret parabolam, ad extremum
ipſe declarat, his verbis ea quę antè dixerat, concludens: Vigilate ergò, Matt. 25.
quia neſcitis diem neque horam: id nimirùm admonere nos volens,
quandoquidem ex gratia in filiorum Dei locum adſciti, atque ad cæ- Galat. 4.
leſtis regni capeſſendam hæreditatem vocati ſumus, vt ſobria, iuſta,
pia viuendi ratione vitam noſtram omnem tranſigere, atqueità Chriſti
aduentum præſtolari debeamus: vtpotè quem certum eſt venturum
quandoquè ad iudicium, ibique in noſtros omnes cogitatus, verba &

Matt. 16. opera inquiſiturum, & redditurum ſingulis quibuſque, prout quiſque
2. Cor. 5. geſſit in corpore, ſiue bonum ſiue malum.

Cæterùm cauendum ſummoperè eſt Chriſtianis omnibus à noxia & temeraria hac animi perſuaſiõe vel temeritate, vt nè quis eô ſibi beatitudinem certò audeat polliceri, aut certè nullam deincẽps vitæ atque operum rationem ſibi habendam eſſe putet, quòd iam CHRISTI fi-
Marc. 16. de imbutus, & vndis ſalutaribus tinctus ſit: tanquàm certa eum maneat futuræ vitæ beatitudo, quiſquis fide & nomine tantùm ſit Chriſtianus. Quin potiùs ad hanc à Domino propoſitam parabolam animum aduertant: vbi profectò nulla vel infidelium, vel mundi huius publicè flagitioſorum hominum mentio fit: at contrà de virginibus, id eſt, qui Chriſtiani & pura ac integra ſint fide, qui CHRISTO pergant obuiàm, illius promiſſis nitantur: omnis hic CHRISTI ſermo inſtitutus eſt, cuius ea mens atque ſententia eſt, hoſipſos eo diſcrimine olim ſeparandos eſſe, vt ij duntaxat in regnum cælorum admittantur, qui cum lampadibus & oleum ſecum deportàrint: hoc eſt, qui fidem ſuam erga pauperes miſericordia, cæteriſque charitatis operibus exornàrint, atque aliâs etiam erga Deum homineſque iuſtitiam coluerint. Etenim
Matth. 5. hi ipſiſſimum tenent lumen, quod Dominus apud Matthæum capite quinto exigit, vbi ait: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt: at-
Galat. 5. que vera illa ſunt fide prædìti, cuius Paulus meminit, quæ per dilectionem operatur. Qui verò ſola ſpecie atq; exteriori quodam apparatu & verbis CHRISTVM profitentur, factis autem negant, non eſt quòd ſibi regni illius conſpectum polliceantur.

In poſterioribus Concionibus Euangelia & eorum Exegeſes, quæq; ad feſtos illos dies, quibus habitæ ſunt, ſpectant, omittuntur: vti de diuino Miſſæ ſacrificio materia nullis alijs permixta, apto ordine cohæreat, atque ità rectiùs faciliuſque animo concipi & intelligi queat.

SERMO I. DE DIVINO MISSAE SACRIFICIO.

CHRISTVM quidem omnibus beatitudinem meruiſſe, at ijs ſolis ad ſalutem, qui eiuſmodi beneficium iuſtis atque à Deo conſtitutis medijs amplectantur.

IN ijs quidem, quæ proximè anteceſſerunt, Concionibus meis ea diui Ioannis Euangeliſtæ mihi verba tractata ſunt, à quib' ille prioris Epiſtolæ ſecundũ caput orditur, vbi aduersùm multiplices mortalis vitæ huius lapſus & defectus, & ea quæ quotidiè incidunt, peccata, amicè admodùm & ex animo nos CHRISTI ſeruatoris noſtri gratia & redemptiõe ſolatur in hunc modum: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, v non*
1. Ioan. 2. *peccetis. Sed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, IESVM CHRISTVM iuſtum.*

Hæc

Hæc, inquam, Apoſtoli verba in concionibus meis ſuo ordine à me digeſta ſunt, & ea primùm cõmonitio abſoluta, qua nos fidiſſimus Apoſtolus à peccatis reuocare molitur: *Filioli mei*, inquiens, *hæc ſcribo vobis, vt non peccetis.* 1. Ioan. 2. Vbi grauiſſima à me peccati pondera, & caſus irreparabilis atq; horrendus, in quem illa demergunt hominem, cõmemorata ſunt. Quæ nanq; vita ſemper in flagitijs atq; peccatis ducitur, atq; ità demùm concluditur, eam æterna haud dubiè damnatio conſequatur neceſſe eſt: quandò & Deus omnipotens, cùm ſit iuſtus, nullũ aliud peccati præmium conſtituit, quàm ſeuerã animaduerſionem, & mortem nullum vnquàm finem habituram. Pſalm. 10. & 118. Quotquot igitur per CHRISTVM ex Dei gratia & benignitate filij adoptiui & hæredes Dei facti ſumus, peccatũ in nos admittere non debemus, nè denuò in illius iram incidamus, atq; ità & è filiorũ numero & hæreditatis Dei conſortio excludamur. Rom. 6. & 8. Galat. 4. Tit. 3. Ad hanc deindè cõmonitionem diuerſæ à me exhortatiões adiunctæ ſunt, quę homines à vitijs retrahere poſſent: ſimulq; & id demonſtratum, vti ſeſe in ijs homo Chriſtianus gerere, atq; Diuina ſubnixus ope, ſtudium atq; conatũ ſuum adhibere, peccandi ſibijpſi occaſiones præcidere, praua conſortia euitare, & nunquàm nõ ſeſe exercitare, conari atq; deſudare debeat, quò ſic Diuinæ gratiæ fultus præſidio auxilioq;, & peccatum auertere, & huic diui Ioannis cõmonitioni obſecundare poſſit: *Filioli mei, non peccetis, &c.* 1. Ioan. 2. At verò cùm tanta ſit hominũ incuria, ignorantia & naturalis quædã infirmitas, vt dum hoc mortali ſumus tecti corpore, peccata à nobis omnia euitari non queant, ad afflictorum atq; tentatorum conſolandos animos atq; conſcientias, etiam altera huius ſententiæ pars diligenter mihi explicita eſt, qua nos Apoſtolus Ioannes à noſtra fragilitate ad Dei gratiam, atq; à peccatis noſtris, ad CHRISTI Dei conſeruatoriſq; noſtri merita reijcit, reuocatq;, his verbis: *Filioli, ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, IESVM CHRISTVM iuſtum.* Ibidem. Vndè nimirùm hæc peccatori miſero & afflicto præſtatur fiducia, quòd CHRISTVS IESVS ſacratiſſimam ſuam incarnationem, acerbiſſimã mortem, precioſum ſanguinẽ, adeoq; merita ſua omnia omnemque iuſtitiam, hodieque noſtris pro peccatis & iniuſtitia offerat conſtituatque apud Deum, ſuis cruciatibus & immerita morte graues noſtras diluẽs culpas ac ſcelera, quæ nobis alioquì propria eademque æterna morte luenda eſſent. 2. Par. 30. Vbi & hoc facit non minimùm ad noſtrî conſolationem, quòd de erratis noſtris non apud ſæuum crudelemque tyrannum, ſed pijſſimum ac benigniſſimum parentem, qui ad ignoſcendũ maximè ſit propenſus, nobis dicere, noſq; purgare incumbit. Ionæ 4. Ezec. 18. A cuius voluntate nihil eſt alienius, quàm mors noſtra: cui nihil eſt optatius, quàm vt conuerſi, ſuam experiamur bonitatem & gratiam, atque viuamus: Ezec. 18. qui nos perbenignè conſolando ad ſe vocat, vt poſteaquàm ab officio receſſimus aliqua culpa perpetrata, ad Eſaiæ 45.

ſe reuertamur, peccâſſe nos doleamus, idque cum confitendi & pœnitentiam agendi propoſito, veniam denique malè actorum precemur; atque ità fore ſe propicium nobis, & immemorem eorum quę à nobis perperàm admiſſa ſunt, adeoque perennem ſeſe nobis daturum beatitudinem ex ſua erga nos miſericordia & amore promittit, tametſi iure noſtris pro demeritis æternis ignibus atque damnationi perpetuæ nos addicere poſſet. Hæ partes duę, & commonitio contra peccata impendentia, & conſolatio de peractis, ſuperioribus concionibus à me ſunt abſolutæ in horum explanatione verborum, quibus Diuus Ioannes ait: *Filioli, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, &c.* quorum tum pars minima reliqua fuit, nec eo mihi eſt loco pertractata: minima, inquam, verbis, ſed virtute & conſolatione immenſa, efficax, atq; abundantiſſima, ità vt nè totius quidem orbis diuitijs ſit commutanda: & eſt huiuſmodi:

Ibidem. *Et ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius Mundi.*

Quæ ſententia, vtì iam dictum eſt, licèt verborum ſit compræhenſione adſtricta, attamen vbì explicata penitùs introſpicitur, DEū ipſum, regna cælorum, totiusque MUNDI ſalutem complexam eam cernere licet. Vndè ad hæc ipſa meritò nobis animus arrigendus, ſummoque ea ſtudio, immò tali tantoq; auſcultanda ſunt deſiderio, perindè àc ſi nihil vnquàm gratius, nihil magìs conſolatorium nobis auribus haurire contigerit: vtì reuerà nec poſſit quicquam vnquàm perindè conſolatorium noſtras peruenire ad aures. Etenim huiuſcemodi de CHRISTO Ioannes proponit teſtimonium:

Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, &c.

Quibus verbis velut ſumma quadam compræhenſum atque collectum eſt, quicquid alioquì pluribus ſcriptura locis de CHRISTO teſtatur. Ipſe planè eſt, qui humanitatem noſtram, abſque tamen peccato, ſuſcipiens, idem ipſum corpus è noſtra natura aſſumptum, pro nobis hoſtiam obtulit, qua MUNDUM impium & innumeris peccatis implicitum Deo reconciliauit. Ipſe eſt, qui noſtræ ſalutis cauſa ad mortem vſq; ſeſe humiliauit: vt habes ad Philippenſes. Ipſe, quem Eſaias in ſpiritu vidit deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: cui nec ſpecies erat, neque decor. Et nos, inquit idem Propheta, reputauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, & vt mundum damnationi obnoxium DEO reconciliaret, pœnas noſtris ſceleribus debitas ipſe luit.

[Margin: 1.Cor.5. — Philip.2. — Eſaiæ 53. — 1.Pet.2.]

Hic

Hic ergò eſt propiciatio noſtra: hic pro nobis ſatisfecit: & non pro nobis tantùm, ſed etiam pro toto mundo. Enimuerò ob immeritam innocentis filij ſui mortem, humani generis cauſa oppetitam, toti vult orbi propicius eſſe Deus, nimirùm omnibus illis quotquot per fidem, opera & vſum Sacramentorum ſeſe eò accommodant: quibus etiam errata ſimul om̃ia condonabit atque remittet ob precioſum ſacrumq; CHRISTI IESV ſanguinem, pro nobis & pro multis fuſum in remiſſionem peccatorum.

Sic ergò totum Euangelium his paucis verbis incluſum animaduertere licet, *Ipſe eſt propiciatio, &c.* quibus ſimul abundè multùm conſolationis ab Apoſtolo Ioanne toti offertur mundo, demonſtrante illi, vbi ſua ei inuenienda ſit ſalus, *Ipſe eſt propiciatio, &c.* cui non abſimile teſtimonium etiam alter ille fert Ioannes, ità dicens: Eccè agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi. Et Apoſtolus: Quoniam quidem Deus erat in CHRISTO, mundum reconcilians ſibi. Luc.22. Ioan.1. 2.Cor.5.

Iam porrò ſagaci ac induſtrio id agam' animo dilectiſſimi, omnẽq; in hoc operam nauemus, quo ſalutarem hunc atque ditiſſimum theſaurum ad noſtri quoquè cum Deo reconciliationem, noſtræque ſalutis vſum, trahere atque adiungere poſſimus: vtì nè accidat nobis, quod multò maximæ hominum parti, tametſi CHRISTVS IESVS, quantùm quidem in ipſo eſt, totum cum Deo mundum in gratiam reduxerit, at nihilo ſeciùs in æterna Dei Opt. Max. ira perſeueranti, in peccatis etiam ſuis morienti, atq; ità demùm in inferni horribiles perpetuosque cruciatus incurrenti, licèt alioqui morte ſua, quam non erat meritus, precioſoq; ſanguine ſuo cunctorũ CHRISTVS IESVS mortalium peccata expiârit, & generali quadam redemptione omne hominum genus in priſtinam aſſeruerit libertatem. Vbi cùm theſaurus ſit partus à CHRISTO, qui totius mundi reparandæ efficiendęq; ſaluti abundè ſufficiat, atque in hoc ipſum maximę ſit efficaciæ & virtutis, iam noſtri eſt officij, eaq; nobis cura incumbit, vt eum arripiamus, ad noſtros eum vſus adiungamus, nihil alioqui indè commodi, nihil vtilitatis habituri. Vt enim ſi quis fons noſtras præterfluat ędes, ſiti neutiquàm nos leuat, niſi arrepto poculo hauſtam indè aquam potemus: ità quanuis generalis hæc conciliatio reuerà confecta ſit, nihilo tamen minùs iram Dei ferant neceſſe eſt, & in tentationibus ſuis diuinę ſint conſolationis expertes, adeoq; in peccatis ſuis moriantur oportet, quicunque illi ſeſe non accommodant, quique hanc vel non addiſcunt artem, aut ea certè vti nolunt, qua ſibi quiſque ratione generalem hanc redemptionem fructuoſam reddere, & ſaluti ſuæ adhibere debeat. 2.Cor.5. Coloſ.1. Similitudo.

Hæc verò ars, aut iſthæc exercitatio, vtì ſeſe quiſque gerere debeat, quô ſua etiam peccata CHRISTI IESV ſanguine ac meritis expi-

entur & aboleantur, & ipſe in gratiam redeat cum Deo, certa & efficax eſt in Eccleſia Dei. Ibi nanque eſt ſchola & officina, vbi & diſcitur & exercetur, quidnam eò pertineat, quidve factu opus ſit, vt generalis redemptio ad ſalutem & vſum proficiat ſingulorum. Ibi nimirùm & perquirendum, & quotidianæ exercitationi incumbendũ eſt, ſi conciliationẽ eam nobis prodeſſe velimus, quę nobis à Deo per CHRISTVM offertur, quemadmodùm Paulus ait: Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per CHRISTVM, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in CHRISTO mundum reconcilians ſibi, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro CHRISTO ergò legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obſecramus pro CHRISTO, reconciliamini Deo. Audis hic Deum in CHRISTO mundum omnem reconciliâſſe ſibi, Turcos vtiq; & Ethnicos haud ſecùs quàm nos, vtpotè qui ob immeritam CHRISTI IESV mortẽ & precioſum ſanguinẽ, peccatis omniũ propicius eſſe velit. Et hanc generalẽ humani generis redemptionem per vniuerſum orbẽ denunciat, & per apta atq; opportuna hominibus media offert. Ipſum verò officium ſiue munus atq; miniſterium, qua ſit ratione hominibus iſthæc impertienda cõciliatio, ECCLESIAE demãdauit. Quiſquis eam ſuſcipit, illius fit particeps. Qui verò reſpuit repudiatq;, ira Dei manet ſuper eum, & in peccatis ſuis moriatur neceſſe eſt, tametſi Deus, quantùm quidẽ in ipſo eſt, mundũ totũ in CHRISTO ſibi reconciliauerit. Eapropter orat nos Apoſtolus, nè communem hanc ſalutem negligamus, ità dicens: Obſecramus pro CHRISTO, &c. Si ergò per CHRISTI merita ſeruari voles, in ECCLESIA Dei, quid eò pertineat, inquirere oportebit. Hęc te & docere poterit, & inſtrumento in manus admoto inſtituere quid factu opus ſit, vt meritorum CHRISTI particeps efficiare. Ea nanq; de cauſa ECCLESIAM ſuam CHRISTVS IESVS ſanctiſſimis verbis & ſacramentis ſuis inſtruxit, vtì fidelibus per verba & ſacramenta omnia ſua, id eſt, CHRISTI chariſmata ac merita impertiatur. Hac ratione, hocque fine baptiſmo vtimur, ſacrum CHRISTI IESV corpus & ſanguinem quotidiè in altari tractamus, & cętera deniq; ſacramenta in fideles adminiſtramus, vt ſcilicet per ſacramentorum vſum, generalis CHRISTI redẽptionis efficiamur participes. Ipſa nanq; ſacramenta ceu vaſa quædã ſunt ac inſtrumenta, quibus ſuam nobis CHRISTVS gratiã & merita offert, vt ijs & poſſimus & debeamus vti. Et licèt abſq; ſacramentis ſuam nobis gratiam Deus atq; dona largiri queat, ità tamen pro ſanctiſſima atq; æquiſſima voluntate ſua viſum eſt illi, itaque ab eo inſtitutum atq; decretum eſt, vt ſuam gratiam & CHRISTI filij ſui merita per ſanctiſſima ſacramenta ceu opportuna & congrua media & inquirere & aſſumere debeamus. Enimuerò vbi precioſum in cruce ſanguinem

2. Cor. 5.

Eccleſia.

2. Cor. 5.

Sacramẽta.

Sacramẽta qualia ſint vaſa.

guinem

guinem ſuum CHRISTVS fudit, mortemq́; inſons ac innocēs oppetijt, mundum quidem omnem Deo reconciliauit, & generalē cunctis mortalibus redemptionē obtinuit: ſed tantum hinc fructûs ac vtilitatis redit ad ſingulos, quantum ſibi quiſq; quotidiana cura per fidem, per ſacramentorū vſum, perq́; alia pietatis exercitia, ad quæ in Eccleſia Dei inuitamur & inſtigamur, adiungit applicatq́;, id quod nos hortatur Apoſtolus his verbis: Obſecramus vos pro CHRISTO, reconciliamini Deo. Feciſſe Deum quod illius erat, & totius orbis conciliationē ſtatuiſſe in CHRISTO, manifeſtum eſt: ergò quod veſtri eſt muneris, etiam vos facitote. Theſaurum, quem CHRISTVS acquiſiuit, appræhendere non pigeat, eoq́; perfruamini, & ad æternam vobis cedet ſalutem. Hîc iam Chriſtianorum omnium ingens neceſſitas, communisq́; ſalutis ratio poſcit flagitatq́;, vt plebs Chriſtiana de vi ſacramentorum ſummo ſtudio inſtituatur, ad eorumq́; vſum cumprimìs grauiter ac ſeriò inuitetur & adducatur: quandoquidē vaſa hæc ſunt, quibus merita CHRISTI incluſa aſſeruantur: inſtrumenta etiam ac media, per quę generalem CHRISTI liberationem non fructuoſam modò, ſed & propriam nobis efficimus, eaque noſtra pro ſalute fruimur: ſunt & arma potentia, quibus induti, ſtare poſſimus ac muniri aduerſus inſidias, & feroces atque truces diaboli incurſus ac impetus: nec non medicina ſalutaris ex CHRISTI ſanguine virtutem trahens, qua Deus omnem noſtram firmare debilitatem, & quicquid in nobis vitij eſt, curare velit, vt eſt apud Eccleſiaſticum: In his curans mitigabit dolores. Sunt & ancora firma, qua aduersùm omnes tartarei ſpiritûs importunas & improbas acresque tentationes filij Dei nitantur: & baculus, quo ſubnixi, ex vitiorum ſordibus ac illuuie emergant & aſſurgant, quotquot aut hoſtis maligni fraude & ſeductione, aut propria fragilitate in peccati cœnum depreſſi ſunt: & vt paucis quę de ſacramentis ſunt, abſoluam, ſalutaria illa media ſunt, per quæ Deus Opt. Max. pro ſua ſanctiſſima voluntate, proque inſtitutione & ordinatione ſua copioſiſſimum gratiæ ſuæ & meritorum CHRITSI theſaurum pro noſtra neceſſitate liberaliſſimè nobis impertiri, eoq́; ſua nos ope prouehere maximè paratus eſt, vt generalis CHRISTI IESV redemptio, etiam noſtra ipſorum propria fiat, adeoque cuique noſtrûm ad certam cum DEO proficiat conciliationem.

Heb. 9. | 2. Cor. 5. | In ſacramentis Chriſti merita obtineri. | Ephe. 6. | Eccle. 38.

Eſſet ea propter inprimìs ac ſummè neceſſarium, ſæuiſſimis atque crudeliſſimis maligni dæmonis ſtudijs ac machinationibus obſiſtere & obluctari, quibus peſtifer ille hac noſtra ætate ſalutarem hanc nobis conſolationem eripere, & CHRISTI IESV merita nobis infructuoſa reddere molitur, hac præcipuè ratione, quòd veneranda colendaque ſacramenta in horribilem quendam adducit contemptum atq; negligentiam, cùm tamen per ea ſalutifera CHRISTI merita nobis

Diabolū odiſſe ſacramēta.

adiũgere & applicare, noſtraq́; pro ſalute iiſipſis vti deberemus. Iamq́; ſceleſtus ille pleriſque in locis Chriſtianorum eò calamitatis ac miſeriæ rem adduxit, vt ex omnibus veris ſacramentis miſerabilis ac miſerandum in modum ſeducta plebs Chriſtiana vix duo, eaque nec in ſuo quidem vero ac legitimo vſu retinuerit: reliqua autem, quod eſt vehementer horribile, ceu abominanda & execrationi habenda fugiat.

Interìm cuius rationem ac intellectum nullæ errorum caligines obnubilârunt, huic dolum ac fraudem inimici facile eſt animaduertere, quid hoc ſacramẽtorum neglectu ac deſpicientia improbus ille machinetur: nimirùm vt Dei nos ſpoliet gratia & charisſmatibus, quæ ſalutaria hæc myſteria ſecum nobis adferunt ſuppeditantque: vtque nos omni diuina deſtitutos ope, eo minori negocio in ſuam redigat poteſtatem, atq; ad extremum CHRISTI IESV redemptionem, quam per huiuſcemodi media nobis applicare, quaq́; ad ſalutem noſtram frui deberemus, à nobis excludat amoueatque. Et certè magìs conatus hic verſuto illi & improbo veteratori ex ſententia cedit, quàm ſit è re plurimorum. Iam olim quidem ſuo illo æuo D. Ioannes mundum totum in maligno poſitum querebatur: & nos modò ſummo cum dolore in tam infelici ac calamitoſo Chriſtianę Reipub. ſtatu & adſpicimus & nõ poſſumus non agnoſcere ac fateri, nulla vnquàm ætate poſt hominum memoriam vſque adeò ſub tartarei ſpiritûs ditionem Chriſtianum populum recidiſſe, vt hac noſtra luctuoſiſſima tempeſtate. Quo enim vnquàm ſeculo tam horrendum in modum flagitia atque ſcelera in homines ſibi dominium vendicârunt? Quandò tot mundus ſeditionibus atque bellorum tumultibus arſit? Quis tot vlla vnquàm meminit ætate à diabolo in extremam pertractos deſperationem, vt ſpe omni ſublata, ſibijpſis manus afferrent? Atquì cuius id, obſecro, culpa agitur? Nullius ſanè alterius rei, niſi quòd diuina nosipſos gratia denudamus, quòd infirmitatem noſtram nulla ſacramentorum vi confirmamus: atque ità nihil mirum eſt, ſi in peccati ſeruitutem redigamur. Non iam libet pacis ſignis & ſymbolis vti: itaque mutuis noſtra pectora odijs, liuore, & inuidentia inardeſcunt. Eam quæ nobis in ſacramentis proponitur, exhibetur & offertur, diuinam ſuſcipere virtutem impendiò recuſamus: dum igitur nudos atque deſtitutos nos cernit ſalutis noſtræ hoſtis diabolus, citra difficultatem nos ſuperat, atque ſemel victos nullo negocio in quæuis nos vitia & probra, atque ipſam adeò teterrimam deſperationem pro voto agit præcipites. Enimuerò cùm inuiſa atq; exoſa nobis reddiderit media omnia, quibus CHRISTI nobis gratiam conciliare & accõmodare deberemus, fit hinc, vt generalis per CHRISTVM IESVM confecta liberatio, atque cum Deo conciliatio noſtra, ante pedes ipſosq́; oculos nobis præſtò ſit, & ea tamen ad ſalutem noſtram vti nequeamus.

1. Ioan. 5.

Iam

Iam vafer ille ac teter ſpiritus cultum omnem DIUINUM, atq; omne genus Chriſtianarum exercitationũ euertit, truncaq́; ac manca, immò & odioſa nobis reddidit eiuſcemodi ſtudia omnia, præterquàm quòd concionibus intereſſe, concionantesq́ue auſcultare adhuc vtcunquè libet: cætera Chriſtianæ pietatis exercitia iacent, peſſumq́ue abiere. Quorſum verò attinet, DIUINÆ gratiæ nobis immenſas identidèm diuitias commemorari atque prædicatione efferri, ſi non & ipſi media amplectamur, ſi ſalutaria negligamus exercitia, per quæ illis ipſis cæleſtis gratiæ opibus atque theſauris inexhauſtis, ad noſtræ ſalutis vſum vtilitatemq́; gaudere ac perfrui liceat? Quę quidē eò à me dicuntur omnia, vt id certum exploratumq́; habeamus, non ſatìs eſſe ad ſalutem capeſſendam, ſcire CHRISTVM IESVM propiciationem eſſe pro totius etiam mundi peccatis: quin & noſtra eademq́ue quotidiana accedat exercitatio oportet, vt ſciamus qua ratione CHRISTI nobis merita adiungere, applicare, & fructuoſa efficere debeamus. Qua de exercitatione in poſterioribus Concionibus, auxiliante Deo, quædam ex me audituri eſtis.

SERMO II. DOMINICA
PRIMA ADVENTVS.

Miſſæ ſacrificium etiam Apoſtolorum temporibus ſemper in Catholica ECCLESIA *vſitatum eſſe: & quamobrem Chriſtiani omnes haſce de priſcæ ac veteris* ECCLESIAE *ſacro Conciones ſtudioſè atque libenti animo auſcultare debeant.*

IN ſuperiori Concione cùm de ijs diui Ioannis Euangeliſtę verbis agerem, quibus plenum ſolatij de CHRISTO Dei filio reddit teſtimonium: *Ipſe eſt*, inquiens, *propiciatio pro peccatis noſtris:* quæ nobis etiamnùm ſub manibus verſatur, ad id vſque loci mihi ſermo deductus eſt, non ſatìs eſſe, audire & credere CHRISTVM propiciationem eſſe pro peccatis omnium, ſed inſupèr quotidianę eſſe incumbendum exercitationi, ijsq́ue vtendum medijs, vtì pro ſe quiſque meritorum CHRISTI particeps fieri, eiſdemq́ue ad ſuî cum Deo conciliationem pro ſalute ſua perfrui atque gaudere poſſit: id quod & Apoſtolus Paulus non minori nos conſolatione hortatur, vbì DEVM in CHRISTO mundum ſibi reconciliâſſe affirmat, obſecratq́ue pro CHRISTO, vt Deo reconciliemur: id vtiquè ſignificare atque demonſtrare volens, nihil prætermiſſum eſſe à DEO, quod ad totius mundi plenam atque integram pertineret ſalutem: tantùm vt & nos quod noſtrum eſt, adhibeamus, & viam atque media per quæ CHRISTI merita pro illius inſtitutione atque ſanctione nobis applicare, ijsq́ue gaudere poſſimus, arripere, eiſdemq́; vti diſcamus. 2.Cor.5.

Mihi quidem hoc loco cumprimìs iucundum atque optatum foret, de cunctorum vi atq; vero vſu ſacramentorum apud Chriſtianum populum

pulum diligenter atq; ex veris rationibus agere: maximè cùm hæc pro inſtitutione CHRISTI ſeruatoris noſtri opportuna media & certa illa atq; efficacia ſigna ſint, per quæ ſuam ille redemptionem cunctaq; merita ſua, quātùm in omnes nobis partes neceſſarium ſit, abundè impertiri atque communicare velit: at verò cùm incertum habeam, quantùm hîc temporis facturus ſim, tam prolixi operis argumentum mihi ſumere non poſſum. Nè qua tamen ex parte plebs Chriſtiana tam ſalubri atque neceſſaria ſcientia defraudetur, ſciretq; poſſit, quibus ſeſe exercitijs generalis CHRISTI conciliationis quotidiè reddat participem atque conſortem, ex omnibus vnum mihi delegi, putà celſiſſimū maximeq; ſalutiferum veri corporis & ſanguinis CHRISTI IESV ſacramentum, vtpotè in quo iſthæc applicatio præcipuè locum habet, quodque poſt Baptiſmum inter cætera ſacramenta cumprimis eò accommodum ac vehementer idoneum eſt, vt per ipſius vſum, generalis CHRISTI liberationis participes efficiamur. In quo tamen pertractando hac moderatione vtar, vt non omnia eò pertinentia, nec oēs illius proprietates à me in medium adferantur, ſed id vnum, quantùm quidem fieri poterit, planum omnibus atque teſtatum fiat, verum corpus & ſalutiferum CHRISTI IESV ſanguinem, hodieque diebus ſingulis in Catholica ECCLESIA ceu communē, ſanctam, puram, Deoque gratiſſimam hoſtiam atque ſacrificium tractari: ibique ſimul Deo patri omnipotenti ab vniuerſa ECCLESIA, in memoriam præcipui operis, atque præcelſæ, ſalutiferæ, & efficaciſſimæ illius hoſtiæ, quam ſanctus ac innocens Dei filius ſemèl in cruce immolauit, offerri.

Sacramentum Eucharistiæ.

Etenim cùm opus illud CHRISTI, quod ab eo in cruce corpore ipſius & ſanguine perfectum eſt, eiuſdem ſemper virtutis & efficaciæ perſeueret, nullam ſentiens vnquàm ſuæ virtutis diminutionem, ſed ad mundi vſque finem & in omne æuum nouum ſemper ac recens ante Deum, & ad cunctos Deo conciliandos homines efficax ſit, permaneatque: hinc ECCLESIA ſancta verum corpus, verumq; CHRISTI IESV ſanguinem Deo patri cum gratiarum actione, precibus continuis, perpetuaque inſtantia ob oculos proponit conſtituitque: vtì pro ſua clementia quicquid CHRISTVS ſuo corpore & ſanguine pro nobis totoq; orbe terrarum in cruce peregit, quicquid illic meritus eſt, nobis quoquè ad noſtrorum abolitionem & veniam erratorum, atq; ad ſalutem noſtram prodeſſe atq; proficere velit.

Qđ vulgus de miſſa inſtituendum.

Qua de re ſimplex mihi plebecula & hominū vulgus iam diligentiùs inſtituendum eſt, vndè ſcilicet quotidianum hoc totius Chriſtiani orbis ſacrificium, quod Miſſam dicimus, profectum ſit, vndè originem traxerit, quid in commune omnibus, atque priuatìm ſingulis quibuſq; fidelibus conferre, quóve prodeſſe queat, qua ſe ratione populus Chriſtianus, dum Miſſę ſacrum agitur, gerere, id eſt, quas preces, quos geſtus

præ ſe ferre, quibus vacare cogitationibus debeat, quô venerãdum hoc ECCLESIAE munus & officium ad ſuos adducant vſus & vtilitatẽ, fructumq́ue indè referant, itaque perpetuò hoc & quotidiano, maximeq́ue pio ac ſalutari vtantur ſacrificio, vtì efficaciſſimæ illius atque ſacratiſſimæ, quæ ſemèl à CHRISTO in cruce oblata eſt, hoſtiæ fructum ad ſalutem perennemq́ue ſuam capiant felicitatem.

Sed vereor, nè priuſquàm à me res benè inchoëtur, quidam animi quodam tumore inflati, ea quæ hiſce de rebus dicere conſtitui, auſcultare recuſent. Satis enim ſuperq́; nota mihi atque perſpecta execranda peſtis ac deploranda calamitas eſt, quæ hiſce noſtris temporibus innumeros, ſed leues tamen atq; vanos, occupat homines.

Sumus (proh dolor) hodiè, plùs quàm ſit è re noſtra, in res nouas auidi. Quo fit, vt ſi quis nouũ aliquid proferre, & quæ anteà ſemper in bonis atque ſalutaribus habita ſunt, in contemptum adducere & floccifacere auſit, huius in ſententiam pedibus mox eamus, huic adſtrepamus & applaudamus ad vnum: quod ille cóntemptui habet, id & nos citra vllum iudicium ducamus pro nihilo, etiamſi ne id quidem nobis conſtet, quam ob cauſam, quáve ſit ratione ſpernendum. Ità inuenire plures eſt, qui iam indè antiquitùs ceu per manus nobis traditę ECCLESIAE Catholicæ inſtitutioni atq; doctrinæ, licèt ſacrarum rationibus ſcripturarum abundè dicta noſtra firmemus, aſſentiri atque adſtipulari nolint. Sed ſi quid adferatur noui, id eis auro & ſacris reliquijs charius ſit, id eorum impendiò palatum afficiat: tametſi necdùm, quid ſit, benè perdidicerint. Contrà quicquid veteris eſt ECCLESIAE, id omne minimi precij ſit apud eos, & ne audire quidem citra nauſeam poſſint. Quàm hodiè nouarum rerũ auiditate laboretur

Huiuſmodi igitur proteruitas, libido, atq; temeritas etiamdũ hoc in negocio formidãda eſt mihi. Atquì id certiſſimum habeo, optimisq́ue à me rationib⁹ firmari poteſt, verum CHRISTI IESV corpus precioſumq́; ſanguinem in Euchariſtia nomen hoc, hancq́; tractandi formam, quã Miſſam appellamus, in primitiua illa & Apoſtolica ECCLESIA tenuiſſe, & ad hæc vſque noſtra tempora & nomen & exercendi vſum apud Chriſtianos vbiq; gentium conſeruâſſe: id quod facilè probare eſt ex Dionyſio Areopagita Eccleſiaſt. Hierar. cap. 3. Ignatio Epiſtol. x. ad Smyrnenſes, Hiſtor. Tripartitæ libro 3. cap. xj. & libro 4. capite xiij. Eſt autem Miſſa, gratuitum ſacrificium, Deo ſpontè ac vltrò oblatum. Atquì Deus bone, quot hodiè infimæ ſortis homines in noſtra Germania cernere eſt, quibus Miſſæ nomen omni cœno peiùs ſordeat, qui tamen ità ſint rudes atque indocti, vt reuerà neq; vocabulum ipſum, neq; Miſſæ tractandi vſum vtcunquè nôrint: tantummodò à ſuis ità didicêre magiſtris, nihili fieri ab eis Miſſę ſacrificium, atque in horum gratiam, etiam ipſi illud vilipendunt, non ſciſcitantes vnquàm ex peritiori aliquo, ſed neq; vllam admittentes informationem, Dionyſius Areopagita. Ignatius. Miſſa.

quibus

quibus tamen rationibus priſca illa Apoſtolica atque Catholica ECCLESIA adducta ſit, vt CHRISTI corpus & ſanguinem, Miſſam & diceret & haberet.

Qui hodiè quàta Eccleſiȩ iniuria afficiāt

Ergó ne vobis, dilectiſſimi, veterem illam atque Apoſtolicam ECCLESIAM fratres illos noſtros, primos credentes, à quibus CHRISTI fidem nos accepimus, iniuria non afficere videmur, dum præter rationem, ſola quadam ducti libidine, petulantia & curioſitate noſtra, quicquid illi credere, docere, obſeruare non dubitârunt, nos reijciendum atque damnandũ ſtatuimus? adeò nihil habere volumus momenti & authoritatis, quicquid illi ceu pium ac ſalutare colere, tueri, ſeruare non dubitârunt? quaſi verò non ex ipſis ſacræ ſcripturæ paginis, Deiq; ſpiritu & inſtinctu, ſed ſuo potiùs cerebro id hauſerint, docuerint, conſtituerintque. Sed mihi credite dilectiſſimi, primitiua illa ECCLESIA, & diuino affluentior ſpiritu, & in vitæ ſanctitate, Deique timore ac amore perfectior fuit, quàm vt quicquam ineptum aut minimè idoneum abſq; Dei ſpiritu & ſacrarum authoritate literarum traderet, ſanciret, inſtitueret, appellaret.

Penès quos Eccleſiæ regendæ ac docendæ ius ſit.

Immò verò cùm penès Apoſtolos, horumq; diſcipulos & ſanctos martyres ECCLESIAM adminiſtrandi atque docendi ius & authoritas reſideret, probè tum ſanè & perſpicuè nouerat ECCLESIA Dei, quid cum ſcriptura congrueret, quidque ab ea diſcreparet: quid ferre illa poſſet, quid reſpueret ac repudiaret: adeoque cum ingenti zelo ſui ſponſi doctrinam mordicùs tum aſſeruabat ac tuebatur, nec hanc vllis incongruis vel vitioſis additamentis ſeu appendicibus corrumpi vlla ratione ſinebat. Iurè eapropter meritoque priſcæ illi Apoſtolicæq; ECCLESIAE ſua iſthæc integra manebit apud Chriſtianos omnes non improbos exiſtimatio, maximè ſi ad illius ſpiritum & ſanctimoniam attendas, vt non tam leuiter & præter rationem deſpicere & condemnare velint, quicquid ab ea ceu pium, bonum ac ſalutare, traditum, obſeruatum, vſitatumque probatur.

Atqui apud eandem ipſam primam & Apoſtolicam ECCLESIAM, ſacratiſſimum atque ſalutiferum CHRISTI IESV corpus & ſanguis in veneranda Euchariſtia idem vocabulum, eandemq; tractandi rationem obtinuit, quæ in hanc vſq; diem MISSA & dicitur & aſſeruatur: id quod iam mihi ſolidis certisq; eſt rationibus declarandum, putà, quid tandem Miſſa ſit, vtì vulgaris quiſque Chriſtianus, dum ſacri huius celebrationi intereſt, illius fieri particeps, ſibique fructuoſum reddere, atque ad ſuam vtilitatem adducere debeat.

Interim nec illud quidem ſilentio prȩterire patiar, quibus argumentis ac rationibus pars aduerſa nitatur, quidque hanc eis præſtet anſam, vt in hunc peruetuſtum priſcæ ECCLESIAE ritum atq; vſum, tam importuni, tamque miſerandum in modum incurrant ac debacchentur.

tur. Qua in re illa mihi deuoranda eſt moleſtia, quam hiſce meis concionibus quibuſdam ingeſturum me præſentio. Equidem id omni vobis aſſeueratione confirmare poſſum, Deumque ipſum, cuius in adſpectu aſſiſto, teſtem mihi adhibeo, me non alicuius iniurijs compulſum, neque quenquam laceſſendi aut affligendi animo hanc mihi de Miſſæ officio adſtruendo prouinciam ſuſcepiſſe, ſed vt pios tantùm atq; è religione benè Chriſtianos homines pro mea virili parte conſoler, eorumque ſaluti conſulam. Quòd ſi poſthàc nihilominùs quiſquam inimico in me velit eſſe animo, eò quòd veritas à me proferatur, id vnum ſupereſt, vt ad DEVM Opt. Max. me referam, ab eo ſolo laboris mei gratiam expectem, vt qui non poſſet in iudicando diſcedere à iuſtitia & æquitate. Cur Miſſæ adſtruendę prouincia authori ſuſcepta.

Id vnum iam antè certò vobis affirmo atque prędico, me de Miſſa nihil aliud neq; dicturum, neque traditurum eſſe, quàm quod ante me ſanctos omnes atque eruditiſſimos patres, ſanctoſque martyres, immò & ſanctam ECCLESIAM Catholicam annis mille quingentis ea de re tradidiſſe, dixiſſe, credidiſſe & obſeruâſſe perſpicuum eſt. Neque vſquàm ſcripturæ contortis vel coactis vtar teſtimonijs, ſed quælibet ſcripturę loca atq; teſtimonia ad peruetuſtæ huius Eccleſiaſticæ inſtitutionis confirmationem, eodem ipſo intellectu, eodem ſenſu ac mente adhibebo, qua iam dicti antiqui & doctiſſimi patres ac martyres, iiſdem ipſis ſcripturæ ſententijs vſi, eaſdemq́; interpretati ſunt. Miſſam ante quingentos ac mille annos fuiſſe.

Quod idcircò à me dicitur, vtì hac me apud vos ſuſpicione liberem, nè fortaſsè ità de me vobiſcum ſtatuatis, atque ità in animum inducere velitis, noua quadam, & quæ nulla ſubnixa ſit authoritate, doctrina me veſtros faſcinare animos, & per deuia quædam abducere conſtituiſſe. Equidem auxiliante Deo, nunquàm me neque meæ, neque veſtræ ſaluti tam infeſtum ac infenſum fore ſpero: eritque fauentibus ſuperis longè ſemper à me temeritas iſta, vt quidquam è ſuggeſtu declamare auſim, quo aut honori diuino defuiſſe, aut piè Chriſtianos, ſalutis eorum amoto ſcopo, per deuia & errorum anfractus atque mæandros abduxiſſe videar.

Enimuerò quum ECCLESIAE Catholicæ membrum ſim atq; miniſter, puto officij mei eſſe, adeoque me adſtringi & obligari, vt veteris ECCLESIAE optimis firmata rationibus dogmata neutiquàm diſtrahi & euerti patiar, ſed omni animi ac virium contentione defendam: neque minùs id à vobis tum diuinæ tum humanæ leges exigunt, vt æquis animis rationes & argumenta, quibus hanc ſuâ cauſam, hocq́; commune ſuum ac generale ſacrificium aduerſùm hoſtes ſuos ECCLESIA Catholica adſtruere ac tueri poſſit, percipere & auſcultare debeatis. Quid fidelem ecclesiæ miniſtrū deceat.

Quòd ſi quandoquè parti aduerſæ contra Miſſæ ſacrum data à vo-

bis opera eſt,ſit æquitatis veſtræ,etiam ECCLESIAE Catholicæ defenſioni aures commodare: nec communem omnium parentem veſtram, ipſam dico ECCLESIAM vniuerſalem, indicta cauſa condemnare velitis. Neque enim Deus ipſe vel in impios illos Babylonios gigantes, vel in impuriſſimos ac nefarios Sodomitas animaduerſione iuſtiſſima vti voluit, niſi priùs è cælo delapſus, re diligenter perueſtigata, operé ne perpetrâſſent, quod de eis rumor ſparſerat, coràm didiciſſet. Sed neque is iuris ciuilis mos eſt, vt aliquis quantunuìs reus & improbus, niſi pro ſe priùs dicendi ſeq; purgandi facta poteſtate, damnetur. Quamobrem liceat, obſecro, & ECCLESIAE ſanctæ eadem apud vos æquitate vti, nec moleſtum ſit, ei quam pro ſe rationem reddit, intentos animos atque aures accommodare. Deindè vbi rem illius cauſamque cógnoueritis, vbi quibus fulta præſidijs iſthęc Miſſæ peruetuſta ſit inſtitutio atque celebratio, cur itidèm & quonam pacto obſeruetur, me agente didiceritis, tum demùm ſententia iudiciumque feratur. Neque enim quicquam vos celare animus eſt: ſed ipſas aures veſtras animosque, & auditores & iudices adhibebo, vtrúmne vetus hoc ECCLESIAE ſacrum & officium ea ſit dignum contumelia & deſpectu, quo hac noſtra ætate à pleriſque abſque vlla ratione afficitur ac laceratur.

Gen. 11. & 19.

C. de accu. & inſcrip. L. 6. & C. de ſal. mo. L. 1. ff. de cuſtq. & exhi.

SERMO III. IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI.

Eſſe in ECCLESIA ſingulare ſacerdotium, & externum ſacrificium, denique ipſum ECCLESIAE ſacrificium, verum eſſe corpus & ſanguinẽ CHRISTI in altari ſub panis viniq́ ſpecie & figura.

PRoxima ante hanc Concione id mihi demonſtratum atq; probatum eſt, verum idemq́; ſacratiſſimum corpus & ſalutiferum ſanguinem IESV CHRISTI in Euchariſtia ſub panis viníque ſpecie in altari, etiam in prima illa Apoſtolica ECCLESIA vbiquè locorum apud Chriſtianę fidei profeſſores id nominis eamq́ue tractandi formam tenuiſſe, vt & corpus & ſanguis CHRISTI in altari, MISSA dicta ſit & habeatur ab omnibus, id eſt, doctum, creditum atque obſeruatum etiam illis ſit temporibus, corpus & ſanguinem CHRISTI, generale eſſe totius Chriſtiani populi ſacrificium, quod ECCLESIA Dei ex præſcripto ac mandato DOMINI ſui Deo Patri cæleſti perpetuò & offerre debeat, & ſit oblatura ſemper, idque in memoriam ſeu commemorationem efficaciſſimæ illius & impendiò ſalutaris hoſtiæ in cruce litatæ, quam vnigenitus DEI filius in ſuo mortali corpore & ſanguine ad totius humani generis conciliationem ſemèl in Cruce obtulit ac ſacrificauit. In quo etiam ſuo quotidiano ſacrificio credentium multitudo DEO Patri omnipotenti

MISSAM generale eſſe Chriſtianitatis ſacrificiū.

ob

ob CHRISTI ſeruatoris noſtri liberationem præcipuas reddit gratiarum actiones: admonet etiam & precatur eundem ipſum Deum ac Dominum ſuum, prodeſſe nobis ac proficere, & promouendæ ſaluti noſtræ accommodum ac efficax eſſe velit, quicquid CHRISTVS pro vniuerſo orbe in cruce effecit ac meritus eſt: peccatis item Chriſtiani orbis propicium ſeſe præſtet, mala omnia à nobis procul auertat, & bona cuncta ſubminiſtret per CHRISTVM Dominum noſtrum, qui noſtræ ſalutis cauſa corpus ſuum in cruce vltrò ad necem obtulit, ſanguinemque ob noſtra abolenda peccata Deumque nobis conciliandum effudit. Hoc nimirùm tot iam ſeculis ſemper in ECCLESIA ſanctiſſimi atque celſiſſimi ſacramenti loco habitum eſt, in quo totam ſpem ſuam, omneque adeò perfugium Chriſtiana ECCLESIA ſibi conſtituendum exiſtimauit, nec quicquam habuit vnquàm, ſed neque habere poteſt reliquum, quo ſe aduerſum peccata fragilitatemq; ſuam perindè ſoletur, quàm vt ipſum Dei Filium noſtræ ſalutis gratia nobis donatum, plena fide prehenſum, in Diuinæ Maieſtatis adſpectu conſtituat, illiusque per merita veniam erratis ſuis, & quidquid alioquì ſaluti ſuę & in hoc tempore & futura æternitate neceſſarium eſt, deuota mente precetur. Cùm enim nos miſeriæ, calamitates & triſtia quęque circundant, quid eſt quod aut debeamus aut poſſimus noſtræ liberationis impetrandę gratia offerre Deo, quàm CHRISTI IESV ſacratiſſimum corpus, noſtræ ſalutis cauſa neci traditum? cumque item peccatis Eſaię 53. occupati & impliciti ſumus, quid æquè ad promerendam veniam efficax, Rom. 4. atquè ſalutiferum precioſumque Domini IESV ſanguinem, ob noſtra totiusque orbis expianda ſcelera in cruce profuſum, Deo exhibere queamus? Atque ità ſimiliter vbicunquè noſtris deſtituti viribus deficimus, auxilium nobis in CHRISTO ſeruatore noſtro quærendum eſt atque expetendum, dicendumque illud è Pſalmo: Quid retribuam Pſal. 115. Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

At verò vti ECCLESIA Catholica omnem ſpem ſalutis ſuæ in hac ſancta, munda ac ſalutari oblatione & hoſtia collocat, vtpotè in qua gratiam & merita CHRISTI ceu à Deo ſibi donatum theſaurum repoſita cernit: ità apud aduerſarios nullum capitalius crimen, nulla tam dira blaſphemia, nihil æquè abominandum ducitur, atquè ſalutare verumque CHRISTI IESV corpus & ſanguinem in altari, Miſſam, id eſt, hoſtiam dicere, & ſacrificij loco habere. Ratio autem qua hanc ſententiam firment, vt CHRISTI corpus & ſanguis, Miſſæ, id eſt, ſacrificij vocabulum rectè ſibi neque debeat, neque poſſit vſurpare, primum iſtiuſmodi eſt: Nôſſe ſe atque tenere in ſancta religione Chriſtiana ſpiritale quoddam ſacerdotium, quod peræquè ad omnes pertineat Chriſtianos, ſitque commune omnibus, ità vt cuncti è religione Chri-

1. Pet. 2. ſtiani, & ſacerdotes & reges ſint, de quo diuus Petrus indiſcriminatim
Apoc. 1. omnibus dixerit Chriſtianæ fidei profeſſoribus: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, &cęt. extra hoc porrò nullum eſſe in noſtra religione externum ſacerdotium. Quòd ſi non ſit ſacerdotium, eſſe ſacrificium quî poſſit? Itaque relinquunt ECCLESIAE ſacerdotium, ſed ſpiritale, cuius ſint etiam hoſtiæ & oblationes ſpirituales, vt verbi gratia, preces, gratiarumactiones, laudes, & corporis hoſtiæ ac ſacrificia, quæ poſſint apud ſeſe etiam præſtare ſinguli quique. Eſſe autem ſingulare quoddam in ECCLESIA munus ac functionem, vbi ſint aliqui præ alijs ſacerdotes, huius nihil ſe habere compertum affirmant. Atque ità cùm iuxta eos nullum in religione Chriſtiana externum ſit ſacerdotium, nec externum in ea aliquod ſacrificium eſſe poſſe. Hoc illi argumento ſubnixi, erroris nos inſimulant, quòd corpus & ſanguinem CHRISTI, Miſſam (id eſt, ſacrificium) & appellare & credere non dubitamus. Contrà igitur ex ipſis nobis ſcripturę fontibus, ipſaque adeò Catholica docendi ratione id inprimìs declarandum venit, ex inſtitutiõe ac mandato ipſius Dei eſſe in Chriſtiana ECCLESIA ſacerdotium atque ſacrificium, ipſumque CHRISTI IESV corpus & ſanguinem in altari ſub vini ac panis figura, hoc idem eſſe ſacrificium Chriſtianitatis.

Schiſmaticorum de ſacrificio dogma.

Spiritua le ſacerdotium.

Iam quidem id vnum minimè nos latet, atque hac in parte ab aduerſarijs nihil diſſidemus, quotquot ſunt verè Chriſtiani, in eos rectè competere, quod dictum eſt, vt ſint regale ſacerdotium: cùm præſertim ad omnes è religione Chriſtianos hoc ſpiritûs Dei teſtimonium æqualiter
1. Pet. 2. ſeſe extendat apud diuum Petrum: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta: & illud item Apocalypſis: CHRISTVS
Apoc. 1. IESVS princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri
Apoc. 5. ſuo. Et quinto capite: Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram: iti-
Apoc. 20. demque illud, In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei & CHRISTI.

Sunt, inquam, generatim dicta hęc de Chriſtianis omnibus, verùm ſpiritali prorſus ratione hoc in noſipſos regnum ac ſacerdotium adminiſtremus & exerceamus oportet. Neque eſt ſanè, vt in quenquam alium, prę terquàm erga noſipſos, atq; in nobiſipſis hanc nobis regni noſtri vſurpemus ac vendicemus authoritatem: neque vſpiàm extra nos, ſed in nobiſipſis noſtrum petemus ſacrificium, in noſmetipſos tantùm ſinguli ius officiumque ſacerdotale exequemur. Hoc ergò pacto rex tibi eris, qualem te eſſe vult conditor tuus, vbi vim poteſtatemque tuam aduerſus improbas, turpes & iniquas cogitationes atque cupiditates ſeu deſi-

deſideria tua intenderis, vbi Deo cor obtuleris ob malè acta contritum ac humiliatum, vt habes in Pſalmo: vbi prauæ voluntati tuæ dominari Pſal. 50. cœperis, vbi in tuam eam redegeris ditionem, vbi cum vitijs, probris, Gen. 4. flagitijs bellum geſſeris, vbi deniquè vitam animamq́ue tuam à peccati peſte & exitio tutatus eris: quemadmodùm rex à ſibi ſubiectis mala infeſtantia, caſus aduerſos, & quicquid in eorum putat cedere perniciem atque cladem, propulſare & auertere ſolet.

Eadem ratione apud tete ac erga te ſacerdotis fungeris munere, ſi intra te prauas cogitationes elidas ac eneces, voluntatemq́ue tuam in Dei referas voluntatem: ſi ex corde tuo impia quæq; deſideria profliges, incipiasq́ue ex ipſo cordis animiq́ue tui altari, Deo ac Domino tuo preces mundas, grates item laudesq́ue offerre: ſi corpus tuum omni ex parte cogas ea, quæ ſunt caſta ac munda, ſectari, quò teipſum Deo tuo gratum placitumq́; ſacrificium exhibere queas, cuiuſmodi ſpiritalis ſacrificij Paulus meminit: Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Et Rom. 12. diuus Petrus: Et ipſi tanquàm lapides viui, ſuperædificamini domus ſpi 1. Pet. 2. ritualis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM. Tales nimirùm & reges & ſacerdotes cuncti eſtis in CHRISTO IESV Domino noſtro.

Atque iſtum in modum etiam in veteri Teſtamento duo fuêre à ſeſe inuicèm diſtincta ac diſcreta ſacerdotia, cùm & illic vniuerſus Dei populus regnum ſacerdotale appelletur, dicente Domino: Si audiêritis vo Exod 19. cem meam, & cuſtodiêritis pactũ meum, eritis mihi peculium de cunctis populis, (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale & gens ſancta. Sed præter hoc ſpiritale atque commune ſacerdotium, erat in illo populo Dei etiam aliud quoddam externum & ſingulare ſacerdotium, ad quod ex ſola tribu Leuitica de genere Aaron ſingulares perſonas cum olei vnctione, peculiari veſtium genere ac cæremonijs quibuſdam adſcitas, inſtructasq́; legimus in Exod. Eiſdemq́; Exod. 30. & 40. ipſis ſacerdotibus munus quoddam ac functio peculiaris à Deo Opt. Peculiare Max. demandata eſt, quam ſibi vſurparè vel aſſumere quiuis alij è popu ſacerdotium. lo non auderent: vtpotè qui indè ſeueris legibus ac Diuina animaduer- 2. Pa. 26. ſione ſeriò arcerētur. Atquì cùm eiuſmodi ſpiritales vos reges eſſe conſtet, ſi quis tamen ad eum vos morem perducere conaretur, vt nullam prætereà aliam ferre, nullam agnoſcere in mundo poteſtatem deberetis, ille vobis haud ſecùs atquè totius Chriſtianæ Politiæ euerſor atque Matt. 22. diſturbator, fugiendus magnoperè foret, vt qui in falſam ac improbam Luc 20. libertatem, & aduerſùm ordinationem conſtitutionemq́ue Diuinam, Rom. 13. totq́ue ſcripturę ſacrę grauiſſima teſtimonia rebellionem, atque ità demùm in iram omnipotentis Dei, corporisq́; ſimul ac animæ perditionem exitiumq́; abducere vos ac pręcipitare moliretur. 1. Theſ. 4.

Eadem omninò ratione, ſi quis eò quòd omnes indiſcriminatim ſpirituales ſacerdotes ſumus, nullum prætereà aliud in ECCLESIA externum ſacerdotium neque eſſe, neque valere aliquid aſſeueret, huius profectò non minorem ego contra ſcripturæ teſtimonia, mandatum ordinationemque Diuinę Maieſtatis dicendi agendique impudentiam, nec minùs ſeditioſos pernicialesque conatus dixerim, atquè illius qui neget ſecularem vllum ferendum Magiſtratum, eò quòd omnes reges ſimus: cùm nec iſte quicquam aliud ſpectet ac machinetur, quàm vt excidium quoddam ac exterminium in ECCLESIAM Dei inuehat, quo ſacramentorum adminiſtratio, & quicquid alioquì eſt in officio Eccleſiaſtico, quod ad credentium conducat ſalutem, funditùs eradicetur ac ſubruatur.

Seditioſa negocia.

Nimirùm craſſè nimìs & impudenter veſtra ſimplicitate abutuntur, qui perſuadere id vobis non dubitant, in religione Chriſtiana nullam eſſe functionem Eccleſiaſticam. Quid ni tandèm & in eam, veſtra freti ſimplicitate, ſententiam atque opinionem vos pertrahant, vt ne ſolem quidem hunc, qui ſe veſtris quotidiè obtutibus ingerit, in cælo eſſe putetis?

Sed vtì noſtros vſque eò occæcare oculos non queunt, vt ſolem in cælo non conſpiciamus: ità nec ſcripturæ ſententias, quibus nouum Euangelicumque ſacerdotium adſtruitur, celare nos atque ſupprimere valebunt. Obſtrepat licèt & obganniat quiſquis volet, tamen totus legit orbis, quemadmodùm Iudaici ſacerdotij abolitionem, atque noui quod eſt apud Chriſtianos, inſtitutionem tot antè ſeculis per Prophetas Deus prædixerit & affirmârit. Sic habes in Eſaia: Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & Leuítas, dicit Dominus: quia ſicut cęli noui & terra noua, ſic ſtabit ſemen veſtrum. Et in Hieremia: Et de ſacerdotib' & Leuitis non interibit vir à facie mea. Et in Malachia: Et colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificium in iuſtitia. Quibus ſanè locis omnibus de vocatione Gentium agitur, quos Deus ex cunctis nationibus in ſuam coacturus collecturusque ECCLESIAM, ſibique in peculium & populum ſuum aſſumpturus erat: quod & antecedentia & ſubſequentia ijſdem ipſis iam dictis locis verba maximè confirmant. Sic etiam legit nouitque totus pariter orbis, vtì Dominus IESVS duodecim Apoſtolos, & pręter hos, duos ac ſeptuaginta Diſcipulos inſtituerit ac ordinârit, peculiari quodam officio ac munere eis demandato, quod vtiquè cæteris credentibus commune non eſſet. Quemadmodùm & Apoſtolus clariſſimis id verbis cõcludit, non omnes Chriſtianos etiam Apoſtolos & eiuſcemodi munerib' in ECCLESIA functos fuiſſe: quoſdam, inquiens, poſuit Deus in ECCLESIA Apoſtolos, &c. Nunquid omnes Apoſtoli? Legit itidèm, ſcitq; mundus omnis, quemadmodùm munus authoritasque ſacerdotalis inſtitu-

Eſaię 66. Hier. 33. Mala. 3. Marc. 3. Luc. 6. Ioan. 6. Marc. 6. Luc. 10. Ephe. 4. 1. Cor. 12.

ta à CHRISTO, & diſcipulis tradita ac delegata ſit, Ioan. 20. Matt. 26. Deniquè & illud totus lectitat atque compertum habet orbis, vt Paulus Timotheum ac Titum ad ſacerdotium manuum ſuarum impoſitione promouerit, addito inſupèr mandato, vt & ipſi per om̃es ciuitates presbyteros conſtituerent, vtque Paulus & Barnabas ſuarum impoſitione manuum per ſingulas ECCLESIAS pluribusque locis presbyteros conſtituerint.

1. Tim. 4. Tit. 1.

Actor. 14.

Nè quis verò, quę eſt quorundã impudentia, ità hęc interpretari velit, tanquàm hęc presbyterorũ inſtitutio, non niſi externa quędam functio ſit, vtì aliàs prętores aut ſubulcos in pagis dicere ſolem⁹: & hìc aperta cumprimìs & maximi roboris ſcripturę teſtimonia habemus, hãc ſacerdotum Ordinationem reuerà ſacramẽtum eſſe, quo per manuũ impoſitionem interna quædam & cęleſtis virtus ac gratia, & munus iſtud exequendi atque adminiſtrandi poteſtas datur: qua ſanè tum gratia tum poteſtate illi prędìti nõ ſunt, qui per iſtam ordinationẽ ad hoc munus non pertrahuntur: quomodò itidèm in Baptiſmo virtus quædã Diuina & gratia nõ contra originale modò, ſed quævis etiam alia peccata confertur, quam nemo dubitat eos, qui Baptiſmum non ſint adepti, habere non poſſe. Et de iſta quidem, quę ad ſacerdotium Diuinitùs infunditur gratia, Pauli teſtimonium adſtipulatur in hęc verba: Noli negligere gratiam quę in te eſt, quę data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitiõe manuum presbyterij. Et iterùm: Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quę in te eſt per impoſitionẽ manuum mearum.

Ordinationé ſacerdotũ eſſe ſacramentum.

1. Tim. 4.

2. Tim. 1.

Præter hęc iam dicta ſcripturę teſtimonia, paſsìm nobis quę ad ſacerdotij Chriſtiani aſſeuerationem faciant argumenta, abundè multa inuenire licet in doctiſſimorum ſanctiſſimorumque virorum ac martyrum monumẽtis, qui iam indè ab initio ad hæc noſtra vſq; tempora in ECCLESIA Dei vita ac eruditione floruerunt, putà Dionyſij Epiſtola ad Demophilum, Clementis ad Iacobum Domini Fr. Epiſcopum Hieroſolymitanũ: itemq; Anacleti, &c. Euariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Ignatij, Aniceti, &c. Neq; Ius modò Canonicum, ſed & Ciuile totius ECCLESIAE Chriſtianæ ſacerdotij meminerunt, idemq; adſtruũt. quòd ſi iam quiſpiam aduerſum tot teſtimonia affirmare nõ vereatur, nullum in ECCLESIA ſacerdotium, nullum ſacerdotem, tanquàm huius adminiſtrum, eſſe, eadem ille profectò perfacilè erit impudentia, vt in eam nos opinionem adducere molíri non dubitet, vtì ſibi credamus, ſolem non eſſe in cælo, qui tamen ſub noſtros cadit adſpectus.

Dionyſi⁹. Clemens. Anaclet⁹. Euariſt⁹. Alexãder Sixtus. Teleſphorus. Ignatius. Anicetus.

Cùm igitur id nobis confectum ſit, externum quoddam in lege Euangelica fundatum atque indè affirmatum eſſe ſacerdotium, conſequens ſcilicet eſt, & ſacrificium externum eſſe, cùm iſthæc ſibi duo neceſſariò cohæreant & mutuò conſequantur. Vbì nanque ſacerdotium eſt, ſit & ſacrificium oportet. Id enim munus, eaque functio

In Chriſtianiſmo etiam externũ eſſe ſacrificiũ.

 ſacer-

ſacerdotis eſt,vt precibus & hoſtijs medius intercedat inter Deum atq;
Hebr. 5. homines,vt ait Apoſtolus: Omnis pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum: vt offerat dona & ſacrificia. Supereſt iam,vt & de communi totius orbis Chriſtiani, eodemq́; externo ſacrificio è ſcripturę paginis teſtimonia audiamus, quo-
Malac. 1. modò iam de ſacerdotio factum eſt. Apud Malachiam Prophetam teſtatur Deus, pro Iudaico ſacrificio aliud ſe ſibi elegiſſe, quod olim toto eſſet orbe immolandum. Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

In quibus Prophetæ verbis ea quæ ſubijcio, nobis obſeruanda ſunt, vtpotè quæ his incluſa ſunt omnia, in ijſdemque tacta ſiue commemorata.

Primò quidem, ità ſtatutum fuiſſe DEO, vt repudiata ſynagoga & priſco illo populo Iudęorum, nouam ſibi plebem ex gentibus adſciſceret & adoptaret: quomodò & alijs pleriſque ſcripturæ locis Iudæis interitum atque excidium minatus eſt, & gentium vocationem antè prædi-
Eſaię 49. xit, vt apud Eſaiam: Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad
Eſaiæ 11. extremum terræ. Et apud eundem: Erit radix Ieſſæ: & qui exurget rege-
Rom. 11. re gentes, in eo gentes ſperabunt. De quo vide etiam Pſalm. 17. & 18.

Secundò, vnà cum populo etiam ſacrificium illius abrogare Deum & abijcere, tanquàm ſibi inuiſum, ingratum & immundum, voluiſſe,
Mala. 1. vtì apud eundem Malachiam paulò ante ea quę nobis recitata ſunt, verba Dominus queritur, dicens: Offertis ſuper altare meum panem pol-
Pſal. 49. lutum. Et per Pſalmographum: Non in ſacrificijs tuis arguam te. Et per
Hier. 6. Hieremiam: Holocauſtomata veſtrà non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi.

Tertiò, Quemadmodùm Deus Iudæorum defectionem ac deſtitutionem, Gentium populis ceu noua plebe, reſarcire atq; ſupplere conſtituerat, ità & in Aaronici locum ſacrificij, quod abolendum erat, aliud inſtituere atque ſubrogare decreuiſſe, vtì nè hac in parte lex noua, priori illa inferior atque imperfectior foret. Non enim poteſt non conſequens eſſe, vt quum definitum fuerit DEO cum gentibus nouam legem
Hier. 31. rogare atque conſtituere, (vt eſt apud Hieremiam) cum ipſa ſimul noua lege nouum quoquè ſacrificium inſtituendum fuerit: quum pręſertim tria hæc, Lex, Sacerdotium & Sacrificium, maximè cognata & apta inter ſeſe atque connexa ſint, & ſeſe mutuò neceſſariò conſequantur, nec poſſit vnum aliquod ex his, eſſe ſinè alijs, Hebr. 7.

Itaque ad oblationẽ illam mundam, cuius meminit Dominus apud
Mala. 1. Malachiam, id propriè pertinebat, vt in locum Iudaicorum ſacrificio-

rum

rum ſuccederet,eademq́ue ſuppleret: quæ ſanè proprietas vel conditio de ſpiritalibus tantùm ſacrificijs,vt ſunt preces, laudes, gratiarum actiones, accipi non poteſt, quum hęc vnà cum Iudaicis illis ſacrificijs perdurauerint, nec vlli propria legi, ſed cunctis & legibus & temporibus communia ſint. Neque etiam ad Aaronica poteſt ſacrificia accommodari, quę & immunda erant ante conſpectum Dei, & non vbiquè locorum & gentium, ſed in ſola tantùm Iudaica plebe vſitata erant & offerebantur: atque eadem ex cauſa ne ad crucis quidem ſacrificium iſta Malachiæ ſententia referri poteſt, quum nec iſtud in omni loco, ſed primario tantùm illo extra mœnia Hieroſolymorum oblatum ſit.

Vndè iam illud ſequitur, dixiſſe hoc loco Deum de generali Chriſtianitatis ex gentibus collectæ atque coactæ oblatione. Etenim mundam hęc DIUINO nomini vbiquè locorum oblationem immolat, ipſum ſcilicet ſacratiſſimum verumq́; corpus, & puriſſimum maximeq́; ſalutarem CHRISTI IESV ſanguinem ſub panis & vini ſpecie, idq́ue in illius, quę in cruce ſemèl oblata eſt, hoſtiæ memoriam, vbì corpus noſtri ſeruatoris pro nobis immolatum, & ſanguis noſtrorum expiandorum ſcelerum gratia profuſus eſt.

Atq; de hoc ſacrificio, eadem planè mente ac ſenſu hanc Malachiæ ſententiam Irenæus ante annos mille quadringentos interpretatus eſt libro quarto, cap.32. Itemq́ue Auguſtinus contra aduerſarium legis, libro primo, cap.20. Et Hieronymus, Damaſcenus, atque alij viri doctiſſimi ac MARTYRES, qui in ECCLESIA Catholica iam indè ab exordio ad hoc noſtrum vſq; æuum tum vitę ſanctimonia, tum eruditionis exiſtimatione claruêre.

ALIVD QVODDAM DE PERPETVO EODEMQVE EXTERNO CHRISTIANITATIS ſacrificio teſtimonium.

APVD Danielem diuerſis in locis iuge ſacrificium tollendum conculcandumq́; legimus ab rege Aquilonis: quod & reuerà ità accidit ſynagogæ ſub Antiocho Syrię rege. At nihilominùs prophetiam hanc CHRISTVS apud Matthęum, ad nouiſſima Antichriſti tempora accõmodat, & ità exponit, teſtaturq́; hanc DIUINI cultûs deſolationem, iugiſq́ue ſacrificij conculcationem, non ſynagogæ modò ab eius hoſte accidiſſe, ſed etiam ſuę ECCLESIAE, populo Chriſtiano, per Antichriſtum eius hoſtem vltimis temporibus inferendam eſſe. Dan.8.11. 1. Mac.9. Matt. 24.

Atq; ex iſta Domini Seruatoris interpretatione iam indè antiquitùs ità receptũ atq; creditum eſt ab ECCLESIA, Antiochum hunc Antichriſti typum figuramq́; geſſiſſe, & per eundem ipſum Antiochum apud Danielem Antichriſtum ſignificari, per illiusq́; geſta eam rerum faciem deſignari, quę ſub mundi finem Antichriſti temporibus DEI ECCLESIAM occupabit.

Itaque id iuxta CHRISTI ac Danielis ſententiam & mentem, Antichriſti opus erit, vt iuge in ECCLESIA ſacrificium auferat ac peſſundet: quo in opere impios habebit adiutores & adminiſtros, qui
Dani.11. (vt eſt apud Danielem) in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter: populus autem ſciens Deum ſuum, obtinebit & faciet.

Si igitur ab Antichriſto tollendum deſolandumque ECCLESIAE iuge eſt ſacrificium, ſit ſanè in ECCLESIA externum quoddam ſacrificium oportet. Non enim Antichriſti illa deſolatio, prophanaque ac impia poteſtas in ſpiritalia vſque ſacrificia deſęuire vel pertingere poterit, vt ſunt verbi gratia, Dédere & offerre cor ſuum Deo, Iniqua in ſeipſo enecare deſideria noxiasque cupiditates, Deo ſuam permittere & offerre voluntatem, Preces attentas ac pias ex puro fundere corde ad Deum, extollere itemq; honore Deum afficere, Laudes illi gratesque agere pro cunctis eius beneficijs & gratiæ donis, quibus nos fideles ſuos & in præſenti & futuro æuo abundè muneratur. Quæ quidē omnia ſunt & ipſa ECCLESIAE ſacrificia, ſed merè ſpiritalia ac interna, in quæ nulla poterit Antichriſtus vti poteſtate. Quæ enī vel Antichriſti vel ipſius quoquè Tartari tam ſæua ſit vis atq; potentia, vt hominē benè Chriſtianum, nè Deum corde adoret, impedire queat? Non eſt certè vllius tanta poteſtas vt id poſſit. Manus quidem ligare, & vinculis adſtringere quiſpiam poteſt, atq; eò nos vi adigere, vt in æde ſacra neque Dei cultum exequi, neq; ſacram offerre hoſtiam poſſimus: corda verò vel ingratìs ipſa quoque Antichriſti, immò & Tartarea omnis poteſtas, libera nobis & intacta relinquet.

Itaque quum ſcripturę teſtimonijs Chriſtianitatis externum quoddam eſſe ſacrificium, ſit demonſtratum, libet ex noſtris percontari aduerſarijs, ſi quidem Chriſti corpus & ſanguis in altari ſub panis viniq; ſpecie, MISSA (id eſt, ſacrificium) non eſt, quod tandèm aliud in ECCLESIA externum ac viſibile ſit ſacrificium vel oblatio, quæ nomi-
Mala. 1. ni Dei in omni loco offeratur, donec exiſtens Antichriſtus eandem auferat atq; conculcet? Neq; enim ocioſa poſſunt eſſe Prophetarum teſtimonia. Quòd ſi nullum aliud externum è ſcripturę paginis ſacrifici-
Conſtrictio ſchiſmaticorum. um proferre queunt, cui antè dicta Prophetarum teſtimonia rectè poſſint accommodari, vtì ſanè nec poterunt vnquàm: agedùm æquos ſeſe præbeant nobis auditores, patianturque nos ex ipſis ſcripturæ diuinæ fontibus atque ſententijs pro totius Catholicæ ECCLESIAE concordi iudicio, mente atque arbitratu, planum teſtatumque reddere, ſacratiſſimum corpus & ſanguinem CHRISTI ſub panis viniqúe ſpecie in altari, communem illam ſanctam mundamque oblationem eſſe, quam Prophetarum oracula ſpectent atque velint: Qua & ipſe vſus eſt CHRISTVS, & ECCLESIAE ſuæ ad finem vſque ſeculi in ſuî memoriam vtendam reliquit, inſtituit, atq; mandauit. Itaque liceat per

ipſos

ipſos bonū eſſe id, quod hucuſquè totus orbis Chriſtianus annos mille quingentos, ceu bonum atque ſalutare, ſemper & vbiquè eadem ratione in vſu habuit, coluit, obſeruauit. Liceat per eos ECCLESIAE hoc ſuo theſauro frui, quem ſibi à Deo donatum nouit, in quo totam ſalutis ſuæ rationem conſtitutam habet, extra quem nihil ſibi ſolatij reliquum ducit. Permittant tamen illi, vt per ſacratiſſimum CHRISTI corpus & ſanguinem ſingulis quibuſque diebus Deum ſibi conciliet, dum qua eam premit neceſſitas aut quis corripit angor, id quod in hac miſera vita, in iſto exilio quotidiè nobis vſuuenire ſolet, vt digniſſimum hunc, quem CHRISTVS ſuo corpore & ſanguine in cruce illi confecit atque peperit, theſaurum amplecti atque prehendere queat. Enimuerò cùm perfectam atque integram cum Deo reconciliationem liberationemque per ſacram illam crucis hoſtiam toti ſimul orbi CHRISTVS obtinuerit, eademq; ipſa pro noſtrûm omnium peccatis propiciatio ad finem vſq; mundi permaneat: cur non, obſecro, hodieque diebusque omnibus eo ipſo ceu noſtra propiciatione vtamur, eum ſuo vero in corpore & ſanguine Deo repræſentemus ac offeramus, atque adeò per ſacratiſſimi corporis huius pro nobis oblati, & precioſiſſimi ſanguinis noſtris pro ſceleribus fuſi merita, tum veniam erratis noſtris, tum cetera quæ ad temporariam ac æternam noſtram ſalutē pertineant & ſint neceſſaria, precemur? Nimirùm cùm ſit CHRISTVS propiciatio pro peccatis noſtris, id eos nobis permittere æquiſſimum eſt, vt hoc loco eum habeamus, eoque fruamur: neque Antichriſti partes ſibi præripere ac vſurpare velle debent, vt hunc à Deo donatum Chriſtianæ ECCLESIAE theſaurum, ante tempus adimere atque auferre moliantur. Satis enim ſuperque afflictæ Chriſtianitati graue, aſperum atque intolerabile erit, vbi ſub crudeliſſima tartarei Antichriſti tyrannide ac poteſtate annos tres & menſes ſex, id eſt, mille ducentos nonaginta dies, iuxta Danielis ſupputationem, hoc ſuo theſauro carere debebit. Antichriſto ſuas partes pręripere.

Et certè vnus hoc poterit Antichriſtus: huic vni robur datū eſt contra iuge ſacrificium propter peccata: & proſternetur veritas in terra, vt habes Danielis 8. Vanus eapropter eorum conatus eſt, qui quod Antichriſti eſt, anteuertere, atque in ſe transferre nituntur, vt hoc ſuum ECCLESIAE ſacrificium ante tempus eripiant. Nimirùm ſpe ſua omni fruſtrabuntur, niſi ſint ipſi fortè Antichriſtus. Danl. 12. Antichriſtus. Dan. 8.

IAM agè aditum nobis vtcunquè comparemus ac muniamus ad demonſtrandum, CHRISTI IESV corpus & ſanguinem ſub panis viniq; ſpecie id eſſe ſacrificium, quod à Prophetis commemoratur.

Sanè ſi geſta CHRISTI Seruatoris noſtri, vtì ab eo noſtrę redemptionis opus iuxta ſacrorum Euangeliorum hiſtoriam, itemque teſti-

Duo chriſti ſacrificia. monia atq; figuras veteris inſtrumenti concluſum eſt, rectè expendere velimus, duo eum in ſuo corpore & ſanguine ſacrificia exhibuiſſe animaduertimus: Vnum, quandò in cruce ob humani generis liberatio-
Cruentũ. nem corpus ſuum morti tradidit, & ſanguinem ob mundi ſcelera fudit: qua oblatione ſimul finem Aaronico ſacrificio impoſuit, eademq;
Eſaię 53. ipſa vna oblatione & peccatorum veniam, & æternam vitam ac beati-
Rom. 4. tudinẽ toti orbi meritus eſt ac impetrauit, vt eſt ad Hebręos: Vna obla-
Hebr. 10. tione conſummauit in æternum ſanctificatos.

At verò vti perpetua noſtris in cordibus redemptionis illius memoria perſeueraret, alterum quoquè adiecit ſacrificium, quod nós illius in memoriam iugiter in ECCLESIA ſeruemus ac offeramus, eademque ipſa adeò nocte, qua cruentam hoſtiam ob redimendos homi-
Matt. 26. nes immolaturus erat, corpus & ſanguinem ſuum etiam alia ratione ſa-
Marc. 14. Luc. 22. crificium inſtituit. Enimuerò cùm ſumpto in manus pane, itemque ca-
1. Cor. 11. lice, gratias agens, panem & vinum in carnem ſuam & ſanguinem conuertiſſet, idem corpus & ſanguinem ſuum ſub panis ac vini ſpecie non modò diſcipulis cibum tradidit, ſed etiam cæleſti obtulit Patri, vtque
Incruentum. idem diſcipuli ob ſuî memoriam facerent, mandauit. Et hoc alterum, eſt incruentum ſacrificium, quod hodieq; in ædibus ſacris ex CHRISTI pręcepto facimus & aſſeruamus, non ea mente neque hoc conſilio, tanquàm quotidiana hac oblatione noſtra peccatorum remiſſionem noſtrique redemptionem deintegrò nos impetrare oporteat, ſed vt in eo ipſo quotidiano iugique ſacrificio illius ſeruemus oblationis memoriam, qua nobis & peccatorũ venia, & beatitudo parta eſt: Deoq; tanto pro beneficio liberationis noſtræ gratias agamus, hacque de cauſa corpus & ſanguinem CHRISTI quotidiè ſpiritali quadam ratione offeramus, id continenter multaque inſtantia precantes, vt nobis prodeſſe ac proficere, atq; in noſtram cedere ſalutem velit, quicquid in altero illo CHRISTVS IESVS ſacrificio toti ſimul orbi confecit, obtinuit, impetrauit.

Hæc nimirùm quotidianæ eſt oblationis ratio. Nè quis igitur ſacrificij nomen tantoperè perhorreſcat, àc ſi CHRISTVM cruenta ratione offeramus, ac denuò ſuffigamus in cruce. Iam annos plùs mille quingentos id certum exploratumque fuit, CHRISTVM cruento modo non niſi ſemèl oblatum eſſe, nec poſthàc vnquàm ea poſſe ra-
Rom. 6. tione offerri, quandò nec mori poteſt, nec mors illi vltrà dominabitur. Neque enim idem omninò, quod ille in cruce fecit, ſacrificium agimus, ſed quod ab eo in cœna actum, & vt à diſcipulis in eius memoriam fieret, demandatum eſt. Qua de re concione proxima, fauente Deo, rationes nobis ac teſtimonia proferentur.

SERMO IIII. DOMINICA II. ADVENTVS.

CHRI-

CHRISTVM IESVM in cœna vltima corpus & ſanguinem ſuum ſub panis ac vini ſpecie Deo Patri cœleſti obtuliſſe, idemq́ ſacrificium ECCLESIAE ſuæ in ſuî memoriam aſſeruandum demandâſſe. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

QVemadmodùm vobis pollicitus ſum, dilectiſſimi, hac mihi concione rationes adferendæ confirmandumq́ue teſtimonijs erit, CHRISTVM Dominum ſeruatorem noſtrũ ſeipſum, verum corpus, ſalutaremq́ue ſanguinem ſuum, non modò in cruce ſacrificium conſtituiſſe, vt eſt ſemel oblatus, nec poteſt eadẽ ratione denuò offerri: ſed eadem ipſa, id eſt, corpus eius & ſanguinem in Euchariſtia quoquè in cœna ſub panis ac vini ſpecie ſacrificium habenda eſſe: id quod diebus ſingulis ECCLESIA ſancta repetit, rurſumq; offert Deo, ex præcepto ſui redemptoris, dicentis: Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22.

Atque fuit id ſanè apud ECCLESIAM Catholicam compertum ſemper atq; perſpectum, itaque traditum, CHRISTVM IESVM mortali corpore non niſi ſemèl in cruce & debuiſſe & potuiſſe offerri, vt fit ſcripturæ teſtimonijs manifeſtum ad Hebræos: Neque vt ſæpè offerat ſemetipſum: alioquì oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Sed quemadmodùm ſtatutum eſt hominibus ſemèl mori, ſic & CHRISTVS ſemèl oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Heb. 9. Et ad Roma. CHRISTVS reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur. quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemèl. Rom. 6.

Quin & hoc vniuerſalis toto orbe ECCLESIA non abſq; ſuî magna conſolatione credidit, & digna erga Deum gratiarum actione ſemper liberè profeſſa eſt, CHRISTVM Seruatorem noſtrũ vna illa ſua crucis oblatione & hoſtia, integrã perfectamq; totius mundi cum Deo conciliationem confeciſſe, atq; abundè multam & quæ cunctis ſufficiat, toti hominum generi ſalutem comparâſſe atq; obtinuiſſe, teſte Apoſtolo ad Hebræos diuerſis in locis. Heb. 9. & 10.

Vndè nullis vnquàm ſeculis id ab ECCLESIA Dei attentatum eſt, vt quod in cruce ab Domino Seruatore ſemèl immolatum eſt ſacrificium, ipſa eodem modo æmularetur, vel ipſum Deo Patri cruenta ratione, mortem illi inferendo, denuò offerret.

Atquì nihilominùs tota credit obſeruatq; ECCLESIA, optimis quidẽ ſubnixa firmataq; teſtimonijs, CHRISTVM IESVM corpus & ſanguinem ſuum etiam alio quodã modo ſacrificium inſtituiſſe, idq́ue in illa cœna vltima, ſub figura panis & vini: quod, vt iam antè dictum eſt, cunctus orbis Chriſtianus quotidiè iterat, non proprio ſanè iudicio atq; conſilio ductus, ſed iuſſu ac voluntate Domini ſui, dicentis: Hoc facite in meam cõmemorationem: neq; hac mente ac ſententia, quô nos peccatorum remiſſionem noſtriq; redemptionem quotidiana hac oblatione noſtra deintegrò comparare neceſsè ſit, tanquàm

illud crucis ſacrificium ſaluti noſtrę inſtaurandę non ſuffecerit,aut non efficax ſatis atq; perfectum abſolutumq́; fuerit: ſed in memoriam tantùm cruenti illius crucis ſacrificij,munda hęc & quotidiana nobis oblatio renouatur,ipſumq́; ſacratiſſimum corpus & ſanguinē CHRISTI Deo patri offerimus, cum gratiarũactione ob noſtri per CHRISTVM liberationem,precibusq́; feruidis & attentis,multaq́; inſtantia, vt deinceps ſuę velit ECCLESIAE ſaluti eſſe,quod à dilectiſſimo Filio ſuo in cruce partum & acquiſitum eſt, vbi ſcilicet hoc ſuum corpus noſtræ ſalutis gratia morti tradidit, huncque ſuum ſanguinem ob nos conciliandos pro noſtris peccatis fudit.

Chryſoſtomus in epiſtola ad Hebræos, ſermone 17. de proditione Iudæ. De ſacerdotio lib. 5.

Neq; verò hoc noſtrum quotidianum ſacrificium, quòd ad ſubſtantiam ſeu eſſentiam attinet, quicquam ab illo crucis ſacrificio diſtat. Neq; enim in Euchariſtia in altari non idem ipſum CHRISTI corpus eſt, quod pro nobis hoſtię loco ſublatum eſt in crucem, neq; non ſanguis ille, qui in cruce ōb noſtra expianda crimina fuſus eſt. At tamē quòd ad rationem atq; modum, immò & intentionē attinet, multò iſta alia, atquè illa, oblatio eſt. Illa crucis, cruenta atq; moriendi quadā ratione fiebat, ad abolenda totius humani generis errata: nec illam niſi ſemèl fieri fas erat, cùm id vtiquè peccatis omnibus omniũ expiandis abundè ſufficeret. Iſta verò altaris, in myſterio agitur, abſq; ſanguine, non mortē occũbendo, nec cruciabiliter, ſed ſpiritaliter, vtpotè illius crucis hoſtiæ myſterium. Vndè identidèm iterari certè cōuenit, & par eſt, vtì per verba & geſtus ſiue cæremonias, quę in hoc perpetuo ſacrificio obſeruantur, illius vnicæ oblationis apud nos in noſtris cordib⁹ ſubindè memoria renouetur, & mors CHRISTI verbis atq; ſignis Chriſtiano populo ſignificanter, donec veniat, annũcietur: poſſitq́; ECCLESIA toto terrarum orbe huius perpetui vſu ſacramenti, quicquid ei CHRISTVS ſponſus atq; ſeruator eius in illa crucis oblatione meritus eſt, ſibi adiungere & applicare, eorumq́; pro ſalute ſua frui ac eſſe particeps: vtì quod à D. Ioanne dictũ eſt, ſemper apud ECCLESIAM Catholicam verum & efficax comprobetur: Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi.

Oblationis in cœna & in cruce factæ, diſcrimen.

Agè iam auguſtiſſimā hanc totius ECCLESIAE vniuerſalis perſuaſionem, aduerſùm inuidam ac maleficā eius ſobolem, optimis ſcripturæ teſtimonijs communiamus, planumque efficiamus omnibus, quibus ſubnixa rationib⁹ ECCLESIA Catholica, ſemper & vbiquè & crediderit, & docuerit, & obſeruârit, CHRISTVM IESVM corpus & ſanguinem ſuum in Euchariſtia ſub panis ac vini ſpecie, in cœna illa vltima ſacrificium inſtituiſſe, idemq́; in ſuî memoriam ad finem vſque mundi in ECCLESIA ſua aſſeruandum iuſſiſſe.

Luc. 22.

Demandatum eſſe ſacerdotium CHRISTO à Deo patre iuxta ordinem Melchiſedech, ipſe Dauid teſtatur his verbis: Iurauit Dominus

Pſal. 109.

(Do-

(Domino meo, vtiquè CHRISTO) & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Itaque ex ipſis nobis ſcripturæ paginis Melchiſedech ſacerdotium eſt depromendum, oſtendendumque, in quibus ſacerdotium CHRISTI cum illo conſentiat atque concordet.

Teſtis eſt ſcriptura Geneſeos, cùm Abraham quadam vice inſignem ex hoſtibus victoriam reportâſſet, obuiàm illi Melchiſedech cum pane ac vino perrexiſſe, Abrahamoque benedixiſſe. At verò iſta benedicendi ratio, nihil proprium aut peculiare ad Melchiſedech ſacerdotium adiungit: quandoquidem & Aaron & cæteri illius ordinis ſacerdotes, eodem modo ſacerdotes erant, vtpotè quibus id mandati in ſua functione datum erat, vt benedicere poſſent. Gene. 14. Gene. 27. Deut. 25.

Atquì vnum aliquid in Melchiſedech nobis occurrit, quod nec Aaron, nec vllus vnquam Moſaicus ſacerdos vſurpauit, hoc videlicet, quòd Melchiſedech ob victoriam Abrahamo diuinitùs conceſſam, panem ac vinum Deo obtulit: vbì quò facilè animaduerti poſſet, panem ac vinum à Melchiſedech non veſcendi tantùm gratia, ſed potiſſimùm ſacrificij cauſa apportata fuiſſe, verbis id conſequentibus ſcriptura teſtatur: Erat enim, inquiens, ſacerdos Dei altiſſimi.

Quòd autē pars aduerſa hoc Melchiſedech ſacrificium, coacta, violenta ac recens conficta loci huius interpretatione abnegare molitur, ipſorum mendacijs concordem ſanctorum doctiſſimorumq; virorum ac martyrum ſententiam atq; ſenſum opponimus, qui ante annos plùs mille eandem huius loci mentem atque ſenſum eſſe voluerunt, quem hodieq; tota vbiquè ECCLESIA confitetur: Hi, inquam, vno om̄es ore teſtantur, id quod à Melchiſedech in pane & vino geſtum eſt, ſacrificium fuiſſe, CHRISTIque futurum illud retuliſſe atque ſignificâſſe ſacrificium, vbì is in cœna corpus & ſanguinem ſuum ſub panis ac vini ſpecie Deo Patri obtulit, atque ità ECCLESIAE ſuæ perpetuum ſacrificium inſtituit, ſemperque in omne reliquum tempus in ſuî memoriam ſeruandum mandauit.

Accipite hinc teſtimonia ſanctorum Martyrum atq; Pontificum, qui ante mille trecentos & eo ampliùs annos in ECCLESIA Dei vita atque doctrina claruerūt: & primò ſanctiſſimi martyris Cypriani lib. 2. Epiſt. 3. ità dicentis: Vt in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit antè imago ſacrificij in pane & vino conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panē & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratę imaginis adimpleuit. Eiuſdem planè generis teſtimonia cernere eſt apud D. Hieronymum ad Euagrium, itemque apud Auguſtinum de doctrina Chriſtiana, lib. 4. cap. 21. & Ambroſium de ſacramentis lib. 4. necnon apud Arnobium in Pſalmum centeſimum- Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. Hieronymus. Auguſtinus. Ambroſius. Arnobius

nonum, vbi ſic habet, de CHRISTO loquens: Hic qui per myſterium panis ac vini ſacerdos factus eſt in ęternum ſecundùm ordinē Melchiſedech, qui panē & vinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio.

Damaſcenus. Sic & Damaſcenus: Pane, inquit, & vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cęde alienigenarū reuertentem, qui erat ſacerdos Dei altiſſimi. Illa menſa, hanc myſticam præfigurauit menſam: velut & ſacerdos ille, CHRISTI veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginem, iuxta illud: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Theophylactus. Sic habes & apud Theophylactum: Quem enim alium afferre poſſunt præter CHRISTVM Iudæi, qui ſit ex Melchiſedech inſtituto Pontifex factus? Nónne erant ſub lege omnes? Nónne vniuerſi & ſabbata obſeruabant, offerebantq́; ſacrificia? Apertiſſimè itaq; de CHRISTO dictum id eſſe conſtat. Hic enim & ſolus, Melchiſedech illius in morem, pane & vino ſacrificabat.

En tibi ſcripturarum teſtimonia, CHRISTVM non vnum duntaxat, cùm ſe in cruce noſtris pro peccatis cruciabiliter obtulit, ſacrificium feciſſe, ſed inſupèr aliud in pane ac vino inſtàr Melchiſedech exhibuiſſe. Atq; vt nè id vobis dubium hærere poſſit, recténe an perperàm hoc ſcripturæ teſtimonio vtar, eadem mens, idemq́ue ſenſus tot vobis ſanctorum martyrum doctiſſimorumq́; virorum iam recitatus eſt. Nec quiſquam vnquàm probare poterit, hoc iuxta ritum Melchiſedech ſacrificium CHRISTVM IESVM vſquàm aliâs confeciſſe, quàm cùm in cœna panem & calicem ſanctis præhenſa manibus, benedixit, & omnipotētis verbi ſui virtute in verum corpus & ſanguinem ſuum conuertit: eademq́ue ipſa, putà corpus & ſanguinem ſuum ſub panis ac vini ſpecie, non modò diſcipulis eſcam dedit, verùm etiam patri cælesti obtulit, exercens ibì atque adminiſtrans ſacerdotium ſuum, quod illi à Deo patre iuxta ordinem Melchiſedech fuerat demādatum: quod tum ſacerdotium etiam Apoſtolis ſuis impertiuit, dato eis præcepto, vt nouum hoc ſacrificium in perpetuam ſuì memoriam in ECCLESIA offerrent: Hoc, inquiens, facite in meam commemorationem. Lucę 22.

Itaque iſthæc totius Catholicæ ECCLESIAE de incruenta hac mundaq́ue oblatione fides eſt, quæ vtiquè verum eſt corpus & puriſſimus ſanguis CHRISTI ſeruatoris noſtri, ſub panis viniq́ue figura iuxta ritum Melchiſedech.

Vbì id iam cuique fideli animaduertendum penſandumq́ue venit, vtì veritas cum figura tam aptè, tam pulchrè conſentiat. Etenim ob collatam diuinitùs Abrahamo victoriam de hoſtibus illius, pane & vino ſuum Melchiſedech ſacrificium confecit: & noſtrum ìtidèm quotidianum iugeq́ue ſacrificium, ſub panis ac vini ſpecie ob victoriam

Veritatis & figuræ venuſta cōſenſio.

agitur

agitur: nempe in memoriam ſalutiferæ mortis CHRISTI, per quam nobis ſolida firmaque aduerſum hoſtes noſtros, putà dæmones, vitia, mortem æternam, ex Dei munere parta confectaque victoria eſt.

Eſt porrò & aliud certum huius rei argumentum, CHRISTVM ſub panis ac vini ſpecie Chriſtianitatis eſſe victimam. Ipſe Apoſtolus teſtis eſt, Paſcha noſtrum CHRISTVM eſſe, & quemadmodùm ille agnus Iudaicus in lege ob populi illius ex Aegypto liberationẽ immolatus eſt, ità CHRISTVM ob nos omnes in libertatem vindicandos oblatum eſſe. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt CHRISTVS. 1. Cor. 5. Exod. 12.

Quęro hìc, quonam tempore hoc CHRISTVS ſacrificium peregerit, quòd ad agnum ſeu paſcha Iudaicum aptè quadret? Si reſpondeas, In cruce: non me tantùm, ſed totum pariter orbem Chriſtianũ pernegantem, tibiq; contradicentem ſenties. Neque enim iſtis benè conuenit. Etenim agnus ille Iudaicus in memoriam immolabatur liberationis tum ab angeli exterminantis cęde, tum ſeruitute Aegyptiaca. At crucis hoſtia nõ ob noſtræ immolata eſt redemptionis memoriam, ſed fuit ipſa noſtra redemptio. Iſthęc verò ſub panis ac vini ſpecie oblatio, monimentum ſeu memoriale quoddam eſt, vtpotè quæ in noſtræ ex peccatis ereptionis memoriã ſacrificatur, & rectè ad Paſcha Iudaicum quadrat. Vide Rupertum Tuitienſem de Diuinis officijs, libro ſecundo, capit. 10. libro quinto, cap. 15. libro ſexto, cap. 22. Rupertus Tuitiẽſis.

Nimirùm in agni illius Paſchalis apud Iudęos vſu id expetebat Deus, vt eſſet perenne quoddam ſuorum in ea gente beneficiorum monimentum: itaque & præcepit eis, vt & filios atque poſteros ſuos eiuſdem victimæ ſignificationem diligenter edocerent. Cùm, inquit, dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis, Victima tranſitûs Domini eſt, quandò tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans. Exod. 12. Ibidèm.

Ità ergò & vos, vbi percontantur liberi veſtri, Quid eſt, quod in altari ſub panis ac vini figura Domini corpore & ſanguine agitur, reſpondebitis: Fit hoc ob gratam clementiſſimi illius beneficij Dei cõmemorationem, quo vnigenitus Dei Filius corpus ſuum noſtra cauſa neci dedit, ſanguinemque in cruce fudit, quò nos totumq; ſimul orbem è peccati mortiſque æternę damnatione extraheret, & in priſtinam aſſereret libertatem. Voluit autem & quidem ex ardentiſſimo erga nos amore, vt ad mundi vſque finẽ cuncti hac ſua liberatione mortales ad ſalutem ſuam perfruerentur. Hac igitur ex cauſa ſacratiſſimũ corpus & ſanguis eius (quibus generalis huiuſmodi redemptio mortalibus omnibus parta eſt) quotidiè Deo Patri offertur, quo is ſalutaria CHRISTI merita, illiuſque liberationem, cunctis illis ſaluti eſſe velit, pro quibus cõmunis huius redemptionis theſaurus, id eſt, corpus CHRISTI & ſanguis, offertur.

Figuræ & veritatis connentio.

Hîc iam iterùm ſecum quiſque diſpiciat, vtì veritas figuræ aptiſſimè reſpōdeat. Paſcha Iudęorum primò quidem illis ſacrificij loco erat, quo ſuæ liberationis memoriam agebant: deindè cedebat & in cibum. Sic & verum atque ſalutiferū CHRISTI IESV corpus & ſanguis, primò nobis ſacrificium eſt, quo Deo noſtræ ereptionis monimentum exhibemus: deindè & fidelibus eſca fit, quo animas ſuas nutriant in vitam æternam.

1. Cor. 10.

Quin & alia quotidianæ huius victimæ afferendæ documenta ſunt. Paulus in priore ad Corinthios, de menſa agit dæmoniorum, & de menſa Domini: per dęmonum menſam, Ethnicorum altare accipiens, in quo ſuis idolis ſacrificabant: per menſam verò Domini, altare Chriſtianorum, in quo ſalutiferam offerunt victimam ſuam corpus & ſanguinem CHRISTI: eſtque ibi mens Apoſtoli, vt nè quis menſæ Ethnicorum particeps ſit, qui ex altari verum illius corpus & ſanguinem percipit.

Vide hîc mihi, obſecro, vt ſacer Apoſtolus altare & hoſtiam Chriſtianorum appellet. (Non enim poteſt non eſſe ſacrificium, vbi altare eſt) & tamen aduerſarij noſtri parùm abeſt quin rumpantur præ impatientia, dum nos ità ſentimus, verum CHRISTI corpus & ſanguinem in altari, ſacrificium eſſe. Neq; habet tamen quicquam momenti, quod aiunt in illa cœna vltima Dominum corpus ſuum ſub panis ac vini ſpecie neutiquàm ſacrificium dixiſſe. Enimuerò neq; ſacramentum tum, neque crucis hoſtiam appellauit: ac nihilo ſeciùs vtrunq;, id eſt, & ſacramentum & crucis hoſtia, rectè dicitur.

Cauillus quidā Lutcranicus cōfutatur.

Itaque hucuſquè tum ipſis ſcripturæ teſtimonijs, tum concordi totius Chriſtianitatis fide, interpretatiōe & ſenſu demonſtratū eſt, nobis CHRISTVM IESVM non modò in cruce moriendi & cruenta ratione, ſed etiam in cœna ſub panis ac vini figura, incruēto ac immortali modo ſeſe ſacrificium immolâſſe atque inſtituiſſe, corpusq; & ſanguinem ſuum obtuliſſe. In quo quidem ſacrificio, ſub panis (vt dictum eſt) ac vini ſpecie exhibito, ſacerdotem ſeſe præſtitit ac declarauit iuxta ordinem Melchiſedech.

Chriſtū ſeſe biſariàm immolâſſe.

Cùm enim ex ipſius inſtituto ac lege naturæ nulla ſit religio, quę nō ſua quædam habeat conſtituta ſacrificia externa, quibus homines, gratias dijs ſuis acturi, vtantur: ità & CHRISTVS neceſſarijs hiſce cęremonijs ac ritu ECCLESIAM ſuam fraudari nolens, hanc ei mundam ſalutaremque inſtituit oblationem, quæ redemptæ Chriſtianitati perpetuum quoddam cunctorum DEI beneficiorum, maximè liberationis ſuæ, monimentum ſit, cum gratiarumactione colendum obſeruandumque.

Eſſe religioni cuique ſua externa ſacrificia.

Nec facilè quicquam æquè ad noſtræ aſſeruandam redemptionis memoriam efficax & accommodum ECCLESIAE ſuæ præſtare potuiſ-

Efficacius corpore &

potuiſſet, atque hoc ipſum corpus & ſanguinem ſuum, quibus noſtrí confecta partaque eſt liberatio. Etenim quî fieri poſſit, vt in huius non redeamus liberationis memoriam, dum noſtro ſub adſpectu & corpus CHRISTI, ob nos in libertatem vindicádos neci datum, & ſanguis, in noſtrorum expiationem ſcelerum fuſus, in myſterio tractantur? *ſanguine CHRISTI noſtræ redemptiõis memoriale relinqui nobis ne quiſſe.*

Neceſſe profectò eſt, vt per viſibilia ſigna (ſub quibus verũ CHRISTI corpus & ſanguinem certa ac indubitata fide contemplamur) noſtra incitentur pectora ad totius humani generis cogitandã redemptionem, hoc Domini corpore & ſanguine confectam: neceſſè eſt deuotione inflammemur, atq; ad orandum Deum medullitùs accendamur commoueamurque, vt per hanc ſacratiſſimam atque præſtantiſſimam hoſtiam, ſemèl in hoc corpore ac ſanguine exhibitam ac immolatam, eandem ipſam nobis quoquè ad ſuî erga nos cõciliationem, noſtramq; adeò ſalutem perennemque felicitatem, ex gratia, benignitate & miſericordia ſua prodeſſe atque proficere velit. *Viſibiliũ ſignorũ vtilitas.*

Atque vt perpetuũs memoriæ huius in ECCLESIA CHRISTI vſus & exercitatio foret, ipſe CHRISTVS Apoſtolis ſuis nouæ legis ſacerdotium demãdauit, præcipiens, vti hanc ſacrificarent hoſtiam, dum ait: Hoc facite in meam commemorationem. Atq; ità æternus CHRISTVS ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, in ſuorum permanet functione ſeu officio famulorum: & redempta atq; gratiam adepta gentilitas, iuxta Malachiæ vaticinium, nomini Dei in omni loco mundam offert oblationem, ipſum putà ſanctiſſimum corpus atque mundiſſimum ſanguinem CHRISTI, gratias agens Deo pro cunctis illius donis, chariſmatibus, ac beneficijs, id magna contentione & inſtantia precans, vt Deus ſuæ ſe CATHOLICAE ECCLESIAE per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrũ deinceps cõciliari patiatur, nobiſq; ſaluti eſſe velit & efficax, qcquid ſanctus & dilect⁹ filius eius Dominus noſter hoc ſuo venerãdo corpore & ſanguine in cruce nobis, totiq; adeò orbi obtinuit, cõfecit ac merit⁹ eſt. *Luc.22.* *Mala.1.* *Quid Eccleſia potiſſimùm in MISSA petat.*

SERMO V. DOMINICA
TERTIA ADVENTVS

CHRISTVM in MISSA non cruẽta ratione offerri, nec per MISSAE ſacrũ paſſionis CHRISTI meritis quicquam detrahi, ſed ea potiùs honorari, celebrari, ac maximi fieri.

ALiquot ſuperioribus cõcionibus, de ſacro antiquæ ECCLESIAE officio, quod eſt MISSA, habitis, quædam mihi teſtimonia atque documenta allata & introducta ſunt de rebus quibuſdam, quæ noſtri aduerſarij pernegãt, cùm tamen & optimis ſcripturæ rationibus ſubnixæ ſint, atq; totius Catholicæ ECCLESIAE vſu nunquàm non ceu rectę, certę, ſanę & ſalutares habitę ac traditę ſint, & ita perſuaſum ſemper omnibus fuerit.

Schiſmaticos prima principia reijcere. Admittere aliquod externum in ECCLESIA Dei ſacerdotium nolunt: at contrà totus orbis Chriſtianus ante annos mille quingentos ex oraculis Prophetarum, & inſtitutione & doctrina CHRISTI ac Apoſtolorum, externum ſacerdotium non probat modò, ſed etiam vſurpat.

Nolunt vllum Chriſtianitatis externum eſſe ſacrificium: ediuerſò ECCLESIA Catholica mundam adſtruit, aſſeruat, fatetur & agnoſcit hoſtiam, quæ iuxta Malachiæ dictum, in omni loco apud gentes in libertatem vindicatas, Dei nomini offertur: quam olim Antichriſtus, Daniele teſte, CHRISTOque interprete, vltimis temporibus orbi Chriſtiano annos tres & ſex menſes auferet ac peſſùm dabit: eandemq; ipſam mundam oblationem, ex certis ſcripturæ rationibus CHRISTI eſſe nouimus ſacratiſſimum corpus & precioſiſſimum ſanguinē, inſtitutum ab eodem ipſo in cœna vltima, atque ſub panis ac vini ſpecie pro Melchiſedech inſtituto oblatum, & vt in ſui memoriam, donec veniat, ab ECCLESIA offeratur, iuſſum atque mandatum.

Malac. 1. Daniel. 9. Iohel. 1. Matt. 24. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Iſthæc totius Chriſtiani orbis de ſancta hac mundaq; oblatione perſuaſio, ità diuini verbi authoritate fundata atque ſubnixa eſt, vt aduerſariorum futili ac leui, nec vllis munita rationibus interpellatione non modò non ſubruenda, ſed apud pios quoſque & benè Chriſtianos nec commouenda quidem ſit.

Eſſe irrationabiles, ſchiſmaticorū in Miſſæ ſacrificium obiectiones. Sunt & alia, quæ aduerſarijs in hoc venerando MISSAE ſacro toleratu indigna videantur, & ab eis ferantur grauiter: at verò cùm bona & ſancta ſint, ex ipſiſque ſcripturæ ſententijs petita, non poteſt ea ſanè ECCLESIA Catholica in eorum gratiam repudiare: de quibus ijs mihi locis (Deo volente) dicere atque rationem reddere ſtatutum eſt, vbi in MISSAE explanatione ſeſe nobis vltrò offerent & occurrent.

Iam agè noſtrū perſequamur inſtitutum, Catholicamq; ECCLESIAM aduerſum conficta, vana ac falſa quædam conuicia, quæ illi in eius ſuggillationem atque ignominiam à parte aduerſa falſò obijciuntur, rudiſque ac imperitæ multitudinis animis imprimuntur, atq; eum proponuntur in modum, tanquàm ex Catholicæ ECCLESIAE inſtitutione atque ſententia profecta ſint, cùm tamen nihil ea minùs credat, nec quicquam eiuſmodi aut docendum ſibi, aut obſeruandum ſtatuerit.

Calúniæ Schiſmaticorū in ecclesiam. Ex harum autem commentitiarum fictarumque calumniarum genere & iſta eſt, quòd abſurdis quibuſdam & indignis hinc vocibus perſtrepunt, quaſi CHRISTVS in altari cruenta ac moriendi ratiõe offeratur, vel, vt ipſi aiunt, cõminuatur, excrucietur, ſupplicijs mactetur, & in cruce ſuffigatur: quibus hoc vnum efficere cupiunt, vt rudis plebecula tam indignis, abſurdis, inſulſiſq; vocibus erga vetuſtum hoc ECCLESIAE Catholicæ ſacrificium, ad horrorem quendam abominationemq;

nemque permoueatur. Atquì ſatis huic calumniæ ſuperioribus concionibus reſponſum eſſe exiſtimo, vbì huius mihi quotidiani ſacrificij rationes explicatæ ſunt: nempe, ab ECCLESIA id neque aſſeueratum eſſe vnquàm, neque aſſeuerari hodiè aut ità ſentiri, quaſi CHRISTI, id quod ab eo in cruce peractū eſt, ſacrificium aut poſsimus aut debeamus æmulari: ſed illud nos iterare ſacrificium, in quo Dominus in cœna ſub panis viniq; figura corpus & ſanguinem ſuum incruenta ac immortali ratione noſtris pro peccatis obtulit, vtque idem fiat à nobis in ſuî memoriam, iuſſa dedit. Chriſtum in MISSA incruēter offerri.

Quid ergò rationis ſubeſt, vt ECCLESIAM Vniuerſalem tam graui tamque indigna infamia afficiamus, nec pudeat nos falsò illi cōmentitiam vanamq; opinionem affingere, cuius illa diuerſum & ſentiat & profiteatur? Neque enim obſcurum cuiquam eſſe poteſt, cuiuſmodi nos hoſtiam ſacrificemus. Etenim hæc noſtra profeſsio eſt, quam non clādeſtinò, non in latebris & angulis, ſed propalàm cum D. Paulo Apoſtolo in omnium aures mortaliū edimus ac enunciamus: CHRISTVS reſurgens ex mortuis, iam non moritur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemèl. itidemq; cum D. Petro ſentimus ac confitemur: Quia CHRISTVS ſemèl pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: dicimusq; & cōcludimus cum D. Paulo, vtì CHRISTVS non niſi ſemèl mori potuit, ità non poſſe eum niſi ſemèl tantùm cruciabiliter cruentaque ratione offerri. Quòd autem ſacratiſſimū eius corpus & ſanguinem in myſterio incruento modo & abſque cruciatu vllo in altari ſacrificamus & offerimus, nimirùm ideò fit, vt apud nos ꝑpetua acerbiſſimæ paſſionis eius memoria perſeueret, quēadmodùm ab illo iuſſi ſumus, cùm ait: Hoc facite in meā commemorationē. Rom. 6. 1. Pet. 3. Hebr. 9. Luc. 22.

Eiuſdem modi planè calumnia & conficta vanitas atque mendacium, quod huc ab eis annectitur, quotidiana hac hoſtia vnicum illud ac ſalutare crucis CHRISTI ſacrificiū nos obnubilare, ſacratiſſimæq; paſſionis & ſanguinis eius derogare meritis, eaque prorſus peſſundare velle: id nobis attribuentes, tanquàm ità doceamus ſentiamusq;, quotidiana hac oblatione peccatorū veniam per ſacerdotis munus atq; actionem impetrari ac obtineri, idque veluti per CHRISTVM in cruce confecta conciliatio, non ſufficiat mortalium omnium erratis atq; ſceleribus expiandis abolendisque. Aliud ſchiſmaticorū in Catholicos mendacium.

Vbì certè ob Eccleſiaſticæ doctrinæ ac fidei defenſionem, id mihi ad minùs dicendum eſt, huiuſmodi calumniam impudentiſſima vanitate in ECCLESIAM conferri Catholicam: ſimulque rogatos vos velim, vt quæ ſit hinc illius confeſſio, quæ noſtra de crucis victima, deque CHRISTI liberatione ſententia, quid item quotidiano huic ſacrificio tribuamus, æquis & attentis auribus percipiatis. Quod vbì diligenter à vobis præſtitum erit, tum demùm ſtatuere licebit, atq; adeò fateri

opor-

oportebit, quotidiana hac oblatione illi crucis victimæ nedùm nullam offundi caliginē, ſed eam illuſtrari potiùs ac celebrari: CHRISTIq́; meritis non ſolùm hac ipſa hoſtia nihil detrahi, ſed maximè eam euehi, ac præcipuo in honore & exiſtimatione haberi.

Enimuerò, quòd ad CHRISTI IESV redemptionem attinet, expreſſis verbis & clara voce ſub omnipotentis Dei angelorumq́ue eius adſpectu profitemur, atque in totius orbis aures enunciamus, eundem ipſum CHRISTVM IESVM Dei filium, ſacratiſſimi corporis ſui hoſtia in ligno crucis, immerita morte ac precioſo ſanguine ſuo plenam perfectamq́; toti mūdo ſalutem obtinuiſſe ac meritum eſſe, pro omnibus omnium erratis abundè ſatisfeciſſe, & non homines modò, ſed cuncta tum in cælis, tum in terris poſita, per ſanctiſſimū ſanguinē ſuum reparâſſe, inſtaurâſſe, vitæ ac ſaluti reſtituiſſe, & cum Deo in gratiam reduxiſſe. Nec deſunt nobis huius noſtræ confeſſionis ſolidæ certæq́; rationes & argumenta, vtpotè quæ nō vno, ſed multis ſcripturæ teſtimonijs confirmatur: quoniam quidē Deus erat in CHRISTO, mundum reconcilians ſibi: &, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt: &, Propoſuit Deus omnia inſtaurare in CHRISTO, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo. Deniquè & cum Ioanne noſtro confitemur de CHRISTO:

(Catholica de efficacia mortis Chriſti profeſſio.) (2.Cor.5.) (Coloſ.1.) (Ephe.1.) (1.Ioan.2.)

Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi.

(Fons ſalutis.) Nimirùm in ipſo noſtri ſeruatoris corde, in cruce ſalutis noſtræ gratia patefacto, vitæ fontem nouimus ac inuenimus, vndè ſalutaris atque (Ioan. 4.) viua prománat aqua, ſaliens in vitam ęternam, quę quemcunque attingit & infundit, is fructus producit in vitam æternam. Adeoq́ue ad quoſcunque iſta peruenit aqua, ſalui facti ſunt, quemadmodùm de CHRISTO ex Propheta ſancta canit ECCLESIA. Qui bibit ex hac aqua, animæ ſalutem bibit, nec ſitiet vnquàm: Qui verò hac non infunditur aqua, exareſcat & pereat neceſſē eſt: quiq́; ex hac non potat vnda, ſitim perennem maxima cum miſeria & dolore ferat oportet. (Ezec. 47.)

Hic ſcilicet eſt fluuius aquæ viuæ, ſplendidus tanquàm cryſtallus, procedens de ſede Dei & agni. In medio plateę eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per mēſes ſingulos red- (Apoc. 22.) dens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gētium. Etenim ex ſede Dei è ſanguine Agni ęterna prománat redemptio, ſingulis menſibus & perpetuis temporibus ſuam exerens vim atque virtutem in ſalutem mortalium omnium. Et vt ſemèl dicam, hic fons eſt, de cuius plenitudi- (Ioan.1.) ne nos omnes accepimus. Ex hoc vno fonte, quicquid ad ſalutem pertinet humani generis, procedit ac proficiſcitur. Deniq; ex hoc eodem

ipſo fonte,nec aliũdè,ſanè Dei gratiam,peccatorum remiſsionem,noſtrî liberationem, ſalutem omnem & beatitudinem haurire & poſſumus & debemus.

Sed hîc repetendum mihi eſt,quod iam antè dixi:nec me identidèm repetere pigebit,cùm vtile ac neceſſariũ vobis ſit, tametſi ex hoc fonte in corde CHRISTI ad crucem appenſi patefacto abundè ſatis prománet,quicquid ad ſalutem hominum neceſſarium eſt, ijs tamen ſolis id proficere ad ſalutem,qui ad hunc fontem accedere,gratiamq́ue indè profluentem haurire,ſibi adiungere, eoq́; vti nôrunt. Quotquot enim viua hac adſperguntur & attingũtur aqua,ſalui fiunt: ad quos verò non peruenit,pereunt,nec illa perfruũtur. Facit quidem redemptio IESV CHRISTI pro orbe vniuerſo, & ſufficit liberandis atque ſeruandis omnibus:ſed tantum indè redit fructûs ad ſingulos,quãtum ſibi quiſq́; fide, deuotione animi, & precibus cum fiducia coniunctis, applicat & ad ſuos vſus adiungit.

Philip.3.

Quantùm cuique paſſio Chriſti praſit.

Itaque in eo noſtræ ſalutis ratio atque ars conſtituta eſt,vt ſciamus, quî ex hoc gratiæ fonte haurire, eiusq́ue ſalutiferas nobis adiũgere virtutes,eaſdemq́ue participare debeamus. Quam qui neſcit artem,planè cęcus eſt,& rudis fidei Chriſtianę,palpans inſtàr cæci parietem,nec poterit beatitudinem adipiſci. An ne compertum habetis,dilectiſſimi,& ipſis veſtris cernitis oculis, tametſi fons ſalutis in CHRISTO toti indiſcriminatìm orbi adapert⁹ eſt, nihilo tamẽ ſeciùs Turcos ac Ethnicos omnes ęterna laborare ſiti,& perire funditùs? Quî fit hoc,inquis? Quòd ex gratiæ fonte haurire,& aquam vitæ potare nolunt. Quid ergò nobis,qui Chriſtiani dicimur,cõferre queat,ſcire per CHRISTVM ſalutem omnibus partam eſſe, ſi non tantum noſtræ libeat adhibere operæ, vt ſalutem confectam nobis accommodemus & adiungamus, eiusq́ue conemur eſſe participes? Quid enim hoc aliud eſt, quàm ſplẽdidè ac opiparè inſtructam menſam, vitamq́; delicijs & rebus bonis afluẽtem ob oculos habere propoſitam,ac nihilo minùs famem perpeti, nec tollere quod edas? Quorſùm attinet multa nobis eſſe ante oculos appoſita,ſi appræhendere fruiq́ue non libeat?

In quo noſtra ſalutis ars cõſiſtat.

Apta ſalutis p Chriſtum partæ & menſæ ſplendidę collatio.

Quanquàm ſi ità placet, agè dicam idem, quod ipſe ais,& tamen à vero nec latum vnguem diſcedam. CHRISTVS vnus ſalutẽ nobis obtinuit,nullius nos indigemus operis aut Miſſæ, immò ne baptiſmi quidem aut vllius ſacramẽti,vt his ſalutẽ nobis ipſi mereamur. At verò eo nobis & baptiſmo & operibus bonis, cunctisq́ue adeò pijs exercitationibus opùs eſt, vt partam cõparatamq́ue liberationem ad noſtros trahamus vſus,eiusq́; ſimus participes: vbi ſanè dum pręſens agetur vita,ſatis ſuperq́ue quod agamus,ſemper operis occurret.

Sacramẽtis quorſùm indigeamus.

Quòd autem quotidianæ incumbendum exercitationi,iterq́ue ac media veſtiganda, comparanda, amplectenda ac vtenda ſint,quanam

vide-

videlicet ratione gratiam per CHRISTVM partam nobis adſciſcamus ac participemus, ſatis profectò graues aliquot Paulinæ ſententiæ
2.Cor.5. teſtantur, vt illa ad Corinthios, vbi Deum in CHRISTO mundum ſibi reconciliâſſe ait: obſecrat autem pro CHRISTO, vt & nos Deo reconciliemur, hoc eſt, vt CHRISTI nobis liberationē applicemus, in ea nos exerceamus, eaque ſalutis noſtrę gratia perfruamur: & illa
Heb. 7. quoquè ad Hebræos, vbi de CHRISTO loquens, Vndè, inquit, & ſaluare in perpetuum poteſt. At quos? Nimirùm qui in illius ſeſe redemptione exercent, eamque ſibi fructuoſam efficiunt. Qui verò gratia eius & liberatione vti nolunt, pereunt haud dubiè, tametſi alioqui CHRISTVS IESVS virtute ſanguinis ac ſemèl oppetitæ mortis ſuæ, etiam cunctos in perpetuum ſaluare queat.

Iam vtì nè deſit nobis ex fonte ſalutis hauriendi facultas, poſſimusq; CHRISTI nobis adiungere gratiam, eaque ſalutariter frui, ab eodem ipſo nobis quædam conſtituta oblataque media ſunt, & vaſa in manus data, quibus hunc capere, haurire, frui ac participare fontem queamus.
Per quid Chriſti meritis frui queas. Ea ſunt veneranda ſacramenta, & præter hæc complures aliæ piæ exercitationes, demonſtratæ nobis ac propoſitæ à Deo in ſcripturæ ſacræ paginis, quę eò faciunt omnes, vt CHRISTI nobis liberationem applicare, & eius participes eſſe poſſimus. De quibus tamen omnibus id reuerà fatemur, nihil ea nobis adferre gratiæ, niſi quatenùs ex CHRISTI latere meritorum eius virtutem & efficaciam nobis aduehunt &
Sacramentorum vis omnis vndè ſit. adducunt. Atque ità ſacramentorum vis omnis ex CHRISTI ſanguine & paſſione proficiſcitur. Eundem in modum & cęteris exercitationibus, quas ex ſcripturis ſacris obſeruamus, nihil ex nobiſipſis nouum meremur: ſed ea ſententia atq; conſilio eaſdem ipſas exercitationes adhibemus, vtì CHRISTI merita participare, eaque nobis adiungere, adſciſcere, & percipere ac frui queamus.

Exemplū. Proferamus quiddam exempli gratia: Equidem eleemoſynam non
Eleemoſyna qui facienda. ea mente facio, vt ea mihi ex ſeſe cælorum regnum mereatur: ſed idcircò potiùs, ex præcepto & voluntate Dei munus aliquod in pauperem confero, vt & Deus ſua in me viciſsìm miſeratione vtatur, atq; pro ſua clementia & miſericordia, CHRISTI liberationem mihi ſaluti eſſe velit, meque eius participem reddere.

Aliud expreſſius & efficacius exemplum. Quin & alterum ſignificantius ac efficacius exemplum afferamus. Ipſum ſacrum Baptiſma non eo animo noſtris abluendis infantibus adhibemus, vt nouam eis Baptiſma redemptionem efficiat: ſed ità potiùs
Baptiſmū eſſe quaſi canalem ſanguinis CHRISTI in nos fluentis. ſacrum pręhendimus Baptiſma, & quidem iuſſu Dei, ceu vas quoddam & canalem, quem velut ad ipſum CHRISTI latus dirigimus & admouemus, vtì per eum in noſtros infantes CHRISTI IESV prománans ſanguis, ſua virtute ab originis eos culpa emundet & expiet, atque in numerum transferat filiorum Dei. Vt enim dixi, per Baptiſmum

ſmum velut per canalem CHRISTI ſanguis in huiuſmodi prománat infantes.

Eadem planè ratione atque ſententiâ quotidiano hoc in ECCLESIA Miſſæ ſacrificio, accedente eò æquè iuſſu Dei, vt in Baptiſmo, ceu medio quodam vtimur, per quod CHRISTI merita & nobiſipſis & toti pariter orbi Chriſtiano conciliemus & adiungamus: non id ſanè ipſi tribuentes, quòd de integrò nouã noſtris erratis veniam, nouamq; nobis ſalutem obtineat, ſed vti per hoc medium, ſanguinis paſſionisq; CHRISTI merita nobis ſalutariter applicemus, participemusq;. Vt igitur, ſi quis Baptiſma percipientẽ huius auſit inſimulare peccati, quòd CHRISTI IESV in cruce confectam liberationem obſcurare atq; deſpicere, ſuamque in Baptiſmo redemptionem captare velit, improba ſanè atque confictà vacare calumnia non poſſit: maximè cùm eò tantùm Baptiſmo vtatur, quo liberationis CHRISTI ſit particeps, eaque perfruatur: Ità nimirùm & in nos falſo atque iniuria id confertur criminis, quòd hac perenni hoſtia crucis victimę & meritis CHRISTI tenebras offundere ac derogare velimus: cùm tamẽ nihil hîc aliud propoſitum atque inſtitutum nobis ſit, quàm vt CHRISTI ad nos merita adiungamus, atque noſtræ ſalutis cauſa participemus. Immò verò equidem certò id affirmare auſim, nullum aliud toto terrarum orbe in ECCLESIA officium geri, vbi paſſio & pręclara precioſaq; CHRISTI merita adeò celebrentur, tantoque in honore, exiſtimatione, ac veneratione habeantur, vt in Miſſæ ſacro: cuius ſcilicet geſtus, cęremoniæ, veſtes, verba, ſignaque omnia nihil præ ſe ferunt aliud, quàm viuam quandam & expreſſam paſſionis CHRISTI effigiem & exemplum. Atque adeò ſi quis ad eius verba ſignaque oculos animumque aduertat, quaſi manuducunt eum atque inſtituunt ad humani generis commemorandam liberationem: CHRISTIque necem altè eius infigunt ac imprimunt pectori, exercent atque excitant fidem, certoque cor illius ad pietatem & deuotionem accendunt, atque eò demùm permouent hominem, vt per fidem, deuotionem & preces apud Deum efficere conetur, quò merita CHRISTI ſibi ſaluti eſſe velit.

Calũnie in Catholicos nequiter confictæ detectio ac reiectio.

Quo in officio Chriſti paßio efficacißimè repræſentetur.

Cæremoniæ ſeu geſtus MISSAE quò conducant.

Et de cæteris quidem cæremonijs ſuis locis rationem reddere inſtitui, vti omnes ad CHRISTI ſignificandam paſſionem maximè ſint accommodatæ: at in pręſentiarùm de hac vna, qua nobis ſacratiſſimum corpus & pręclariſſimus ſanguis CHRISTI IESV Seruatoris noſtri, ſub panis ac vini ſpecie viſendus exhibetur, vt interim aliquid dicam, án ne cumprimìs idonea & accommoda eſt, quę noſtra ſcindat pectora, CHRISTIque IESV paſſionis, noſtræq; liberationis memoriam expreſsè efficaciterque noſtris imprimat cordibus? An non reipſa ità nobiſcum cogitare cogimur: En hoc corpus, quod pro nobis traditum eſt: hic ſanguis, qui pro nobis & pro multis fuſus eſt in remiſſionẽ

Eleuatio corporis & ſanguinis CHRISTI, quantam habeat vim compungendi.

Qui corpore & ſanguine Chriſti eleuato non cõpungitur, eum non facilè compunctum iri.

peccatorum? Atquì ſi hîc ea quis ſit duritia, vt dum CHRISTI corpus & ſanguis, quibus omnis noſtrî confecta redemptio eſt, ob oculos ipſi conſtituuntur, nolit tamen redire in memoriã liberationis ſuî, nec gratias hinc agere Deo, huius equidem tam ſaxeum ac ferreum pectus, neſcio qua poſſit alia ratione ad pietatem emolliri.

At verò, vtì nè obſcurum cuiquam eſſe poſſit, ſed liberis profiteamur vocibus, quid MISSAE tribuamus, hanc nobis eſſe fiduciam in hoc quotidiano ſacrificio repoſitam fatemur, diuinę indignationis, iuſtæq; ac meritæ in noſtra ſcelera animaduerſionis hinc ſententiam flecti, & omnigenam nobis Dei gratiam & beneficia impetrari: idq; non virtute, efficacia ac meritis huius, quod fit modò à ſacerdote, operis: ſed illius, quod à CHRISTO in cruce peractum eſt. Nos hîc precatione rem tranſigimus, & precariò agimus, ad ipſa nos CHRISTI merita referentes: atq; adeò quod proprijs fidere meritis nõ audemus, CHRISTVM ceu donatum nobis à Deo conciliatorem, interceſſorem & ſeruatorem noſtrum præhendentes, ipſum Deo offerimus, Deumq́ue precamur & admonemus, in merita precioſumq́; ac ſalutiferũ CHRISTI filij ſui ſanguinem reſpicere, eademq́; ipſa ad noſtrî conciliationẽ & ſalutem nobis proficere, & quicquid demùm ex nobis conſequi nec digni ſumus, nec pro noſtris meritis ſperare audemus, per IESVM

Precum in MISSA fuſarum efficacia.

CHRISTVM Filium ſuum præſtare nobis ac largiri velit: atq; equidem certum exploratumq́ue habemus, nuſquàm Deum noſtris defuturum precibus, quibus eum noſtræ ſalutis cauſa coram præſtantiſſimo corpore & ſanguine CHRISTI IESV, quibus nobis parta & redempta ſalus eſt, cum fiducia erimus deprecari.

SERMO VI. DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

De ſanctiſſimæ MISSAE Ceremonijs & præparatione.

EQuidem ità mihi perſuadeo, dilectiſſimi, quòd ad eos, quibus hac luctuoſiſſima maximeq́ue peſtifera tempeſtate, deploranda Reſpub. Chriſtiana implicita eſt atq; irretita, errores attinet, ità

Errorũ ac pertinaciæ eiuſdẽ cauſæ diuerſæ.

ſe rem habere: tametſi complures in ijſdem verſentur erroribus, non eiſdem tamen rationibus in eos incidiſſe, atque adeò multùm diuerſis ex cauſis in ijſdem retineri. Illi quidem, à quibus primùm editi ac profecti ſunt errores, duabus vtplurimùm rationibus, ſeu duobus vitijs adducti eſſe ac laborare videntur, quorum vtrunque auertere difficile ſit: nec curare ea quiſquam aut mutare queat, niſi potentiſſima dextera excelſi. Eſt autem ex his alterum Superbia, qua fit, vt ſibi ipſis impendiò placeant: Malitia alterum.

Quibus vitijs potiſſimùm obnoxij hæreſiarchæ.

Atque ſint ex eruditis fortaſsè aliqui, qui mente non peſſima ſuos aſſerãt ac tueantur errores, vtpotè quibus ità iam perſuaſum eſt, nec aliud con-

ud conſtat, quàm nihil à vero ſua abhorrere dogmata, immò cum illo maximè conſentire: At neque ſic apud Deum iſthæc eorum mens non improba eos purgatos reddit, cùm nihil eos niſi faſtus quidã & tumor ac elatio animi, qua plùs æquo ſibi placent, in errorem agat præcipites: dum plùs ſuo tribuere iudicio ac ſententię nil verentur, quàm ſanctę ECCLESIAE Catholicæ, quæ tot iam perſtitit ſecula, totq́; aluit viros tum ſanctitate, tum eruditiõe inſignes, qui fidem, qui dogmata, qui ſpiritum ſuum proprio ſanguine confirmàrunt: quorum integritatem ac ſanctimoniam Deus Opt. Max. & dum viuerẽt, & dum exceſſiſſent è viuis, multis iiſdemque clariſſimis prodigijs declarauit. At tamen hi tales ac tanti, apud hos noſtros ſapientes nec minimi fiunt: ſed anſerum ac aſinorum numero ponuntur, vt qui nullam Diuini verbi, nullam voluntatis Dei notionem habuerint: nec eſt alicuius precij vel momenti, quicquid ab illis viris doctum vnquàm vel obſeruatũ eſt: quicquid verò ſcioli noſtri inſtituũt & in bonis habent, id nobis auro & reliquijs charius eſt, quum ſuo tantùm iudicio ſapientes ſint.

Quãtoperè verè docti hodiè ſpernãtur, quãtoq́; ſcioli in precio ſint.

Alij porrò, tametſi ſuum agnoſcant errorem, habeantque compertum ſatis, iudicium, ſcientiam, intellectum ſuum, ECCLESIAE vniuerſali meritò cedere debere: at nihilo ſeciùs vel malitia, vel compendij cuiuſdam aut honoris temporarij cupiditate, ſuo in errore detinentur. Hi ergò & quotquot huius farinæ ſunt, admonitione & informatione difficulter atq; ægrè ad ſanitatẽ reuocantur. Subuerſi ſunt enim, ait Apoſtolus, qui ſunt huiuſmodi, & delinquunt, cùm ſint proprio iudicio condemnati. Ideoque nihil melius eſt, quàm poſt vnam atque alteram correptionem eiuſmodi miſſos facere, donec aut Deus in eorum errores animaduertere, aut quod ex animo maximoperè deſideramus, meliorem eis pręſtare mentem, correctosque ad ſuæ veritatis agnitionem reducere velit.

Tit. 3.

Porrò, quòd ad reliquos, pręſertim plebeios, hominumque vulgus rude indoctumque, attinet, ità ſe res habet, ignorantes eos imprudentesque pellectos & abductos eſſe in errorem: detineri autem in illo hac potiſſimùm ex cauſa, quòd quid verum ſit, quidque potiùs ſectandum, à nemine edoceantur. Atque hi tales miſeratione & compaſſione profectò digni ſunt, dum ex ignorantia errant. His ij, qui Chriſtianę Reip. gubernacula tenent, & penès quos rerum ſumma eſt, compati debent, atque imitari hac in parte Deum ac Dominum ſuum CHRISTVM IESVM, de quo Paulus ad Hebræos ait: Vt ſciat condolere his, qui errant & ignorant. Apud hos docendi, exhortandi, cõmonendi ſtudium nunquàm intermittendum eſt: quandò quidem ex his inire gratiam licet, de qua habes illud Iacobi: Fratres mei, ſi quis errauerit ex vobis à veritate, & conuerterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vię ſuæ, ſaluabit animã eius à morte, & operiet mul-

Quî plebs adeò ſecta iampridèm dedita fuerit.

Hebr. 5.

Iaco. 5.

Cõuerſi aut cõuertendi peccatoris præmium.

multitudinem peccatorum. Atque eadem ipſa captari itidèm gratia poteſt apud Deum, pia erga ſimplices ac integros etiamdùm in fide perſiſtentes Chriſtianos ſolicitudine, vt nè & ipſi ad deuios erroris anfractus auocentur.

In horum equidem gratiam, id eſt, rudis ac imperitæ multitudinis, hanc mihi de communi Catholicæ ECCLESIAE ſacrificio, id eſt, MISSA explicandæ reddendæque rationis operam ſumpſi. Enimuerò cùm ea ſe mihi diui Ioannis ſententia obtulit, qua pro Dei voluntate IESVM CHRISTVM iuſtum, hodieque & ad ſeculi vſq; extrema pro totius mundi peccatis propiciationem & eſſe & fore teſtatur, ſi quidem integrum ac fidum Dei ſeruum præſtare volui, nullum aut recuſare laborem, aut ſtudium ſubterfugere debui, quô eò vos, immò & Chriſtianos omnes adducerem ac permouerem, vt cum Deo per communem hunc Seruatorem redire in gratiam, eique reconciliari velitis, 2. Corinth. 5.

1. Ioan. 2.

Fidi præconis officiũ.

Recõciliationis miniſterium cur in ECCLESIA ſtatutum.

Ea nanq; de cauſa conciliationis huius miniſterium à Deo in ECCLESIA inſtitutum ac demandatum eſt, vt hæc continenter hominibus conciliatio offeratur ac diſpenſetur. Vndè cùm & ipſe ex benignissimo Dei Opt. Max. vocatione, miniſter CHRISTI & diſpenſator myſteriorum Dei ſim conſtitutus, nihil ab officij mei ratione alienum putaui, ſi diligenter vos inſtituerẽ ac velut manuducerem, ipſaq; adeò media demonſtrarem, vtì generalem hanc ad vos adiungere conciliationẽ, & ſinguli veſtra pro ſalute ea perfrui deberetis. Vbì ſanè committendum mihi non fuit, quin & ſanctiſſimę MISSAE vſum adferrem & explicarem, cùm hęc in ſacramentis alijsque pijs exercitationibus præcipuum quoddam ac ſalutare medium ſit, quô communem ad nos conciliationem adducere, & noſtram, id eſt, propriã efficere queamus: immò etiam à CHRISTO ceu præclarus atque aureus ECCLESIAE canalis apparata atque conſtituta ſit, per quem etiamnùm quotidiè ſalutifera CHRISTI merita in omnes è religione Chriſtianos, largè efficaciterque prománant.

MISSA quid medij ſit.

Quid item canalis.

Atquì neceſſariò hîc mihi de fraudulentis hoſtis noſtri communisque ſalutis inimici technis ac machinationibus commonendi eratis, vt qui à ſcopo nos ſalutis abducere, atque hunc maximum gratiæ theſaurum nobis eripere atque auertere ſummo vſquè ſtudio molitur: nec deſinit aſtutis quibuſdam fallacijs ac ſeductionibus eò miſeram ac ſimplicem CHRISTI plebeculam impellere, vtì quotidianam hanc victimam execrationi habeant atque horrori: qua tamen, iuſſu Seruatoris noſtri, eò nos vti & poſſumus & debem⁹, & per ipſam vnicæ illius crucis hoſtiæ vim atque efficaciam, cunctaque CHRISTI IESV ſalutifera merita atque chariſmata ad nos adducamus, noſtræque ſalutis gratia perfruamur.

Cur ſatan MISSAM vulgo per hæreticos ità exoſam reddiderit.

Itaque

Itaque aduerſum ſubdola & callida hęc inimici machinamenta, quibus ſimplex & rude Chriſtianorum vulgus vnico hoc ſalutis theſauro ſpoliare conatur, & quendam huius illi horrorem inijcere, de hoc ipſo cõmuni Chriſtianæ religionis ſacrificio tum ex literis diuinis, tum con ſtanti atq; Catholica inſtitutione ac doctrina rationem diligenter reddere adniſus ſum, id mihi certo certiùs perſuadens, modò quibus antiqua & Catholica veritas rationibus ſubnixa ſit, ſtudio attentiori auſcultare nõ pigeat, fore vt & ij qui aliquandò titubârunt, ad veritatis lucem redeant: & qui fortiter perſtiterunt, haud temerè deincẽps nouis hiſce erroribus ſeſe implicari & abduci patiantur.

Quomodò & decepti reſipiſcere, & qui cõſtãtes hucuſq; fuerũt, perſtare queant.

Nec me interim latet, ſacratiſſimum hoc & commune ECCLESIAE ſacrificium pleroſq; execrationi habere, & probra atque conuicia in illud ingerere, multoq; plures ipſum habere pro nihilo: at contrà certum exploratumq; teneo, pauciſſimos eſſe in vulgo, qui, quid MISSA, aut cõmune hoc ſacrificium in ſe ſit, quâve in ECCLESIA Catholica ratione ſeruetur, compertum habeant. Vndè cumprimìs equidem neceſſarium duxi, ex ipſis fundamentis certas huius actûs vobis adferre & explicare rationes, ſpem illam gerens in Deum, fore vt pij omnes aſſertæ atque explicitæ veritati libenter ſint adſtipulaturi, nec ab ea receſſuri vnquàm.

Quàm vulgus, alioquì ſciolum, ſit ignarum.

Atque adeò, vt fortaſsè apud complures nullum hic meus labor fructum efficiat, quòd tamen ex me eſt, cõmittere haud potui, vt illum declinarem. Cùm enim ex Dei munere hæc mihi prouincia mandata ſit, veſtraq; ſalus curæ meæ ac ſolicitudini tradita, ad minùs id agere debui, vt expediendæ animę meæ cauſa, ad CHRISTI tribunal teſtimonium mecum adferre poſſim, me, quæ vobis ſaluti eſſe poſſet, pro viribus neq; admonitionem, neque informationem vllam ſubtraxiſſe. Quòd ſi poſt diligenter perceptam veri rationem, nihilo ſeciùs quiſquam deindè in errore perſiſtere volet, errabit is nimirùm periculo ſuo, & quòd ad illum attinet, ipſe apud Deum animam meam liberauero, vt eſt apud Ezechielem diuerſis in locis. Nunc igitur, vtì pollicitus ſum, diuina fretus ope, ad MISSAE me explicationẽ accingo, certam, firmam, atque abundè multam de ijs omnibus, quæ ab ECCLESIA vniuerſali ex CHRISTI pręcepto in MISSA geruntur, vobis rationẽ informationemque redditurus. Quæ verò præter iam antè dicta, à parte diuerſa contra veterẽ hunc diuinumq; actum obijciuntur, ijs mihi locis commemorare atque exprimere deliberatum eſt, vbì ſeſe nobis, dum in exponendi verſamur negocio, obtulerint, inciderintque. Ordo autem in hac exegeſi hic mihi ſeruabitur, vt preces omnes Deique laudes ac pręconia, quę MISSA cõplectitur, ordine vobis alia poſt alia explanem, atque ad ſingula Catholicæ ECCLESIAE mentem atq; conſilium, cur ea ſic inſtituta ſint, quaſque ad ſingula cogitationes animo conci-

Ezech. 3. & 33.

Luc. 22.

Ordo ſeruandus in explicando quis.

pere ac meditari conueniat, indicem edoceamꝗ;: quin & quatenùs vi- *Cæremoniæ Eccleſiaſticæ.* debitur eſſe ex vſu ac ſalute veſtra, cęremonias itidèm, geſtusꝗ; ac ſigna, quid ſibi velint, ediſſeram: atque ceu ex abundanti demùm, vbì ad extremarem perduxero, adhortationem quandam inſtitutionemꝗ; ſubiungam, vti ſingulus quiſque ex hominum vulgo Chriſtianus, dum hic geritur actus, ſeſe precando, cogitando, & quoſdam aſſumendo geſtus habere debeat, ſacrumque hoc munus ad ſuos vſus, ſalutisꝗ; rationem adiungere & applicare. *Quid ex MISSA cõtemplata ſecuturum fructûs.* Quæ ſanè eò à me fient omnia, vt ex huius contemplatione ſacri, dum id vobis adſpectantibus agitur, immeritæ necis CHRISTI, humanæque liberationis memoriam veſtris in cordibus efficaciter ſubindè renouare, veſtram ſub hoc actu exercere fidem, pectus animumque erga Deum amore ac deuotione excitare atque arrigere conſueſcatis: vti ſic per fidem precesꝗ; pias ac deuotas, redemptionem ſemèl toti orbi per CHRISTVM confectam, ad vos adducere, eademque ipſa ſalutariter perfrui queatis.

Vbì denuò Chriſtianæ modeſtiæ cauſa rogatos vos velim, vt benignè ac placidis auribus, abſque ſannis & ludibrijs, dum de cæremonijs & geſtibus, qui huic ſunt rei ſacrę familiares, mentio inciderit, auſcultetis. *Cæremoniæ quibus contemptæ.* Equidem iam pridèm noui, quibuſdam elatioris animi, Chriſtianæ pietatis cæremonias ceu vulgares, ſimplices ac ſtolidas videri: atquì eadem ipſa ex cauſa ſacrę fidei noſtrę maximè concinunt, aptéque quadrant, dum mundus eas ſtultitię loco habet. Ità nanque iam indè ab naſcentis fidei exortu per omnes vſque temporum decurſus quicquid ad noſtram fidem pertinet, omnisque adeò crucis prędicatio apud mundi *1. Corint. 2.* ſapientes ſtultitia eſt exiſtimata, vt Paulus quoquè ipſe teſtis eſt.

Verùm vtì mundi ſapientibus crucis prędicatio ſtultitia, credentibus autem Dei virtus & ſapientia eſt in ſalutem: ità nimirùm & ſimplices ECCLESIAE cæremoniæ turgidis ac ſuperbis mentibus contemptui ac ludibrio ſunt: *Cæremoniæ quibus ludibrio, quibus incitamento ſint deuotionis.* religioſis pijsque animis incitamentum ſunt & deuotionis, & commemorandę paſſionis CHRISTI, liberationisꝗ; humanæ: atque omnis generis bonas piasque in eorum pectoribus cogitationes pariunt, excitant, adducunt, modò ad ſigna huiuſmodi aliqua adhibeatur attentio.

Vt enim olim faſtuoſus ille ac lepra fœdus Naaman Syrus, riſu planè Sardonio ea prophetæ Heliſæi excepit verba, quibus iuſſus erat ex Iordanis vnda ſeptiès lauari ob lepræ teterrimum morbum, ità dicens: *4. Reg. 5.* Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen DOMINI Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. Nunquìd nõ meliores ſunt Abana & Pharphar fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſrael, vt lauer in eis, & munder? Contrà verò cùm vertiſſet ſe, & abiret indignãs, acceſſerunt ad eum ſerui ſui, quibus ſanè tumoris minùs, at DIUINI plùs timoris inerat, & locuti ſunt: Pater, ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta,

ta, ſalutis tuæ cauſa certè facere debueras: Ità qui noſtra hac tempeſtate *Naamani* erroris lepra infecti ſunt, haudquaquàm animo ſuo temperare queunt, *tumido ſimiles hodiè* quin cęremoniarum ECCLESIAE ſimplicitatem etiam maledictis *qui.* atque conuicijs inceſſant: ediuerſò autem qui religione ac pietate prę-diti ſunt, eorum ſannas ac ſcommata nil morantur: quin potiùs ità aiunt: Quandoquidem noſtram cæremonię fidem excitant, multaque nobis deuotionis ſanctarumque cogitationum incitamenta ſubminiſtrant, committere ſanè nec poſſumus, neq; animus eſt, vt ob aliorum ludibria atque deriſum, ea quę noſtram promoueant ſalutem, eiq; vſui ſint, repudiemus negligamusque.

Sed iam agè rem ipſam aggrediamur, Deum ex animo obſecrantes, vt ità nobis myſterium hoc det mente perſpicere, atque intęlligentia complecti, quo & pręcipuus apud nos honor ſuus, noſtræq; ſalutis indè profectus atque incrementa emergant.

Principiò quidem, cùm MISSA viua quędam atque expreſſa ſit *MISSAM, actuum* omnium CHRISTI actuum ac beneficiorum imago & repręſenta- *CHRISTI* tio, quę ille in aſſumpto homine noſtræ ſalutis ergô pręſtitit ac declara- *imaginem* uit, maximè verò ſacratiſſimæ paſſiōis & immeritæ mortis illius: vt igi- *eſſe.* tur eiuſdem ipſius CHRISTI acerbiſſimę paſſionis memoria, etiam externis quibuſdam ſignis noſtris in pectoribus efficaciter excitetur ac renouetur, progreditur miniſter om̄i illo indutus apparatu, cuius apud Euangeliſtas in Dominicę paſſionis enarratione fit mentio. Et MA- *Quid ma-* NIPVLVS quidem à brachio dependens, funes ac vincula refert, qui- *nipulus ſa-* bus innocentiſſimus Dei Filius noſtris pro ſceleribus constrictus atq; *cerdotalis* ligatus eſt. HVMERALE, quo ſacerdotis caput obtegitur, illa nobis lu- *inſinuet.* *Quid hu-* dibria repræſentat, quibus celſiſſimus omnipotentis Dei Filius, tota illa *merale.* nocte ab miniſtris indigniſſimè eſt contemptus atque vexatus, dum illius velantes oculos, colaphos ei in faciem impegerunt, dicentes: Pro- *Matth. 26.* phetiza nobis CHRISTE, quis eſt qui te percuſſit? ALBA promiſ- *Mar. 15.* ſam ſignificat albamque veſtem illam, qua Herodes indutum irridiculè *Quid alba.* remiſit ad Præſidem. CASVLA purpureum exprimit veſtimentum, *Luc. 23.* *Quid Ca-* quod milites ei ceu regi exiſtimato Iudæorum circundederunt. STOLA *ſula.* crucem deſignat, quam CHRISTVS ſuis geſtauit humeris, crucia- *Ioan. 19.* tus ac ſupplicij ſui inſtrumentum ad carnificinæ locum ipſe deporta- *Quid ſtola.* re coactus.

Hoc verò apparatu ab ipſo mox initio noſtros ECCLESIA mouere animos & pectora molítur, & per ſigna hæc externa quaſi in hunc adſtantes modum alloquitur: Huc huc Chriſtiani omnes corda cogita- *Eorum qui miſſę inter-* tusque veſtros aduertite ac adhibete. Hìc iam CHRISTI Seruatoris *ſunt, inci-* noſtri iuſſu ſanctiſſimæ ac acerbiſſimæ paſſionis eius memoriam agere *tatio ad cō-* inſtituimus: vti is ſacrum corpus ſuum nos redimendi gratia in crucę *punctionē.* cruciabiliter cruentaq; ratione neci dedit, puriſſimumq; ac precioſum

 ſan-

ſanguinem ſuum in noſtrorum expiatiōem criminum fudit: hoc ipſo
Hebr. 10. æternam nobis totíque orbi redemptionem obtinens conficiensque. Ità ergò & nos modò in illius memoriam, vt ab eo mādatum habemus, verum corpus & ſanguinem eius ſub panis viníque ſpecie in myſterio Deo patri oblaturi accedimus: agimusq; gratias pro beneficijs, donisq; ac chariſmatibus cunctis ab illo in nos collatis, orando atq; obſecrãdo vt per precioſa ac ſalutifera acerbiſſimæ paſsionis præſtantiſſimiq; ſanguinis dilecti filij ſui merita, ſeſe nobis exhibere propicium, nobisque ſaluti eſſe velit, quicquid idem ipſe chariſsimus filius ſuus, Seruator noſter CHRISTVS IESVS, corpore & ſanguine ſuo non nobis tãtùm, ſed toti etiam orbi in cruce obtinuit, effecit, ac meritus eſt.

Confeſſio ante altare publica. Ante Altare porrò, priuſquàm rem ipſam adoriatur, confeſsionem Sacerdos facit, & ſua & totius orbis Chriſtiani peccata confitens Deo: cui vni honorem omnem & gloriam, nobis verò ignominiam ac dedecus aſsignat, fateturq; ingenuè, ex noſtris nos actibus meritò non niſi damnationi eſſe obnoxios: ex ſolâ autem miſericordia Dei, & gratia ac meritis CHRISTI, ſalutem liberationemque conſequi licere. Vndè mox Deum orat, vt non ad errata noſtra oculos aduertere, ſed ſuam potiùs in nos miſericordiã declarare velit, ità vt ob præclariſſima precioſaque CHRISTI merita, eam quę noſtris debetur iniquitatibus, pœnam & animaduerſionis ſententiam, clementer auertat, & bona nobis omnia largiatur. Indè poſt ſubmiſsionem, humiliationem, confeſsionem huiuſcemodi, totius ECCLESIAE Dei loco miniſter ad Altare accedit, rem ſacram inchoat, vbi CHRISTVM à Deo nobis donatum interceſſorem conciliatoremque ſub diuinæ maieſtatis adſpectu conſtituimus, per eiusque merita ab omnipotente Deo pijs contendimus precibus, quicquid ad totius Chriſtianitatis & temporariam & æternam ſalutem attinet.

MISSAE partes pcipuę quot. Cæterùm totius huius muneris ſiue actûs duæ partes ſunt: Vna eſt, vbi omnipotentis verbi CHRISTI virtute panis noſter atq; vinum in verum eius corpus & ſanguinem tranſeunt: atque hîc ſacerdos non ſuis, ſed CHRISTI ſermonibus vtitur, dicit agitq; ex pſona CHRISTI: cuius nimirùm ſolius ea poteſtas & virtus eſt, vt panis noſter & vinum, verum eius corpus & ſanguis efficiantur.

MISSAE argumẽtũ In reliqua parte ante & poſt conſecrationem, totius Chriſtianę ECCLESIAE verbis ſacerdos loquitur, dicit agitque noſtrûm omnium nomine, aut certè nos per illũ & cum illo cũcta dicimus agimusq;. *Orationes. Collectæ.* Hîc iam Orationes & Collectæ adhibentur, quæ Dei laudes, ac diuinæ omnipotentiæ maieſtatisque eius confeſſionem complectuntur: *Gratiarũ actiones.* gratiarum item actiones pro cunctis eius chariſmatibus, donis, beneficijs: *Obſecrationes.* obſecrationes etiam pro quibuſcunque Chriſtianæ religionis ſtatibus, pro omnibus in ſublimitate conſtitutis, quibus ſeu Eccleſiaſticæ ſeu ſeculares

culares adminiſtrationes & officia diuinitùs demandata ſunt, vt ſint ECCLESIAE miniſtri, paſtores, duces, protectoresq́; ad hęc preca- *Precationes.* tiones pro vniuerſo generatim fideliũ cœtu, tam eorum, qui etiãnùm ſuperſtites ſunt, quàm qui iuſſu ſummi Imperatoris noſtri Dei cum ſigno fidei noſtræ Chriſtianæ eò nos præceſſerunt, quò & ipſi propediem ſubſecuturi ſumus, ſinguli dum volet Deus, in cuius manu omnium noſtrûm & vita & mors poſita eſt. Deniquè vt plurimùm ſub hoc *Heſter 14.* ſacro preces fundimus pro cunctis, quæ generatim ad vniuerſæ ſimul ECCLESIAE, & ſingulatim vniuſcuiuſq; ſalutẽ pertinere videntur.

Itaque orat hîc ECCLESIA Dei, tum vt mala omnia propicius auertat Deus, tum vt bona quęque ſubminiſtret: itidemq́; gratias agit pro perceptis beneficijs quibuſcunque: idque ſui Domini ac Seruatoris exemplo, qui & ipſe in Cœna poſt ſacri huius inſtitutionem precatus eſt Deum, ſuamq́; patri cęleſti commendauit ECCLESIAM, quam in terris relicturus erat: & eſt ſanè prece tum vſus multiplici pro diſcipulis ſuis: Pater ſancte, inquit, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. *Ioan. 17.* Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Atque vt eſt apud Matthæum, peracta cœna, hymnum dixit. *Matth. 26.*

Quod deindè Apoſtolo illius ad Timotheum mandati anſam præſtitit, quo ait: Obſecro primùm omnium, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro *1. Tim. 2.* regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc igitur tum CHRISTI exemplum, tum Apoſtoli pręceptum, ſancta ECCLESIA Catholica non oſcitanter negligit, ſed in hoc MISSAE ſacro perfectè atque integrè iuxta omnes illius partes exequitur: orat, obſecrat, poſtulat, gratias agit, quemadmodùm & Paulus iubet, & Dominus ipſe facere dignatus eſt. Cùm enim ab eodem ipſo Domino Seruatore actus iſte diuinumque hoc myſterium inſtitutum ſit, æquum ſanè eſt, vt ad illum noſtros referẽtes obtutus, videamus quid ab illo actum atque obſeruatum ſit.

En vobis, dilectiſſimi, velutì in ſumma propoſitum atque explicatum, quid ſub hoc ſacro expectandum obſeruandumq́; vobis ſit. Deincèps alijs concionibus, opitulante Deo, de ſingulis ſingulatim diligenter rationem reddituri ſumus. *Sermonis præcedẽtis epilogus, & mox inſequẽtis argumẽtum.*

SERMO VII. IN FESTO SANCTI THOMAE APOSTOLI.

De INTROITV, & quid in MISSA vſque ad Collectas agatur.

PRO-

PRoxima ante hãc cõcione, dilectiſſimi, de præparatione ad ſacrum MISSAE peragendũ munus, atq; ſummatìm quidnam MISSA complectatur, commemoratum atq; expoſitum eſt. Iam agè cæleſtis freti numinis benignitate & gratia, rem ſuſceptam perſequamur, parteſq; ſeorsìm ſingulas inueſtigemus expediamuſq;.

INTROITVS.

Et primam quidem partẽ ſiue ipſum exordium, INTROITVM dici placuit. Itaq; cùm totus hic actus verbis iuxtà àc ſignis, eò ſpectet, eò geratur ac referatur, vt & verba & ſigna, viua quædam imago ac exhibitio atque cõmemoratio ſint humano generi per CHRISTVM confectæ liberationis, ipſe nobis Introitus, ſanctorum Patrum atque Prophetarum ſuſpiria repręſentat, qui magnis deſiderijs atque ex imo pectore eductis ſuſpirijs, Seruatorem à Deo promiſſum quandoquè redimendis hominibus mitti efflagitârunt.

Signa & verba Miſſæ quid potiſſimũ velint.

Introitus quid repręſentet.

Cùm enim viri ſancti totius humãni generis exilium ſecum ipſi reputarẽt, vtì mundus omnis peccatis irretitus, damnationi obnoxius eſſet, ſatiſq; peruiderent animo, altiora magisque periculoſa hominum eſſe vulnera, quàm vt humana poſſent ope auxilióve curari, è cælo ſuperni numinis opem cæleſtemque medicum ardentiſſimis ſuſpirijs poſtulârunt: vt eſt miſerãdos eorum clamores identidèm in ſacris Bibliorum paginis cernere, *Eſai.16.* vt apud Eſaiam: Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Et, Rorate cæli deſupèr, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet *Eſai.45.* Saluatorem. rurſumque apud eundem: Vtinàm dirumperes cælos, & *Eſai.64.* deſcenderes. & apud alium: Veni ad liberandum nos, iam noli tardare: itemque alibì: Excita Domine potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos. iterumque apud eundem: Citò anticipent nos miſericordiæ *Pſal.79.& 78.* tuæ, quia pauperes facti ſumus nimìs.

Horum igitur, vt dixi, quô in memoriam redeamus ſuſpiriorũ, ECCLESIA ſancta ipſo Introitu efficere molítur. Quod etiam indè animaduerti poteſt, quòd Introitus nõ ab vno aliquo ſolo, ſed ab vniuerſo decantatur pſallentium choro, nempe vt ſignificet, totum pariter mundum peccati cauſa in exilio degere, valdeque nobis omnibus eſſe neceſſarium, vt Dei miſerationes & gratiam ſuſpiremus.

Introit⁹ ferè quales.

Et quanquàm non vnius ſemper INTROITVS omnes generis ſint, cuncti tamen perquè ex ſacris ſunt extracti Biblijs, eoque referuntur omnes, vt feliciſſimę hominũ liberationis mentionẽ faciãt, quã ſummus & omnipotens Deus per CHRISTVM ſalutare ſuum effecit.

Quidam tamen eam præ ſe ferunt ſententiam, quaſi etiamdùm à Deo mitti nobis Seruatorem deprecemur: neque id ratione vacat, nec fit temerè. Nam tametſi CHRISTVS ſalutare Dei redimẽdis omnibus ſemèl iam olim venerit: ità tamẽ noſtræ flagitat ratio ſalutis, vt veniat & ad nos per gratiam ſuam, redemptionemq; ſuam etiam in nobis operetur efficiatque.

Id

Id genus INTROITVS quatuor Aduentûs Dominicis diebus cernere licet, quibus tum ECCLESIA, aut certè pro ſe ſingulus quiſq; Chriſtianus, pro impetrando Seruatore preces fundit ad Deum.

Ex his INTROITVS ille Dominica prima Aduentûs, hoc verborum ordine contextus eſt ex Pſalmo illo, Ad te Domine leuaui &c. *Pſal.24.*

Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui te expectant, non confundẽtur. Sequitur verſus: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.* *Pſal.24.*

Porrò Dominica ſecunda iſtiuſmodi habes INTROITVM:

Populus Sion, ecce Dominus veniet ad ſaluandas gentes, & auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ in lætitia cordis veſtri. Sequitur verſus: *Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph.* *Pſal.79.*

Deindè & reliquorum INTROITVS dierum aduentûs Dominici, eodem modo ad Seruatoris miſſionem ſpectant, quem Deus omnipotens mundo pollicitus erat. Sunt alij quidam INTROITVS, qui maxima Dei in nos beneficia commemorant, hominesq; ſolantur, quòd Deus Opt. Max. totius orbis inſtaurandæ ſaluti CHRISTVM ſuum iam miſerit: qualis eſt ipſo Dominici natalis die, *Puer natus eſt nobis &c.* *Eſai.9.*

Alij pro beneficijs eius clementiſſimaque hominis liberatione, Deum laudibus efferunt: cuiuſmodi habet Virginis Matris purificatio,

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui: ſecundùm nomen tuum DEVS, ità & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua. *Pſal.47.*

Sic & cæteri vtplurimùm INTROITVS per anni circulum eò diriguntur, vt redemptionem humani generis vel partem aliquam nobis ad memoriam reducant.

Adiungitur autem ad INTROITVS,

Gloria Patri, & Filio & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. *GLORIA PATRI.*

Qua nos omnipotentis Dei laudatione id nimirùm confitemur, redemptionem noſtrî non ex nobis profectam eſſe, ſed ex gratia & miſeratione celſiſſimæ ac adorandæ Trinitatis: cuius nos gratia Deum ac Dominum noſtrum æternò ſanè laudare, ac ei gratias agere iurè meritoque obligamur.

κύριε ἐλέησον. *Eſai.45.*

Iam cùm in INTROITV, vt dictum eſt, patrum nobis ſuſpiria ob oculos ſtatuantur, vt illi ob mittendum Seruatorem in cælum clamores precesque ediderint ad Deum, vt tandem mittere dignaretur Seruatorem quem erat pollicitus: nos verò perindè atquè illi miſerijs, calamitatibus, vitijs atq; peccatis vndiquè impliciti ac circunuallati ſimus, nec alium nobis apud Deum redemptorẽ, prẹter communẽ hunc Seruatorem

rem omnium IESVM CHRISTVM, qui ſeſe in redemptionem omnium vltrò obtulit, reperire liceat, nec alia nos ratione tum à peccatis admiſſis, tum ira Dei, tum damnatione expedire queamus, niſi per immẽſam Dei miſericordiam, & communis omniũ Seruatoris IESV CHRISTI merita, per quem Deus ſibijpſi & quæ in cælis & quæ in terris erant, omnia reconciliauit: Hinc igitur mox poſt INTROITVM, tanquàm communis etiamnùm ſalutis indigi, cupidiq́ue, & Deum patrem, & Filium, & adorandum Spiritum gratiam & miſericordiam oramus, idq́; ter repetendo, κύριε ἐλέησον, quod eſt, Domine miſerere: & ter item χριστὲ ἐλέησον, id eſt, CHRISTE miſerere: atque ter rurſus, κύριε ἐλέησον hoc eſt, Domine miſerere: atque ità vnam eandemq́ue inſeparabilem diuinitatem in perſonarum Trinitate ad id vtiquè admonemus, vt Deus Opt. Max. eadem gratia & benignitate & miſericordia ſua, qua mundum totum in gratiam recepit, ſibiq́; reconciliauit, & quòd quidem in ipſo eſt, ab exilio & damnatione reuocauit, eduxit, exemit, etiam nos ſanè perquàm miſeros peccatores excipere, fouere, adiuuare, ſeruare dignetur: quemadmodùm ipſe quoquè Dei Spiritus nos precari docet: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Coloſ. 1.
2. Cor. 5.
Pſal. 84.

Itaq; ſub eiuſcemodi ECCLESIA Dei ſuſpirijs conſtituta, Deiq́; miſericordia & clementia nouem vicibus ab eadem, per Kyrie eleiſon &c. feriò implorata, ſequitur mox laus angelica, qua illi cæleſtes ſpiritus tum Deum attentiſſimè celebrârunt, cùm adeò in nos ſuam is effudit miſericordiam, vt nullam vnquàm præſtiterit humano generi inſigniorem: eo videlicet tempore, cùm vnigenitum filium ſuum, atque cum eo ſimul bona omnia exhauſto, inopi, afflicto terrarũ orbi dono dedit, cùm mundi Seruatorem Dominum IESVM CHRISTVM pro ſalute mortalium, hominem ſumere voluit, pſallentibus angelis:

Gloria in excelſis Deo.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Luc. 2.

Quo affectu angelicus concinendus hymnus.

Qui dum cantatur hymnũs, redimus omnes in memoriam immẽſi illius gaudij & exultationis, quæ toti fuit propoſita atque excitata mundo, cùm damnato homini ſuperni numinis clementia Seruatorem ex altis cælorum ſedibus miſit. Et hũc quidem ECCLESIA hymnum ea concinit lætitia & iubilo, quo teneri ſolent, quibus alicuius clemẽtia ac liberalitate ſubminiſtratur abundè id, quo ſummoperè indigebant, quodq́ue maximo deſiderio altisq́; gemitibus ſuſpirârant: Ità nimirùm velutì ſi iam noſtris apud Deum precibus effectum atque impetratum ſit, quod petimus, quod ſuſpiramus, in Dei laudem ſacerdos lætiùs prorumpit, dicens: *Gloria in Excelſis Deo:* moxq́; Chorus totius populi vice, tanquàm qui in tanta propoſita materia gaudiorum vltrà ſeſe cohibere non queat, rapto ex ore ſacerdotis hymno, labijs & corde ſimul Deo laudes concinit, qui tanta erga nos miſericordia vſus ſit, illiusq́; verbis multò pijſſimis effert ac celebrat gratiam ac benignitatem, ità dicens:

Luc. 2.

Et in

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi, propter gloriam tuam magnam. Domine Deus, rex cæleſtis, Deus pater omnipotens. Domine fili vnigenite IESV CHRISTE. *Domine Deus, Agnus Dei, filius patris. Qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram patris, miſerere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus altiſſimus* IESV CHRISTE: *Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei patris. Amen.* ET IN TERRA.

Et iſthæc alia ſacræ rei ſeu actûs huius, quem MISSAM dicimus, pars eſt, quam Deus bone vt abominantur, vt execrantur aduerſarij? Atquì has eorum criminatiões, non poſſum equidem non mirari: nec ſanè enunciare auſim, quæ me teneat ſuſpicio, cuiuſmodi eum hominem occupet ſpiritus, qui verba tam grata, tam ſuauia, tam præclaram egregiamque Dei laudem placidis accipere auribus non poteſt, immò ceu rem maximè abominãdam execratur & fugit, cùm tamen vix quiſquam Dei præconia verbis ad pietatem accommodatioribus complecti & efferre queat.

Hinc iam ſacerdos verſa ad populum facie, eo erga ipſum ſalutationis genere vtitur, quod olim apud priſcos illos patres in ſcripturis ſacris maximè legitur vſitatum, vt Iudicum 6. Ruth ſecundo, 2. Paral. 15. *Dominus vobiſcum.* Et reſpondetur illi: *Et cum ſpiritu tuo.* Additque Sacerdos, *Oremus:* atque ità totius plebis nomine Collectas dicit. Sunt autem Collectæ per annum multijuges, & habent ſingula ſacra Collectas peculiares: omnes tamen peruetuſtæ, elegãtes, maximeq; Chriſtianæ ſunt precationes, quæ verè Apoſtolicum, Chriſtianum, purum referant reſpiantque ſpiritum, & eorum, qui primi in CHRISTVM credidêre, hominum reuerà ſanctorum, pectora animoſque declarant, cùm eiuſmodi in ECCLESIA preces inſtituerent: nempe vt corda cogitatusque ſuos ab curis ſeculi, carniſque voluptatibus adeò abſtraxerint ac ſeuocârint, nec niſi cæleſtia ac ſpiritalia meditati ſint. DOMINVS VOBISCVM. COLLECTAE.

DOMINICA I. ADVENTVS
Collecta talis eſt:

EXcita Domine, quæſumus, potentiam tuam, & veni, vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari.

In CHRISTI Natiuitate eiuſmodi eſt:

COncede quæſumus, omnipotens Deus, vt nos Vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet: Per eũdem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM *filium tuum, Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritusſancti* DEVS, *per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Verùm hîc mihi quædam de Collectis monendi eſtis:

Primò, ea de cauſa ſalutationem ab ſacerdote ad populum fieri, vt excitentur, atque ad preces quę facit ſacerdos, attendendas animo prouocentur atque admoneantur. Hîc enim omnium noſtrûm res agitur. Nam quæ fit in ECCLESIA oratio, non ad vnum aliquē ſolum pertinet, *Collecta quid.* ſed eſt collecta, id eſt, oratio in vnum redacta atque congeſta, quæ & ab vniuerſo & pro vniuerſo fidelium cœtu funditur. Vndè tametſi vnus tantùm verba pronunciet, cæteri tamen corde atque ſpiritu ſimul cum illo precari debent. Ideoque Domini admonemur, vt quandam animo concipiamus grauitatem ſtrenuitatemque: atque iurè ſanè omnis tum faceſſat, & cogitationum & geſtuum leuitas, cùm in ſummi ac potentiſſimi Regis & Domini conſpectu adſtemus, agamus cum eo, illum obſe- *Pſalm. 94.* cremus, qui Deus & Dominus noſter eſt: in cuius arbitrio ac poteſtate vita & mors, omneſque tum aduerſæ, tum ſecundæ res noſtræ poſitæ *Matth. 10.* ſunt: qui poteſt animas & corpora noſtra perdere in gehennam: qui deniquè & diues & pius eſt, & paratus conferre in nos bona omnia, modò ſeriò conſtantique fiducia ab eo precemur.

Attentio quæ vndè quò exigatur. Itaq; decet profectò attentos eſſe Chriſtianos omnes, dum dicitur, Dominus vobiſcum: itemq;, Oremus: vt ceu mēbra ECCLESIAE Dei, etiam nos pariter oremus. Si quis verba nō capit, nihil obſtat, quo minùs generatim precetur admoneatque Deum, vt ECCLESIAE ſuæ obſecrationes propicius admittere, eaq; nobis in terris præſtare velit, quæ ad animę corporiſque ſalutem nobis neceſſaria atque ſalubria ſint, idque per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum.

Quod cùm ità ſit, facilè profectò animaduertere licet, quàm vanum, ſuperfluum, ac futile hominum genus, quàm infrugiferi in Chriſtiana Repub. ciues ſint, qui ad communes ECCLESIAE preces nullo ſeſe ſtudio accōmodant, ſed ſua interim potiùs priuata aucupantur lucra & commoda, rebuſque ſuis auarè cumulandis nauant operam: aut certè ſi fortè interſint, dum ECCLESIA tam grauibus, tamque ſerijs Deum verbis obſecrat, ità ex animo Diuinam implorat opem, liberationem, miſericordiam, nec attendunt quidem ad preces, immò dolendam præ ſe ferunt verbis ac geſtibus leuitatem: quantumuis ECCLESIA ſuſpiret ad Deum, nihil ad eos attinet: quin opertis obambulant capitibus, nouos vltrò citroq; rumores effutiunt, aut alias res nihili tra- *Quantus ſit ille garriendi & obambulandi in templis ſub MISSA & alijs precibus abuſus.* ctant: re ſanè ipſa id declarantes, minimè ſe ECCLESIAE calamitatibus, exilio, neceſſitatibus moueri, peſſúmne eat, an potiùs proſperè habeat Reſpub. Chriſtiana: an penès Turcam, aut Imperatorē noſtrum multò pijſſimum, rerum ſumma ſit: vtrùm errores, diſſidia, hæreſes palmam obtineant, an ex Dei munere pia quadā noſtra in religiōe animorum conſenſione iungamur, fideſq; Chriſtiana in ſua veritate perſiſtat, ea ſe omnia ſuſq; deque ferre. Nam alioqui ſanè & ipſi ſeriò pro huiuſ-

modi

modi ECCLESIAE malis & inſtantibus ac neceſſarijs negocijs vnà precarentur.

Quid plebi cum ſacrificio orandum.

Equidem ità ſentio, inſigni haud vacare contumelia, probro, dedecore, & eſſe ſeuerè cumprimis repræhendendum, in ijs maximè, qui Latinè nôrunt, quòd dum OREMVS dicitur, capita vittis & pileis operiunt, ſimul aſſident, de rumoribus confabulantur, & neque geſtu aliquo, neque cogitatu ad auſcultandas ECCLESIAE precationes ſeſe adhibent, quaſi nõ intelligant quid facere moneantur, dum OREMVS ab ſacerdote profertur.

Impudẽtia aut inſcitia quorũ hodiè quãta.

Admodùm profectò indecens atque indignum eſt homine è religione Chriſtiano, tantam præ ſe ferre inurbanitatem ac negligentiam, dum obſecrat Deum. Religio quidem nobis eſt, ac turpe ducimus, ſi Principem, hominem illum vtiquè, allocuturi, tecto ſimus capite, aut iuxta illum aſſideamus: vndè igitur adeò nobis ſumma illa viluit maieſtas omnipotentis Dei, adeoq; nullius apud nos exiſtimationis ac precij eſt, vt qui homini habendus eſt honos, eum Deo Opt. Max. præſtare ac adhibere nolimus?

Religio p̃poſterá hodiè qualis.

Quod nimirùm idcircò mihi hoc loco commemoratum eſt, vosq́ue adhortandi gratia introductum, quòd dum preces fiunt in ædibus ſacris, non modò Chriſtianorum corda, verùm etiam externos geſtus, ceu indices animi, ſuum quoddam præ ſe ferre decorum, quemq́ue decet ſeruare ordinem, impenſè cupiam, vti & diuo Paulo id ſemper optatiſſimum fuit, quemadmodùm ipſe meminit, vt omnia honeſtè in ECCLESIA & ſecundùm ordinem fierent: vſqueadeò curam gerens ſtudiumq́ue maximum adhibens erga exteriores ſub precibus geſtus, vt nec illius quidẽ ſeu viris ſeu fœminis poteſtatẽ facere velit, vt operto illi, iſtæ, dum orant, aperto ſint capite. Vndè & aliàs vult Chriſtianos mundas ſub precibus leuare manus. Sic & CHRISTVM ipſum humiles publicani geſtus mirificè delectârunt, quòd pectus tunderet, quòd demitteret oculos, quòd ſumma cum humilitate Deum obſecraret, dicens: Deus, propicius eſto mihi peccatori, Lucæ 18. Itaque hoc principiò vt vos monerem, operæprecium duxi, vti ad orationem cum quadam animi grauitate, & dignis, appoſitis, atque ad eam rem accommodatis geſtibus accedatis. Alioquì dum diſſolutè, leuiter, abſque vllo vel iudicio vel attentione preces facimus, inanes itidèm & abſque vllo effectu redimus.

1. Cor. 14. 1. Cor. 11. 1. Tim. 2. Lucæ 18. Iaco. 4.

Deindè ſecundò, quandò circa Collectas verſamur, quædam etiam hîc mihi aduerſæ partis diluenda obiectio eſt: quæ tamen potiùs, ſi modò ad veritatem referatur, & Eccleſiaſticæ conſtitutionis apta reddatur ratio, ipſa per ſe ſponte labaſcit, corruit, ſubruiturq́ue.

AIVNT NANQVE ADVERSARII:

Vel hoc nomine eorum qui MISSAS celebrant,ſacerdotum ſacrificandi munus nullum,vanum,impium ſit oportet, quandò turpiſſimè aduerſùm ſcripturas Diuinas, & ad maximam CHRISTI ignominiam de ſua MISSA mentiuntur,id ſibi attribuentes, MISSAM ſuam interceſſionem eſſe inter Deum & hominem, & ipſum ſacerdotem in MISSA inter Deum atque hominem medium intercedere, cùm tamen ipſe quoquè Apoſtolus teſtis ſit, vnum tantùm mediatorem eſſe

1.Tim. 2. Dei & hominum,hominem CHRISTVM IESVM,qui dedit re-

1.Ioan. 2. demptionem ſemetipſum pro omnibus: & Ioannes quoquè ad vnum nos reijciat aduocatum,quē habemus apud Deum,IESVM CHRISTVM iuſtum,qui eſt propiciatio pro peccatis noſtris: & non pro noſtris tantùm, ſed & totius mundi.

Quis igitur æquo,aiunt,ferre animo queat, vt Papiſtę(ſic enim nos appellant) extruſo è ſua dignitate & officio CHRISTO,illius ſibi vſurpent honorem, in eiuſque ſeſe locum ipſi ceu Dei hominumque mediatores inferant atque intrudant, cùm id nemo ſibi rectè vindicet præter vnum CHRISTVM, qui per ſanguinem ſuum inter Deum atque nos medius interceſſit, æternamque nobis apud Deum pacem, conciliationem,amicitiam effecit,impetrauit,ac meritus eſt?

RESPONSIO:

Si quidem aduerſarij inueſtigando vero citra liuorem aut inuidentiam nauarent operam, iam certè id exploratum haberent, quid ſibijpſis ad hæc reſpōdere, quíve erga improbam, acerbam atq; indignam hanc inſimulationem ECCLESIAM Dei tueri, purgare, excuſare debe-

Schiſmatici quanto ECCLESIAE odio laborent. rent. At verò quò ſui interìm animi liuori atque acerbitati indulgeant, ſitque quod in ECCLESIA Catholica criminentur, neceſſe eſt flagitium aliquod etiam falſò in eam confingant & cōminiſcantur, tametſi ab ea,culpa omnis atque noxa longiſſimè abſit.

Enimuerò præcipuam illam,immenſam & cumprimis gratioſam liberationem,confectam nobis per CHRISTVM,munuſque illud medium intercedendi, quatenus in ipſum ſolum competit, eique proprium & peculiare eſt ac perſeuerat, nec in vllam creaturam transferri poteſt,iam indè ab initio ECCLESIA Catholica ſemper optimè agnouit,ipſiq; CHRISTO IESV redemptori atq; vnico mediatori no-

ECCLESIAM, doceri ab hæreticis, non egere. ſtro,honorem ſuum non minori gratiarumactione, fauore,ſtudio conceſſit, atq; partis aduerſæ homines vnquàm poterunt: Nec eſt ſanè cur hanc ſibi moleſtiam ſumendam putet,vt iam demùm ab aduerſarijs inſtitui ac edoceri velit, vt CHRISTVS IESVS vnicus inter Deum atque hominem mediator ſit, præterq; eum id ſibi vel nominis vel muneris eadem ratione nemo rectè vſurpare queat: nec eam ſibi ducit curam neceſſariam,vt CHRISTVM ab hoc intercedēdi officio excludat,

aut

aut illius interceſſioni renunciet, cùm, vti hoc frui poſſit mediatore, quotidianis abundè nôrit experimentis.

Itaque concione proxima, opem mihi ferente Deo, de diuerſo ſeu diſtincto intercedendi officio CHRISTI atq; ſacerdotis MISSAM agentis, tam explicitam atq; Chriſtianam reddere rationem conſtitui, vt mendacium ipſum ſeſe quoquè non poſſit non erubeſcere.

SERMO VIII. IN IPSA SERVATORIS CHRISTI NATIVITATE.

De diſcreto ac diſtincto CHRISTI & ſacerdotis in MISSA, vel etiam cuiuſlibet Chriſtiani pro altero mediùm intercedendi officio.

IN his noſtris, quæ nobis de ſacroſancto MISSAE officio, ſuſceptæ ac inſtitutæ ſunt, concionibus dilectiſſimi, perindè nos ad laborem accingamus atque apparemus oportet, vt olim populus ille Dei ſub Nehemia templum deſtructum ac dirutum inſtauraturus, abolitumque ac vi ereptum Dei cultum, ad priſtinum locum ſtatumque reuocaturus. *1. Eſd. 5.* Quibus tum ſanè non minùs faceſſebat negocij hoſtium, qui templi extructionem impedire maximo contendebant opere, propulſandorum mœnibus cura, atquè ipſius templi ſtructura & ædificatio. Igitur accedebant ad opus armati, & altera quidem tenere manu gladium, quo hoſtis operi quod moliebantur, infeſtus profligaretur, altera cœptum continuare ædificium cogebantur. Itâ profectò & noſtro hoc pernicioſo ſeculo non ſatis eſt plebem inſtituiſſe Chriſtianam, quid boni, quídve ſalutis venerandum hoc MISSAE officium complectatur, vtque ea tum ad honorem Dei, tum animarum ſuarum ſalutem perfrui debeant: ſed inſupèr continenter nobis aduerſum eos, qui diuerſæ ſunt partis, reſiſtendum eſt, quæq; illi temerè, iniquè, conficte in diuinum hunc & antiquum ECCLESIAE actum obijciunt & calumniantur, non alio ſanè conſilio, quàm vt apud ſimplex eum Chriſtianorum vulgus in inuidiam horroremque adducant, impediantq;, nos optimis rationibus refellamus reijciamusq;. Vndè, quemadmodùm pollicitus ſum, reddenda nunc mihi atque explicanda ratio eſt de diſcreto CHRISTI & ſacerdotis in MISSA medium intercedendi officio, vt id vobis omnibus planum atq; teſtatum fiat, falſò eos in ECCLESIAM Catholicam comminiſci, quaſi ſacerdos MISSAM faciens, è ſuo CHRISTVM intercedendi munere extrudat, in eiuſque locum ipſe ſe ceu mediatorem Dei & hominum conſtituat, idque in eiuſdem CHRISTI IESV benigniſſimi Redemptoris noſtri ignominiam & contemptum.

Duplex onus côcionatori pio hodiè incumbere.

Impudentiſſima in ECCLESIAM calumnia.

DE PECVLIARI CHRISTI INTERCEDENDI MVNERE.

 Mul-

Mediatio CHRISTI. MVltis quidem modis diuina teſtantur volumina, & eſt res Chriſtianis omnibus probè perſpecta, vtì omne hominum genus & iræ omnipotentis Dei, & morti, & ipſi quoquè damnationi obnoxium addictumq́; fuerit, tum ob primi parentis noſtri tranſgreſſionem, tum ob ea, quæ ipſi admiſimus, errata: quandoquidem omnes pro natura ſeminis vitioſi, vndè prognati ſumus, ipſi etiam ad peccata & malitiá iam

Gen.6. & 8. indè ab adoleſcentia proni ſumus: quę eſt vtiquè ratio, vt homo aliquis pro hominibus cæteris ceu mediatorem vel interceſſorē ſeſe apud Deum conſtituere non poſſit, neque cum hoc illos in gratiam reducere, cùm pro ſe ſingulus quiſque itidèm peccator ſit, atq; vnà cum reliquis pari debito obligatus, vt eſt apud Apoſtolum ad Romanos: Omnes pec-

Rom.3. cauerunt, & indigent gloria Dei.

Fuit eapropter neceſſe talem exiſtere mediatorem, qui non homo tantùm eſſet: ſic nanque nimiùm abfuiſſet à Deo, & ad peccatorum numerum etiam ipſe pertinuiſſet: neque etiam purus Deus, alioqui longè ſupra hominem fuiſſet, nec hominibus apud Deum liberationem conficere atq; impetrare, nec hominibus Deum recōciliare potuiſſet. Cùm

Iuſtitia Dei quanta. enim iuſtus ſit Deus, nec peccatum vllum impunè abire patiatur, neceſſè erat eum qui ex peccatis homines eximere, eosq́; cum Deo in gratiam reuocare vellet, ipſa in ſe hominum peccata recipere, meritas luere pœnas, vt ſic diuinæ iuſtitiæ fieret ſatis. Id verò in eum, qui purus eſſet Deus, competere non poterat. Neq; enim diuinitatem ſupplicia vlla aut verbera contingere queunt. At tamen quò & iuſtitiam ſuam tueretur Deus, ac nihilo minùs pro ſua miſericordia hominem damnationi addictum, ex peccato ad iuſtitiam, è morte ad vitam, ex damnatione ad beatitudinem reduceret ac reuocaret, hoc in diuina prouidentia ſua conſilij reperit, vt vnicus idemq́; amantiſſimus filius ſuus, conſempiternus ſibi & æqualis Deus, humanam ſumeret naturam, peccata no-

Eſaiæ 55. ſtra in ſuo corpore ferret ſuper lignum, ſeipſum hoſtiam & redemptio-

1.Pet.2. nem offerret pro omnibus, atq; ità demùm vnicus fieret Dei hominumq́ue mediator homo Chriſtus Ieſus.

1.Tim.2.

Et ipſe ſanè ità inter Deum atq; nos medius interceſſit, vt non modò verbis pro nobis egerit, noſtriſq́ue pro ſceleribus deprecatus ſit, ſed per ſeipſum ſuo ipſius ſanguine pro nobis ſatisfecerit, atq; adeò è ſuo, quod nos debebamus, pependerit, & quorum apud Deum eramus indigi, nobis obtinuerit ac impetrârit.

Quin & in hanc vſque diem is nobis apud Deum CHRISTVS

Interceſſor qualis ſit nobis Chriſtus. IESVS interceſſor & aduocatus eſt, qui rem noſtram non verbis, ſed virtute gerat, ſanctiſſima merita, profuſum ſanguinem, & mortem ſuam Deo exhibens offerensq́ue, perq́ue merita ſua efficiens nobis apud Deum, quibus nos indigemus: immò qui ex virtute propria largiatur. Etenim ex proprijs ſuis meritis præſtat ac ſubminiſtrat nobis, qui-

quibus noſtra apud Deum peccata redimere & expiare queamus.

Talis, inquam, ille nobis interceſſor eſt, qui ſuis meritis totum apud Deum mundum tueri poſſit, quemadmodùm D. Ioannes ait: Ipſe eſt propitiatio pro totius mundi peccatis: nec alicuius ille vel patrocinio vel prece, vel precio indiget apud Deum. *1. Ioan. 2.*

Hoc igitur inter Deum atque hominem intercedendi munus, in ſolum CHRISTVM competit, vt qui mediator eiuſmodi, immò & redemptor eſt, qui ex noſtris omnes nos peccatis atque ex ipſa quoquè damnatione extrahere atque eripere poſſit: nec vlla vel in cælis vel in terris creatura ad hoc intercedẽdi officium vel adſpirare poteſt, nedùm præſtare vel illud exequi. Neque enim quiſquam alius eſt, qui nobis per ſua merita aditum acceſſumq́ue comparârit ad Deum, noſtra expiârit crimina, cum Deo homines in gratiam reuocârit, niſi vnus duntaxat homo CHRISTVS IESVS.

Eſt porrò & aliud quoddam intercedendi munus: quod nos non abſque CHRISTO vel præter CHRISTVM, ſed per CHRISTVM adducit ad Deum. Id autẽ in obſecrãdo poſitum eſt, dum quiſpiam pro aliorũ ſalute & incolumitate apud Deũ intercedit, queádmodùm ſcripturę authoritate iubemur: Orate pro inuicèm, vt ſaluemini. Nunc igitur ſi partis aduerſæ ea mens atque ſententia ſit, Sacerdotem MISSAE ſacrum peragentem, priori ratione interceſſorem ſeu mediatorem ſeſe ſtatuere inter Deum hominemq́ue, CHRISTI q́ue occupare locum, excluſo atque eiecto CHRISTO ex honoris ſui gradu &c. non poteſt id ſanè non indigna dici calumnia, impudentiſſima atque conficta vanitate in ECCLESIAM Catholicam collata: nec poſſit eſſe difficile nobis, falſi eos cõuincere, nec vlla, quod obijciunt, ratione aut veritate fulciri. Nam ſi ad ipſam ECCLESIAE inſtitutionem & preces animum aduertas, facilè videre eſt, ſacerdotẽ in MISSAE ſacro nullo ſe pacto ea ratione interceſſorem conſtituere & exhibere, quemadmodùm CHRISTVS mediator eſt, qui hominũ cum DEO conciliationẽ ſua morte & ſanguine confecit & obtinuit, quiq́; etiamnùm ſuis apud Deum meritis nobis impetrat, immò etiam ipſe vti Deus, nobis ſubminiſtrat & dilargitur, quicquid ad temporariã ęternamq́ue nobis ſalutem neceſſarium eſt. Hoc intercedendi munus ad vnum CHRISTVM pertinet, vni CHRISTO proprium eſt ac peculiare: quod etiam ſacerdos in MISSA totum illi concedit atque relinquit, ſuumq́; ipſe intercedendi officium ſolis exequitur precibus: vti & aliâs pro alio alius intercedit, admonetq́; omnipotentem Deum, vt ECCLESIAE ſuæ præclara ac ſalutifera CHRISTI merita, ad ſalutem ac felicitatem prodeſſe atque proficere velit.

Interceſſio ſacerdotis & vniuſcuiuſque Chriſtiani mutua.

Iaco. 5.

Calumnia in ECCLESIAM maxima.

CHRISTI interceſſio cuiuſmodi.

Sacerdotis interceſſio qualis.

Quanti verò ECCLESIA CHRISTI IESV intercedendi officium faciat, quantoperè obſeruet, quamq́ue illius honorẽ celebret, *CHRISTI interceſſio.*

nem quãti ECCLESIA faciat. efferat, extollat, poteſt vel indè eſſe manifeſtum, quòd preces ſuas omnes ità concludit, *Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium tuum &c.*

Qua re id ſatìs ſuperque teſtatur, ſpem atque fiduciam ſuam omnem in vno ſe CHRISTO ſtatuere, nec quicquã ſe afferre aliud nôſſe ante Deum, cuius nos ille gratia exaudire, nobis ſe præſtare propicium atq; opem ferre debeat, præter CHRISTI merita, quæ ex illius gratia nobis cõfecta, nobis ceu propria collata ſunt. *Vndè nobis fiducię tantum apud Deum ſit.* In illius ergò ipſius nomine preces cunctas facimus, ob eiusque merita, quicquid ex Deo ad nos boni, quicquid ſalutis proficiſcitur, impetramus. Contrà verò, quàm humiliter, quàm modeſtè ſuum ſacerdos intercedendi officium, ceu ECCLESIAE miniſter exequatur, vel indè liquet, quòd ante omnes preces ità dicere conſueuit, OREMVS.

Vbì certè eum ſe nobis exhibet, qui & ipſe in DEI populo & eſſe & permanere velit, nec ſeſe efferre ſuper cæteros, non ſe ex peccatorum numero excipere, tanquàm non & ipſe multis ſubiaceat culpis, Deique gratia & ſibi quoquè perindè atquè alijs neceſſaria ſit: ſed qui potiùs & ipſe petere opùs habeat, atq; vnà cum reliquo Dei populo precari velit. *Sacrificãtis humilitas quãta.* Non vſque eò mentis elatione tumeſcit, nec id ſibi arrogãter aſſumit, vt homines cæteros ex peccatis extrahere, aut eis opitulari ſe poſſe exiſtimet: non his ad populum verbis vtitur: Tametſi fratres peccatis obnoxij eſtis, at bono animo eſtote: ipſe pro vobis deprecabor: ipſe pro peccatis veſtris apud Deum patronum me pręſtabo: ſed ità potius dicit: *Omnes peccãſſe & miſericordia indigere.* Quandò omnes peccauimus fratres, ſimul omnes miſeri ac indigi ſumus, Sacerdos æquè vt populus, Magiſtratus perindè vt ſubditi, omnes vnà precemur, vt Deus Opt. Max. ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum deleat ac remittat nobis iniquitates noſtras, ſuamque largiatur gratiam, ac bona omnia ſubminiſtret.

Sed neque de ſuo ſeſe inſolenter effert aut iactat opere vel celebratione, tanquàm ipſe credentiũ populo, ſuo actu pacem apud Deum conficere velit: ſed ipſum potiùs verum atq; vnicum redẽptorem CHRISTVM IESVM exhibet atque offert Deo, orans atque admonens Deum, vtì per hunc interceſſorem vel mediatorem noſtrum eiusque merita, mala omnia à ſua ECCLESIA auertere ac propulſare, quæq; nobis tum ad temporariam, tum ęternam ſalutem neceſſaria ſunt, propicius ſuppeditare velit. *Sacrificantis fiducia quæ.*

Calumnia ſchiſmaticorũ in ſacrificãtes. Quod cùm ità ſit, commentitiam profectò atque confictam eſſe cõſtat aduerſæ partis calumniam, qua aiunt, ſacerdotem MISSAE ſacrũ facientem, CHRISTVM è ſuo intercedendi officio extrudere, in eiusque ſeſe locum intrudere ceu Dei hominumque mediatorem, cùm tamen ſacerdos rem omnẽ precibus tranſigat, adeoque precetur omnia per CHRISTVM Dominum noſtrum, non ſibi aliquid præcipuè

attri-

attribuat, vtpotè populi Dei minister, qui illius cauſas referat ad Deum. Nam quemadmodùm vbi populus aliquis petiturus quippiam ab ſuo Principe, vni dat negocium, qui tum ſanè non ſuis vtitur verbis, ſed ità dicit, vt eſt iuſſus ab omni populo: & ipſe itidèm Princeps illius poſtulationem non vt vnius accipit hominis cauſam perorantis, ſed vt totius populi ſui, cuius ille nomine dicit: ità ſanè dubium non eſt, vt diuus Auguſtinus aduerſus Parmenianũ eleganter perſequitur, Deum omnipotentem communes ECCLESIAE preces non vnius ſacerdotis deuotione ac integritate metiri, ſed ità ſuſcipere, ceu ab toto credentium cœtu oblatas, itemq́ue exaudire eas pro deuotione populi ſui, tametſi alioquì improbi atq; peccâtis obnoxij miniſtri ore proferantur, vti olim benedictionem hominis idololatræ Balaam in plebem illam Iſraeliticam efficacem eſſe voluit, quanquàm inuitus eam impius ille atque ingratìs nec vlla cum deuotione conferret.

Similitudo venuſta.

Preces quæ qui ſuſcipiantur.

Nume. 23.

Ex his, ni fallor, cuiuſmodi ſit CHRISTI intercedendi munus, vtq́; totum hoc illi ſacerdos in MISSAE ſacro relinquat permittatq́;, didiciſtis.

Porrò ſi id quoquè aduerſarij contendere velint, in ECCLESIA Dei nec hoc quidem intercedendi officium tolerandum eſſe, quod obſecrando geritur, vbì pro alio alius intercedit, facile erit commentum hoc vi maxima in ſuî reijcere authores, tum ſcripturæ teſtimonijs, Orate pro inuicèm, vt ſaluemini: tum complurium ſanctorũ exemplis, qui vel pro populo, vel aliâs ſpeciatìm pro charis atq; neceſſarijs ſuis Deum obſecrârunt, Exod. 17. 32. Rom. 15. 2. Corinth. 1. 2. Theſſ. 1. Actor. 16. tum deniquè ipſius Apoſtoli mandato, 1. Timot. 2. vbì ſic ait: Obſecro igitur, primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillã vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Quod certè mandatũ ECCLESIA Catholica in MISSAE ſacro probè apteq́; exequitur, vbì & obſecrationes fiunt pro populo, oratiões in conſecratione ſacroſanctæ Euchariſtiæ, poſtulationes pro omni ECCLESIAE neceſſitudine, atque adeò etiam pro inimicis noſtris, & gratiarum deniquè actiones pro cunctis beneficijs Dei, & cumprimìs pro CHRISTI IESV liberatiõe, qui nobis per ſanguinem ſuum pacem conciliationemq́; cum Deo, & vitæ æternæ ſpem expectationemq́ue obtinuit atque confecit.

Iaco. 5.

Mutuæ intercesſionis demonſtratio.

Auguſtin. epiſt. 59.

Ex his igitur facile ſit vel puero noſtris reſpondere aduerſarijs, vbì aiunt: Paulus præcipuum licèt in CHRISTI corpore membrum, tamen credentium ſe precibus commendat, non etiam mediatorem ſe conſtituit inter Deum hominesq́ue: magìs autem obſecrat & petit, vt cuncta CHRISTI corporis membra pro ſe inuicèm precentur.

Rom. 15. 2. Corint. 1.

Nimirùm rem nouam nobis ſophi iſti adferunt, hactenùs ſimplici

Chri-

Chriſtianitati incognitam. Atquì ſi rudi ECCLESIAE Chriſtianæ, ipſorum bona venia ac pace, reſpondere liceret, profectò doceremus eos, quid, quaque ratione in MISSA geramus, quod tum ipſe mandauit Apoſtolus: & vt ab eo mandatum eſt, ità & fit à nobis. Obſecramus, oramus, poſtulamus, gratias agimus, &c. Sic habet Apoſtoli mandatum 1. Timoth. 2. Commendat ſe Paulus credentium precibus, & vult CHRISTI membra alia pro alijs obſecrare: idemq; facit & in MISSA ſacerdos. Vertit ſe ad populum, & dicit: *Orate pro me fratres & ſorores*, atque ad preces omnes præmittit, OREMVS. Quod quid ſibi vult aliud, quàm non vnum ſolum pro omnibus, ſed nos ſimul omnes & ſingulos pro alijs obſecrare debere? Cernitis hinc dilectiſſimi, quàm per nos aduerſarijs maximè liceat eſſe quietis, modò aliàs pax eis cordi eſſet, & pacis eos ſtudia delectarent.

MISSA quod petitur aut fit, ab Apoſtolo iuſſum eſſe.

SERMO IX. IN FESTO DIVI STEPHANI, anno 48.

De Epiſtola, & ijs quæ deinceps ad Sanctus vſque, in MISSA tractantur.

CONcionibus ſuperioribus dictum eſt nobis de ijs, quę in MISSA tractantur ab exordio ad Collectas vſque: atque ad ſingula explicatum, vt non modò ex verbis ſuauiſſimis, & ad amorem maximè accommodatis deuotionem concipere, ſed ex ipſo etiam ordine in humanæ liberationis memoriam pulchrè & apta ratione redire queamus. Deindè poſt Collectas, ex Paulinis Epiſtolis aut certè ex alijs Bibliorum paginis lectio adhibetur. Cur autem ante Euangelium recitetur Epiſtola, iſthæc ratio eſt, quòd per Apoſtolorum Prophetarumq; prædicationem ad verum Euangelicæ inſtitutionis atque doctrinæ intellectum manuducimur: quemadmodùm & diuus Ioannes Baptiſta ſua prædicatione populum ad CHRISTVM tranſmiſit, atque ità ad hominum corda aditum Domino comparauit ac patefecit, vtì de eo ſcriptum eſt: Eccè ego mitto angelū meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Ità ergò per Epiſtolam, in humani generis commemoranda liberatione, rurſùs gradū vnum profecti ſumus. Heſterna quidem die primi atq; ſecundi ſacri Epiſtolæ ex Apoſtoli ad Titum epiſtola extractæ ſunt, quæ paucis ſanè verbis totius Chriſtianæ inſtitutionis ſummam complectuntur, noſque id docent atq; erudiunt, vt gratiam Dei Opt. Max. per CHRISTVM IESVM collatam in nos agnoſcamus, eoque ſubnixi & freti, conemur fieri meliores:

Epiſtola. *Cur antè Epiſtola, quàm Euāgelium, recitetur.* *Malach. 3.* *Matth. 11.* *Tit. 3.*

CHariſſime, Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem &c. (*Tit. 2.*)

Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, &c. (*Tit. 3.*)

Ad

Ad Epiſtolam ſubiunguntur Graduale & Alleluia: ex quibus Graduale præſentis vitæ exilium nobis ad memoriam reducit, in quo dum agimus, ſatis nobis ſuperq́ue multùm cauſæ eſt, vt cum Propheta regio gemebundi dicamus: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Alleluia verò ſi Latino reddas ſermone, fit, Laudate Dominum: idemq́; ineffabilium maximè exuperantium nos admonet gaudiorum, quæ illic ſunt, vbì Deum facie ad faciem videre licet: vbì electorum ora perpetuis Deum laudibus celebrāt, nec Deum laudandi ſtudium vnquàm intermittunt, quemadmodùm ſcriptum eſt: Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te. Parciùs autem ſub Alleluia ſyllabæ, largiùs cātus adhibetur: quod ſignificat, multò excellētiora iucundioraq́ue cęleſtis patrię gaudia eſſe, quàm vt humana poſſint lingua exprimi, vt ea Prophetæ ſententia teſtatur: A ſeculo non audiērūt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te, quæ pręparâſti expectantibus te.

Graduale. — *Pſal.119.* — *Alleluia.* — *Pſal.83.* — *Cur Alleluia ſonoriùs quàm verboſiùs canatur.* — *Eſai.64.*

Atque inprimìs ſanè hominem in pietate retinet, ſi Graduale & Alleluia cōiunctìm pſallat, id eſt, ſi crebrò multumq́ue in memoriam redire ſtudeat tum exilij præſentis, tum futuræ vitæ beatitudinis & gaudiorum. Nimirùm eiuſcemodi ſtudium hominem efficit animum ſuum ab omnibus ſeculi deſiderijs ſeuocantem & abſtrahentem, totumq́; cor & cogitatus ſuos ad cælum referentem ſubleuantemq́ue, vbì vera, certa & ſtabilia gaudia ſunt. At tamen Paſchali tempore Graduale, vtpotè lugubris cantus, intermittitur, & Alleluia duntaxat vſurpant, hoc vtiquè ſignificatu, per mortem CHRISTI ac reſurrectiōem, beatitudinem nobis partam eſſe, & ad perennia gaudia aditum comparatum, vbì cum electis omnibus æternum Alleluia Deo omnipotenti decantaturi ſumus. Heſterna quidē Dominici natalis die inter alia eiuſmodi Graduale fuit: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.* Verſus: *A Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Itemq́ue iſtud: *Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei noſtri: Iubilate Deo omnis terra. Notū fecit Dominus Salutare ſuum: ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.* Alleluia verò vnum ſic habet: *Alleluia*, id eſt, Laudate Dominum. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodiè genui te.* Et aliud Alleluia iſtiuſmodi eſt: *Alleluia. Dies ſanctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum, quia hodiè deſcendit lux magna ſuper terram.*

Graduale & Alleluia cōiunctìm pſalli, quid myſticè velit. — *Col.3.* — *Pſal.117.* — *Pſal.78.* — *Pſal.2.*

Poſt Alleluia porrò Sequentiæ decantantur: quas huc introducere prolixum ſit: atquì magna ex parte, pręſertim celebrioribus anni ſolennitatibus, cantica ſunt cumprimìs iucunda, grata, & Chriſtianæ pietati accommoda. Atq; vtinàm faxit Deus, apud Chriſtianos omnes tam dextrè, feſtiuè, amanter ipſorum reddātur idiomate, vt ſunt apud Latinos.

SEQVENTIAE.

Abſoluta hinc Sequentia, Diaconus iamiàm Euangelium lecturus, populum priùs affatur, dicens: *Dominus vobiſcum.* Et reſpondetur illi: *Et*

Euāgelium — *Dūs vobiſcum.*

cum

cum ſpiritu tuo. Quibus verbis id inuicèm precamur ac cupimus, vt Dominus per gratiam & ſpiritum ſuum noſtra præparare corda & pectora
Luc. 1. velit, quò cum manſuetudine ſuſcipiamus inſitum verbum, quod ſaluare poſſit animas noſtras.

Tum porrò, quid annunciaturus ſit, expromit, non quidem inaniſſimos, futiles, dubioſq; rumores, ſed Euangelium IESV CHRISTI, vel ex Matthæo, vel Marco, vel Luca, vel Ioanne petitum: *Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum &c.* Idque tum populus Chriſtia-
Gloria tibi Domine. nus alacer & gratulabundus excipit, dicens: *Gloria tibi Domine.* Grates tibi laudeſque agimus, quòd ſalutiferam Euangelij dilectiſſimi Filij tui CHRISTI IESV doctrinam, noſtris quoque in auribus & cordibus ſonare voluiſti: quandoquidem Euangelium certa virtus Dei eſt in
Rom. 1. ſalutem omni credenti. Sic olim ad Euangelij annunciationem exul-
1. Corint. 1. tabant gentes, vt eſt apud Lucam in Actis: Audientes autem gentes, ga-
Actor. 13. uiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Cruce ſignari. Cæterùm ſub Euangelij recitationem tum ſacerdos, tum populus omnis ſignum crucis CHRISTI ſibi imprimunt, id ſcilicet hoc ipſo confitentes, ſe doctrinam CHRISTI crucifixi neutiquàm erubeſcere: vnaq; item cum Apoſtolo hoc ſigno teſtatum omnibus reddentes,
Rom. 1. non ſe erubeſcere Euangelium, cùm ſit virtus DEI in ſalutem omni credenti.

Quas & quot corporis partes cruce potiſſimùm ſignemus. Tribus autem corporis locis hoc ſibi ſigni Chriſtiani imprimunt, in fronte, in ore, in pectore. In fronte quidem, vt in omni vita & actione ſua propalàm CHRISTI euangelium præ ſe ferant, vti Dominus ait: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant bona facta veſtra, & glorificent Patrẽ veſtrũ qui in cælis eſt. In ore aũt, vt ſignificẽt ſe ore
Matth. 5. confiteri velle ad ſalutem, eamq; hoc ipſo à Domino inire gratiam, de
1. Pet. 1. 2. Matth. 10. qua ille ait: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum corã Patre meo: atq; adeò vt tales meminerint, ſeſe cum alijs ſermones conferre debere, qui ad Euangelium CHRISTI aptè conſentiant, quique deceant ſanctos, ità vt Apoſtolus hortatur Epheſios:
Ephe. 4. 5. Omnis ſermo ſpurcus non procedat ex ore veſtro. In pectore deni-
Rom. 10. què, vt ſe teſtentur fidem animo complecti, retinere, & colere velle ad iuſtitiam.

Recitato iam Euangelio, rurſus crucis CHRISTI ſigno pectora ſua muniunt, vt ſe obſignare ea aduerſus inuidos malignoſque ſpiritus declarent, vt nè illi miſſa in eorum animos manu, perceptum Euangelij verbum abripiant, atque ità fructum illius omnem excludant impediantque, ſicut & ipſe nos Dominus aduerſus improbos aſtutaſq; illorum machinationes cõmonet apud Lucam, vbi de diſſolutis ac negli-
Luca 8. gentibus agit, dicens: Qui cùm audiêrint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum:

bum: deindè venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, nè credentes ſalui fiant. Euangelia hîc commemorare nihil attinet, quandò hæc veſtris quotidiè auribus inferuntur.

At verò poſt Euangelium Concilij Niceni Symbolum adhibetur, ſingularis profectò explicatio fidei noſtræ Chriſtianæ: vbi ſuccinctìm, egregijsque vocibus exprimitur, quid de ſacroſancta Diuinitate & animo ſentire, & ore fateri atque effari debeamus: eſtque eiuſdem ſententiæ cum Symbolo illo vulgari, quod à veſtris parentibus didiciſtis: *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem &c.* *Credo, ſiue fidei Symbolum.*

Et certè apto ſatis ordine ad Euangelium recitatum, Symbolum ſubiungitur: cùm vtiquè fides, Euangelij fructus ſit, Fides autem ex auditu. *Rom. 10.* Atque vbì ſalutariter auribus hauritur Euangelium, fidem confirmat ac roborat: ea porrò non corde tantùm amplectenda ad iuſtitiam, ſed ore *Rom. 10.* etiam exprimenda atque confitenda eſt ad ſalutem.

Sequitur hinc *Offertorium:* quod in heſternæ diei MISSA eiuſmodi fuit: *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra: orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundâſti: iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.* *Offertoriũ.*

Hîc iam incipit præparatio ad præcelſum & admirabile Diuinumq; conſecrationis & oblationis veri corporis CHRISTI & ſanguinis opus, vti in ea omnipotentis verbi CHRISTI virtute tranſit id quod antè panis & vinum erat, vtque ſub panis & vini ſpecie verum corpus & puriſsimus ſanguis CHRISTI, Deo patri omnipotenti offertur, iunctis precibus & admonitionibus, vt Deus Opt. Max. ECCLESIAE ſuæ Catholicæ & credentium populo ſaluti eſſe velit, quicquid vnigenitus, idemq; multò amantiſsimus Filius, eius corpore & ſanguine ſuo in cruce nobis totiq; adeò terrarum orbi effecit, obtinuit ac meritus eſt. Iamque indè ab hoc loci cuncta deincèps verba & ſigna eò faciunt, vt CHRISTI IESV acerbiſsimæ paſsionis ac diræ mortis memoriam in nobis excitent: quam & ipſe Dominus perpetuam atq; recentem ſemper noſtris vult hærere pectoribus: eaque de cauſa nobis corpus & ſanguinẽ ſuum non modò cibum præſtitit, verùm etiam memoriale inſtituit: qua de re, opitulante Deo, paulò latiùs agemus. *Tranſſubſtantiationis vis & aſſertio.* *Signa & verba Miſſæ quid faciant.*

Sacerdos Offertorium inchoaturus, verſus priùs ad populum, dicit: *Dominus vobiſcum*, monetque vt orent, *Oremus*: ac deindè repentè conticeſcens, ſilentio ſecum orat. Hoc autem ſubitariũ ſacerdotis ſilentium id nobis refert, vt Dominus noſter IESVS CHRISTVS paulò antè paſsionẽ ſuam, cùm Lazarum vitę reſtituiſſet, hoſtium ſuorum acerbiſsimo liuori, ſæuiſsimæq; indignationi cedere, ſeq; in ſilentio continere coactus ſit, vt eſt apud Ioannem 11. cap. Quòd aũt Chorus interìm apertis vocibus concinit, eam habet ſignificationẽ, etiamſi in CHRISTVM ab ſeculi huius tyrannis odia & perſecutiones intendi atq; excitari cõtingat, non tamen intereà credentes committere debere, quò

F minùs

minùs eum liberè confiteantur, vel ſibi hac in parte ſilentium indici ſe-
2.Tim.2. rant: quemadmodùm de ſeipſo Apoſtolus gloriatur, tametſi Romanorum tyrannus Nero vinculis corpus eius conſtrinxiſſet, at verbum Dei alligari neutiquàm potuiſſe.

Canon minor. Dumq; ità à Choro Offertoriũ decantatur, ſacerdos multis iiſdemq; attentiſſimis atq; piiſſimis precibus, ad conſecrationem oblationemq; veri corporis & ſanguinis CHRISTI ſeſe præparat: vtì & CHRISTVS aliquot ante paſsionem ſuam diebus, adeò ex animo propenſaque voluntate ad illud ſeſe accommodauit opus, quod ab cæleſti Patre impoſitum illi erat, vt pro hominum ſalute ad crucem mortemque ſeſe offerret. Neque verò tum rem diſtulit, nec ſibi parcendum exiſtimauit ad eam vſque horam, dum in cruce corporaliter ac cruciabiliter immolaretur: quin potiùs ingenti deſiderio, promptoque & alacri corde ante paſsionem totum ſe paternæ cōtinenter permiſit ac dedidit voluntati, vt eſt ipſe ſibi teſtis apud Lucam: Baptiſmo, inquiens, habeo bap-
Lucæ 12. tizari, & quomodò coarctor, vſquedũ perficiatur? ſcilicet iiſdem ipſis verbis promptiſsimum nobis ſignificans deſiderium ſuum, quo paratus erat iuſſa paterna exequi, vt vel indè agnoſceret mũdus diligere eum
Ioan. 14. patrem, & vt mandatum ei dederat pater, ſic eum facere. Itidemque &
Lucæ 22. in cœna ad diſcipulos ait: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. Atque adeò eadem ipſa ſub cœna, crucis illud ſuum acerrimo cum cruciatu immolandũ ſacrificium, alia quadam ſacroſancta mundaque precioſi corporis & ſanguinis ſui hoſtia præuenit & anticipauit, vbi tum ſub panis ac vini ſpecie corpus & ſanguinem ſuum, iuxta ordinem ſeu inſtitutum Melchiſedech, Deo patri ſuo cæleſti in myſterio incruenta ratione obtulit, videlicet in certum expeditæ alacriſque obedientiæ ſuæ argumentum, qua paratiſsimus eſſet & corpus ſuum neci tradere, & ſanguinem profundere humanæ ſalutis ergô: quandò quidem ea eſſet cæleſtis Patris ſanctiſsima voluntas, vt errata hominum, paſsione ac morte ſua acerbiſsima expiaret, iiſdemque beatitudinem ſacroſancto ac innoxio cruore ſuo acquireret & compararet. Atque idem hoc tanto deſiderio, tanta animi voluntatiſq; propenſione ante poſteriorem crucis victimã in cœna peractum ſacrificium, ipſe nobis Dominus ità demandauit, vt in mortis eius memoriam idem ipſi facere debeamus, donec veniat: quod illa apertiſsimè verba præ ſe
Lucæ 22. ferunt, Hoc facite in meam cōmemorationem. Hæc igitur eſt oblatio illa ſancta & munda, quam, in libertatē vindicata & gratiam conſecuta
Malach. 1. gentilitas, pro Malachiæ teſtimonio vbiquè locorũ nomini omnipotentis Dei ſacrificat, idq; ad æternam illius laudem & gratiarũactionem pro parta confectaq; nobis liberatione per CHRISTVM IESVM Dñm noſtrum. Hoc planè laudis ſacrificium eſt, quod præ Aaronicis vitulis & hircis omnipotens Deus potiùs eligendum ſibi exiſtimauit:

& in ipſo CHRISTVS IESVS & eſt & manet ſacerdos iuxta ordinem Melchiſedech in æternum.

In ſpiritu humilitatis &c.

Quæ verò ab ſacerdote poſt Offertorium preces fiunt, earum iſthæc ſententia eſt, vt Deus ac Dominus noſter in ſpiritu humilitatis & animo contrito nos ſuſcipiat, & ſic fiat ſacrificium noſtrum, vt ab ipſo ſuſcipiatur, & placeat ei: vt ſit ipſe ſanctificator, noſtraque hæc munera, panem loquor & vinum, in verum corpus & ſanguinem CHRISTI filij ſui cõuertat, & ſacrificium iſtud, quod in incarnationis, paſſionis, reſurrectionis & aſſcenſionis CHRISTI IESV memoriam, itemq; perpetuæ, ſanctiſſimæ ac integerrimæ Virginis & Dei genitricis, ſanctorumq; & electorum omnium honorem offerimus ac immolamus, vt illis omnibus honori, ità nobis ſaluti eſſe velit, idque per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum.

ORATE PRO ME.

Tum verò ſacerdos verſus ad populum, hortatur eum, & dicit: *Orate fratres & ſorores pro me peccatore, vt veſtrum atque meum ſacrificium gratum acceptumq; ſit Deo.* Vbi nimirùm id rurſùs ingenuè fatetur, non hoc priuatum ſuum opus eſſe, ſed commune credentium omnium, quod ipſe, vtpotè communis ECCLESIAE miniſter, in totius populi ſalutem exequatur.

SECRETA.

Deindè Secretas dicit, quæ heſterna die talis fuit: *Oblata Domine munera noua vnigeniti tui natiuitate ſanctifica, noſq; à peccatorum noſtrorum maculis emunda: Per eundem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

PRAEFATIO.

Poſt Secretas Pręfatio ſequitur, in qua ſacerdos ceu ex improuiſo rurſùs alta voce & publicitùs rem gerit, eo ipſo ſignificãs, vtì Dominus ac Seruator noſter CHRISTVS Opt. Max. iterùm ſeſe vltrò Iudæis hoſtib⁹ ſuis palàm exhibuerit, cùm iam tẽpus illud aduẽtaret, eſſetq; prę foribus, quo pro ſalute mortaliũ mortẽ ſuapte ſponte oppetiturus erat.

Itaq; in Præfatione Sacerdos populum ſalutans, dicit, *Dominus vobiſcum*: Et reſpõdetur ei, *Et cum ſpiritu tuo.* Aitq; iterùm ſacerdos, *Surſum corda*: reſpondet populus, aut nonnulli populi vice: *Habemus ad Dominum.* Et addit Sacerdos: *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Cui à populo ità reſpondetur: *Dignum & iuſtum eſt.* Deindę ità proſequitur Sacerdos: *Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbiq; gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotẽs, æterne Deus, per CHRISTVM Dominum noſtrum. Per quem maieſtatẽ tuã laudant angeli, adorant Dominationes, tremũt Poteſtates, Cæli Cælorumq; Virtutes, ac beata Seraphin ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cæli & terra gloria tua. Hoſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine domini. Hoſanna in excelſis.*

SANCTVS.

Eſaia 6. In quo nos hymno conſonis vocibus iungimur nunc beatis illis ſu-
Apocal. 4. pernisq́ue ſpiritibus,(teſte Eſaia & Apocalypſi)ante thronum Dei nocte ac die clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, Deus om̃ipotens, qui erat,& qui eſt,& qui venturus eſt: & plena eſt om̃is terra gloria eius: iungimur itidèm deuotę illi plebeculę, quę
Matth. 21. Dominum ſeruatorẽ in Palmarum die Hieroſolymam ingredientem
Marc. 11. partìm antecedens, partìm ſubſequens, concinebat, Hoſanna filio Da-
Luca 19. *Ioan. 12.* uid: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſsimis.

Sic igitur noſtra commemoratione ſeu recordatione in MISSAE ſacro ad ſacroſanctam CHRISTI IESV paſsionem quàm proximè acceſsimus.

CANON. Hinc Canon initium ſumit, qui totus ad eandem CHRISTI IESV ſignificandam, exprimendam, nobiſq́; ad memoriam reducendam
Quid ſibi tot crucis ſub Canone ſigna velit. paſsionem, dirigitur ac inſtitutus eſt. Quam etiam ob cauſam in Canone raræ admodùm cæremonię vel geſtus alij, pręter crucis ſigna numeroſa vſurpantur & adhibentur, hac ſcilicet ſignificatione, nihil illic tractari aliud, niſi immeritam & innoxiam CHRISTI IESV paſsionem, iiſque quos huic adſtare ſacro contigerit, nihil iam deinceps ſuis verſandum eſſe in pectoribus, præter CHRISTI IESV crucem, in qua nobis conciliatio, ſalus & beatitudo parta ac impetrata eſt per eundem CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum. Qua de re, volente Deo, ſequentibus concionibus latiùs dicturi ſumus.

SERMO X. IN FESTO DIVI IOANNIS EVANGELISTAE.

De ſacro Canone, & quid is complectatur, de obſecrationibus pro ECCLESIA vniuerſali, pro Magiſtratibus & omni populo chriſtiano: de Sanctorum veneratione, vtiq́; eorum preces ac merita nobis proſint adhuc in terra degentibus.

Canon ſeu MISSAE ſilentium. ACTVRI deincèps, dilectiſsimi, rationemq́; Deo fauente redditurí de ſacro Canone, qui ceu pręcipua pars in ſancto MISSAE officio vſurpatur, id principiò velut certum atq; teſtatum veſtris optamus affigere atque imprimere animis, hunc ipſum Canonem minimè rem eſſe nupèr inuentam aut inutilem ac ſuperuacaneam, cuius nulla vtilitas, nulla efficacia ſit, quod tamẽ alij ex liuore ac inuidentia, alij ex inſcitia ac ignorantia ſentire ac dicere conſueuerunt.
Canonis antiquitas & autoritas quanta. Enimuerò pręclara nobis teſtimonia ſuppetunt, Canonis partes om̃es iam indè ab Apoſtolorum temporibus in ECCLESIA Dei obſeruatas eſſe. Atque adeò magna ex parte, immò cuncta ferè Canonis verba in eorum hincindè citata atque allegata monumentis cernere eſt, qui ante annos plùs mille vita ſcriptiſq́ue claruêre: maximè verò Dionyſij Areopagitæ, diui Pauli diſcipuli, qui ſacri huius quotidianiq́ue ſacrificij actum, vt is Apoſtolorum temporibus celebratus eſt,

piiſſimo ſummoque ſtudio propriè exactéq; deſcripſit. Quin & ſi quis Canonis huius verba, ſigna, mentemq; probè capiat perſpiciatq;, non poteſt ille ſanè nõ fateri, Diuinis eum myſterijs vſquequaquè refertum eſſe, adeoq; Chriſtianæ doctrinæ ac inſtitutionis velut ſummam quandam, & viuum quoddam ſimulacrum atque exemplar eſſe, ex quo facilè diſcere liceat, qua nobis ratione præſtantiſſimum humanę liberationis opus commemorandum ſit, quid indè ſentire, quid credere oporteat, & vt deniquè ad noſtram eodem ipſo ſalutẽ perfrui queamus. Nec poteſt etiam non mirum illi videri, vt Spiritus ſanctus tot tantaque Diuina myſteria tam paucis verbis complexus ſit, latiſſimamque CHRISTI paſſionis hiſtoriam vſqueadeò contraxerit adſtrinxeritq;, ac nihilo ſeciùs ità propriè, perfectè, integreque ac ordine totam effinxerit, expreſſerit, commemoràritque: quod quidem pio cuiq; & intelligenti Chriſtiano homini dijudicare facile eſt.

Canõ quàm ſuccinctè totã Chriſti paſſionem compraehendat.

Porrò quòd illi qui partis ſunt diuerſæ, vehementiùs in Canonem incurrunt ac debacchantur, faciunt pro cõmuni liuoris ingenio ac natura, qui nimirùm ea acriùs impugnat & perſequitur, quæ apud eius aduerſarios potiora vtilioraq; habentur. Sic liuor ac inuidentia præcipuis quibuſq; illius quem odio habet, bonis acriùs ſtimulatur & pungitur, & malè eum affligit, quicquid in eo, quod ſit cum virtute ac honeſtate coniunctum, animaduertit. Si quid fortaſſe quępiam malè habet, idq; concepto odio comminuere ac deturbare molítur, furit is ac inſanit, excandeſcitque ad iram eo præcipuè loco, vbi tenaciùs res in ſe cohæret, atque ægriùs ſeſe conuelli ac diſtrahi patitur. Cùm igitur id omniũ maximè in votis habeant ij qui à nobis diſſident, vt MISSAM ſubruere atq; diſcerpere poſſint, tanto quidem maiori furoris impetu in Canonem feruntur, quanto eum Diuinis ampliùs refertum myſterijs, grauioribus fultum teſtimonijs, & aduerſus impiam indignationem ſuam firmamentis ſolidioribus ſatìs ſuperq; munitũ conſpiciunt. Atquì omnipotens Deus ſuam hauddubiè ECCLESIAM in omni veritate con firmabit, pacemque illi ab aduerſarijs, cùm erit opportunum, reſtituet. Nos porrò, quid Canon complectatur, audiamus.

Similitudo.

Canon ab hæreticis curità oppugnatur.

Canoni quę tria potiſſimùm inſint.

Tres ille pręcipuè partes habet. Vna eſt conſecratio ſeu tranſmutatio, vbì omnipotentis verbi CHRISTI virtute, panis noſter & vinũ in illius verum corpus & ſanguinem tranſeunt. I.

Altera eſt oblatio, vbì credentium populus cęleſti Patri vnigenitum, II.
eundemque amantiſſimum Filium eius CHRISTVM IESVM Dominum ac Seruatorem, conciliatorem, interceſſoremq; ſeu mediatorem noſtrum apud Deum, in vero ipſius corpore & ſanguine ſub panis ac vini ſpecie offert, idque in ſanctiſſimæ mortis eius memoriam, ex præcepto ac mandato illius, dicentis: Hoc facite in meam commemorationem. Et hic quidem fidelium populus per ſacerdotem præcla-

Lucæ 22.

Quid in Canone potiſſimùm recenſeatur.

ra atque inſignia opera & beneficia, per Dei filium in aſſumpto homi-
ne pro mundi ſalute pręſtita exhibitaque recenſet, ſingulariter verò ſa-
croſanctam illius paſsionem, acerbiſſimamq́; & immeritam mortem,
quam ob iniquitates noſtras, noſque redimendi gratia in cruce perpeſ-
ſus eſt: ſimulque Deum patrem cæleſtem admonet, precatur & orat ei-
uſmodi ſui Filij merita reſpicere, ob eundem ipſum conciliatorē inter-
ceſſoremq́; noſtrum nobis omnibus propicius eſſe, & per eximia pre-

Chriſti merita, noſtra quô fiant.

cioſaque illius merita, (quę ex ipſius gratia per fidem etiam noſtra ſunt)
mala cuncta propulſare à nobis ac depellere, bonaque itidèm omnia &
æternam beatitudinem pro ſua clementia ſubminiſtrare ac impartire
velit. Itaque id nos dicimus in CHRISTI memoriam precioſi cor-
poris & ſanguinis eius mũdam tractare hoſtiam, putà per CHRISTI
IESV merita admonere & obſecrare Deum patrem, vt nobis ſeſe præ-
bere propicium, nobis auxilio eſſe, noſque beatos & ſaluos efficere di-
gnetur: hocque adeò eſt Dei ſacrificium, vt ſingulis quibuſque diebus
etiam hodiè ECCLESIA Catholica CHRISTVM Dei filium of-
fert ac immolat in Euchariſtia.

III. Tertia demùm Canonis pars eſt cõmunio, vel Euchariſtię ſumptio,
vbì Chriſtiani om̃es, vt in ipſo ECCLESIAE naſcentis exordio, aut
certè magna fidelium pars, vt poſteà obſeruatum eſt, ſanctiſſimum cor-
pus, puriſſimumque & viuificantem CHRISTI IESV ſanguinem

Cõmunionis aſſiduæ quantus olim fuerit vſus.

vnà cum ſacerdote ſacramẽtaliter percipere ſolebant, ſcilicet in ſuarum
nutricationẽ expletionemq́; animarum, atq; in cibum, qui veram æter-
namq́; in eis vitã aleret ac tueretur. Atquì noſtro hoc ęuo ſolus vtrunq;
ſacerdos percipit: & reuerà quæ hodiè hominũ ignauia, inſulſitas & diſ-
ſolutio eſt, poſſit æqui boniq́; conſuli, ſi vel eò adduci ſe paterentur, vt
quotidiè deuotis cordibus, feruenti ac ſitibundo ſpiritu & animo, atq;
aliâs ſaltem aliquot per annum vicibus, ſacroſanctam Euchariſtiam ſa-
cramentaliter accipere atque perfrui vellent.

Cæterùm quô Canonis materia ſeu argumentum, totusq́; hic actus
perſpicaciùs à vobis, maioriq́; cum fructu & vtilitate percipi queat, ſci-
re operæprecium fuerit, rem hanc ſiue actum vel opus, rectè ac ſanè ſa-
crificium laudis, gratiarum actionis & precum appellari: quãdoquidem

Canoni inſerta potiſſimùm quæ.

laus Dei, pro acceptis beneficijs gratiarum actiones, & pro futuris im-
petrandis tum beneficijs, tum auxilio vlteriori Diuinaque miſeratione
preces & obſecrationes, continenter huc adhibitę & inſertę viſuntur.
Vndè etiam cõmune ſacrificium eſt, vtpotè quod ab tota & pro vniuer-
ſa fidelium congregatione offertur: nec pro ijs duntaxat, quos coràm
adeſſe contigerit, verùm etiam pro abſentibus: neque pro viuis modò,
& qui nobiſcum adhuc in terris in verę atq; Chriſtianę fidei noſtrę con
feſſione degunt, ſed ijs etiã, qui cum ſigno fidei hinc emigrârunt: neq;
demùm pro fidelibus tantùm, ſed & infidelibus, atq; adeò etiam inimi-
cis

tis & hoſtibus noſtris. Iam igitur agedùm attẽtis accipite auribus, quid ECCLESIA ſancta in Canone precetur.

Principiò quidem, cùm venerandum altaris ſacrificium, monimentum quoddam & cõmemoratio ac expreſſa quædam imago ſit & repræſentatio ſacroſanctę paſſionis & immeritę necis CHRISTI ſeruatoris ac Domini noſtri, per quam ille integram perfectamque nobis cum Deo pacem & cõciliationem, ęternamq; toti ſimul orbi liberationem obtinuit: ſitque id ECCLESIAE Catholicę & fidelium populo ſatis ſuperq; notum, noſtram in hac cõmuni liberatione ſalutẽ poſitam atq; conſtitutam eſſe, & quicquid id eſt, quo apud Deum niti queamus, id omne in vna atq; ſola CHRISTI IESV morte & ſanguine inquirendum, illiusq; ex meritis capeſſendũ eſſe, mox ab huius ſacrificij exordio eadem ipſa ECCLESIA medullitùs & ex animo Deum precatur. Orat aũt, non per merita noſtra, ſed CHRISTI IESV, per ſanctiſſimũ illius parta ſanguinẽ. Quid verò precatur? Nimirùm vt Deus impertire nobis velit, quicquid vniuerſo CHRISTI corpori, id eſt, omni credentiũ populo, vtcunquè, vel qualeſcunq;, aut vbicũquè demùm illi ſint, ſaluti & vſui eſſe queat: itemq; arceat, ꝓpicius & depellat, quicquid iiſdem ſeu tẽporarium ſiue æternũ aliquod incõmodum adferre poſſit. *Sacrificiũ altaris, quid ſit.* *Quomodò aut quid ECCLESIA oret.*

Oramus ergò primò in Canone pro pace & concordia Chriſtianæ atque Catholicę ECCLESIAE, vt eam pacificare Deus velit, nè Tyrannorum hæreticorumque infeſtationibus perturbetur: vt cuſtodire eam à peccatis, & ab improba, ethnica ac intemperãti viuendi ratione: adunare item, & coniungere paribus votis eademque ſententia, & in fidei vnitate & conſonantia retinere: moderari deniquè, regere, atque ità eam per aduerſa proſperaque mundi huius perducere velit, vt ad extremum æterna adipiſci bona, eaque poſſidere mereatur. *Pro Eccleſia tua S. Catholica, quam pacificare &c.*

Secundò, obſecramus pro iis, qui pręcipuo tum Eccleſiaſtico tum ſeculari funguntur Magiſtratu, vt eorum corda ſua continere manu, moderari eos ac ducere, ſenſusq; eorum & conſilia ad ſalutem totius Chriſtianæ Reipublicæ, & quorum eis cura demandata eſt, inflectere & accommodare dignetur, vt quietam & tranquillã vitam agamus in omni pietate & caſtitate: queadmodùm ſcripturæ nos orare iubent, 1. Tim. 2. Epheſ. 6. Actor. 12. *Vnà cũ famulo tuo Papa noſtro &c.*

Tertiò facimus preces generatìm quidem pro vniuerſo fidelium & Chriſtianorũ cœtu: ſpeciatim verò pro iis, qui huic ſacræ rei interſunt, & fide ac deuotione eidem iſti ſacrificio iungũtur & adſtipulantur: qui & ipſi mortem paſsionemque filij Dei ſuis precibus Deo omnipotenti offerunt, vnaq; id obſecrandi inſtantia ab eodem impetrare contendunt, vt fidelibus ſuis, quorũ gratia CHRISTVS corpus ſuũ in cruce neci expoſuit, & ſanguinem fudit, per eiuſdem mortis & ſanguinis CHRISTI IESV merita & errorũ veniam, & perennis vitę pręſtare *Memento domine famul. & omnium circunſtãtium.*

 beati-

beatitudinem, atque à corporeis demùm eoſdem ipſos incommodis per gratiam ſuam ſeruare ac tueri velit.

Poſt eiuſmodi pro Dei populo in terris agẽte, obſecrationes & preces, electorum ſanctorumq́ue Dei, qui nos in ſacræ fidei noſtræ Chriſtianæ confeſſione præceſſerunt, & iam apud Deum beatam agunt vitam, commemoratio ſequitur. Quæ cur in MISSA adhibeatur, iſta ratio eſt & cauſa:

Communicantes & memoriam venerãtes. Quandoquidem ECCLESIA ſeu Communio ſanctorũ in omnia ſeſe loca & tempora extendit, atque intra ſe ceu membra ſua, non eos tantùm, qui etiamnùm in terris ſub Chriſtianę fidei cõfeſſione degũt, ſed illos etiam, qui ante nos cum eiuſdẽ ſanctiſſimę fidei noſtrę ſigno hinc deceſſerunt, complectitur hoc loco, vbi ECCLESIA Catholica ſacroſanctę illius hoſtię memoriam agit, quam Dominus noſter IESVS CHRISTVS, vtpotè caput, pro vniuerſo corpore ſuo immolauit ac obtulit: neq; vult ſanè, neq; etiam debet eadem ipſa ECCLESIA vniuerſalis aut ſanctorum communio, ſcindere ſeſe vel diſiungere: quin potiùs in omnibus ſe membris ſuis colligit cogitq́ue in vnum, atque ità laudes agit grateſq́ue Deo, non pro iis duntaxat membris ſuis vel hominibus, quos pręſens ſeculum adhuc in carne retinet, ſed iis etiam, quos futurum iam exutos corpore ſuſcepit, quiq́ue certò viuunt *Matth.22.* apud Deum, qui vtiquè non mortuorum eſt, ſed viuorum Deus: quæ quidem vno ſpiritu, ceu vnius corporis membra, nobis cohærent, atq; per amorem etiamdũ nobis connectuntur & colligãtur, ad noſtramq́;, vtpotè noſtra in CHRISTO membra, pertinent communionem. Neque enim mors corporalis ſpiritalem hanc communionem, qua fideles omnes per amorem & vnum eundemq́; ſpiritum copulantur & coniugantur, diſſoluere ac dirimere poteſt.

Ea nos igitur ex cauſa in noſtro hoc MISSAE ſacro eorum mentionem facimus, qui ante nos in hoc ſeculo ſacroſanctam fidem noſtrã Chriſtianam profeſſi ſunt, vitæq́ue huius temporariæ curſum ex DEI gratia ſingularis quadam ſanctitatis opinione exegerunt, iamq́; in Domini ſui gaudiũ recepti & admiſſi, cum eo viuunt cui hîc famulati ſunt: eorundemq́ue cauſa gratias agimus Deo, & celebramus ac prædicamus diuinam illius bonitatem & omnipotentiam, quòd electos ſuos fratres noſtros (qui pro naturæ conditione certè ſimiles noſtrî, homineſq́ue perindè vt nos fragiles fuêre) tanta inſtruxit atq; exornauit gratia, ſuoq́; *Heb.11.* corroborauit ſpiritu, vt mundum, carnem, & tetros ſpiritus vi maxima expugnârint, quin & peſſùm preſſerint, iuſtitiæq́ue palmam & coronã ab eo ſint adepti, qui iuxta veritatem iudicat.

Quorũ meritis & precibus &c. Rogamus etiam Deum, vt per preces & merita præſtantiſſimæ perpetuæq́ue Virginis & matris MARIAE, electorumq́ue ſanctorum ſuorum nos, qui adhuc in exilio verſamur, quotidieq́ue infeſtis appetimur

mur tentationibus & diuexamur, diuinę protectiōis ſuę auxilio clemē-ter tueri ac conſeruare velit, per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum. Et id ergò ad immanium illorū & quidē capitalium criminum numerū pertinet, quibus noſtri aduerſarij neutiquàm veniā dari oportere putāt, nec poſſunt ferre æquanimiter, quòd ſpiritale CHRISTI corpus non vnà cum ipſis diſtrahimus diſcerpimusq́;, ſanctorumq́; cōmunionem, quā in noſtro confitemur Symbolo, non abnegamus, & ipſis deniquè fidiſsimis mēbris & multò amātiſsimis in CHRISTO fratribus, electis Dei ſanctis nō valefacimus ac renunciamus. Nos verò, vt ſanctis honorem non adhibeamus, adduci profectò non poſſumus, nec vlla quidē ratione eò nos pertrahi patimur, vt eorum cōmunioni ac precibus repudiū remittamus: interim nihilo minùs ità nouimus & venerari ſanctos, & eorum ambire ac vſurpare preces & ſuffragia, vt tamen nihil per hoc diuino derogemus honori, CHRISTVMq́; è ſua dignitate & intercedendi officio, vbi is vnicus inter Deum hominesq́; mediator à Paulo, & noſter apud Patrem aduocatus ab Ioanne dicitur, neutiquàm excludamus. Enimuerò in ECCLESIA Catholica, quòd ad venerationē, ad intercedendi munus, ad preces attinet, inter ſanctos Dei fratres noſtros & CHRISTVM IESVM ſemper ſanū diſcrimen adhibemus, idq́; adeò exploratum habemus, multò alia CHRISTI merita eſſe, quàm vbi de electorum Dei meritis agimus.

Quidnam ſchiſma nō Catholicis ſummi criminis loco obijciant.

1. Tim. 2.

1. Ioan. 2. & 4.

CHRISTVM nanque, vt verum, ſempiternum, omnipotentem Deum veneramur. At Virginem glorioſam, cæterosque Dei amicos & ſanctos, vt homines honoramus, eumq́; eis honorē tribuimus, quem citra vllum idololatriæ vitium etiam homini pręſtare liceret, in quo Diuinæ gratię ac ſpiritûs Dei quædam apparerent argumenta, cuiuſmodi in ſanctis certò didicimus & experti ſumus.

Chriſtum & Sanctos, quàm diuerſim veneremur.

CHRISTVS quidē eiuſmodi mediator eſt: cùm mundus ob peccatum Diuinę eſſet iræ obnoxius, ab illiusq́; gratia extraneus & alienus, & damnationi propè immerſus & addictus, tum ille inter Deum condemnatumq́; hominem medius interceſsit, hominum in ſeſe peccata recepit, eademque ipſa, immerita planè (& quam innocentiſsimus cruciabiliter nimis oppetebat) morte ſua precioſoq́; ſanguine diluit & expiauit: atque ità in cunctorum liberationem obtulit, Deumque hominibus reconciliauit. Et hæc illius merita etiamnùm eam vim habent & efficaciam, vt cunctorum hominum expiare & abolere errata poſsint: adeoque his ſuffultus ſit oportet, quiſquis pro ſuis Deo optat peccatis ſatisfacere. Prorſus, inquam, per hunc mediatorē Deo reconciliari neceſſe habemus, quotquot ex infelici Adā ſtirpe prognati ſumus, ſi modò grauem illam ac moleſtiſsimam primæ natiuitatis hæreditatem, id eſt, iram omnipotentis Dei æternamque condemnationem, euadere velimus, 2. Corinth. 5. Rom. 3. Epheſ. 2. Tit. 2.

Qualis ſit mediator Chriſtus.

Iam

Sanctorum qualis interceſsio. Iam verò id genus interceſsionis apud ſanctos minimè exquirimus: vt qui nulla pro nobis alia ratione apud Deum medij intercedant, quàm obſecrando: vti & hîc in terris poſiti homines alij pro aliorum neceſsitudine precari ſolent, idq; illo admoniti præcepto: *Iaco. 5.* Orate pro inuicèm, vt ſaluemini. Atque vt Deus meritorum illorum fauoriſque & gratiæ, quibus pollent illi apud ipſum, nos quoque participes, nobiſque ea bono eſſe velit: qua de re deinceps agemus.

Interceſsionis Chriſti & Sanctorum diſcrimen. Itaque hoc nos diſcrimine vtimur in CHRISTI ſanctorumque inuocatione, vt à CHRISTO ceu vero ac omnipotenti Deo, qui nobis iſthæc omnia propria virtute ac facultate ſuppeditare poteſt, gratiam, ſalutem, beatitudinem precemur: Sanctos verò nobis adiungamus adhibeamuſque, tanquàm qui ſimul nobiſcum orent, vti & hîc in terris pro alio & cum alio alius preces fundit: Ità, inquam, & ſanctis dicimus, vt nobiſcum & pro nobis obſecrare, ſuiſq; apud Deum precibus vnà nobiſcum efficere ac impetrare velint, quicquid ad temporariam æternamque nobis ſalutem neceſſarium eſt: neque id ſanè ea mente vel conſilio, vt ipſi nos beatos efficiant, ſed vt pro nobis & nobiſcum pariter orare velint, quò & bona omnia ſubminiſtrare nobis Deus omnipotens, noſque ſaluos & beatos efficere dignetur, idque per CHRISTVM IESVM Dominũ noſtrum. Etenim eos nos cenſemus nobis aduocatos illos eſſe apud Deum, non qui ex ſeipſis aliquid habeant, aut in nos conferre poſsint, ſed à Deo, quicquid per eos nos obtinemus, impetrare ipſi cogantur.

At CHRISTVS IESVS verus eſt aduocatus, qui verbis nihil opùs habet, ſed meritis ſuis rem noſtram agit apud Deum. Illius ergò ſanguis pro nobis miſeris & deploratis peccatoribus interpellat. Illius meritis id effectũ eſt, idq; ea impetrare digna ſunt, vt nos per CHRISTVM exaudiat Deus, illiuſque gratia & noſtra propicius aboleat errata, & nos beatos efficiat. Illius aduocatio non orando, ſed miſerando, opitulando, donando tranſigitur. Vndè etiam ECCLESIA Dei, quæ in terris eſt, non perindè ad CHRISTVM, atquè ad ſanctũ aliquem, dicit: CHRISTE ora pro nobis: ſed velutì ad Deum, CHRISTE miſerere nobis, CHRISTE adiuua nos, CHRISTE ſaluos nos effice.

Quòd ſi interim id ità fortaſſè vſu veniat, vt alius aliũ, aut nos, ipſos Dei ſanctos pro miſericordia & ope imploremus, ea tamen id ſententia & intellectu accipiendum eſt, non quò ipſos ſuis viribus ferre nobis poſſe auxilium exiſtimemus, ſed vt precum ſuarũ inſtantia id apud Deum nobis obtineant efficiantq;, vt is & miſericordiam nobis & opem præſtare velit.

CHRISTI meritum. Atq; hinc nimirùm aduertere licet, multò alia eſſe CHRISTI merita, quàm vbì de ſanctorum meritis ſermo nobis eſt. Etenim CHRI-

STI

STI merita hæc ſunt, quòd ſeſe vltrò pro nobis neci dedit, quòd ſuum noſtræ ſalutis cauſa ſanguinem fudit, atque indè mortalium omnium peccata diluit & expiauit. Ad hæc ergò merita nos omnem noſtram fiduciam referimus, his vnis nitimur, idque adeò compertum teſtatumq́; habemus, eadem ipſa CHRISTI merita, illius eſſe præſtantiæ & efficaciæ apud Deum, vt eorum cauſa Deus Opt. Max. & noſtris dare veniam ſceleribus ac culpis, & beatitudinem nobis præſtare velit: nec dubitamus ſanè, ſed confidenter audemus per eadem CHRISTI merita precibus à Deo contendere, quicquid ad temporariam ęternamque capeſſendam ſalutem, nobis eſſe neceſſarium intelligimus.

At contrà diuorum nulla eiuſcemodi merita nouimus, quæ & liberationem nobis confecerint, nobisq́; Deum conciliârint. Quin potiùs ea duntaxat illis tribuimus, ab eisque depoſcimus merita, vt eos omninò credamus ſingulari apud Deum fauore pollere & gratia: neque id tamē ex propriarum ſiue virtutum, ſiue operum dignitate vel merito, ſed ex gratia Dei, qui ſeruorum ſuorum obediētiam longè præſtantioribus afficit prēmijs, quàm ipſorum opera mereantur. Nam ſi ex iuſtitię rigore ſummoque iure rem expendere velimus, ne vnum quidem reperias ex tanta ſanctorum frequentia, qui in diuinæ obſeruantia & executione voluntatis, ità ſe in hac vita perfectum inculpatumque præſtiterit, vt ipſe ſibi æternam vitam abſque Dei gratia meritus ſit: quandò quidem non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis viuēs: nec ſunt paſſiones vllæ temporis huius condignæ, vt ait Apoſtolus, ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. Atquì clementiſſimus Deus ſecundùm diuitias indulgentiſſimæ miſericordiæ & bonitatis ſuæ, ea benignitate & gratia, ſanctorum ſuorum ſuſcipit obedientiam, vt non ipſis modò beatitudinem, ſed ob eorum quoquè gratiam etiam alijs ſæpenumerò det veniā ac impunitatem, beneque faciat ac gratificetur.

Sanctorum merita. *Pſal. 142.* *Roman. 8.*

Quin & ipſis diuinę ſcripturę teſtimonijs planum fit, gratiam illam, qua valent ſancti apud Deū, nobis perſępè in Dei clementia bono eſſe, vt Iſaac & Salomonis, totiq́; adeò populo Iſraelitico Abrahami ac Dauidis aliorumque, qui iam deceſſerant, ſanctorum gratiam frequenter vtilitati fuiſſe legimus, Gene. 26. 3. Regum 12. Eſa. 37.

Scripturas interceſſioni Sanctorum adſtipulari.

Itaque hæc ipſorum merita, hunc fauorem & gratiam, in qua ſunt apud Deum, nos appellamus, agimusq́; id precibus apud Deum, vt parcere nobis ac gratificari velit, idque ob eorum gratiam, qui ei cordi ſunt & maximè placēt. Qui cùm nos affinitate contingāt, nobis in CHRISTO fratres ſint & membra, per amorem eundemq́; ſpiritum etiamnùm deuincti nobis & colligati, dubium eſſe nemini poteſt, quin in illa vita Deum pro præſentibus noſtris miſerijs & neceſſitudine precentur, cuius ſanè rei plana expreſſaq́; è Scripturis teſtimonia ꝓferre licet, 2. Machab. 15. Zacha. 1. Baruch. 3.

Atque

Atque iſta nos fiducia ſubnixi, illorum imploramus ſuffragia: cùm id maximè deceat CHRISTI membra, vt pro ſe inuicèm deprecentur: nec eſt vllo in dubio apud nos, quin Deus, cùm ſit Omnipotẽs, aliqua id via vel medio facilè efficere poſſit, vt noſtri, quos in terris damus, gemitus ac ſuſpiria ad eorum notitiam haud ægrè perferantur: cuius ſcilicet & id virtute ac potentia fieri poteſt, vt omnes illi angelici ſpiritus, peccatoris vnius conuerſionem & probè exploratam habeant, & ob eam impendiò gratulentur, maximisq́; exultent gaudijs, vt eſt Luc. 15.

Iaco. 5.

Quomodo ſancti preces noſtras pcipiant.

Hac igitur ratione adducta ECCLESIA Catholica, ſanctorum in MISSAE ſacro mentionem facit, gratias agens Deo pro collata in eos gratia, oransque vt ob eorum preces, gratiam & merita, in omnibus ſuæ nos protectionis auxilio munire dignetur. Qua in re veteris illius Apoſtolicæ ECCLESIAE & exemplis & teſtimonijs confirmatur: quandoquidem conſtat, etiam Apoſtolorum tempeſtate in MISSA ſanctorum commemorationem vſurpatam eſſe: id quod probari facilè poteſt ex ſancto Dionyſio Areopagita, in Eccleſiaſt. Hierach. Cypriano, libri tertij Epiſtola Sexta, Auguſtino, de Ciuitate Dei lib. 8. cap. 27. lib. 22. cap. 10. Contra Fauſtum lib. 20. cap. 21. Eſtque ſimile huius in Græco etiam Canone cernere. Vide MISSAM Chryſoſtomi & Baſilij Magni.

SERMO VNDECIMVS, IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

De diuina Conſecratione: de exhibitione & immolatione veri corporis & ſanguinis CHRISTI coram DEO patre cæleſti: & ad quid ſacrificium quotidianum poſt crucis victimam neceſſariũ, vtile ac ſalutare ſit.

PRoximè præcedenti concione, ea quę Canon complectitur, explicare aggreſſi ſumus: dictumq́; eſt illic, vt ECCLESIA Catholica, ſanctorum communio, ſpiritale CHRISTI corpus, cuius ſancti & fideles omnes membra ſunt, in omnibus ſuis membris ſeſe colligat cogatque in vnum, oret pro neceſſitatibus & rebus perurgentibus quibuſcunque totius communis corporis vniuerſæ Chriſtianitatis, pro hominibus generatìm omnibus, pro Regibus, pro ijs qui aliquem gerunt Magiſtratum, vt illorum ECCLESIA DEI propugnatione freta, quietam & tranquillam agat vitam in omni caſtitate & pietate: gratias agat pro ſanctis electis om̃ibus, qui ex Dei gratia dum in terris viuerent, ex eo, quod cõtinenter cum vitijs geritur, certamine palmam retulerunt, vitæ huius curriculum haud vulgaribus virtutũ ſtudijs exegerũt, iuſtitiæq́; coronam à iuſto iudice adepti, vitam iam viuũt felicem & beatam, lætanturq́; & exultãt cum Domino ſuo, cui dum in terris degerẽt, famulati ſunt: atq; hinc deniquè admoneat & obſecret Deũ, vt ob preces & gratiã illorũ, q ſibi placent, ſuę nos ꝓtectiõis auxilio munire, tueri, ac ſeruare velit p CHRISTVM Dominũ noſtrum.

Pro quibus Eccleſia in Miſſa oret.

Hinc

Hinc porrò iam acceditur ad ſtupendũ illud & maximæ virtutis Dei opus, conſecrationem putà & tranſmutationem, vbi virtute omnipotentis verbi CHRISTI, panis & vinum in viuum, verum & eſſentiale corpus eius tranſeunt. Sub huius autem operis inchoationem ſeſe in precibus ſuis demittit ECCLESIA Dei, orat & obſecrat omnipotentem Deum, Patrem cæleſtem, quemadmodùm abſque vlla controuerſia maximè ſibi placet CHRISTVS vnicus, & verus, idemque amantiſſimus Filius ſuus, eiusque opera omnia & conſtitutiones: ità & nos filios ſuos in eo quod iam ex CHRISTI mandato à nobis geritur, placatus accipere, diesque noſtros in ſua pace diſponere, eiusque nobis gaudij quendam præſtare guſtum, quod nemo tollet à nobis, atq; eam deniquè pacem nobis conferre velit, quam minis ſuis & terroribus mundus ex noſtris exturbare pectoribus non poſsit, vt per gratiam ipſius & amorem in pace conſtituti, in cunctis mundi huius tentationibus, miſerijs, calamitatibus, in ipſo cum fiducia nitamur, & illud Apoſtoli dicamus ex ſententia: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et cum Pſalmiſta: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Quin & hoc orat, vt ab æterna damnatione nos eripi, in electorumque ſuorum iubeat grege numerari, & æterna cum eiſdem frui beatitudine, per CHRISTVM Dominum noſtrum.

Hãc igitur oblationem ser. noſt. *Matth. 3. & 17.* *Ioan. 16.* *Rom. 8.* *Pſalm. 26.*

Admonet prætereà Deum, vt oblationem noſtram ipſemet facere dignetur benedictam, per quã nos benedicamur: aſſcriptam, per quam in libro vitæ aſſcribamur: ratam, per quam in CHRISTI Filij eius viſceribus cenſeamur ac incorporemur: rationabilem, per quã à cunctis beſtialibus, vitioſis, & rectæ rationi aduerſis motibus, fœdisq; ac inhoneſtis deſiderijs & cupiditatibus expurgemur: & acceptabilẽ deniquè, quæ nos gratos ipſi acceptosque efficiat. quæ quidem tum nos per hoc ſacrificium impetraturos à Deo nihil ambigimus, ſi nobis corpus verum, ſacerque & puriſsimus CHRISTI IESV dilectiſsimi Filij eius ſanguis fiat. Tum verò ſacroſanctę Euchariſtiæ inſtitutionem, CHRISTIque paſsionis virtutem & efficaciam ſacerdos cõmemorat: ac mox panis & vinum in verum corpus viuidumq; CHRISTI ſanguinem commutatur, idque non hominis ſermone, ſed ex perſona & verbo CHRISTI, quo etiam cęli conditi ſunt. Et hactenùs quidem de priori Canonis parte, id eſt, conſecratione, dictum ſit ſatìs: iam ad Oblationem accedamus.

Benedictã, aſſcriptã, &c. *Vide Ambroſium de Sacra. lib. 4. cap. 5.* *Auguſt. de Conſecra. diſtinct. 2. Verùm.*

Quandò igitur ECCLESIA ſancta & populus Dei indubitata tenet fide, certumq; adeò & exploratum habet, virtute omnipotentis verbi CHRISTI, eundem ipſum reuerà & corporaliter ſub panis viniq; ſpecie præſentem ibì adeſſe: nec id quoquè vlla ratione in dubium vocat, hoſtiam illam quam Dominus IESVS in corpore & ſanguine ſuo

Chriſtũ in Miſſa verè præſentem adeſſe.

ſemel in cruce obtulit, cuius & nos hîc memoriam agimus, deinceps per omnes ſuccedentium ſibi temporum vices eiuſdem apud Deum efficaciæ, exiſtimationis, ac dignitatis eſſe, conciliandoque vniuerſo omninò hominum generi, omniumque peccatis expiandis & abolendis, & inſtaurandæ ſaluti abundè ſufficere: hic iam CHRISTO ità fruitur, ceu à Deo patre miſerationum & totius gratiæ ac conſolationis ex amore præcipuo ſibi mediatore, conciliatore, ſeruatore donato: idq; ea ratione, vt eo ipſo frui, per illius & obſecrare merita & peccatorum veniam, & cum Deo reconciliationem, atque omnem deniquè cùm temporariam, tum æternam per ipſum ſalutem & expetere & impetrare ac adipiſci debeat.

1. Cor. 1. 1. Timo. 2.

Vndè memores &c. Eapropter Deo CHRISTVM exhibet ac proponit, admonetq; eum tum ſanctiſsimæ paſsionis & immeritæ mortis, tum admirabilis reſurrectionis & glorioſæ aſſcenſionis eius in cælum: quandoquidem cuncta hæc noſtræ ſalutis cauſa peracta, & ex Dei gratia per fidem noſtra ſunt. Orat quoquè Deum, vt per gratiam ſuam hoc noſtrum opus, in quo vtiquè CHRISTI meritis nitimur, per eademque pro neceſſitudinibus noſtris rebusque perurgentibus Deum obſecramus, gratum acceptumque habere, eaque ipſa CHRISTI merita noſtræ ſalutis cauſa confecta, nobis ad ſalutem ac beatitudinem prodeſſe ac proficere velit. Ad hęc, vt nos ſibi habeat commendatos, ſua vndiquè cingat gratia, benedictione cæleſti & nunc & ſemper impleat, noſtris ex gratia det veniã erratis & culpis, ac pro ſua demùm miſericordia & in hac vita ab omnibus ſeruare malis, & ad extremum in ſuæ nos perennis gloriæ ac beatitudinis regnum admittere dignetur, per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum.

Quid Eccleſia Deo inter orandum proponat.

Ita nimirùm & hodiè per omnes dies CHRISTVS IESVS redemptæ ECCLESIAE ſuę ſacrificium eſt. Et hac quidẽ ratione ECCLESIA Catholica CHRISTVM Dominum ac ſeruatorẽ ſuum Deo offert omnipotenti: Nempe inter Deum atq; ſe, medium ſtatuit illum ipſum, qui per proprium ſanguinem ſuum vnicus idemq; cumprimis efficax Deique hominumque mediator effectus eſt: per quem vnum cum Deo redire in gratiam, beatitudinemque adipiſci oportet, quotquot Deum ſibi conciliatum, fieriquè beati cupiunt. Eum verò, non quidem cruciabiliter denuò occidendo, offerimus DEO, ſed in myſterio ac ſpiritali ratione, ſcilicet in mortis illius memoriam: ſumusque ea ſpe, fore vt bona facilè omnia conſequamur eiuſdem mortis virtute, quam nos hîc, vt dixi, commemoramus, eandemque illius virtutem per fidem ac deuotionem fructuoſam nobis propriamque efficimus.

1. Tim. 2.

Quô Chriſtum Deo offeramus.

Itaque hæc munda ac ſalutaris in libertatem aſſertę gentilitatis oblatio eſt, verum corpus & ſanguis immaculatus CHRISTI IESV, in quo ſcilicet pro totius humani generis erratis propiciatio conſtituta eſt.

eſt. Quanquàm extra hoc corporis & ſanguinis CHRISTI ſacrificium, alia inſupèr complura in MISSA ſacrificia introducuntur ac adhibentur: vt, verbi cauſa, ſacrificium contriti & humiliati ſpiritûs in antecedenti confeſsione: ſacrificium laudis & gratiarum actionis in diuinis cantionibus: ſacrificium fidei in auſcultatione & profeſsione Euangelij: ſacrificium panis & vini ante tranſmutationem, quo videlicet id confitemur, corporalia nos ac temporaria bona noſtra ex diuina benedictione per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum adeptos eſſe: ſacrificium pacis & Chriſtianæ concordię ac vnanimitatis in perceptione & communione corporis & ſanguinis CHRISTI: atque illud deniq; ſacrificium, vbi omnes nos in CHRISTO IESV, ceu ſpiritalis corporis eius membra, cæleſti Patri offerimur, atque ità vitam noſtram cum CHRISTO abſcondimus in Deo, id tum obſecrátes, tum etiam ſperantes, vbi CHRISTVS vita noſtra apparuerit, & nos apparituros cum illo in gloria. Præter hæc quidem & cum iſtiuſmodi ſpiritalibus ſacrificijs, verû ac eſſentiale corporis & ſanguinis CHRISTI ſacrificium Deo patri cæleſti offertur, vt per hoc ſanctiſsimæ paſſionis eius memoria noſtris in cordibus aſſeruetur, fides excitetur, charitas accendatur, noſtra ad Deum fiducia ſubleuetur ac confirmetur aduerſûm tentationes omnes, robur ſolatiumque capiamus, adeoque demùm ſub hoc repræſentatiuo ſacrificio, ob CHRISTI commemorationem inſtituto, per fidem ac deuotionem feruidiſque & ex intimis animi medullis fuſis precibus, ſacrę paſsionis CHRISTI precioſique ſanguinis eius fructus ad nos adducamus, eiſdemque tum ad corporis tum animæ temporariam æternamque ſalutem perfruamur.

Sacrificiorũ in Miſſa varietas quæ.

Pſalm. 49. & 50.

Coloſ. 3.

Cur Deo patri corpus & ſanguinẽ chriſti offeramus.

Quid igitur cauſæ ſit, cur hoc ſe deſpoliari ſacrificio ECCLESIA patiatur? Quid verò reliquum tandèm habeat, quo niti poſsit, ſi hoc ſit ſacrificio deſtituẽda? Si noſtris cæleſte numen exaſperatum ſceleribus, rebus aduerſis ac periculis nos inuolui patiatur, quid illius conciliandi gratia ei offeramus? Quid verò nobis ſupereſſe queat, quo ad ferendam nobis opem Deum permoueamus? noſtrís ne id agemus meritis, noſtris precibus, noſtris opibus? Atquì ô exigua ſanè merita, & anguſtas facultates, quæ ex nobiſipſis nobis ſuppetant, ſi non apud DEVM per CHRISTVM merita nobis diuitiæq; conflatæ ſint. Enimuerò quęnam illa ſunt hominum merita, quorum gratia aut veniam nobis dare, aut ex rebus aduerſis & periculis nos extrahere Deus ipſe debeat? Quæ noſtrę preces illius eſſe præſtantię, quódve vel aurum vel argentũ tanti eſſe precij queat, vt ijs nobis conciliare Deum, meritasq; deprecari pœnas & noſtra luere errata poſsimus? Nimirùm neque fuit antehàc vnquàm, nec pòſt erit vlla alia, quàm CHRISTI IESV conciliatio, in quo Deus mundum ſibi conciliauit, pacificans per ſanguinẽ crucis eius, ſiue quę in terris, ſiue quę in cælis ſunt: Nec eſt ſpes aliqua vel redẽptio nobis

Quanta eſſet ECCLESIAE, ſacrificio Miſſa ſpoliata, miſeria.

2. Cor. 5.

Coloſ. 1.

1. Tim. 2.

nobis reliqua præterquàm in CHRISTO, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Quo ſi aut deſtituti eſſemus, aut eo ipſo ad conciliandum nobis Deum vti minimè liceret, quid nos obſecro, vel reſtituere cum Deo in gratiam, vel nos beatos efficere poſſet?

Nullũ Miſſa præſtantius ſacrificium eſſe.

Neque enim aut præſtantius, aut gratius, aut efficacius ſacrificium vllum orbi Chriſtiano ſuppetere poteſt, atquè ſit hæc MISSAE victima, quam ex præcepto Domini ſui in illius ipſius memoriam ſacrificat, cùm hîc ipſum vtiquè CHRISTVM ſtatuat ante Deum, admonẽs eum precioſi ſanguinis, quem vnicus idemq́; longè chariſſimus filius eius, noſter adeò mediator, conciliator, Seruator CHRISTVS IESVS, ob nos redimendos profudit: oransq́; per merita illius, noſtris ſeſe culpis præſtare propicium, iram ſuam atq; omne malorum genus à nobis auertere, & ea demùm ſubminiſtrare ac dilargiri velit, quæ tum ad corporis tum animæ ſalutem neceſſaria, vtilia, & accommoda ſint.

Rom. 3.

Enimuerò ea de cauſa humano generi donatum à Deo CHRISTVM, certum habemus, vt ſit propiciator per fidem in ſanguine ſuo. Hac item ratiõe natum datumq́ue nobis, vt cùm vires noſtras longè ſentiamus imbecilliores, quàm vt per nos Deum nobis conciliare idonei ſimus, eum conſtituamus ante Deum, qui Dominus, Seruator, Salutare, cõciliator noſter, atque illud etiam vnicum maximeq́; efficax ſacrificium eſt, quo expiari noſtra ſcelera, prorſusq́ue dilui & aboleri queant.

Bernardus in Cantic. ſermo. 2.

Totum, ait quidam, quod dare poſſum, miſerũ corpus iſtud eſt. Id ſi minus eſt, addo & corpus ipſius: nam illud de meo eſt, & meum eſt.

Eſa. 9.

Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt mihi, ait Eſaias. De te Domine ſuppleo, quod minùs habeo in me. O dulciſſima recõciliatio, ô ſatisfactio ſuauiſſima. Quum defecerit, inquit idem, virtus mea, (multæ enim ſunt tentatiões & caſus triſtes vitæ huius) non cõturbor, non diffido: ſcio quid faciam: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Pſal. 115.

Cyprianus in ſermone de cœna Domini.

Et vt D. ait Cyprianus, in huius veraciſſimi & ſanctiſſimi corporis præſentia non ſuperuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquàm patitur contriti cordis holocauſtum repulſam.

Sacrificij MISSAE cõmoditas quanta.

Itaque cùm pro præſtitis collatiſq́ue in nos maximis Dei beneficijs largiſq́ue chariſmatibus grates illi agere iure meritoq́ue debeamus, id quidem vel rectiùs, vel accõmodatiùs vſquàm, atquè in hoc noſtro ſacrificio, fieri non poteſt: vbi ſcilicet verum nobis CHRISTI corpus & ſanguis propoſita ſunt, quibus quicquid habemus gratiæ aut beneficij, apud Deum partum eſt nobis, ſatiſque nobis ſuppeditârunt, atque etiamdùm ſuppeditant vberem occaſionem, perpeti continentiq́; Deum laude & gratiarumactione proſequendi.

Atque ex his alijsq́ue iam antè hinc dictis, id teſtatum veſtris animis planumq́ue efficere haud ægrè poſſimus, vt inhumaniter ſanè ac indignè ECCLESIAM Catholicam, ij qui ſtant ab aduerſarijs, iſthoc accer-

accerſant crimine, tanquàm quæ hoc ſacrificiũ ad gratiæ meritorumq́; *Calumnia*
CHRISTI contumeliam deſpectumq́ue vſurpet, idq́ue adeò ſuo tri- *in ECCLE-*
buat ſacrificio, quod vni crucis CHRISTI victimæ ſit aſſcribendum. *SIAM.*
Neque enim aut id doctum vnquàm ab ECCLESIA Catholica eſt,
neque hæc illius mens quandoquè fuit & ſententia, vt per MISSAE
oblationem iam demùm & erratis veniam, & quæ ſaluti noſtræ accom-
moda ac neceſſaria ſint, impetremus ac obtineamus, cùm hæc ſatìs ſu-
perq́ue crucis nobis victima parta confectaq́ue ſint: ſed id quotidiana
hac noſtra oblatione, quæ viua quædam paſſionis CHRISTI imago *Quid quo-*
ac monimentum eſt, ſpectamus & ambimus, vt impetratam peccatorũ *tidiano*
veniam ad nos adducamus, CHRISTIq́ue paſſionis fructus & grati- *MISSAE*
am fide ac deuotione nobis applicemus, & frugifera nobis propriaq́ue *ſacrificio*
efficiamus, dum illius hac in parte iuſſis morẽ gerimus, quibus ait: Hoc *quæramus.*
facite in meam commemorationem. Illic iam cõfecta merita ſunt, hîc *Luc. 22.*
bonorum, quę illic quęſita partaq́ue ſunt, nos participes reddimus. Illic
communis parata ſalus omnibus eſt: hîc eam fideles ſibi adhibent, vſur-
pant, fruuntur, ſuæ ſcilicet ſalutis cauſa. Hæc ergò in libertatem vindi-
catę gẽtilitatis ſalutaris victima eſt: vbì ſanè omnes è religione piè Chri-
ſtianos zelum quendam animo capeſſere, execrabiliq́ue illi ac peſtifero
dæmoni ſputa in os cõgerere decet, vt qui mundum hoc & cumprimìs
ſalutare ſacrificium, nobis inuiſum exoſumq́ue reddere, & vnicum hũc
ſalutis noſtræ theſaurum atque ſolatium, nobis è manibus extorquere,
prorſusq́ue infructuoſum efficere conetur.

PARS ADVERSA.

ATquì hîc iterùm alia quædam partis diuerſæ obiectio introducẽda
mihi refutandaq́ue venit, qua illi rurſus ECCLESIAE Catho-
licæ hoc eripere ſacrificium, nec aliquid habere momenti volunt, nè à
conuicijs quidem ſibi temperãtes, dum aiunt: Iam nos à Deo CHRI- *Obiectio*
STVM nobis donatum accepimus, quæ ergò ratio eſt, vt nos hunc illi *Schiſmati-*
viciſsìm offeramus atque donemus? Iſta nanque, aiunt, inter Sacramẽ- *corum.*
tum & Sacrificiũ differentia eſt. Sacramentũ eſt, vbì nos quippiam acci-
pimus à Deo: Sacrificiũ verò, vbì nos aliqd Deo largimur. Dare autem
& accipere, certè diuerſa ſunt. Itaque ſi Euchariſtia veri corporis & ſan-
guinis CHRISTI Sacramentum eſt, in quo nos CHRISTVM à
Deo donatũ nobis ſuſcipimus: quî ergò & ſacrificiũ eſſe poteſt, vbì rur-
ſus oblatum à nobis donatumq́ue CHRISTVM Deus accipiat?

RESPONSIO.

NAE mirum in modum craſſa iſthæc & imperita doctorum homi-
num peritia eſt. Enimuerò ſi dari aliquid Deo & offerri non poteſt
ex his quæ ipſe hominibus largitur, quid ergò, obſecro, habent homi- *Rom. 11.*

1. Cor. 4. nes,quod à Deo non acceperint? Itaq; hac ratione neminem vnquàm quicquam in terris obtuliſſe oportuit: cùm vtiquè nemo dare aliquid
Geneſ. 4. Hebr. 11. Deo poſsit,quod non antè ab illo perceperit. Cùm Abel offerret oues, eaſdem ne ipſas iam antè ex diuina benedictiōe adeptus erat? Abraham
Geneſ. 22. item iuſſu Dei immolaturus filium ſuum, nónne priùs eundem ipſum puerulum ſingulari Dei munere nactus erat, cùm & ipſe ſenex & vxor eius ſterilis eſſet? Immò verò nihil quidem offerri Deo ab homine po-
1. Par. 29. teſt,quod non antè à Deo homini donatum ſit,teſte Dauide: Tua ſunt omnia,& quę de manu tua accepimus,dedimus tibi. Nos equidē haud
Rom. 8. ingratis confitemur,quotidieq; donari nobis CHRISTVM à Deo, vnaque cum illo bona omnia:atque eam ipſam ob cauſam,quòd noſter eſt CHRISTVS, & ob noſtrì conciliationem liberationemque nobis à Deo datus eſt,rurſus nos eum Deo exhibemus ac offerimus,id precibus,id votis obnixè contendentes,noſtrum à ſe nobis donatum conciliatorem,ſequeſtrum, ſeruatoremque reſpicere, illiuſque ob gratiam ea quę corpori animæq; neceſſaria ſunt, nobis ſufficere ac ſuggerere vel nè dedignetur.

Equidem dilectiſsimi ità mihi perſuadeo, qui iam indè ab initio ad hoc vſq; loci meis interfuêre de MISSA concionibus,ijs ſatis ſuperq; id intellectum eſſe, vt in ECCLESIA Catholica MISSA hodieq; per omnes dies ſacrificium quidem ſit: at tamen diuerſa ratione, ab ea qua ſeſe CHRISTVS ſemèl in cruce obtulit: id quod multipliciter perſpicueque identidèm à me aſſertum eſt & explicatum. At verò cùm
Quem falſum horrorem quibus ingeſſerint Schiſmatici. horror iſte in ſimplicium animis penitùs iam inſideat ac inueterârit, vt quòd rurſùs CHRISTVM IESVM cruenta ratione ac cruciabiliter offeramus,immò & cruci figamus: prorſuſque quotidianum hoc ſacrificium ſuperuacaneum ſit,nec ad quicquam vtile,efficax vel neceſſarium, quandò quidem ſemèl ſeſe CHRISTVS obtulit, eoque ipſo ęternam nobis redemptionem obtinuit:ęquis vt feratis auribus ac animis quæſo, liceatq; mihi pace veſtra ac bona venia, id quod huius concionis ſupereſt,reddendę hinc denuò ceu ex abundanti ſimplicioribus quibuſque rationi impendere, putà, vt quotidianum hoc ab illo crucis ſacrificio differat, quorſum vel ad quid quáve ratione poſt illam crucis hoſtiam,etiamdùm quotidiè neceſſarium ſit & vtile ac ſalutare.

Oblationis Chriſti in cruce & in Miſſa diſcrimen. Vbi id repetendum principiò eſt,quod iam antè dixi, tametſi quotidianū hoc ſacrificium cum illa crucis victima,quòd ad ſubſtantiam attinet, vnum prorſus idemque ſit, (Illic nanq; reuerà & corporaliter erat CHRISTVS: eſt & hìc idem ipſe reuerà & corporaliter) pro ratione tamen non minimùm inter ſe diuerſa eſſe. In cruce quidem cruenta ac moriendi ratione & cruciabiliter oblatus eſt CHRISTVS,neque ſic vnquàm denuò offerri poteſt: etenim immortalis eſt, neq; iam denuò moritur,Hebr. 9. Rom. 6. atque ſi maximè identidèm noſtris pro pec-

catis & morte affici atque ità offerri poſſet, nihil tamen id eſſet neceſſarium: quandò vna illa morte ſua, quicquid ad totius mundi ſalutem exigi poſsit, abundantiſsimè confecit, obtinuit, impetrauit. *Heb.10.*

In MISSA verò alia ſanè ratione ſingulis quibuſq; diebus CHRISTVS offertur, vtpotè non cruenta, neque cruciabiliter, ſed in myſterio, abſq; vlla vel ſanguinis effuſione, vel cruciamento, id eſt, non perindè vt ipſe ſeſe in cruce obtulit, ſed ità vt in cœna. qua de re ſuperiùs ſatìs ſuperq́; multa nobis & teſtimonia recitata, & rationes redditæ ſunt. *Heb.9. 1.Pet.5.* Quin & vtriuſque ſacrificij non eadem cauſa eſt. In illa quidem crucis victima ſua morte & ſanguine noſtra illi expianda luendaq́; errata erãt, nos per ipſum in gratiã cum Deo reſtituendi, nobiſq́; beatitudo comparanda: idque adeò vno ſacrificio perfectè & abundè ſatis ab eo præſtitum atq; confectum eſt. Atquì etiamnùm per omnes offertur dies, primò hac ex cauſa, vt ſit perpes quædam apud nos recensq́ue paſsionis illius noſtræque liberationis, eius nobis crucis victima acquiſitę, memoria. *Heb.9.* Secundò, vt crucis illius hoſtiæ fructum nobis adſciſcamus, eoque ipſo ſalutariter perfruamur. Itaq; ſtatuimus CHRISTVM ante Deum, id obnixè precantes, velit ad noſtram proficere ſalutem, quicquid à CHRISTO in cruce pro toto ſimul orbe partum, impenſum atq; effectum eſt. *Quì Chriſtum Deo pponamus.* Neq; enim cuiquam vlli eſſe vſui CHRISTI merita poſſunt, niſi qui ea appręhendere, & per opportuna aptaq́; media ad ſe adducere ſibique accommodare nôrit. Nam qui CHRISTI gratiam capeſſere, eam ſibi applicare, eiuſq́; fieri particeps detrectat, is æquè in ſuis etiamdùm peccatis moriatur, damnationiſque plectatur ſententia neceſſè eſt: vt nimirùm & Turcæ & pagani omnes in ſuis manent ſceleribus, & damnationi addicuntur, tametſi CHRISTVS etiam pro illorum omnibus erratis ſufficiens propiciatio ſit. *1.Ioan.2.*

Quamobrem doceas licèt populum è religiõe Chriſtianum, pro erratis mortalium omnium CHRISTVM ſatisfeciſſe in cruce, & orbem vniuerſum ſuo ſanguine in libertatem vindicâſſe: ſi non & admoneas eos inſtituaſq́ue, vt ſeſe gerere, eoq́; accommodare debeant, vt paſſionis CHRISTI fructum, ſuum efficiant, ad ſeſe adducant, eiuſq́ue participes ſint, nę illi meritorum atque ſanguinis CHRISTI nihilo maiorem percipient fructum, quàm Turcæ omnes & gentiliſmi erroribus obuoluti. *Quibus Chriſtianis nil profuturus Chriſtus.*

SED DICIS FORSAN:

EQuidem Chriſtianum populum meæ curæ creditum ità doceo, vt per fidẽ CHRISTI merita ſibi adſciſcãt, applicẽt, participentq́;.

RESPONSIO.

PRobè ſanè, per fidem. Ea nanque Chriſtianos diſcernit ab Ethnicis, & eos qui per CHRISTI ſanguinem libertatem ſimul & beatitudinem adipiſcuntur, ab ijs, qui ſinè CHRISTI ſanguine ad tartara

deuoluti,damnationi perpetuę addicuntur. Atqui illiuſmodi ea fides ſit oportet,quę per dilectionem operetur:quæ ſe in illis omnibus exerceat, per quæ & poſsit & velit Deus Opt. Max. honorari. Deniquè morigera & obediens fides ſit neceſſe eſt, quæ ſcilicet eò permouet, inſtigat, ac dirigit hominem, vt ſumma cum deuotione, deſiderio,ac gratitudine media illa omnia amplectatur ac vſurpet,quę eò à Deo inſtituta ac propoſita ſunt,vt per ea Dei gratiam CHRISTIque merita appræhendere, ad nos adducere, nobis admouere, eorumque fieri participes adnitamur. Itaque ſi iſthac morigera fide præditus es, iam planè cum ECCLESIA Catholica & vniuerſo populo chriſtiano ſanctum hoc & Chriſtianum atque diuinum ſacrificium,ſed & cætera Chriſtianæ religionis ſacramenta libens,obtemperanter,immò etiam cum deſiderio ac deuotione percipies & vſurpabis. Sin verò de phanatica illa ac vecordi fide agas,quę diuina id genus media vitet horreatque,neglectoq; Baptiſmate, Sacramentis, MISSA, alijſque diuinitùs editis conſtitutiſque medijs, nihilo ſeciùs CHRISTI velit merita, paſsionisq; fructum participare,falleris hîc procul dubio,& cum ipſa hac inſulſa,vana, commentitia fide vltricibus Tartari flammis,cum infimis quibuſq; torquendus,immergeris.

Galat. 5.

Præſtet nobis om̃ibus omnipotens Deus ſuam gratiam & ſpiritum, diuinamque intùs noſtris in cordibus ſuam declaret & explicet voluntatem: & qui tanta mundum beneuolentia & amore complexus eſt, vt vnigenitum Filium ſuum ob nos omnes redimendos totum expoſuerit,obtuleritque,idem ipſe eò nos per ſuam perducat promoueatq; gratiam, vt partam effectamq; hanc noſtrì liberationem, gratiſsimis mentibus ab ipſo oblatam amplectamur, eaq; per media, quæ ipſe nobis ex gratia demonſtrauit, nobis applicemus, iiſdemque cum noſtræ ſalutis ac beatitudinis augmento perfruamur,per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum. Sequenti concione, quid deincèps in Canone geratur,nobis explicabitur.

SERMO XII. IN EPIPHANIA DOMINI.

De obſecratione pro defunctis,quæ tum in MISSA,tum aliàs in ECCLESIA vniuerſali & ſemper & vbiquè fieri ſolita ſit,hodieq; fiat & obſeruetur.

EA quæ hanc proximè anteceſsit,concione dictum nobis eſt dilectiſsimi,atque in eam ſententiam finis illi eidem concioni impoſitus,vt fidelium populus per omnes dies CHRISTVM IESVM à Deo ſibi donatum ſeruatorem, interceſſorẽ conciliatoremq;, ad hoc ipſum in terris vſurpet adhibeatque, cuius gratia nobis is à Deo præſtitus atq; donatus eſt, videlicet vt per merita illius nunquàm non apud Deum precibus efficere ac impetrare conemur, quicquid ad noſtram

Quem in finẽ & Chriſtus datus nobis ſit, & vſurpetur.

ſtram ſiue temporariam ſiue æternam ſalutem neceſſariò pertinere videtur: vtque eapropter CHRISTVM IESVM ECCLESIA, ceu vnicam noſtram placationis hoſtiam, inter Deum atque ſeſe mediũ conſtituat, obſecret, admoneatque Deum omnipotentem, hoc noſtrũ ſacrificium gratum habere CHRISTVM IESVM vnicum ac dilectiſſimum filium ſuum, quem ob redimẽdos omnes in mundum ablegârit, noſtrum eſſe conciliatorem, atque ad noſtram deniquè ſalutem ac beatitudinem proficere velit, quicquid idem hic communis ſeruator orbis non nobis tantùm, ſed toti adeò mũdo in cruce obtinuit, effecit, ac meritus eſt.

Hinc iam continẽter in Canone pro fidelibus defunctis obſecratio adhibetur, vbì ECCLESIA Dei tum generatìm, tùm ſpeciatìm pro ijs qui è viuis exceſſerunt, preces facit. Speciatìm quidem ſinguli quiq; pro charis ac neceſſarijs & ſanguinis ſibi propinquitate coniunctis: generatìm verò pro omnibus, qui cum ſigno fidei hinc deceſſerunt. & eſt eo loci ECCLESIAE precatio huiuſmodi: Quandoquidem orat illic Deum, vt quotquot ex Altaris participatiõe ſacroſanctum filij eius corpus & ſanguinem ſumpſerint, omni benedictione cæleſti & gratia repleantur: nec quiſquam inficiari poteſt, eos qui è corpore emigrârũt, etiamdùm ad corporis CHRISTI cõmunionem pertinere, & dum adhuc eſſent in viuis, ſuis quoſque temporibus CHRISTI corpore & ſanguine ex Altari refectos eſſe, etiam pro ijs hunc in modum precatur: Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Atque hìc Sacerdos interìm ſubſiſtit: & poteſt hìc quiſque charorum & propinquorum ſpeciatìm meminiſſe. Ad extremũ tamen ECCLESIA precem ſuam generali ratione concludit, dicens: Ipſis & omnibus in CHRISTO quieſcentibus locum refrigerij, lucis & pacis vt indulgeas, deprecamur per eundem CHRISTVM Dominum noſtrum.

Vt quotquot ex hac Altaris &c.

Memento Dñe famu. &c.

Orare pro in Chriſto defunctis.

Iam cur ECCLESIA hunc ſibi pro defunctis deprecandi morem ſumpſerit, iſta ferè ratio eſt: Quandò id certũ compertumque habemus, CHRISTVM IESVM communem totius humani generis redẽptorem eſſe, nec huius aut illius vel quorundam modò, ſed omnium potiùs generatìm curam geſſiſſe, & mortem oppetijſſe pro omnibus: hanc quoq; illius fuiſſe mentem atque ſententiam, vt immerita mors ſua profuſusq; ſanguis, ijs omnibus vſui ac ſaluti foret, qui in eius nomẽ credituri eſſent, id quod ex illis eius verbis colligi poteſt, quę ſub impẽdentem paſſionem ſuam ad patrem cæleſtem pro diſcipulis ſuis edidit, dicens: Non pro ijs rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ex quibus id conficitur, egiſſe CHRISTVM in cruce cauſam eorũ omniũ, qui in eum credituri erant, totumq; adeò ſpiritale corpus ſuũ in ſuam curã ſuſcepiſſe, & quotquot ad mundi vſq; extre-

Ioan. 17.

extrema in eius nomen crediturí eſſent, eos om̃es miſericordiæ ſuæ viſceribus complexum eſſe, & peccata eorum omnia in ſuo corpore portâſſe ſuper lignum, ibidemque diluiſſe & expiâſſe: cumque ECCLESIA Dei in MISSA paſsionem CHRISTI cõmemoret recolatq́; decet nimirùm, immò & neceſſè eſt, vt iſthæc cõmemoratio, CHRISTI actioni reſpondeat, vtque exemplum ſeu imago cum re ipſa conſentiat & concordet: vtì quemadmodum CHRISTVS in ſuo crucis ſacrificio curæ ſibi eſſe voluit credentes omnes, pro ijſdemq́; omnibus paſſus eſt, & quantùm quidem in ipſo eſt, illorum errata diluit & expiauit, ipſosque cum Deo in gratiam reduxit: ità & ECCLESIA in hoc repręſentatiuo & memorię cauſa inſtituto ſacrificio nullum omninò credentiũ excludat, cùm ij om̃es pro Dei voluntate liberatiõis CHRISTI IESV participes eſſe debeant.

1. Pet. 2.

Cur pro defunctis oretur in MISSA. Atque eapropter vtì antè pro viuis precata eſt, ità pôſt etiam pro illis Deum rogat, qui nos cum ſigno fidei pręceſſerunt, idque ità, vt oret & admoneat cęleſtẽ Patrem, precioſam mortem & immaculatum ſalutiferumque CHRISTI IESV filij ſui ſanguinem, etiam illis ipſorum & ſatisfactionem, & iuſtitiam, & ſalutem, & liberationem eſſe velit.

Rectè & piè pro in Christo defunctis orari. Quid ni enim communem omnium liberatorem CHRISTVM IESVM etiam pro defunctis Deo offeramus, Deumque per CHRISTVM pro illis deprecemur?

Enimuerò vbi ECCLESIA ſancta Deo patri omnipotenti dilectiſsimum filium eius, ceu communem totius orbis ſeruatorem, in eximij illius & maximè meritorij ſacrificij, quod idẽ ipſe CHRISTVS in ſeipſo pro vniuerſa ECCLESIA in cruce immolauit, memoriam offert, oratq́; vt per eundem ECCLESIAE ac populo ſuo Deus propicium ſe pręſtare, illiusq́; ipſius mortis ac paſsionis merita ad ſalutem ipſorum beatitudinemq́; cedere velit: quid eſt, obſecro, cur ex hac commemoratione chariſsimos fratres noſtros, iam hac luce priuatos, excludatur? aut cur non etiam pro illis precetur Deum, velit tamen & ipſis CHRISTI filij ſui merita ſaluti eſſe, & beatitudinem conciliare? An ne & ipſorum CHRISTVS perindè atquè noſtrî in cruce curã geſſit? An ne & ipſos iuxtà àc nos miſericordiæ ſuæ viſceribus complexus eſt? nónne & pro ipſis ęquè vt pro nobis ſanguinem fudit? an non haud ſecùs ille defunctos ſui eſſe ſanguinis participes, atque per ſe adipiſci vult beatitudinem, atquè nos? Quin & quandò ſacrum CHRISTI corpus precioſusque ſanguis ſub panis ac vini ſpecie generale ſacrificium eſt, totoq́; pro populo ac frequentia Chriſtianorum Deo patri cæleſti offertur, quid eſt quo minùs itidèm & pro mortuis offeratur? An ne & illi in Dei populo numerãtur? Fidésne illa, qua in ſpiritali CHRISTI corpore colligamur, quæque nos CHRISTI membra efficit, etiam defunctos in CHRISTI ſpiritali corpore connectit atq́; compingit,

Pro defunctis æquè ác viuis Christi ſanguinem eſſe fuſum.

pingit,

pingit, faciens & illos CHRISTI membra, qui cùm ſigno fidei è viuis exceſſerunt? Nónne CHRISTI ſpiritus, qui noſtri habitator eſt, etiam in defunctis cômoratur, quandò quidẽ mors corporalis CHRISTVM CHRISTIque ſpiritum in credentibus extinguere & enecare non poteſt?

Ephe. 4.
1. Cor. 10.

Atq; adeò ſanè eam ipſam ob cauſam, ſancti martyres vitæ temporariẹ iacturam facere minimè dubitârunt, quò CHRISTVS in ipſis viueret. Quo fit nimirùm, etiam extincto corpore, nihilo minùs credentes in CHRISTO viuere, CHRISTIque membra permanere.

Spiritum chriſti etiã in defunctis fidelibus morari.
Ioan. 11.

Iam cùm vna fides, vnus ſpiritus, vna ſit in CHRISTO communio, cur non & ſpiritalis ſacrificij vna ſit communio? quemadmodùm hac de re ſanctiſsimus pater Auguſtinus mille ante annos ità ſcriptum reliquit: Piorum animæ mortuorum nõ ſeparantur ab ECCLESIA, quæ etiamnùm eſt regnum CHRISTI: alioquì nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis CHRISTI, quod tamẽ piè fieri quis dubitet? Rectè enim pro eis offertur corpus CHRISTI, qui membra ſunt CHRISTI. Et cùm conuiuium Domini vnitas ſit corporis CHRISTI, quis ab illius participatione animas piorum excludat, qui membra ſunt corporis eius? Hæc ille.

Auguſtinus.

Non ſinit profectò charitas illa, qua Chriſtiani, qui vitam cum morte cômutârunt, nobis deuincti ſunt, nosq; viciſsim illis, vt cùm CHRISTVM communem liberatorem ſeruatoremque noſtrum Deo offerimus, perque illius merita gratiam eius petimus, & pro quibuſlibet ſpiritalis corporis CHRISTI neceſsitudinib⁹ deprecamur, eo loci emortuorum fratrum noſtrorum atq; membrorum ſimus immemores, aut eos excludamus, nec itidèm precemur pro eis. Quanquàm etſi nos hac in eos infidelitate vti, eorumque obliuiſci vellemus, ipſa tamen ſacrificij huius corporis & ſanguinis CHRISTI proprietas nequaquàm patitur, vt quenquam hinc excludamus, qui etiamdùm mẽbrum CHRISTI ſit, per fidem nobis coniunctum atq; copulatum: quin potiùs vti pro vniuerſo credentiũ cœtu CHRISTVS IESVS corpus & ſanguinem ſuum in cruce obtulit, non quidem pro ijs duntaxat, qui tum ſuperſtites erant, in eumq; credebant, verùm etiam pro Abel, Abrahamo, Iſaac, & cæteris qui in ipſum crediderant, multisq; antè annis vixerant in terris: ità & nos hanc paſsionis eius commemorationem omnibus in commune proficere vt ſinamus oportet, ſiue eos præſens ſeculum adhuc in carne retineat, ſeu futurũ iam exutos corpore ſuſceperit.

Explicata iam nobis exprompta q; ratio eſt, quam ob cauſam in hoc noſtro ſacrificio quotidiano defunctorum Chriſtianorum memoria habeatur, pro ijsque preces fiant: adducenda nunc etiam recitandaque nobis ſunt teſtimonia ac argumenta, memoriam huiuſmodi & preces pro defunctis in MISSA Apoſtolorum temporibus natas, atque indè

Iam indè à primordio Eccleſiæ pro mortuis oratum fuiſſe.

inde concordi prorſusque eadem mente & ſententia, toto vbique terrarum orbe in Eccleſia Catholica & ſemper ad noſtra vſq; tempora obſeruatas perductasq; eſſe: vt ne Chriſtianus populus hinc ſe abduci patiatur, dum audit & Apoſtolos ſanctos, & quotquot ante nos fuêre è religione Chriſtiani, in MISSAE ſacro pro defunctis eſſe deprecatos.

Dionyſius. Primò quidem Dionyſius Areopagita Apoſtoli diſcipulus, Eccleſiaſt. Hierarchię cap. 6. vt preces pro defunctis in MISSA fiant, ab Apoſtolis ità inſtitutum atque vſurpatum eſſe teſtatur. Quęnam, inquiens, de huiuſmodi prece, quam ſuper defuncto peragit præſul, ex diuinis ducibus noſtris (id eſt, Apoſtolis) traditio peruenit ad nos, operæpręciū eſt vt dicamus &c. commemoratq; eodē loco cæremonias ac ritus minimè vulgares, vti ad hęc ſancta, hoc veri corporis & ſanguinis CHRISTI ſacrificium in MISSA, preces fieri ſolitæ ſint.

Tertullianus. Floruit circa annū Dñi 200. Et Tertullianus libro de Corona Militis, Oblationes, ait, pro defunctis annua die facimus: itemq; lib. de Monogamia, Chriſtianum hominem bigamiam amplecti minimè debere contendens, hoc teſtimonij vel argumēti loco vtitur: Chriſtianam fœminam committere non debere, quin pro communi Chriſtianæ religionis inſtitutione ſanctum hoc ſacrificium annua die pro marito defuncto offerri curet, id nimirùm hoc ipſo efficere volens, Chriſtianam fœminam non decere alteri ſe marito iungere, quòd alioquì prioris mariti curam poſthabeat, nec annuas illi impendat preces & curam, ità vt coniuges Chriſtianos alterum alteri præſtare decet.

Cyprianus. Itemq; Cyprianus lib. I. Epiſt. nona, decreti cuiuſdam longè ſua ante tēpora ab Aphricæ Epiſcopis ſanciti meminit, putà, Nè quis frater excedens de ſeculo, ad tutelam aut curam bonorum ſuorum clericum nominaret: Si quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro eius dormitione celebraretur.

Damaſcenus. Sic & Damaſcenus ſermone de ijs, qui in fide CHRISTI hinc migrârunt, Apoſtoli, inquit, diſcipuli Saluatoris, in tremendis vitalibusq; Sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habēdam eſſe dixerunt.

Chryſoſtomus. Chryſoſtomus item ad populum Antiochenum Homil. lxix. ſic habet: Non enim temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs, defunctorum agatur commemoratio. Sciebāt enim, multum illis lucrum, vtilitatem multam indè contingere. Cùm enim totus populus conſtiterit extenſis manibus & ſacerdotalis plenitudo, ac tremendum proponatur ſacrificium, quomodò Deum pro his non exorabimus deprecantes? Similia apud eundem legere eſt in I. ad Corin. Homilia 41.

Auguſtinus. Sed & Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 110. & Quæſt. 2. ad Dulcitium: Defunctorum, inquit, animas pietate ſuorum viuentium

tium releuari,cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in ECCLESIA fiunt,omninò negandum non eſt. Denique id genus teſtimonia de precibus pro defunctis faciendis, inuenire itidem eſt apud Epiphanium lib. 3. contra hæreſes: Ambroſium in Oratione funebri pro Theodoſio Imperatore lib. 11. Epiſtolarum ad Fauſtinum de exceſſu fratris: & Bernardum in Cantica Sermone 66. adeoque & apud omnes eruditione ac ſanctitate inſignes viros,qui iam indè ab ſanctæ fidei noſtræ primis initijs ad hęc vſque tempora intra ſanctam ECCLESIAM Catholicam vita,ſcriptis, doctrina floruerunt. Id quod hac de cauſa à me dicitur,vt ſi quis eò nos conuicijs inſectari aut condemnare velit, quòd in MISSA etiam pro defunctis precemur, vel ſanctũ hoc CHRISTI corporis & ſanguinis ſacrificium pro eis offeramus, is ſe intelligat & ante nos & nobiſcũ pariter totam ſimul Chriſtianitatem conuicijs ac maledictis inceſſere ac dãnare oportere, cùm tamẽ tot ea ſanctos egregieq; doctos viros aluerit,qui per omnes temporum ſucceſſus ab noſtra ſemper parte ſteterint,nobiſcum ſenſerint, & ꝑ defunctis tum in MISSA,tum aliâs perindè vt nos,orare nihil dubitauerint. *Epiphanius.* *Ambroſius* *Bernardus*

DICAM EQVIDEM REM GRANDEM, at certiſsimam tamen:

SI quidem aduerſarij noſtri id planum facere poterunt, obſecrare in MISSA pro mortuis,vel ſanctam hanc etiam pro eis offerre hoſtiam,abuſum vel errorem rectè dici,tum & hoc eos certum teſtatumque reddidiſſe, totam pariter ECCLESIAM Chriſtianorum, dum fuit, ſemper & vbiquè locorum ad hanc noſtram vſq; ætatem,generali quodam errore detentam implicatamque fuiſſe: atque ità ex conſequenti, & id quod maius ſit,eos effeciſſe,nempe, CHRISTVM apertiſsimè mentitum eſſe ac falſi conuinci, vt qui ECCLESIAE ſuæ ſpiritum veritatis qui cum ea permaneret,pollicitus ſit,quem tamen eam neque accepiſſe,neq; retinuiſſe conſtat, ſi quidẽ pro defunctis tum in MISSA, tum aliâs deprecari, abuſus & error ſit. Cùm enim iſtiuſmodi deprecatio in ECCLESIA ſemper vſitata fuerit, neceſsè quidẽ eſt, ſpiritum veritatis ſemper hinc abfuiſſe, ſi id errori obnoxium ſit. *Impoſſibilia ex Schiſmaticorũ doctrina ſequi.* *Ioan. 14.*

Atqui hìc mihi videre videor,dilectiſsimi,ad hanc blaſphemiam veſtrûm omnium animos cõntremiſcere: atq; meritò ſanè, nè minimam quidem eiuſcemodi cogitationem homo è religione Chriſtianus, ſibi obrepere ferre poſsit,erraſſe videlicet CHRISTVM in pollicitatione ſua,aut generali quodam errore vbiquè terrarum, & per omnes ætates,quibus Chriſtianos continenter fuiſſe conſtat,CHRISTI ECCLESIAM detentam eſſe, idq; aduerſũm tam multiplices CHRISTI pollicitationes,vt eſt: Et ego rogabo Patrem,& alium paracletum dabit vobis,vt maneat vobiſcũ in ęternum,ſpiritum veritatis. Itemque: *Audite aurati.* *Ioan. 14.*

Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, ille vos inducet in omnem veritatem. Et apud Matthæum: Et eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

Matth. 28.

Hîc mihi vide, obſecro, vt totius Chriſtianæ ECCLESIAE teſtimonia nobiſcum quidem faciant, aduerſarijs autem repugnent: vbi profectò eam tanto faciliùs atque fidentiùs rerum permutationem ferimus, vt tametſi quorundam hæreſiarcharum interpellationes atque ludibria ferre oporteat, nobis tamē totus pariter orbis Chriſtianus ſubſcribat & adſtipuletur.

Neq; ſanè dubium nobis eſt, quin in noſtram quoquè ſit iturus ſententiam, quiſquis integer ac benè intelligens Chriſtianus eſt, atque ceu pium, verum ac ſalutare amplexurus obſeruaturusq́ue, quicquid ab priſca illa Apoſtolica ECCLESIA doctum & obſeruatum eſt: quæque tum Apoſtolos ipſos, tum ſecundùm eos tot martyres, tot antiſtites, vitæ ſanctimonia & eruditione inſignes, docere atque è ſuggeſtu palàm prædicare non puduit. Mihi quidem prorſùs obſcurum eſt, quid tamen homini Chriſtiano, qui alicuius ſit iudicij, reprehendendum aut corrigendū videri poſſit ex his, quæ primogenia illa Apoſtolica ECCLESIA vt ſalutaria ac Diuina credere ac vſurpare nō dubitauit, quandò illam & ſpiritu, & ſanctitate, & Diuino timore inſtructiorem fuiſſe conſtat, quàm vt quicquam vel recipere, vel credere, vel docere, vel obſeruare potuerit, quod aut à ſcripturis ſacris diſsideret, aut ad totius pariter Chriſtianę ECCLESIAE ſalutem promouendā nihil adferret momentū.

Neminem eius pudere, cuius primitiuā ECCLESIAM non puduit, debere.

Quod cùm ità ſit, ea quidem nobis, quotquot Chriſtiani ſumus, deincèps cura incumbet, vt & in hoc, & alijs id genus qui in contentionem venire poſsint articulis, aduerſùm obſtinatam, moroſam, ac peruicacem quorundā huius noſtri æui ſapientium temeritatem, concordem atque conſonum totius orbis Chriſtiani intellectum atque ſententiam opponamus: idq́ue adeò diligenter ac maturè nobiſcum deliberemus, ſitne tutius nobis ea amplecti, quæ nouiter à quibuſdam excogitantur ac afferuntur, an ijs potiùs adhęreſcere, quę ECCLESIA vniuerſalis ab Apoſtolis ſanctis eorumq́ue diſcipulis & Martyribus ceu per manus tradita accepit, locisq́; omnibus & per omnes temporū decurſus eodem ſemper modo, eademq́; ratione ſibi ſtatuit obſeruanda.

Catholiciſmus quantò præſtet ſchiſmatiſmo.

Enimuerò ſi qua eſt antiquitatis vis & momentū, vt id in bonis probatisq́; habendum meritò ſit, quod multo durauit tempore: nimirùm ECCLESIAE Catholicæ doctrina, mille & quingentorū ac eo ampliùs annorum teſtimonijs nititur atque fulcitur: at iſta recens ac herì nata docendi ratio, vix octo & viginti perſtitit annos.

Doctrina recta vereq; Chri-

Quòd ſi & id non minimum habet ponderis, vniuerſalem eſſe inſtitutionem aliquam ſiue doctrinam, atq; à multis eodem ſenſu eademq́; mente & ſententia, accipi & obſeruari, noſtra quidem antiquæ EC-

CLE-

CLESIAE doctrina per cuncta terrarum climata & apud Chriſtianos omnes recepta aſſeruataque fuit: atqui iſtorum noua dogmata in quodam Germaniæ angulo ſeſe protulerunt, neque ab vlla alia etiamdùm Chriſtiana natione recepta ſunt: quin & intra ipſos Germaniæ noſtræ fines magna ex parte, complures ſanè doctos, intelligẽtes, religioſosq́; viros contradictores patiuntur.

ſtiana, ideò Catholica vocatur, quòd omni tempore, omni loco, & ab vnoquoq; in ſimili ſenſu & ſeruetur & intelligatur.

Iam ſi deniquè & id valere aliquid oportet, cuiuſmodi tandèm ſint illi, qui aut huius aut illius perſuaſionis authores ſint obſernatoresq́ue, confer (ſi placet) Apoſtolos ſanctos & martyres, à quibus antiqua ECCLESIAE doctrina & inſtitutio ex Dei verbo ad nos iam indè ab annis mille quingentis in ECCLESIA profecta, nobisq́ue tradita eſt, cum noſtris Sophis, qui hac noſtra ętate nouos quoſdam ſcripturę ſenſus, nouasq́; in ECCLESIAM conſtitutiones & decreta introducunt.

Quorum ſi vtrinquè eruditionem conferas, in omnes partes longè lateque hos noſtros hæreſum atque ſchiſmatum artifices, ab Dionyſio, Irenæo, Tertulliano, Origene, Cypriano, alijsq́ue id genus peruetuſtis Martyribus ac Pontificibus ſuperari videbis.

Nũ Haeretici Catholicis eruditione conferendi.

Sin verò vtrorunque virtutes, integritatem, vitæ ſanctimoniam inter ſe compares, priſcorum illorum Patrum virtutibus ac ſanctitati tota etiamnùm ECCLESIA fert teſtimonium: quin & ipſi ſpiritũ ſuum atque pro Chriſtiana religione zelum, ſanguinis ſui effuſione declarârunt, & Deus Opt. Max. ſanctitatem illorum miris quibuſdam ſignis ac prodigijs, & dum viuerent, & dum è viuis exceſsiſſent, certam teſtatamq́ue reddidit: qui verò noſtra hac tempeſtate noua quædam confingunt dogmata, de horum ego ſpiritu & ſanctimonia nihil iam dicturus ſum: Nam etiamdùm ſuperſtites ſunt, & vos eos probè nouiſtis: idq́ue adeò perſuaſum habeo, ne ipſos quidem vitam ſuam cum ſanctorũ Martyrum vita componere audere, immò ne appetere id quidem.

Num vita.

Itaque hæc mihi eiuſmodi videntur eſſe, vt quenque ſani iudicij recteq́ue Chriſtianum ſatis ſuperq́ue commonere poſsint, vt nè qua ratione ab vetuſta ECCLESIAE traditione, vſu ac cæremonijs, abduci velit.

Quòd ſi ne nunc quidem deſint, quorum ea ſit peruicacia ac temeritas, nihil vt valere velint ea, quę Apoſtoli ac Martyres ſancti, & cum his ex ipſorum doctrina ac traditione totus pariter orbis Chriſtianus per omnes omninò temporum ſtatus in bonis, pijs ac ſalutiferis habuêre, auſintq́ue totam ſimul damnare ECCLESIAM Catholicam, eandemq́ue inſimulare & arguere erroris, quòd pro defunctis deprecetur, illorum nos, quæ Dei gratia eſt, optimis rationibus, firmisq́ue teſtimonijs ex abundanti facilè refellere ac propulſare poterimus temeritatem. Qua de re tametſi multis iam antè ipſo Animarum die egerim, quæ tamen illic mihi allata ſunt, hoc loco paucis replicabo.

Orandi pro animabus defunctorũ fidelium, rationes.

 Prin-

I. Principiò quidem, vt pro defunctis oremus, diuina eademque in ſacris Bibliorum paginis euidenter expreſſa iuſsione incitamur, vt eſt Ecclesiaſt. 7. cap. vbi Spiritusſanctus ad omnigena nos charitatis opera & officia inſtituens erudiensq́;, inter cætera id quoquè adducit, nè à mortuis gratiam prohibeamus: A mortuo, inquit, nè prohibeas gratiam. *Eccleſ. 7.*

II. Secundò verò, obſecrandi iſthæc pro deſunctis conſuetudo etiam apud Synagogam vſitata fuit, vt videre licet tum in Eccleſiaſtico, tum in libro Machabęorum. *Eccleſ. 7. 2. Mac. 12.* Quiſquis igitur hunc ECCLESIAE vſum reijciendum putat, rationes illi adferendæ ſunt, cur olim ómnipotens Deus viuorum pro extinctis preces ſuſceperit, ijſdemque, id eſt, emortuis, bono ac vtilitati eſſe voluerit, nec tamen idem noſtra quoquè ætate hoc obſecrandi genus admittere velit.

III. *Communio ſanctorum quibus in rebus conſiſtat.* Tertiò deindè id certum nos teſtatumq́; habemus, ſanctorum communionem, quam in Symbolo fidei noſtræ confitemur, in rebus merè ſpiritalibus ſitam eſſe, & ſpiritalibus vinculis ac nexibus colligatam, vt ſunt, vnũ Baptiſma, vna Fides, vnus Deus, vnus Spiritus, qui è CHRISTO ceu capite procedens, per omnia CHRISTI membra, id eſt, fideles omnes permánat, cunctosque vnius ſpiritalis corporis membra efficit: idemque omninò ſpiritus eandem in cordibus fidelium omnium diffundit charitatem, quæ nunquàm excidit, nunquàm eſſe deſinit, ſimulque vniuerſos æterna quadam ac indiſſolubili communione connectit. *Rom. 5. 1. Cor. 13.* Enimuerò vbì in illa futura vita fides atque ſpes eſſe deſiérint, charitas æternò perſeuerabit.

Nulla ergò in ſpiritalem credentium communionem morti vis eſt & poteſtas, nec eam dirimere vel diſsipare aut diſſoluere poteſt. Quotquot eapropter ante nos CHRISTI ſpiritum participârunt, fidemq́; CHRISTI in mundo profeſsi ſunt, etiamdùm nobiſcum ad ſanctorum communionem pertinent, & vno eodemque ſpiritu nobis colligantur: niſi qui ſortè tam grauibus & mortiferis obnoxij peccatis hinc exceſſerint, vt amore ac ſpiritu Dei prorſùs fuerint deſtituti, atque ità non corporea modò, ſed ſecunda etiam & æterna morte affecti, moxq́; ab efflato ſpiritu æternæ ſint damnationi addicti.

Quid nobis de fratribus noſtris defunctis ſperandũ. Verùm nos meliori erga defunctos fratres noſtros ſpe ducimur. Nã tametſi non vſque eò illorum iactare integritatem probitatemq́; audeamus, quaſi iam omninò ſancti ſint, ea tamen nobis ſpes eſt, quanquàm fortaſſè imperfecti & culpis quibuſdam obnoxij hìc vixerint, hincque emigrârint, non om̃es tamen grauibus illis peccatis & vitijs onuſtos oppreſſosq́; hinc deceſsiſſe, vt eorum cauſa, irreuocabili dãnationis æternæ ſententia plexi ſint: quin potiùs per amorẽ etiamnùm CHRISTI mẽbris inſertos atq; incorporatos eſſe, diuinamq́; etiamdùm clementiam, gratiam, miſericordiã præſtolari. Quandò ergò ſpiritalis hæc communio

munio iuſſu omnipotentis Dei ità inſtituta eſt, vt ſingula quæq; membra pro aliorũ ſalute ac proſperitate ſolicitè curam gerant, immò & precentur, iuxta illud Iacobi: Orate pro inuicèm, vt ſaluemini: quid nobis *Iaco. 5.* cauſæ ſuppetere queat, cur non etiam pro defunctis deprecemur, qui etiamnùm per amorem nobis colligati, noſtraque membra ſunt, & nobiſcum vnà ad eam cõmunionem pertinent, de qua confitemur, Credo ſanctorum communionem?

Quartò deniquè, iubet me CHRISTVS Deus ac Dominus meus *IIII.* pro ijs omnibus, quæ me ſolicitum habent, proque omni neceſsitudine mea obſecrare, vtì nè deſinam, donec ex ſuperna gratia & ope Dei, cor animusque meus omni cura ſoluatur, & gaudium meum plenum perfectumq; fiat. Sic enim ait: Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum *Ioan. 14.* plenum ſit. Interìm verò animo planè anxio ac ſolicito ſum, vtnam illo in ſeculo res eorum ſeſe habeant, qui mihi aliqua neceſsitudine deuincti ſunt. Qua igitur ex cauſa precari mihi non liceat, vt ſi quidem diuina in eos iuſtitia animaduertat, pro ſua eos clementia ac miſericordia Deus è pœnis eximere, atq; ad electorum gaudia admittere velit? Quis, obſecro, hac mihi prece interdicat, qua vt vti poſsim, ipſe mihi CHRISTVS Deus ac Dominus meus fecit poteſtatem? Nec poteſt quidem vllus adferri ſcripturæ locus, qui nè hoc petendi modo vtamur, vetet prohibeatque.

PARS ADVERSA.

VErùm excuſandi hìc mihi ſunt aduerſæ partis homines, vt qui id concedant, poſſe pro defunctis preces fieri. At tamen cùm hæſitandum non ſit, quicquid à Deo vera cum fide precati erimus, illum nobis certò præſtiturum eſſe, ipſique de ſua fide planè certi ac ſecuri ſint, non niſi ſemèl pro mortuiş orant, id nimirùm in animum inducentes, firmę illi ac fixæ fidei ſuę probro dari ac vitio verti poſſe, ſi ſecundò precentur, tanquàm qui primò non ea, qua decebat, fiducia precati ſint, nec conſtanter ſatìs firmiterque crediderint.

RESPONSIO.

EQuidem & ipſe eorum euolui monumenta, quos haùd dubiè diuino fuiſſe præditos ſpiritu, & fidei rationem probè exploratam habuiſſe conſtat. Atquì nullos vnquàm me comperiſſe memini, qui rebus ſuis ità fiderent, atque perindè vt iſti, certi ſecurique eſſent.

Noui equidem in fide rogandum eſſe, noui Deo fidendũ eſſe, certò illum ſuorum preces fidelium exauditurum. Atquì nihilo ſeciùs & id itidèm compertũ habeo, ſemper orandum eſſe: & ipſum quoquè Apo- *Luca 18.* ſtolum pro quadam moleſtia ter Dominum deprecatum eſſe: monere *2.Cor.12.* item Prophetam quendam, ſi quidem moram faciat Dominus, vt ex- *Abac.2.* pectemus eum: nec etiam vlli homini fas eſſe Deo certam præſtituere *Iudit.5.* diem, qua is eum exaudiat obſecrantem: quin & hoc deniquè non ſum

neſcius, differre Deum ſæpenumerò eos qui orant, nec pro illorum voto precibus eorum annuere, & hoc ipſum tamen ad eorum vtilitatem. *Pſalm. 21.*

Itaque hîc meam ipſe apud hoſce tam acres, tamq; vehementes precatores ſimplicitatem ingenuè confitebor, quam equidem illorum gratia abijcere non poſſum, quandò mihi cum omnibus è religione verè ac probè Chriſtianis communis eſt.

Proteſtatio Catholica ac pia. Dum ſpiritus hos reget artus, opitulante Deo, nullus mihi dies abibit, quo non omnipotentem Deum pro chariſsimis parentibus meis, cæteriſq; neceſſarijs ac amicis, atq; generatìm pro omnibus in CHRISTO piè defunctis deprecator accedam. Et licèt hac ſpe ſim, DEVM Opt. Max. iampridèm in ſuam eos gratiam pro clementia, benignitate, & miſericordia ſua recepiſſe, requiemque vnà cum electis omnibus præſtitiſſe, non tamen clam me eſt, ſi quidem meis ipſi precibus non indigeant, non tamen crimen capitale admittere, ſi quis orare velit. Quin & hoc Deum meum oro, amicis atq; conſanguineis meis, qui mihi ſuperſtites erunt, hanc velit adſpirare ac ſuggerere voluntatem, vt dum in viuis erunt, ſua me perpetuò cura ac amore complectantur, & pro erratis culpiſque meis DEUM patrem omnipotentem per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum abſque intermiſsione deprecentur.

SERMO XIII. DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAE.

Vt Sacerdos pro ſe, adminiſtruá, ſeu coadiutoribus ſuis & circunſtantibus Deum oret, ad dignam ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptionem ſeſe præparet, ac Miſſam concludat.

HVcuſquè dictum nobis eſt, dilectiſsimi, quid ab ſacerdote, non pro ſe quidem ſolo, ſed ceu miniſtro, pro populo vniuerſo totoque cœtu Chriſtianorum, immò & ab omni credentium populo per ipſum & cum ipſo ſacerdote in MISSA geratur. Quicquid enim ſacerdos in ſua illa functione ſeu miniſterio agit, agunt cum illo pariter & exequuntur fideles omnes, eademque illi fide, ſpiritu, deuotione votiſque cordis ac deſiderio iunguntur conſentiuntque: eorumque adeò omnium communis actio eſt, quod in MISSA geritur: vt quòd Deum pro pace & quiete ac tranquillitate ECCLESIAE ſuæ, pro omnibus in ſublimitate cõſtitutis, ac pro vniuerſo Chriſtiano populo rogamus: quòd eidem gratias agimus pro donis atque chariſmatibus illis, quibus mẽbra noſtra ſanctos ac beatos affecit, qui nos in Chriſtianæ fidei cultu ac profeſsione anteceſſerunt, vitæq; temporariæ curricula, cæleſtis gratiæ ope freti, ſingulari virtutũ ac ſanctitatis opinione exegerunt, iamq; hauddubiè apud Deum & ſuum & noſtrum Dominum, ſingulari flagrant gratia, immenſiſque gaudijs feliciſsimè perfruuntur: ob quorum preces, gratiam ac merita, omnipotens idemque benigniſsimus Deus nos quotquot in hoc exilio verſamur, gratiæ ſuæ protectione aduerſum *MISSAM eſſe cõmune fideliũ, non priuatum ſacerdotis, opus.*

mala

mala omnia ſeruare ac munire dignetur. Eodem modo commune fidelium opus eſt, quòd CHRISTVS communis Seruator ac redemptor noſter, Deo patri ſuo cæleſti in myſterio proponitur, quodque eodem loci idem ipſe Pater cæleſtis & rogatur & admonetur, ſuæ Chriſtianæ ECCLESIAE ob CHRISTI redemptoris conciliatoriſque eius gratiam propicius eſſe, ad noſtrumque omnium ſalutem ac beatitudinem proficere velit ea, quæ clementiſſimus Dominus ac Seruator noſter CHRISTVS IESVS pro nobis totoque pariter orbe in cruce effecit, obtinuit ac meritus eſt. Ità deniquè & id communiter ab toto fidelium cœtu agitur, vbì DEVM obſecramus, famulis ac famulabus ſuis, qui nos cum ſigno fidei præceſſerunt, iamque dormiunt in ſomno pacis, locum refrigerij, lucis & pacis, propicius & abſque mora vt indulgeat ac impertiatur, Per CHRISTVM Dominũm noſtrum.

Quæ vbì ità ordine cuncta generatìm expleta peractaq; ſunt, dehinc ſacerdos apud Deum etiam ſuam rem agit, oratque tum pro ſeipſo, tum pro ijs, qui illi cooperantur & coràm ipſi aſſiſtunt, ſpirituque ac deuotione & precibus ei coniungũtur, conſentiũt, atq; concordãt CHRISTVM orbis conciliatorem Deo vnà cum ipſo proponendo, illiuſq; per merita pro totius Chriſtiani orbis ſucceſſu proſpero, incolumitate ac neceſſitudine obſecrando. Pro his, inquam, qui tum præſentes adſunt, cooperatoribus & adminiſtris ſuis, itidemque pro ſeipſo ſacerdos hinc orationem inſtituit, dicitque ad Deum:

Sacerdotē in MISSA & pro ſe, & pro aliquibus etiã priuatìm orare.

Nobis quoquè peccatoribus famulis tuis, de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus N. & N. & cum omnibus ſanctis tuis: Intra quorum nos cõſortium nõ æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte, Per CHRISTVM Dominum noſtrum: Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas, benedicis, & præſtas nobis: Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotẽti in vnitate Spiritusſancti omnis honor & gloria, Per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

NOBIS quoquè pec. &c.

Per quem hæc omnia &c.

Per ipſum & cũ ipſo &c.

Vbì id nimirùm haud obſcurè animaduertitis, quàm ſubmiſſè, quàm ardenter, quanto cum deſiderio tum miniſter ipſe, tum qui illi aſſiſtũt, ſub hoc MISSAE ſacro à Deo Omnipotente gratiam, opem, & ad extremum ipſam quoquè perennem precentur beatitudinem: vt ſe pro ſua actione & proprijs operibus non niſi miſeros peccatores & agnoſcant & ingenuè fateantur: ac nihilo ſeciùs pro Dei gratia atq; ex pia fiducia famulos ſeſe Dei familiamque appellare vt auſint, orentque beniginiſſimum Patrem ſuum cæleſtem, futuræ ipſis beatitudinis partem aliquam largiri vt nè dedignetur, idq; non ob ipſorũ priuata merita ac virtutes, ſed pro ſua pietate & miſericordia. *Nobis quoquè*, ait ſacerdos, *peccatoribus famulis tuis, de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus,*

& cum omnibus ſanctis: intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor, admitte: Per CHRISTVM Dominum noſtrum.

Sacrificã-tis cõfiden-tia qualis. Agnoſcimus planè hîc infirmitatem & imperfectionem noſtram, Deique bonitatem & gratiam, idque perſpicaciùs ſanè maiorique cum gratitudine, quàm vt preces noſtras aliò quàm ad Dei miſericordiam referendas nobis dirigendasq́; exiſtimemus, maximè cùm eximius ille Propheta Dauid, vir ſecundùm cor Dei, non per ſua merita, ſuámve dignitatem, ſed per Dei oret miſericordiam: à quo & nos ità inſtituti ſumus, atque ità didicimus, vt nihil per noſtra merita, ſed cuncta per Dei miſericordiam precari debeamus. Ait nanq; Pſalmiſta: *Pſal. 24.* Secundùm miſericordiam tuam memẽto meî tu, propter bonitatem tuam Domine. Itemque: *Ibidem.* Propter nomen tuum propiciaberis peccato meo: multum eſt enim.

Calumnia in ſacrificũ falſa ſubmotio. Itaque hîc denuò ipſam ſe aduerſariorum perfidia inſimulet, ipſam ſe vanitas ſeu mendaciũ erubeſcat oportet, dum veteris ECCLESIAE diuinum hunc actum calumniantur, idque falſò in ſacerdotem conferunt, quòd cuncta is ſuæ actioni ſuóve operi aſſcribat, velitque alijs ſuo opere ac meritis gratiã apud Deum impetrare: cùm tamen ipſa quoquè meridiana luce clarius ſit, cũcta hîc ſuper Dei miſericordia & gratia, per CHRISTI IESV merita precioſumque ſanguinem geri, orari, ſperari, eodemque referri omnia. Neque id in ECCLESIA Catholica vel docetur, vel obſeruatur, ac multo minùs ſub his MISSAE precibus in animum inducitur, diuinam hanc ſalutiferamque actionem impio, ſceleſto, flagitioſo homini ſaluti ac bono eſſe poſſe, qui non ipſe propria deuotione, fide ac precibus huc ſeſe adiungat accommodetq́;, Deique miſericordiam & gratiam, CHRISTIque merita etiam ipſe ſuſpiret ac precetur.

Calumnia rurſùm alli us amotio. Quo magìs iniquè in nos iniurij ſunt, qui id nobis imputare, licèt falſò, non verentur, quòd MISSAM eiuſcemodi nos actum externũ eſſe ſentiamus, quem pro ſuo ſacerdos arbitratu, cui velit, accommodare, eoque indiſcriminatìm quibuſlibet ſeu viuis ſeu mortuis peccatorũ veniã obtinere queat, etiamſi is, cui MISSA prodeſſe debeat, nulla neq; fide, neq; deuotione, neque bona voluntate præditus ſit. Id quod profectò à noſtra eſt ſententia maximè alienum. Qui enim aliquam ex hoc Sacrificio ad ſe vtilitatem fructúmve redire volũt, eiuſmodi ſint homines oportet, qui diuinam ſperent miſericordiam, id eſt, ſint *ſperantes in multitudine miſerationum Dei*, vt ait Pſal. *Pſal. 5. & 50.* quique etiam ipſi fide, deuotione, affectu & precibus Dei gratiam CHRISTIque merita impetrare conentur. Alioquì citra propriam fidem ac deuotionem aliena actio neminem ſaluum beatumq́; efficere poteſt. Vndè quòd hoc ipſo ſub ſacro etiam pro defunctis preces fiunt, CHRISTVSque ceu communis liberator & illorum quoquè gratia Deo proponitur ac offertur: itemq́;

admo-

admonetur Deus, vt ijs ipſis per CHRISTVM eiusq́ue merita æternam præſtet requiem, ità nobis planè perſuademus, id ijs duntaxat de- *Quibus de-*
functis ſaluti auxilioq́ue eſſe, qui cum ſigno fidei è medio exceſſerunt, *functis vi-*
vitamq́ue ſuam ea ratione, quòd ad fidem conuerſationemq́ue attinet, *uorum pre-*
tranſegêre, vt pòſt eis viuentium preces, Deiq; miſericordia & CHRI *ces tantùm*
STI merita prodeſſe queant. Aliàs ità fortaſsè vitam atque ętatem *proſint.*
exegerint ſuam, talesq́ue hinc emigrârint, vt ea omnia in æquiſsimo Dei iudicio nullas eis ferre ſuppetias, nec vllum præſtare patrocinium, neq; illas ab eis propulſare minas poſsint, de quibus legitur: Mortuo homine impio, nulla eſt ampliùs ſpes. *Prou. 11.*

Itidèm profectò ECCLESIA Dei hac ſua ſacroſancta victima homini deplorato ac impio non niſi hactenùs conferre aliquid poteſt, vt precibus illius cauſa id agat contendatq́ue apud Deum, vt pro ſua is be- *Ezech. 18.*
nigniſsima clementia, qua non vult mortē peccatoris, huius aliorumq; id genus mortiferis criminibus oppreſſorum corda cōuertere, per gratiam ſuam ad pœnitentiam emollire, ſuoq; fidelium populo membra inſerere dignetur, quo deincèps cum vniuerſo credentium filiorumq; Dei cœtu, tum hoc, tum alijs Dei donis ac chariſmatibus ſua pro ſalute ac beatitudine perfrui dignè queant.

Sic etiam eadē ratione, erronea prorſus fides erit, immò & blaſphemia, ſi quis eam in MISSA fiduciam conſtituat, tanquàm diuinus hic ſacerq; actus improbis ac ſceleratis conatibus adiumēto ſit. Etenim lon- *Quibus autē*
gè ſecùs ſe res habet. Sperent neceſsè eſt in multitudine miſerationum *qualibus*
Dei, veraq; fide ac deuotis cordibus apud Deū pro gratia eius CHRI- *MISSA*
STIq; meritis ſibi conciliandis inſiſtant, quotquot ſacræ huius rei *proſit.*
participes eſſe volent. Quæ profectò procùl ab eis abſunt, qui ſancto hoc MISSAE officio ad incantationes, aut alios ſceleſtos ac impios conatus & ſtudia promouenda, abuti moliuntur.

Sed agedùm accedamus iam ad tertiam, eandemq́ue poſtremam Canonis partem. Quæ enim hinc ſequuntur, pertinent omnia ad cōmunionem, ſeu perceptionem ſacratiſsimi maximeq́ue ſalutaris veri corporis & ſanguinis CHRISTI ſacramenti, vt ſcilicet ad id præſentes omnes fide ac deuotione præparare ſeſe debeant. Quod ſanè ex diui Pauli admonitione fit, qui vt hęc ad ſacroſancta diuinaq; myſteria præ- *1. Cor. 11.*
paremur, exigit à nobis. Enimuerò tametſi ſacratiſsimum CHRISTI corpus & ſanguis immaculatus, non poteſt non perpetuò ſanctus, bonus ac ſalutaris eſſe, nos tamen diuinum iudicium ac iram omnipotentis Dei, ipſamq́ue adeò noſtrarum damnationem animarum incurrere poſsimus, ſi quadā ducti temeritate, nec vlla vſi præparatione, tremenda hæc ſancta indignè tractare & percipere nil vereamur. Iſta autē præparatio ità incipit:

Quandoquidem ſacerdos cæli terræq; regem, vniuerſorumq; mortalium

talium Deum ac Seruatorem, CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum ante oculos ſuos & quidem corporaliter poſitum cernit, non immeritò ità in animum inducit, ſibique perſuadet, obſecrandi iam adeſſe tempus idoneum, nec negligendam opportunitatem. Quamobrē excitat atque adhortatur Chriſtianos omnes his verbis:

Oremus, præceptis ſalutaribus &c. *OREMVS*: quandoquidem *præceptis ſalutaribus moniti, & diuina* ſumus *inſtitutione formati*, vt oremus. Atque vt nôſſent plebeij vulgaresq́; homines, quid precari ſalubriter & vtiliter, vtq́ue in ea, qua Deum allocuturi ſunt, prece verba ſua digerere atque componere debeant, ità vt ſint grata Deo, ad eam nos orationis formam Sacerdos reijcit reuocatq́ue, quam ipſe nos CHRISTVS edocuit. In qua nimirùm miſeri nos ac nihili homunciones, ex benigniſſima Dei patris dignatione per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum, in eam cum Deo gratiam amicitiamq́ue reſtituti & admiſſi ſumus, vt ſecura mente Deum Patrem appellare non dubitemus, eumq́ue hunc in modum obſecrare

PATER NOSTER. audeamus: *Pater noſter qui es in cælis &c.* Quæ ſcilicet præclara & inſignis oratio eſt pro quacunq; ECCLESIAE Dei neceſſitudine: itidemq́; aptiſſima & ſalutaris ad celſiſſimi ſalutiferiq́ue CHRISTI corporis & ſanguinis ſacramēti perceptionem præparatio: in qua nos tum quic-

PANEM noſtrum quotidianū &c. quid boni eſt, tum peccatorum veniam petimus: ac ſingulariter ſacroſanctum hunc panem: vbi nobis Deus Omnipotens ſub panis ſpecie viuificantem carnem & ſanguinem CHRISTI IESV dilectiſſimi filij ſui cibum præbet.

Hinc porrò Sacerdos vnaq́ue circunſtantes orant in hunc modum:

LIBERA nos quæſumus &c. *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præſentibus & futuris: & intercedēte beata & glorioſa ſemper Virgine DEI genitrice MARIA, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, cum omnibus ſanctis, Da propicius pacem in diebus noſtris: vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri: Per CHRISTVM Dominum noſtrum.* Indè Sacerdos dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Et reſpondent, qui ei adſtant: *Et cum Spiritu tuo.*

Vbi cùm certum nobis ſit, Dei miſericordiam, pacem & opem non niſi per CHRISTVM impetrare nos & percipere poſſe, ad eundem ipſum conciliatorem mediatoremq́ue noſtrum apertis vocibus clamamus, dicentes:

AGNVS DEI. *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.*

Hinc vbi Sacerdos benedictam hoſtiam partitus eſt, partemq́ue in calicem miſit, ſignificans hoc ipſo, omnes nos, quotquot per CHRISTI corpus in Sacramento deſignamur, eiuſque membra ſumus, non poſſe alia ratiōe purificari, quàm ex precioſiſſimi ſanguinis CHRISTI conta-

contactu,quo à peccatis mundemur & expiemur:necnon meritò ipſos
nos,qui CHRISTI ſanguinem participamus,per eumq́ue æternam
adipiſcimur ſaluté ac beatitudiné,nihil, dum hîc ſumus, noſter quoquè
ſanguis,vt cum CHRISTI ſanguine permiſceatur,abnuere ac recu-
ſare debere:id eſt,paratos eſſe CHRISTI cauſa, ob eiusq́; fidei ac no-
minis confeſſionem,noſtrum perindè fundere ſanguinem,mortemq́;
oppetere,atquè ſuũ ille pro nobis & ſanguiné fudit,& mortem libentiſ-
ſimè perpeſſus eſt:Hinc,inquã,iterùm Sacerdos hoc modo precatur:

Domine IESV CHRISTE,qui dixiſti Apoſtolis tuis,Pacem meam do *Qui dixiſti*
vobis,pacem relinquo vobis:nè reſpicias peccata mea,ſed fidẽ ECCLESIAE *Apoſtolis tuis &c.*
tuæ,eamq́ue ſecundùm voluntatem tuam pacificare & coadunare dignare: Qui *Mar.9.*
viuis & regnas DEVS,per omnia ſecula ſeculorum. *Ioan.10.*
14.20.

At verò cùm Chriſtianos omnes,quos huic ſacro adeſſe contigerit,
verum corpus ſalutiferũq́ue CHRISTI ſanguinem ad minùs ſpiritu
ac fide percipere debeant:neque tamen venerandum hoc Sacramentũ
niſi ad damnationem ſuam ſuſcipere queat, cuius animum ità liuor &
odium erga quemcunque proximum occupant,vt ea è ſuo pectore pro- *Sacramen-*
fligare & excludere nolit:etenim pacis hoc Sacramentũ eſt,& myſteriũ *tũ pacis &*
vnitatis,cuius liuidi omnes & cõtentioſi,indigni prorſus conuiuę ſunt, *myſterium*
idq́ue ad ſuam accipiunt damnationem:eam ob cauſam Sacerdos adſtã- *vnitatis.;*
tes om̃es ità admonet,dicens: *Habete vinculum pacis & charitatis*,ſcilicet *Pax tecum*
vt ſic diuina hęc participare myſteria digni ac idonei ſint,& pax CHRI- *&c.*
STI in ipſorum cordibus abũdet, quem nimirùm adepti ſunt per Spi- *Roma.5.*
ritum ſanctum,qui datus eſt nobis.

Iam quæ reliquæ ſunt preces, ità inſtituunt commonefaciuntq́; ho-
minem,quòd iure meritoq́ue & ſummo huius ſalutiferi Sacramenti ar-
dere deſiderio debeat, meditando ſecum immenſos maximeq́ue ſalu-
tares precioſi corporis & ſanguinis CHRISTI fructus,vtpotè p quæ
reuerà nos omnes totusq́; pariter orbis è dãnatione erepti,cum Deoq́;
in gratiam reſtituti ſumus:& nihilo ſeciùs diuina hęc tremendaq́; ſum-
pturum myſteria, quodam tremore corripi dignum ſit, ex propriæ vi-
delicet indignitatis vtilitatisq́; contemplatione. Itaq; precatur denuò
Sacerdos in hunc modũ: *Domine IESV CHRISTE, FILI DEI* *Domine Ieſu Chriſte, &c.*
viui, qui ex voluntate patris cooperante Spiritu ſancto, per mortem tuam mun-
dum viuificâſti,libera me per hoc ſacroſanctũ corpus & ſanguinem tuum ab omni-
bus iniquitatibus meis,& vniuerſis malis:& fac me tuis ſemper inhærere,manda-
tis,& à te nunquàm ſeparari permittas:Qui cum eodẽ DEO patre &c. Itemq́;: *Perceptio corporis &c.*
Perceptio corporis tui Domine IESV CHRISTE, quod ego indignus ſu-
mere præſumo, non mihi proueniat in iudicium & condemnationem: ſed pro tua
pietate proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipien-
dam: Qui viuis & regnas &c.

Hac igitũ ſubnixus fiducia Sacerdos, veri corporis & ſanguinis CHRI-

STI

STI ſacroſanctum percipit ſacramentum, idemque porrigit & ijs, qui id cum ipſo ſacramentaliter ſumere volunt: iamque ſuſcepto Sacramẽto, hanc ſubiungit precem: *Quod ore ſumpſimus Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum, Amen.* Itemque & iſtam: *Corpus tuum Domine quod ſumpſi, & ſanguis quem potaui, adhæreat viſceribus meis: & præſta, vt in me non remaneat ſcelerum macula, quem pura & ſancta refecerunt Sacramenta: Qui viuis &c.*

Quod ore ſumpſimus, &c.

COMMVNE. Poſthac Commune legitur, id quod vel ex Pſalmo aliquo, vel alijs Bibliorum locis deſumptum eſt. Hodiernum quidem Commune ex Euangelio ſumptum, eiuſmodi eſt: *Fili, quid feciſti nobis ſic? &c.* *Luc. 2.*

ET COLLECTA POSTERIOR, QVAM Complendam vocant, eſt talis:

Complẽda. *SVpplices te rogamus Omnipotens DEVS, vt quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſeruire concedas, Per Dominum noſtrum &c.*

ITE, MISSA EST. Deindè poſtremo loco populo fit recedẽdi poteſtas, his verbis: *ITE, MISSA EST.* diciturque hæc in eos Benedictio: *Benedicat vos diuina Maieſtas & vna Deitas, Pater, & Filius, & Spirituſſanctus, Amen.* *Benedictio finalis.*

SERMO DECIMVSQVARTVS, DOMINICA II. POST EPIPHANIAE.

Quibus ex cauſis MISSA apud quoſdam contemptu laborârit, atque abrogata ſit: quid itidem homini piè ac deuotè Chriſtiano commodi ac vtilitatis adferre queat.

QVOD mihi ad omnipotentis Dei gloriam, & pro gratiarum actiõe ob gratioſam ac benigniſſimã per CHRISTVM nobis confectam liberationẽ, ad noſtrumq́; item omniũ ꝓfectũ & vtilitatẽ, de diuino, ſancto, & peruetuſto ECCLESIAE MISSAE officio reddendarum explicandarumque rationum ſuſceptum negocium fuit, quid ſcilicet in eo geratur, quaque mente & ſententia id inſtitutum ſit, hodieque in ECCLESIA Catholica vſurpetur: id, inquam, negocij ex ſuperni numinis gratia, ea quæ hanc proximè antecedit concione ad extrema perduxi. Itaque veſtrum modò iudicium atque cenſuram ſubire minimè grauabor: atque adeò per Dei Omnipotentis miſericordiam, per Chriſtianum mutuumq́; amorem vos oro & obſecro, vt ſeorsìm ſinguli, poſito tamen omni liuore & curioſitate, ipſas veſtras conſcientias ex veritate ſtatuere ac proferre ſententiam patiamini: ecquidnã in toto vſquàm MISSAE ſacro ſit, quod tantam aduerſę partis indignationem, tot conuicia, probra, blaſphemias mereatur. Decernere iam & iudicium ferre haud ęgrè poteſtis, quandò totum MISSAE argumentum, & quid in ea geratur, ad vnum omnes probè compertum habetis.

Obteſtatio autoris pia.

Prin-

Principiò quidem eſt in MISSA INTROITVS, qui ſemper ex ſacris Bibliorum paginis deſumptus eſt. Indè ſequitur *Kyrie eleiſon*: Pòſt DEI laus, ſeu hymnus ab angelicis ſpiritibus nato Seruatore decantatus, *Gloria in excelſis*. Cui Collecta ſubiungitur, qua petitur quippiam, quod ECCLESIAE Dei in commune ſaluti eſſe queat. Ad Collectam, ſiue ex Apoſtolicis Epiſtolis, ſeu aliâs ex approbatis Bibliorum ſcriptis Lectio adhibetur, itemque Graduale & Alleluia, æquè ex ſcripturis ſacris petita: ſed & peruenuſtæ grateque admodùm & iucundæ Sequentiæ, maximè quæ ex vetuſtioribus ſunt. Hinc Lectio ex ſacro CHRISTI IESV Euangelio recitatur, cui articulorum ſacræ fidei noſtræ confeſsio ac enarratio adiungitur: atque indè rurſùs aliqua ex Biblijs extracta particula, in Offertorio decantatur: Deindè ad gratias agendas adhortatio, cæleſtiſq; ille & angelicus cantus depromitur, putà, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: cui continenter ſacroſanctæ Euchariſtiæ, precioſi corporis ſalutiferique ſanguinis CHRISTI tractatio & conſecratio ſubnectitur, eadem omninò ratione & ſententia, qua à me ſuperiùs dictum eſt. Neque enim, id quod libri ipſi teſtabuntur, quod eſſet neceſſarium, quicquam illic à me prætermiſſum eſt, nihil peregrinum aut extraneum adſcitum vel intermixtum. *Luca 2.* *Eſaia 6.* *Apoc. 4.*

Ecquid tandèm in toto hoc opere eſt, quod tam infeſtum, tam implacabile odium, tantum horrorem ac dedignationem mereatur? Cur non potiùs impudentes ac improbi ſycophantæ, & calumniatores habendi ſint, qui tam aperta, tam craſſa, tam commẽtitia vanitate ad ſummam Creatoris Opt. Max. ignominiam, totiuſque ECCLESIAE contemptum ac dedecus, MISSAE ſacrum in tantam inuidiam vocant, adeoque execrationi habendum, prorſuſque abominandum putant, idque miſeræ ac ſeductę plebeculæ perſuadere conantur, pręſtare apud Deum, faciliuſque excuſari poſſe, ſi decem admittas latrocinia, virginibus viginti vim inferas, mille aureorum prędam facias; quàm ſi aut agas MISSAE ſacrum vel auſcultes? Equidem ità ſentio, abſque ratione vlla adeò furere ac debacchari, nedùm Euangelicum, ſed ne purum quidem ac ſyncerum decere hominem: itaque ex alio id profectò ſpiritu proficiſci. Nec quicquam ambigo, quin complures ſint in Chriſtiano populo homines pij ac intelligentes, qui non poſsint non vehementer ſecum ipſi admirari, cùm nulla alia, niſi quæ antè dicta eſt, pijſsimę actionis huius ratio ſit, cur plerique tam temerè conuiciari, tam turpiter arguere, criminari, nihilipendere ac contemptui habere auſint, quod & Apoſtoli ſancti, & poſt eos diſcipuli illorum, tum etiam Martyres ſancti, totque inſigni eruditione viri, immò totus adeò orbis Chriſtianus ſemper & vbiquè diuinum ac ſalutare habuiſſe probantur. *Impudentiſſima ſchiſmaticorũ calumnia.*

Itaque quæ mea hinc opinio ſit, & quas ipſe ob cauſas MISSAM tam diro laborare odio putem, vt nõ ſolùm hucuſquè, ſed ne nunc quidem

ferri æquanimiter poſſit ac tolerari, iam vobis ſimpliciter expromam.

Duplex odij in MISSAM cauſa.

Mihi quidem huius rei duplex eſſe ratio ſeu cauſa videtur, alia quidem apud ſacrificulos illarum partium, doctosque viros, alia item apud Magiſtratus. Qui illius partis eruditi ſunt, & concionandi officio funguntur, horum omnis exiſtimatio, res & honos, ex diſſenſione & ſchiſmate pendet: eisque magnoperè verendum eſt, ſi principes ſui & quæ tenent oppida, cum ECCLESIA vniuerſali in fidei concordiam redigantur, ſuę ſe exiſtimatiōis iacturam non minimam facturos eſſe, nec eo in numero, quo iam ſint, habendos eſſe, vt qui iam penès ſeſe rerum propè omnium apud ſuos non neſciant eſſe poteſtatem.

Cur MISSA concionatoribus ſchiſmaticis adeò inuiſa.

Hinc igitur contentiori ſtudio ſeſe opponunt, idque ſummo ſemper agunt opere & quibus poſſunt viribus, vt nè ſuæ partis homines ad vnitatem & concordiam ſe reuocari patiantur. Vndè quo ſuis opinionibus imbutos in hac diſſenſione retinere poſſint, agant neceſſe eſt, vt quę apud nos eſt Deum colendi ratio & conſuetudo, hæc eis maximè reddatur inuiſa, atque hinc procùl eos arceant auocentque, ſimulque à noſtra communione ac ſocietate prorſùs abſtrahant reddantque alienos:

3. Reg. 12.

Cuiuſmodi olim Hieroboam ille rex Iſraeliticæ plebis, ſecum ipſe conſilium inijt. Nam poſteaquàm decem tribus à Dauidis domo defecerant, ipſumque Hieroboam ſibi regem conſtituerant, nec iam niſi duæ tantùm tribus, Iuda & Beniamin, Salomonis filium Roboam ceu legitimum regem ſequerētur: ipſæ autem tribus omnes duodecim iam indè antiquitùs ad id vſque temporis, communem Dei cultum in Hieroſolymitico templo exercere ſolitæ erant, quo loco Dauidicæ familiæ regia erat, nouum regem Hieroboam iſta res ſolicitum habuit, verebaturque ſi quidem ſubditæ ſibi plebi ea maneret poteſtas, vt vnà cum cęteris communem Dei cultum obſeruaret, Hieroſolymamque, vbì illius degebant aduerſarij, ſtatutis temporibus adire poſſent, in diuerſum quandoquè ſuorum animos mutari poſſe, & pace ab alijs conciliata, ad verum regem, qui erat Roboam, domumq; Dauid vnanimiter reuerſuros eſſe, atque ita ſe turpiter nec abſque vitę diſcrimine ſuo loco ac imperio deturbādum eſſe. Quamobrē hoc conſilij cepit:

Vitulorum duorū erectio vndè cur excogitata.

Binos eoſdemq; aureos populo vitulos finxit, alterum in Bethel, alterum in Dan conſtituens: perſuaſitque plebi, vt priſtinam Deum colendi rationem abijcerent, atq; hanc nouam amplecterentur. Ibì tum ſimplici imperitoq; vulgo ſuum commentitium vitulorum cultum prædicabat, & verum illum antiquū Dei cultum conuicijs & blaſphemijs inſectabatur, dicebatq;: Nolite ire in Hieruſalē, Eccè dij tui Iſrael &c. Nouerat ille quidē, vtpotè ex Iſraelitica gente oriūdus, verum Dei cultū Hieroſolymis eſſe, ſuosq; vitulos vanum quoddam commentū ſuum, & inaniſſimū prorſusq; futilem apud Deum colendi ritum. At tamē temporalis honor & faſtus ad idololatrię crimen eum impellebat. Neq; enī ea in diſſenſione

popu-

populum retinere ſe poſſe in animum inducebat, niſi ab legitimo & ve-
tuſto Dei cultu abalienatum & abductum, nihil eis conſortij, nihil con
ſuetudinis cum ijs, qui erant è tribu Iuda, eſſe pateretur.

Ità planè & ECCLESIAE aduerſarijs vſuuenit. Nôrunt illi du-
bio procul Dei cultum, qui eſt in antiqua Apoſtolica Catholica EC-
CLESIA, rationibus longè ſolidioribus potioribusq́; ſubnixum eſ-
ſe, quàm commentitium ſuum, & vt ità dicam, vitulinum Dei cultum.
Atqui ſi ſuę ſectę addictitium populum aliqua ex parte Catholicæ EC-
CLESIAE, illiusque vero ac firmis rationibus ſubnixo Dei cultui
adhærere ſinerent, ſi MISSAM aliquid valere dicerent, in eoque ſu-
os nobiſcum conſentire ferrent, verendum illis eſſet, vt ijdem quan-
doquè omni ex parte nobis adiungerentur, à ſe verò paulatìm defice-
rent, & ad veram Catholicam ECCLESIAM ſe transferrent, relicta
repudiataque ipſorum ECCLESIA noua & angulos expetente.
Quod vbi eueniret, tum verò neque ea in exiſtimatione haberentur,
neque ea eis maneret authoritas & poteſtas, qua iam prędìti ſunt. Vt er-
gò populum ſuum perpetuo ſuo fœdere deuinciant, nihilipendenda
deſpiciendaque ſunt eis omnia, quæ apud nos ſunt, & quo quæque à
noſtra parte firmiora, rectiora, præſtantioraq́; ſunt, eo magìs illa ipſa re-
formident ac metuant, intemperatiorique in ea furore incurrant ac de-
bacchentur oportet, vtì ſic populo ea reddant quàm maximè inuiſa.
Hinc igitur ſæuum illud ac immane erga MISSAM apud doctos partis
aduerſæ homines odium, trahit originem.

Venuſta Schiſmaticorũ hodiernorũ & Hieroboitarum comparatio.

Qui verò potētes apud eos ſunt & rerum potiuntur, alia ex cauſa ad-
uerſùm MISSAE ſacrum ſeſe odio inflammari paſſi ſunt, tuleruntq́;
manus ſocias & auxiliares, vt MISSA abrogaretur. Etenim oculos ad
precioſa præſtantiaque ECCLESIAE ornamenta, ad eiusque opi-
mos reditus & aureos nummos adiecerunt: horumque illecti amore,
propenſiori ſtudio ſuam eò commodârunt operam, vt MISSAE ſacrum
peſſùm iret ac aboleretur, quo illius ipſi vſurpare hæreditatem, bonaq́;
Eccleſiaſtica ſibi vendicare poſſent. Nimirùm ſtimulauit ea res ac ti-
tillauit permultorum ànimos, qui alioquì MISSAM haud ægrè tolerâſ-
ſent. Quin etiamnùm inuenias complures licet, quibus ſi tanta poti-
endı hæreditate ſpes offerretur, non MISSAM tantùm, ſed & omnē
Dei cultum, totamque adeò religionem funditùs perire facilè pateren-
tur. Et iam MISSAE reſtitutio eam ob cauſam moras patitur, & in dies
differtur ac procraſtinatur, nè iniuſtè occupata hæreditate cedere opor-
teat. En tibi igitur duas res, quæ MISSAE exitium & interitum attulê-
re, liuorem & auaritiam: quòd ità ſecum ſtatuerant, populum ab EC-
CLESIA vniuerſali opportuniùs abduci non poſſe, quàm ſi primùm
MISSA euerteretur. Iam quò Eccleſiaſtica bona non abſque iuſto titu-
lo, & ſpecie quadam honeſta diripi viderentur, inſtituta ECCLESIAE

Nota hîc rem acu tangi.

Cur potentatibus quibuſdã Miſſa odioſa ſit aut fuerit.

Liuore & auaritia quaſi duobus vitulis Hieroboã verum Dei cultũ etiã hodiè impediri.

Fabula venuſtè applicata.

Vulgus leue quî ſeductum.

& cultus diuinus vt execrationi habenda, prorſusque abominanda crederentur, laboratum eſt. Quemadmodùm lupus, vt eſt in fabula, quum fame potiùs vrgeretur, quàm ſiti, ouem quòd aquam perturbâſſet, arguit, tametſi ea longè infra lupum potâſſet, & culpa huiuſcemodi ab ea omnis abeſſet. Equidem hac in parte culpam populo aliam aſſignare non poſſum, quàm quòd ex ignorantia, at maiori, quàm par erat, leuitate ac facilitate in res nouas ſeſe abduci paſſus eſt, magnaque ex parte ex inſcitia & ſimplicitate ductum ſequitur alienum. Neque enim quicquam eis audire licuit, niſi hoc tantùm, quòd res penitùs horrori & abominationi habenda ſit MISSA, quibus vocibus eorum aures perpetuò circunſonârunt, nec tamen ab aliquo, vtì ſe res haberet, inſtitui ac edoceri potuerunt.

Quid prælatus Eccleſia quibuſdam timendum.

Quò accedit, quòd ex noſtra incuria & negligentia, & in hoc ſacro, alijsque quę ad Dei cultum pertinent, diuinis rebus, humana quædam vitia & culpas apud nos admitti conſpexerunt, neque ea (proh dolor) etiamdùm cuncti gratia præditi ſumus, vt ex miſeræ plebis adſpectu & oculis perditæ vitæ exempla remouere, eosque tum de hoc, tum alijs diuinis officijs, tum etiam Chriſtianę religionis dogmatibus, inſtitutis, ritibus ac cæremonijs, ſolida certaque veritate edocere, atque eo ſtudio & diligentia, quibus & deceret & oporteret, inſtituere ac informare nitamur.

1. Tim. 3.

Quo ſanè verendum eſt, vt omnipotens Deus ob errorem, lapſum & defectionem vulgi, ab ECCLESIAE rectoribus ſeuerißimam ſit rationem exacturus. Atque vtinàm ſuam ille nobis omnibus gratiam & veritatis agnitionem largiatur, & in ſanctam ECCLESIAM ſuam, columnam & firmamentum veritatis, per ſpiritum ſuum nos colligat, congreget & adunet, quô omnes vno ſenſu, vno animo, eademq; fide ſuam adorandam ſummis efferamus ac celebremus laudibus Maieſtatem.

Sed nunc latiùs mihi cum illis agendum eſt, qui omnem MISSAE actionem, totumque argumentum ex me ſumma fide & veritate perceperunt: de quibus nulla mihi relinquitur dubitatio, quorum animos & pectora necdùm ſibi curioſitas, ſuperbia, inuidentia vendicârunt, poſſuntque rem ex æquo ſtatuere ac recta ſecum reputare via, ijs omnibus id probè perſpectum ac animaduerſum eſſe, vt per MISSAE ſacrum diligenter animo expenſum & meditatum fides noſtra maximè in nobis exerceatur, noſtra erga Deum fiducia roboretur, diuinusque amor noſtris in cordibus impendiò accendatur: vtque adeò mortis CHRISTI humanæque liberationis memoria neq; efficaciùs, neque opportuniùs retineri apud nos, continenterque renouari & excitari queat, quàm per hoc ipſum MISSAE ſacrum.

Enimuerò vehemens illa fidei ac valida exercitatio eſt, vbi ſub hoc

ſacro & contra & ſupra omnem humanam ſapientiam, intellectum, ſcientiam, ſub panis viniq́ue ſpecie reuerà & per eſſentiam CHRISTI corpus & ſanguinem contineri & credimus & confitemur. Vbi nimirùm Dei verbo noſter ſe ſenſus & intellectus captiuum tradat, ratio ſuos occludat oculos, ſolamq́ue fidem iudicare ſinat oportet. Ea verò in ſanctiſsima capit Euchariſtia, quod alioquì nec oculis videre, nec lingua guſtare aut percipere licet. Iam ſi alias veras ac proprias fidei actiones ſpectes, ipſam benigniſsimam CHRISTI IESV redemptionem, & tot tam inſignia, tam præclara per eum in nos collata beneficia prædicare, annunciare, mente reuoluere, indè verba facere, án ne eximia fidei opera, & præcipuæ quædam Euangelij partes dicenda ſunt? Itemq́ue, implorare Deum, confiteri Deum, Deo laudes grateſq́; agere pro cunctis illius in nos beneficijs & chariſmatibus, atque in reliquum gratiam illius & opem, ceu ab eo qui nobis auxilium ferre, noſq́; ſeruare ac beatos efficere queat, precari, nónne egregia opera, ac ſeriæ quædam & efficaces ſunt exercitationes fidei? ánne præclaræ ſunt Deum colendi rationes, quibus præcipuè & excellenter honoratur ac celebratur diuina maieſtas? quem ſibi cultum præ cunctis ſacrificijs gratiſſimum eſſe Deus ipſe per Prophetã teſtatur his verbis: Sacrificium laudis honorificabit me. *Pſalm.49.*

Atquì totus MISSAE actus nihil aliud eſt, quàm mortis CHRISTI humanæq́ue liberationis commemoratio, & prædicatio ſeu annunciatio beneficiorum Dei. Nihil illic audire eſt, niſi Dei laudes, & pro perceptis beneficijs & chariſmatibus gratiarum actiones: tum etiam pro auxilio vlteriori preces & obſecrationes ad Deum, vt à quo cuncta in nos bona prománant. Qui ergò fidei virtutem perſpectam habet, ſcitq́; quanti apud Deum vera fides ſiat, quamq́ue ſit accepta Deo, quàm vtilis hominibus, næ ille non poteſt non huic ſacro affici, non libenter illi adeſſe, vbi fidem ſuam tam expreſsè, tam commodè, tam valenter exercere queat. *Miſſæ deſcriptio.* *Iaco.1.*

Deindè ſecundò, quid noſtram erga Deum fiduciam perindè confirmare ac corroborare poſsit, atquè diuinum hoc MISSAE ſacrum? quod ſcilicet totum eò refertur atque dirigitur, vt quoddam nobis teſtimonium, immò certum diuinæ conciliationis, peccatorum remiſsionis, vitæq́ue æternę per CHRISTVM nobis acquiſitę pignus ſit. Etenim proponuntur hîc nobis ante oculos pignora ſalutis noſtræ, & precium redemptionis noſtræ, verum vtiquè ſacratiſsimumq́ue CHRISTI corpus pro nobis neci traditum, & eiuſdem precioſus ac ſalutifer ſanguis, pro nobis ac pro multis fuſus in remiſsionem peccatorum. Neq́; tamen pignora hęc ſalutis ac redemptionis noſtræ, CHRISTI IESV ſanctiſsimum & verum corpus, ſanguiſq́ue immaculatus, viſenda modò exhibentur, ſed etiam fruenda offeruntur tum ſacramentaliter *Quid noſtram erga Deum fiduciam maximè confirmet.*

& corporaliter, ſi ità nos velimus, tum ſpiritaliter fide ac deuotione. Atque ità corpus & ſanguis, quę in cruce ob noſtra expianda ſcelera & errata in noſtrę redemptionis precium collata ſunt, eadem ipſa modò in Altari noſter cibus efficiuntur, idque in certiſsimum argumentum ſolidumque teſtimonium, Deum Opt. Max. per vnici eiuſdemq; amantiſsimi Filij ſui corpus & ſanguinem, non à morte duntaxat eripere, atque à damnatione eximere & vindicare, ſed etiam ad vitam cibare ac reficere, atque ad æternam beatitudinem enutrire, fouere & conſeruare nos velle. Hinc verò certam firmamque animo fidutiam capeſſere, atque poſt tot tam præclara & eximia nobis per CHRISTVM præſtita beneficia, certa atque indubitata tenere fide poſſumus, etiam deinceps propicium nobis fore Deum: quemadmodùm & Apoſtolus ex præcedentibus Dei beneficijs eam colligit rationem, abſque dubio etiam in poſterum eundem ipſum per CHRISTVM ab ira nos præſeruaturum, ſaluosque ac beatos effecturum eſſe. Sic enim ait ad Romanos:

Corpore & ſanguine Chriſti non eripi nos tantùm à morte, verùm cibari etiã ac refici ad vitã

Rom. 5. Cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus CHRISTVS pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magìs nunc, iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius: multò magìs reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius.

Huiuſmodi igitur cogitationes diuinum hoc MISSAE ſacrum noſtris excitat in cordibus, vbi nimirùm precium ſalutis noſtrę & ſatisfactio pro peccatis noſtris, verum ſcilicet CHRISTI corpus & ſanguis, nobis ante oculos conſtituuntur, idq; non contemplandi tantùm gratia, ſed etiam fruendi. Atque adeò certi hîc reddimur & ſecuri, CHRISTI merita iam noſtra eſſe, eiusque ſacratiſsimam paſsionem apud Deum noſtris pro peccatis ſatisfacere, nobis efficere ac mereri liberationem, & id præſtare denique, quod CHRISTVS ait: *Ioan. 6.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, habet vitam æternam. Itemq; *1. Ioan. 2.* Ioannes: Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

Iam tertiò ad hoc MISSAE ſacrum iurè meritoque Chriſtiani hominis pectus ardenti erga Deum inflãmetur amore. Deum em̃ CHRISTI corpus & ſanguinem ſub gemina eademque diſtincta panis & vini ſpecie (ſub qualibet tamen totum, integrum, ac indiuiſum CHRISTVM) coràm adſpectat, ſimulq; in memoriã redit, vt CHRISTVS noſtrę ſalutis cauſa vltrò ſeſe neci obtulerit, ſalutiferumq; ſanguinem è ſuo corpore ob nos effuderit, non poteſt non eximiam Dei patris reminiſci charitatem, qui noſtra gratia ne vnico quidem eidemque dilectiſsimo Filio ſuo pepercerit, ſed pro nobis om̃ibus tradiderit occidendum, Ioan. 3. Rom. 8. 1. Ioan. 4. Sed & filij Dei immenſum erga nos recordetur amorem neceſſe eſt, qui ob ſalutis noſtræ affectum ac deſiderium, Patri ſuo ad mortem vſq; pro nobis obedientem ſe præſtiterit.

Chriſti erga nos amor quantus. Phil. 2.

Vbi

Vbi tum fieri quî poſſit, vt ſub hoc actu Chriſtiani hominis pectus non totum diuino colliqueſcat amore, non Deum medullitùs amet, cùm is prior nos tam ardenti ſit complexus dilectione & beneuolentia?

Quartò demùm præſtantiſsimum eximiumque noſtrę per CHRISTVM liberationis beneficium, ſub hoc MISSAE ſacro mirum in modum prędicatur, extollitur, ac ſummis effertur laudibus. Enimuerò corde atq; animo à nobiſipſis meritisq; noſtris ſeuocato, CHRISTVM ipſum, ceu mediatorem & erga Deum conciliatorem noſtrum pręhendimus, ante Deum conſtituimus proponimusque, id obſecrantes Patrem cæleſtem, & admonentes, non quid noſtra commeruerint errata, ſed quid hic mediator noſter, ſanctus ac dilectiſsimus vnicus ſuus, pro nobis perpeſſus ac meritus ſit, adſpicere, eiuſdemque merita nobis bono ac ſaluti eſſe, ſeq; illius gratia propicium nobis præbere velit. Quod quid aliud eſt, quàm tum cæleſti Patri, tum CHRISTO IESV vnigenito Filio eius Domino noſtro, diuinum ſuum & quem decet præſtare honorem, eumq; verum atque vnicum Deum noſtrum agnoſcere? quandoquidem nuſquàm vllum nobis vel ſolatium vel auxilium repoſitum nouimus, præterquàm in ipſius gratia & miſericordia, per merita CHRISTI IESV Dei ac Domini noſtri.

Habetis iam dilectiſsimi pro Chriſtiana inſtitutione ſeu doctrina, & Catholica veritate ex certis & optimis rationibus, quæ MISSAE ſubſtantia ſit, quodque argumentum, & quid toto MISSAE ſacro contineatur: quę item Catholicę ECCLESIAE ſub hoc toto actu mens, ſententia vel intentio ſit. Supereſt iam, vt quos ſub hoc ſacro vulgares homines Chriſtiani geſtus, preces, cogitationes aſſumere debeant, explicemus.

SERMO XV. DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAE.

Quas ſibi Chriſtiani homines ſub MISSAE ſacro preces, geſtus & cogitationes ſumere debeant.

SVperioribus aliquot concionibus meis totum MISSAE argumentum, & quid ea contineat, plena fide ac veritate vobis ob oculos ſtatuere, & quantùm quidem commodè fieri potuit, inſtituere vos atq; informare conatus ſum, vtì nō modò ex MISSAE verbis deuotionē colligere & aucupari, ſed ex ipſo etiam ordine & ſignis in CHRISTI mortis humanæq; liberationis redire memoriam, & omnis generis pias veſtris in cordibus cogitationes excitare queatis. Nunc porrò in ſimplicium gratiam hanc mihi operam ſumere ſtatui, vt de toto hoc actu paucis id explicem expediamque, quas ſibi quilibet è vulgo Chriſtianus ſub hoc ſacro preces, geſtus, cogitationes aſſumere debeat, quô fructum vtilitatemq; hinc conſequi ac reportare poſsit, etiamſi non ſit

ea vice ſacroſanctam Euchariſtiam ſacramentaliter percepturus, quanquàm reuerà nihil aut melius aut ſalutiferum magis eſſe queat, quàm quotiès MISSAE ſacrum auſcultatur, aut certè crebrò per annum, Dominicæ menſæ participem fieri, ſanctiſsimaque Euchariſtia perſæpè etiam ſacramentaliter frui. Verendum nanque eſt, quiſquis eiuſmodi agit vitam, vt ad Domini menſam frequenter accedere non ſit paratus, cum etiam cùm rarò accedit, malè & indignè accedere.

Euchariſtia frui.

☞

Atquì cùm ad ſanctiſsimi Sacramenti huius perceptionem ægrè adduci queamus, id quidem hinc eximium idemque optimum fuerit, vt Chriſtianus quiſque, quotiès licebit, ad ſanctiſsimę Euchariſtiæ tractationem, id eſt, rem DIUINAM ſeſe adiungat, CHRISTIque ſalutiferum corpus & ſanguinem vel ſpiritaliter fide & deuotione percipere non omittat. Habet nanq; ſpiritalis iſta Euchariſtiæ perceptio & multas & excellentes vtilitates: adeoque cum externa illa perceptione ſemper coniuncta ſit oportet. Alioquì ſacramentalis ſeu externa ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptio abſq; ſpiritali perceptione nihil omninò prodeſſe poteſt: ſpiritalis verò ſumptio etiam ſinè externa prodeſt non minimùm: affertque & plurimos & ſalutares fructus, non tamen tam perfectè, vt dum ſacramentaliter ſimul & ſpiritaliter DIUINA myſteria ſuſcipiuntur. Iam quem ſua conſcientia ad ſacramentalem externamque ſumptionem non hortatur, aget is tamen, vt ſpiritalem cõmunionem, quoàd eius fieri poterit, nullo pacto nec vlla vnquàm die ſua negligentia intermittat. Et hac quidem mente, eoque conſilio præſens mihi inſtituta ſuſceptaque oratio eſt, vt id vos edoceam, quì ſeſe homo Chriſtianus ad MISSAE ſacrum aſſiſtens gerere, ad ſpiritalemque ſe communionem præparare & accommodare debeat, etiamſi fortaſſè ea vice celſiſſimum DIUINUMQ; Sacramentum ſacramentaliter percipere nolit.

Myſtica Euchariſtiæ ſuſceptio.

Spiritualẽ cõmunionem cuiq; eſſe debere quotidianam.

Huc verò neceſſaria fuerit Chriſtiano MISSAM auſcultanti omnis ea compoſitio ſiue geſtus, qui alioquì ad orationem frugiferam requiruntur: ità vt quemadmodùm CHRISTVS ad orationem nos inſtituit, ſic Chriſtianus ad MISSAE ſacrum auſculaturus accedat. Vult nanque CHRISTVS collectas atque intrò adductas eſſe noſtras cogitationes, vt dum preces facturi ſumus, non huc illucque animo euagemur, nec res tum alias agamus. Tu, inquit, cùm oraueris, intra cubiculum tuum: & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: quibus vtiquè verbis nihil vult aliud, quàm noſtris nos inuigilare cordibus, eaq; magno ſtudio obſeruare debere, occluſo ſcilicet cordis oſtio, & vanis ac noxijs cogitationibus indè prorſus omnibus excluſis ac profligatis, vtì nè orationis attentio in anibus, extraneis, immodeſtis, ac indecoris cogitationibus diſturbetur ac impediatur. Ità ergò ad MISSAM acceſſurus, cor animumque ſuum ad ædem ſacram ſecum ferat, cogitatus ſuos retineat, cohibeatque, & corpore in templo conſtitutus, etiam ſenſus

Matth. 6.

Orans ſeu max oraturus, quì ſe gerere debeat.

Cor & animus quò cuiq; ſunt ferendus.

& cor

& cor ſuum ibidèm contineat,ità vt ea ad res alias,ſiue ad auaritię ſtudia, ſiue alia vana,friuola,indecētia excurrere neutiquàm patiatur: ac multò quidē minùs illud tempus,quo huic ſacro adeſt,fabulando perire ſinat. Certè quiſquis verè Chriſtianus eſt,abūdè illi multa ſub hac diuina actione tum cogitanda,tum agēda ſuppetent,etiamſi multas duraret horas. Sed agè dicamus iam, vt id temporis vtiliter & cum fructu tranſmittere & expendere debeamus.

Principiò quidem, ſi cum aliquo fructu & emolumento MISSAE ſacro adſtare velis,cum ipſo ſacerdote omniq; Chriſtianorum frequentia generalem Deo confeſſionem facito, tuam illi aperi fragilitatem, & ad mala propenſionem: grauiaque peccata tua coram illo intùs in corde lugens deplora,gratiam & veniam ex ipſius miſericordia preceris,ità tamen,vt tecum ipſe ſtatuas & proponas opportuno tempore eadem ſacerdoti ſacramentaliter confiteri. Eris hinc tum ad orationem, tum ad res omnes ſpiritales aptior,alacrior,expeditiorque. *Quãcunque cū ſacrificante confitendum.*

Ad INTROITVM ſeu MISSAE exordium, humanæ liberationis initia tecum meditare, vt Deus diuturnum humani generis exilium miſeratus,Seruatorem illi annunciari permiſerit.Licebit hìc interim animo reuoluere antiquorum patrum ante CHRISTI aduentum pro miſericordia impetranda ex alto pectore eductos gemitus,& pro incarnatione miſſioneque MESSIAE fuſas preces: orare etiam, vt & deincèps Omnipotens Deus CHRISTVM filium ſuum, redemptorem mediatoremque noſtrum eſſe velit,illiusque ob merita, noſtrî miſereri, dicendo cum ſacerdote: *Kyrie eleiſon, Domine miſerere.*

Sub *Gloria in excelſis*, vera certaque nati Seruatoris fit denunciatio. Ibì iam gratias age Deo, & quidē medullitùs, quòd nos in felicia ea gratiæ tempora incidere, communisque illius hominum ſalutis participes fieri voluerit, de qua beati angelorum ſpiritus CHRISTO in hunc mundum edito, hoc feſtiuum iucundumque canticum deprompſère. *Lucæ.2.*

Vbi ſacerdos ad populum verſus,ſalutem eis precatur his verbis, *Dominus vobiſcum*: tu agè cor tuum erigas, & ad communes referas accommodesque obſecrationes,orans pariter & ipſe Deum pro omni neceſſitudine totius ECCLESIAE Chriſtianæ: ſtatuens id tecum, tibique perſuadens,ex Chriſtianæ Reipublicæ proſpero ſucceſſu rebusque ſecundis,etiam tuam ipſius pēdere ſalutem ac proſperitatem: itemq; dum Deo permittente Chriſtianorum populus ſiue bellis ſiue alijs aduerſis infeſtisq; caſibus impetitur ac diuexatur, te quoquè communibus malis & calamitatibus inuolui ac implicari: quā ob rem tanto libētiùs propenſioriq; ſtudio & affectu cōmunibus iungi precibus & cū cęteris ipſe vnà precari meritò debeas. Si Collectarū verba capis, ora illas vnà cum ſacerdote: ſin minùs, fac generatìm preceris Deū vt is ECCLESIAE populiq; ſui preces benignus admittere & exaudire velit, ſuiſq; in terra *Quò ſtæ cuiq, preces referendæ.*

fide-

fidelibus ea ſuggerere & ſubminiſtrare, quæ ipſe nobis vtilia ac ſalutaria eſſe nouit: idq; *Per CHRISTVM Dominum noſtrum*, nobis ea de cauſa ab Omnipotente Deo donatum, miſſumq; in hunc mundum, quô per eum bona quæque à Deo conſequamur ac impetremus. Sub hiſce verò precibus homines è religione Chriſtianos meritò quidem nec ſe-
1.Cor.11. dere, nec operto eſſe capite oportebat: cùm nimirùm indecens admodùm & preter decorum ſit reſidere, vbi cum celſiſſima maieſtate diuina,
1.Timo.2. præſtantiſſimo Domino, Rege regum omnium, nobis oratio eſt: vbi Chriſtianum hominem cunctis ſui corporis geſtibus maximam præ ſe ferre ſubmiſſionem & humilitatem, manusque oculosque ad cælum tollere decet: quæ ſcilicet argumento eſſe poterunt, ſeriò eam ſuas preces facere.

Ad Epiſtolam, Graduale, Alleluia, & Sequentiam reſidere licebit, ità tamen, vt Apoſtolicam doctrinam arrectis auribus auſcultes. Si verba non intelligis, poteris interìm pro teipſo, quod ſit vtile & frugiferum, precari.

Sub Euangelij recitationē ſurge in pedes, dic cum Choro, *Gloria tibi Domine*: quod per Euangelium CHRISTI IESV venerandi vnici tui, veritatis agnitionem, ſalutisque ſcientiam nobis præſtitiſti ac demonſtrâſti: ſimulque ora Deum, vt tibi Chriſtianisque omnibus ſpiritum & gratiam ſuam largiri velit, vtì ex ſacroſancti Euangelij ſui verbis diuinam voluntatem ſuam & perſpicere, & obedienti cumprimìs animo exequi, atque ſua tandèm promiſſa conſequi, ijſdèmque perenniter frui queatis.

Dum Credo ſiue cātatur, ſiue dicitur, nihil potes orare vtiliùs, quàm vt ſanctæ fidei Chriſtianæ articulos, ità vt eos puer didiciſti, tecum ipſe ordine recenſeas enumeresq;, *Credo in DEVM Patrem omnipotentem* &c. Vbì ad id vſque loci ventum erit, quo dicitur, *Et homo factus eſt ex MARIA Virgine*, immenſum Dei erga nos fac mediteris amorem, vt
Rom.8. qui noſtra cauſa ne vnico quidem filio ſuo pepercerit, ſed ob nos neci
Ioan.3. tradiderit, vt om̄is qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam: quin & promptiſſimam filij Dei obedientiam animo reuoluas,
Pil.2. qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, noſtræ vtiquè ſalutis cauſa, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus
Heb.4. vt homo, tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, humi-
Phil.2. liauit ſemetipſum, factus obediēs vſq; ad mortem, mortem autē crucis.

Hîc iam non te pigeat vtrunque genu humi affigere, idque & pro gratiarum actione, & honore illius, qui tua cauſa è ſummis cælorum ſedibus ad terram vſque ſe demittere, atque è diuinæ maieſtatis celſitudine ad extremum vſque hominis exilium ſeſe relegare minimè refugit. Quo loci equidē vehementer mirari ſoleo, ſi quis dum alta cantari voce

audit

audit in æde ſacra conſtitutus, *Et homo factus eſt*, quod eſt, Deum noſtræ ſalutis gratia hominem factum, & è cælis ad terras deſcendiſſe, genua non flectat. Libéret profectò percontari ex eiuſmodi homine, ſit ne *Maxima* Chriſtianus? moueát ne animum ſuum, ſitque gratum ſibi & in benefi- *Chriſtiano-* cij loco habeat, CHRISTVM ob ſe redimendum hominem fieri, & *rum impu-* in hunc demigrare mundum voluiſſe? Quòd ſi ità affectus ſit, cur non *dentia &* flexis humi genibus, & corde atque oculis ad cælum ſublatis, CHRI- *ingratitu-* STO IESV Deo ac Domino noſtro prò aſſumpta ab eo humanita- *do qua.* te gratias agat? Itá ne cuiquam moleſtum eſſe poſsit, CHRISTI cauſa genua ſubmittere, cùm is ob nos liberandos Diuinitatis ſuæ gloriã cum humana fragilitate cõmutare non recuſauerit: immò & in crucem agi, mortiſque acerbiſsimos ferre dolores, quô nos ex æternis eriperet cruciatibus, & ad perennem gloriam, nec vnquàm finienda ſeruaret gaudia, non ſit dedignatus?

Sub OFFERTORIO ea tecum meditari incipe, quæ paulò ante illius paſsionem à Domino geſta ſunt: verbi gratia, vt ſęuiſsimo hoſtium ſuo- *Ioan. 8. &* rum furori atq; inſaniæ cedens, in occultum ſe abdiderit, donec paſsio- *11.* nis è vicino imminente tempore, Hieroſolymam, cunctis adſpectanti- *Matth. 21.* bus, ſumma plebis gratulatione & laude ingreſſus eſt.

Ad Præfationem, animum ad grátiarum actionem erga Deum componito ac præparato, idque pro cunctis illius beneficijs, maximè pro CHRISTI liberatione, cuius mox à Præfatione ſub MISSAE Canone memoria continenter inſtituitur ac ſeruatur. Ab ipſo nanque Canonis exordio, proprium ac peculiare MISSAE opus incipit, CHRISTI ſcilicet paſsionis commemoratio, quam ità expreſsè nobis ſeruandam etiam præcepto commendauit, dicens: Hoc facite in meam com- *Lucæ 22.* memorationem. Ibì iam oculos ſummo ſtudio ad Eleuationem áduertito: dumque ſub gemina eademque diſtincta panis ac vini ſpecie, ſanctiſsimum corpus, precioſumque CHRISTI IESV ſanguinem, ſub vtralibet tamen ſpecie totum atque integrum CHRISTVM, cóntinenter in ſublime tolli conſpicis, hęc tuo verſa in pectore, vtì hîc Deus & Seruator noſter in crucem ſublatus ſit, ibique in totius populi adſpectu ſacroſanctum ſanguinem è ſuo fuderit corpore, atque ità ſublimis pependerit in cruce, donec tandèm cruciatus ſuos atrociſsimos, acerbiſſima morte clauderet.

Sacerdote ſub MISSA brachia extendente, fac hinc in memoriam *Eleuatio* redeas, vt benigniſſimus Creator ac Seruator tuus in cruce nimìs cru- *manuũ ſa-* ciabiliter diſtentus fuerit: immò vt vltrò manus ſuas ad cruciaméta ex- *cerdotis* tenderit, & ad crucẽ extenſis manibus figi ſe permiſerit, quô nos omnes *quid inſi-* ſibi attraheret, ſua nos protectione cingeret, ad æternamque introdu- *nuet.* *Ioan. 12.* ceret ac proueheret ſalutem & ſecuritatem.

Poſt Eleuationem, in CHRISTI paſsionis memoria cõtinua magìs *Memoria paſsionis Chriſti.*

ac fuſiori verſeris,animoq́ue pergas ad carnificinam diræ crucifixionis amantiſſimi Domini tui:adeoq́ue totam illius paſſionem ſuccinctim tuo tecum in corde expendas,quemadmodùm eam ſancti Euangeliſtæ ſcriptam reliquêre.

Matt.26. Primò quidem anxias illas preces eius,quas in horto fecit, cogitato, Marc.14. quandò ſanguineus ſudor per corpus eius decurrit, idq́ue ob humanæ Luc.22. infirmitatis horrorem erga multiplices & immenſos, quos ob noſtra expianda diluendaq́ue errata perpeſſurus erat,dolores & cruciatus.

Deindè animo attende ferociſſimum hoſtium illius incurſum, crudelem trucemq́; compræhenſionem ſeu captionem, & immitiſſimam religationem, iniquas falſasq́ue coram ſummis ſacerdotibus & populi magiſtratu ac ſenioribus accuſatiões, militum indignam & probroſam per omnem noctem illuſionem, itidemq́ue manè Herodis & familiæ eius crudeliſſimam tum flagellationē,tum coronationem. Hinc corde & cogitatu ſequere pijſſimum DOMINUM tuum,ſummo cum dedecore & cruciatu egredientem,& proprijs humeris pœnarum ſuarum inſtrumentum ad carnificinæ locum deferentem.

Ibìtum cor cogitatusq́ue tuos ſub Domini tui crucem defigas,ſurſumq́ue mentis leuatis obtutibus, vide quàm extremè derelictus & miſer, quàm attritus, contuſus,& conſciſſus in tam immanibus pœnis & contemptu idem ille benigniſſimus Seruator tuus, ſub tuis oculis ſalutis tuæ cauſa in cruce pendeat:& ex amicis ſuis ne tantillum quidem ſolatij ceperit, contrà verò ab inimicis tot probra, tot moleſtias, vexationes,contemptum,ludibria, ſannas, blaſphemias ferre coactus ſit,ità vt ſumma eum neceſſitas,acerbiſſimiq́ue cruciatus ſuam Deo patri derelictionem & calamitatem queri compellerent,his verbis:

Pſal.22. *DEVS meus,DEVS meus,vt quid dereliquiſti me?*

Mat.27. Atque ità deinceps tecum fac animo reuoluas, quo dolore, quaq́ue Mar.15. ignominia & deſpectu ſacratiſſimam paſſionem ſuam ad extrema perduxerit abſolueritq́;.

Et iſta quidem vehementiùs tete afficient ac permouebũt,ſi inſupèr & id tecum mediteris,quis ſit is, qui iſthæc patitur:nempe, verus Deus, 1.Pet.2. innocẽs & ſanctus,qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus in ore eius,cui ad eiuſmodi perferendos cruciatus nulla ex ſeipſo neque cauſa ſuppeteret, neq; neceſſitas:ſed ex ardentiſſimo erga nos miſeros amore,vltrò ſeſe in has pœnas ac tormenta coniecit, ſuis diluens expiansq́; ſupplicijs,quicq̃d nos peccãdo malè meriti eramus:qui deniquè vt nobis parceret,attrit⁹ & verberibus affect⁹ eſt, & dolores noſtros ipſe porEſa.53. tauit,quò nos à peccatis & ſceleribus noſtris ſalui & liberi efficeremur.

Atque hìc licebit ſanè tecum ipſe in animo tuo peccatum ſummoperè execreris & odio perſequaris,vt quod innocẽtiſſimo Dei filio tantorum fuerit cauſa dolorum: nec iniuria teipſum omnium maximè reũ

egeris

egeris,eorumq́ue in numero conſtitueris,qui ſuis ſceleribus benigniſſimum Creatorem in iſtiuſmodi pertraxêre calamitates.

Vndè etiam iure meritoq́; in teipſum ferueſcas ira licebit, occultisq́; ſuſpirijs ac gemitibus tum tua, tum cæterorũ peccata intùs in corde deplores:maximè tamen eam ob cauſam, quòd bona pars hominum tanto labore ac dolore tam carè quęſitos partosq́ue CHRISTI paſsionis fructus, ſubindè tanta facilitate effundant: & innumeri, quod verendũ eſt,nullam hinc prorſùs ad ſe redire ſinant vtilitatem:multiq́; adeò tam impiè iurent,& maledicta,execrationes, imprecationes in alios congerant euomantq́ue.

Agendum tamen eſt, vt dolor ſeu mœror ex CHRISTI paſsionis concepta meditatione, nunquàm vſqueeò in Chriſtiani hominis increſcat pectore, quin gaudium & conſolatio multis ſemper modis excedat ſuperetq́ue,dum videlicet ità ſecum reputat tam pręclara,eximia, præſtantiaq́ue tam ſublimis excellentisq́ue perſonæ merita,noſtra eſſe omnia, nobis bono ac ſaluti eſſe, impetrareq́ue & efficere, quicquid ad æternam obtinendam liberationẽ ſalutare,neceſſarium,vtile nobis ſit. *Dolor & gaudiũ ex Chriſti paſſione quã pmiſcẽda.*

Atque hinc latiùs ſecum cogitet,hanc CHRISTI paſsionem,ſuî liberationem eſſe:cogitet etiam, vndè per CHRISTVM redemptus & ereptus ſit, non vtiquè ex carcere aliquo, aut hominis manu & poteſtate, ſed dæmonis, vbi nimirùm perpetua nobis fuiſſet perferenda damnatio,niſi Dei filius ſuo nos ſanguine indè extraxiſſet. Neque tamen per CHRISTI mortem è damnatione modò erepti ſumus, ſed etiam in Dei filios,cæliq́; & perennium hæredes adſciti gaudiorum. Qua quę poſſit eſſe gratia excellentior? *Rom. 8.*

Hinc ergò, cùm te præſente & inſpectante CHRISTI corpus & ſanguis in Altari tractantur, per quæ ſcilicet iſta tibi cæterisq́ue mortalibus parta & obtenta ſunt, profundiſſima corporis ſubmiſsione pro tantis beneficijs Deo Opt. Max. gratias agere nè omittas.

Quin & huius fac rei cogitationem ſuſcipias,vt ECCLESIA Catholica ſuum iſthic Deum ac Dominum, conciliatoremq́ue CHRISTVM IESVM in mortis eius memoriam Deo patri proponat exhibeatq́ue, vnaq́ue & ipſe cum alijs Patrem cæleſtem obſecrato,oculos aduertere dignetur ad ea, quæ dilectiſſimus idemq́; vnicus Filius ſuus, pro hominum genere paſſus & executus eſt, atque om̃ibus illis, qui vel vnquàm in CHRISTVM credidêre, vel etiamnùm credunt, ac deinceps credituri ſunt, ſalutifera illius merita tum ad peccatorum abolitionem & veniam, tum animarum ſalutem prodeſſe ac proficere velit. *Quid ijs qui Miſſæ interſunt, cogitandũ aut petendum.*

Vbi ad communionem ventum erit, ſi ſacroſanctam Euchariſtiam ore ſacramentaliter ſumpturus non es, vel corde eam ſpiritaliter fide ac deuotione ſuſcipe. Itaque dic labijs cordis & oris: Credo equidem ſub panis ac vini ſpecie per virtutem omnipotentis verbi CHRISTI,ve-

rum eius corpus ſalutaremq́; ſanguinem in Altari reuerà contineri. Credo hęc ipſa pignus eſſe redemptionis meæ, & ſatisfactionem pro peccatis meis: quandoquidem CHRISTI corpus mea cauſa neci traditum, & ſanguis in meorum expiationem ſcelerum fuſus eſt: id quod citra omnem dubitationem reuerà ſentio, credo, confiteorq́ue.

Qui ſacramentū ſpiritaliter ſumi queat aut debeat

Huiuſcemodi fide & deuotione ſacroſanctum viuifici corporis & ſanguinis CHRISTI ſacramentum ſpiritaliter ſumis, eiuſdemq́ue CHRISTI paſsionis fructus, ad æternam ſalutem tuam tuos efficis, tibi adiungis accommodasq́ue.

Sub MISSAE finem ab ſacerdote ceu omnipotentis Dei miniſtro & organo benedictionem ſuſcipe, teipſum & vniuerſum orbem Chriſtianum Diuinæ protectioni cōmenda, rogans Deum, vt & te & Chriſticolás omnes in Diuinæ obedientia voluntatis ſuæ perpetuò conſeruet, in pręſenti vita ſeruet ac tueatur à malis, & in futura perenni donet beatitudine.

Hinc iam domū abito, ſpem bonam gerens, Deūm Opt. Max. quæ illius eſt clementia, & nunc & ſemper ſalutifera CHRISTI merita tibi accommodaturum, ob CHRISTIque gratiam propicium ſe tibi præſtiturum, in ſua te Diuina protectione ſeruaturum, & tum temporariam tum æternam pro ſua veritate & miſericordia ſalutem tibi collaturum eſſe, per CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum.

Peroratio.

Hęc vobis, dilectiſsimi, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei pro debita erga CHRISTI liberationem gratiarū actione, ad noſtrumq́; omnium promouendam ſalutem, de MISSAE ſacro iuxta ſcripturæ teſtimonia, & Chriſtianæ Catholicæ & Apoſtolicę doctrinę veritatem dicta volui: ità tamen, vt nulli abuſui, nulli auaritiæ, nulli incuriæ, aut quicquid tandèm in ſacra hac actione humana negligentia admitti poſſit, patrocinium vllū his meis concionibus pręſtitum eſſe velim. Quin potiùs Deum Opt. Max. oro, libens etiam, vbi potero & meam ipſe eò commodaturus operam, vt ECCLESIA ipſius in terris propediem ab omni abuſu expurgetur, & ipſi in ECCLESIA ſua vbiquè terrarum mundus gratusq́ue cultus & obſequia præſtentur & exhibeantur. Iam quiſquis piè Chriſtianus eſt, is nimirùm ſatis habebit, abundè inſtitutum ſe eſſe, vt ſacroſanctum MISSAE officium ad ſuam ſalutem & vtilitatem piè rectéque accommodare queat. Itaque tum pro hoc, tum cæteris bonis omnibus, vt à quo cuncta proficiſcuntur & efficiuntur, laus, honor & gloria ſit vni, vero, omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spirituiſancto, in cuncta ſeculorum ſecula,

AMEN.

DE SA-

DE SACROSANCTA EVCHARISTIA CONCIO EIVSDEM, HABITA AVGVSTAE IPSO DIE Cœnæ Dominicæ, Anno 1548.

THEMA I. Corinth. X.

CALIX benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis CHRISTI eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes quidem de vno pane & de vno calice participamus.

SAEPIVS quidem, dilectiſsimi, in alimento ſeu cibo corporeo itá vſuuenire ſolet, vt vnus idemq́ue cibus in ſeipſo alioquì & bonus & ſalubris, eorum tamē qui illo veſcuntur, palatum aliter atq; aliter afficiat, nec eadem in omnibus ratione operetur.

Alij nanque cum quadam eum voluptate ſumunt, & benè eis cedit: alios prorſùs nō afficit, & licèt vel recuſanti eum ſtomacho ingerant, nihilo tamē efficiuntur ſaniores: quodq́ue priores illi maximis efferunt laudibus, & ſumma cum auiditate capiunt, rectéq; indè valent, iſti nihilipendunt faſtidiuntq́ue. Huius verò culpam nemo rectè in cibum contulerit, cùm hominum potiùs vitio id accidat, vt quorum palatū vel febre, vel alio quopiam morbo infectum ſit, vt nullum habeant acerbi dulciſq; diſcrimen: eorumq; adeò ſtomachus noxijs ſit corruptus humoribus, vt cibus alioquì bonus ac ſaluber, vim effectuſq; ſuos in eis proferre non poſsit, nec quicquam in eis operari.

Idem prorſùs tum vitij, tum diuerſitatis etiam circa ſpiritalem hanc eſcam accidere ſolet: ad quam nimirùm ex ſingulari beneficentiſsimi Creatoris gratia inuitamur, quamq́ue eiuſdem clementiſsimo fauore ac beneficio Paſchali hoc tēpore ex Domini menſa in ſacroſancta Euchariſtia ſumpturi ſumus. Enimuerò quàm benè, quàm ſuauiter ſacer hic cibus pìè ac integrè Chriſtianorū ora afficit? quas in eis vires, quantam gratiam exerit, efficitq́ue? Quanto cum deſiderio, quàm feruenti cordis affectu, probè fideles ac pij filij Dei de hoc cōuiuio in ECCLESIA Catholica & loquuntur & concinunt, cibi huius tum dulcedinē, tum gratiam ſeu amabilitatē prædicantes his verbis? *O ſacrum conuiuium,*

In ferijs corporis Chriſti.

O ſacrum conuiuium, &c.

in quo CHRISTVS ſumitur, recolitur memoria paſsionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Itemque ex Pſalmo 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te? Et Pſalmo 67. Paráſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Itaque & dicitur, & eſt reuerà cibus hic fidelibus panis vitæ, animam reficiens ſiue cibans, ſpiritum interioremque hominem nutriens, & ſuſtentans atq; cōſeruans nos in vitam æternam, qui alioquì natura mor-

Ioan. 6. tales ſumus, & æterna morte perituri eſſemus.

Eſt etiam filijs Dei menſa, ex qua aduersùm omnes ſpiritales hoſtes

Pſalm. 22. ſuos robur, virtutem, ſecuritatem accipiunt. Vndè Pſalmiſta ait: Paráſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me.

Quin & medicina eſt iiſdem, veterum delictorum morbos in eis ad viuum reſecans, exactéq; perſanans, contra futura vitia vires ſuggerens, & ab hoſtis tartarei machinis ac tentamentis proprijsque voluptatibus plenam eis adferens pacem & ſecuritatem, teſte Pſalmiſta: Qui poſuit

Pſal. 147. fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

Ad hæc cibus hic explet exatiatque credentes omnis generis diuinis chariſmatibus: quandoquidem CHRISTVM ipſum nobis aduehit, Quid verò deeſſe nobis poſsit, vbi totius gratiæ fontem bonorumque omnium largitorem adeſſe conſtat?

Non iniuria ſanè de ſacroſancto hoc & excellentiſsimo cibo cum Propheta gloriemur, Deum Opt. Max. in omnibus gratiæ opumque ſuarum theſauris, neque potius, neque efficacius, neq; gratius ſeu amabilius quicquam continuiſſe, quod nobis conferre poſſet, quàm dum ad ſuam nos menſam inuitat, æternumque Filium ſuum, totius orbis Seruatorem, cum vniuerſis illius chariſmatibus proprium nobis profu-

Zach. 9. ſa liberalitate largitur. Sic nanque eſt apud Zachariam: Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

Ioan. 1. Totius etenim hîc gratiæ plenitudo eſt. Vndè ſi ſitibundos latosque & amplos ad Domini mēſam animos & pectora adducere eniteremur, abundè multa ſeſe nobis offerret gratia, quæ corda noſtra ſatis ſuperq́;

Pſalm. 80. ſolaretur, noſtraque affatim expleret deſideria: quandoquidem eum hîc

Pſal. 102. ſuſcipimus, qui de ſeipſo ait: Dilata os tuum, & implebo illud. Et de quo ſcriptum eſt: Qui replet in bonis deſiderium tuum.

Huiuſmodi ergò, vt dicere cœpi, erga prǽſtantiſsimum veri corporis & ſanguinis CHRISTI ſacramentū, deſideria, laudes, prædicationes, eorum qui verè atque Catholicè ſunt Chriſtiani, rectéque credentium filiorum Dei ora in ECCLESIA Catholica depromunt.

Contrà verò apud miſeros, infelices, erroribꝰ implicitos, ſeductosq́; homines multa indigna, horrendaq; aduerſùm ſacroſanctam hanc diuinamq́; EVCHARISTIAM murmura paſsim auribus haurire licet. Alij qui-

quidem CHRISTI eam corpus & ſanguinē eſſe nolunt, ſed ſignum duntaxat corporis & ſanguinis CHRISTI. Alij verò corpus & ſanguinem eſſe CHRISTI non diffitentur, ſed non niſi cùm ſumitur, atque ità eſſe creditur. Alij verum eſſe & corpus & ſanguinem tum demùm haud ęgrè crederent, ſi non ab iniquis & peccatoribus, ſed ſanctis miniſtris ſiue ſacerdotibus eis præberetur. Alij denique, qui ſana ac integra fide ſunt, à Catholicæque ECCLESIAE doctrina in nullos errores aut hæreſum impiarum opiniones abducti ſunt, vel ſuapte ſponte defecerunt, ità perſuaſum habent ac fide tenent indubitata, verum CHRISTI corpus & ſanguinem in Sacramento contineri: atquì nullo præclariſſimi celſiſſimique Sacramenti huius flagrant, mouentúrve deſiderio: & licèt illud quadam ducti conſuetudine ſumant, & vt poſſunt, ſibi ingerant, attamen nihil internæ vel ſpiritalis oblectationis ſentiunt, neque ſe vel ſpiritali auctos gratia, vel aduerſùm peccati illecebras & oblectamenta, tetrorumq; ſpirituum tentationes roboris quippiam ſibi acceſſiſſe experiuntur. His maximè nouum eſt atq; alienum, vbi Catholicam ECCLESIAM de ſuauitate, virtute & efficacia præſtantiſſimi cibi huius ſumma celebritate nec minori conſolatione concinentem, legentem, prædicantem audiunt. Itaque hoc in faſtidio ſanctiſſimus hic longeque optimus cibus eſt apud conuiuas perplures, at non ſuo vitio, neque ſua culpa. Quòd enim ad ipſum attinet, ſemper is in ſe verus, bonus, ſalutifer eſt, vtcunque indè ſentiant homines. At maligni ſpiritûs liuore ac inuidentia nauſea hæc ſiue faſtidium, itemq; incredulitas erga præſtantiſſimum hoc Diuinumque ſacramentum excitantur. Is nanque cùm ſaluti noſtræ maximè inuideat, quicquid nobis præcipuè ſaluti eſſe poſſet, id acerrimo atque infeſtiſſimo odio perſequitur, agitque quibus poteſt modis, vt id nos horrori & abominationi habeamus. Atque eam ob cauſam ſceleſtiſſimus ille vix quenquam vnquàm hæreticum ſiue ſeductum hominē abire paſſus eſt, quem non digniſſimi huius Sacramenti odio inflammârit, atq; inter alios execrandos damnandosq; errores, etiam impiam quandam falſamq; hinc opinionem illius animo inſeruerit.

Eucharistiam ſemper eiuſdē efficacia eſſe.

Eucharistia odio aut cōtemptu cur ferè hæretici omnes laborent.

Sed nos improbiſſimi veteratoris fraudes ac machinas elidere, Deiq; verbo aduerſùm impoſturas ſeductionesque illius cōmuniri debemus. Neque enim obſcurè, ſed perſpicuè & expreſſè, ex Diuinæ veritatis ore hic ad nos ſermo profectus ac editus eſt, citra vllam ambiguitatem, quid de venerando ac celſiſſimo hoc Sacramento ſentiendum ſit, nos edocens inſtituensque:

Hoc eſt, inquit CHRISTVS, *corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

Iſta profectò non hominis verba ſunt, ſed DEI, quæ nos curioſiùs

perſcrutari, vel noſtro pro arbitratu ad alienum intorquere ſenſum fas non habemus: ſed quæ nobis ſubmiſsis cordibus adorāda potiùs ſunt, dicendúmque haud aliter, atquè Deus ipſe dixit, nec abſque timore, atque adeò omni cum reuerentia ſuſcipienda ſunt, nec committendum nobis, quin id ea eſſe ſinamus, quod à Deo Opt. Max. dicere & appellare viſum fuit, non quod nobis rectius videtur. Atq; ità difficile non erit, errores omnes & quicquid eſt falſarum opinionum, his CHRISTI verbis refellere & confutare. Et primò quidem Zuingliano ità reſpondebimus: De hoc Sacramento, vt ità ſentiamus, vt tute aſſeueras, putà, ſignum tantummodò id eſſe vel figuram, aut CHRISTI corporis virtutem, adduci profectò nō poſſumus: quin potiùs ità nos ſentimus, vt ex DEI ore planis & apertis vocibus accepimus:

Quid Sacramentarijs qua de re in eis ingerendum.

Hoc eſt corpus, Hic eſt ſanguis.

Decet nimirùm id nos potiùs hinc ſentire, quod ab omnipotente Deo luculentis appellatur vocibus, quàm quod ipſe commentitijs coactisque verbis pro tua libidine interpretaris.

Deindè alijs itidèm erroris ſpiritu ſubuerſis, CHRISTI corporis & ſanguinis veritatem in ſuo vſu vel fide, ſeu miniſtrantis vel percipiētis integritate ſiue probitate ſtatuentibus, ità veriſſimè reſpondere poterimus: Sacramentum hoc in noſtro vel vſu, vel fide, vel integritate neutiquàm fundatum eſt, ſed in ſolo duntaxat Omnipotenti verbo DEI. Quæ iſthæc igitur veſtra ſuperbia & arrogantia eſt? aut quò ſe tandèm veſtra proferet temeritas & impudentia, vt veſtram vel fidem vel vſum Sacramenta præſtare vel efficere poſſe in animum inducatis, cùm id ſola poſſit omnipotentis verbi Dei virtus & efficacia? Vndè & nos planè ità credimus, & cum ECCLESIA Catholica liberè confitemur, certumque adeò habemus, peracta conſecratione in Sacramento verū eſſe CHRISTI IESV corpus & ſanguinem, ſiue ſumas illud, ſiue non: ſiue credas, vel nō credas, ſeu deniquè malus id accipiat vel bonus. Neq; enim fides tua vel integritas, ſed Omnipotētis verbi Dei virtus hoc nobis conficit præbetque Sacramentum.

Quid eadē de re Lutteranis.

Tua interim vel incredulitate, vel praua opinione id effici poſſit, vt CHRISTI corpus & ſanguinem ad iudicium & damnationem accipias, quo alioquì, ſi vera eſſes fide præditus, ad æternam vtiquè ſalutem tuam perfrui liceret. Atqui Sacramento indignè ipſum vel adminiſtrātis vel percipientis improbitas ſeu malitia, neq; addere quicquam, neq; detrahere poteſt: ipſum autem Sacramentum id efficere poteſt, vt indignè vel miniſtrans vel accipiens, ob indignitatem ſuam reus ſit corporis & ſanguinis CHRISTI, grauiſſimæq; & quidem æternę ſeſe Dei animaduerſioni reddat obnoxium: vbi interim dignè ſiue porrigens, ſiue ſumens, Dei gratiam, perennemque ex hoc Sacramento captat refertque ſalutem ac beatitudinem ſuam.

1. Cor. 1.

Hinc

Hinc iam Dei verbi certo certiùs conſtituta veritate, in ipſo Sacramento CHRISTVM reuerà cum corpore & ſanguine ſumi, nec illis item reſpondere difficile fuerit, qui nullum prorſus ſuis in cordibus erga reuerendiſſimum hoc Sacramentum deſiderium affectúmve experiuntur, illiusq́ue nec guſtare dulcedinem & amabilitatem, nec virtutem effectusq́ue ſentire nôrunt. His nanque ità dicendum eſt, palatum cordis ſui malitiæ febre, viliſſimaq́ue ac ſordida mundi voluptate ſeu terræ oblectamentis ſeſe infeciſſe, vt eo gratiſſimam cibi huius guſtu percipere nequeant ſuauitatem. Quòd ſi ſano eſſent cordis palato, id ex nobis ſeſe audituros eſſe: guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. *Pſalm. 33.* Id deindè ſi vel ſemèl experirentur, ſatìs ſuperq́ue agnoſcituros eos, quanta cibi huius ſanctiſſimi dulcedo ſit & ſuauitas. Quòd autem præſtantiſſimę Euchariſtiæ virtutem in ſeſe non experiantur, hinc accidere, quòd corda ipſorum quibuſdam fortaſſe vitiorum ſordibus oppleta ſint, & corruptis humoribus ſeu materia peccante abundent, atque indè eſca hæc cumprimìs ſalutifera, neutiquàm in ipſis operari queat. *Euchariſtiæ virtutē qui cur nō experiātur* Itaque ex cordibus ſuis vitiorum eliminent ſpurcitiem, pręparentq́; ſeſe vtì cibum hunc dignè percipiant: ità demùm re ipſa comperturos eos, quòd & omni hinc gratia vbertìm implendi ſint, ditandiq́ue & in omni bono maximè confirmandi corroborandiq́ue. Iſthęc dilectiſſimi cõmonitionis cauſa vobis dicta volui, vtì ab temerarijs periculoſi æui huius erroribus tanto vos longiùs ſemoueam retrahamq́;. Et eſſet haud dubiè cumprimìs neceſſarium, fuſiùs multiſq́; de hoc excellentiſſimo Sacramento modis ac rationibus agere, quæ ſcilicet chariſmata, quę commoda, quos fructus & vtilitatem ipſum dignè ſumentibus adferat, vtì vos ad id dignè percipiendum antè præparare, atque tum in ipſa perceptione, tum poſt ſumptionem gerere vos debeatis: aſt inpræſentiarùm ijs diui Pauli verbis, quę thematis loco mihi ipſe propoſui, inhærere, iuxtaq́ue ea ceu ductas lineas & pręſcripta lineamenta, Sermonem inſtitutum ad finem vſq; perducere ſententia eſt. Sunt autem iſthæc Apoſtoli verba, quæ iam ſuperiùs mihi recitata ſunt:

CALIX benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis CHRISTI eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes quidem de vno pane & de vno calice participamus. *1. Cor. 10.*

Quæ ſi nos verba ſtudioſiùs expendamus ac perſcrutemur, quatuor nobis in ijs occurrunt, quę cuncta ad dignè ſalutariterq́ue celſiſſimum hoc percipiendum EVCHARISTIAE ſacramentum accommoda ſatìs, immò & neceſſaria ſint. Primum eſt, præparatio, vt ſcilicet affectos & inſtructos eſſe oporteat eos, qui ad Dñi ſint menſam acceſſuri. Secundum, vt in ipſa perceptione gerere ſe debeant, quid item faciendum

dum eis ſit. Tertium, Quid in nobis efficiat & cuiuſmodi nos faciat hoc præſtantiſſimum Sacramentum. Quartum, quod hinc conſequitur, vt noſtra deinceps vita nobis inſtituenda ſit, ſi ſalutiferi huius Sacramenti effectus virtuteſque reuerà conſequi, eiuſque gratia ad æternam demùm ſalutem ac beatitudinem noſtram frui velimus.

DE PRIMO.

Quales cõuiuæ menſæ dominicæ digni. Principiò quidem tales Dominicę menſæ conuiuas Apoſtolus exigit, qui ſe iam antè à peccatorum tetrorumque ſpirituum communione abſtraxerint, prorſuſque reddiderint alienos. Iam ſuperiùs, antequàm ad hoc loci perueniret, multis id rationibus atque vijs ſacer hic Apoſtolus attentauit, vt Chriſtianos homines à peccatis retrahere poſſet: ſtatuit illic nobis ob oculos exempla Iſraelitarum, qui maximis Dei beneficijs abuſi, ad extremum poſt tantam gratiam, tot dona ac beneficia, multiplici eademque grauiſſima Dei animaduerſione plexi, immò & perditi ſint: meritò eam ob rem rectè ſibi Chriſtianos conſulere, ſuæque ſalutis ſtudioſos eſſe debere, vt qui à peccatis & damnatione per Dei gratiam erepti ac vindicati ſint, & curare item, vt Dei gratia rectè ac dignè vtantur, & à peccatis ſummoperè ſibi caueant, nè poſteriora illorum prioribus peiora efficiantur. Atque indè huiuſmodi admonitionis occaſione ad iſthæc verba deuoluitur: Vt prudentibus loquor: vos
1. Cor. 10. ipſi iudicate: Calix benedictionis &c.

Planè ſi nulla vobis alia, dilectiſſimi, peccatum poſt baptiſma fugiendi cauſa ſuppeteret, vel eò peccatum maximo vitare opere deberetis, quòd ad Domini menſam inuitati, verum CHRISTI IESV corpus & ſanguinem accipitis ex Altari. An verò compertum non habetis, quid agatis, aut quid ſit ex Altari CHRISTI IESV corpus & ſanguinem accipere? Nimirùm communio eſt corporis & ſanguinis CHRISTI, qua in illius trãſimus membra, & ipſe noſtrum ſit caput: vbi tum CHRISTVS & quotquot eius fruuntur corpore & ſanguine, vnum aliquid, & corpus vnum efficiuntur. Iam qui idonei eſſe queant vel digni communione CHRISTI, qui per peccatum in dæmonum ſocietatem ſeu communionem tranſiêre, atq; etiamdùm ità perſeuerant? Nihil commune CHRISTO cum Belial, luci cum tene-
2. Cor. 6. bris, iuſtitiæ cum iniquitate. Et vt idem Apoſtolus hoc ipſo capite teſtis eſt, nemo poteſt menſę Domini particeps eſſe, & menſę dęmoniorum. Nec poteſt in CHRISTI membris annumerari, qui ob peccatum etiamdùm diabolo ceu membrum connectitur & adhæret. Ità ergò digniſſimum hoc Sacramentum eiuſmodi flagitat conuiuas, qui idonei ſint membra CHRISTI effici: quod vtiquè illi non poſſunt, qui per peccatum dæmonis membra ſunt, niſi priùs hinc ſeſe auellant, dæmoniſque communioni renuncient. Et id eſt, quod Apoſtolus tam ſeriò

riò agit, vt ſcilicet probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & calice bibat. Vt enim cibus hic ſanctiſſimus dignos conuiuas omni replet *1. Cor. 11.* gratia, ità qui indignè ſeſe ingerunt, Dei omnipotentis offenſam, & ſuî damnationem ſibi ſumunt. Qui manducat, ait Apoſtolus, panem, & bibit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. *Ibidem.*

Atq; hîc communi populo cumprimìs neceſſaria fuerit fide aduerſùs peſtiferam opinionem cõmonitio, quandò id perſuadere quidam *Schiſmaticum de acceptiõe Euchariſtiæ dogma quod.* vulgò conantur, digniſſimum hoc Sacramentum in peccatorum abolitionem remiſſionemque vſurpandum & accipiendum eſſe. Eſt id quidem veriſſimum, ſacroſanctum ſalutiferumque hoc veri corporis & ſanguinis CHRISTI ſacramentum, efficax, ſalutare, immò & neceſſarium aduerſùm peccata & vitia noſtra remedium ac medicinam eſſe: quandoquidem peccatorum abolitio non niſi in CHRISTI meritis eſt, quorum huius excellẽtiſſimi Sacramenti vſu participes nos reddimus: at verò non ità hoc Sacramentum ad peccatorum impetrandam veniam facit, vt peccata quorum nihil nos pœnitet, ad Domini *Menſam Domini cũ peccatis adire, erroneum eſſe.* menſam adferre velimus, atque ità in animum inducere, vbì peccatum admiſerimus, ad Sacramentum nos accedere velle, atque ibì erratis veniam quærere ac impetrare. Errat nimirùm, dilectiſſimi, quiſquis ità ſentit. Nam vbì in peccata lapſi ſumus, ſcriptura omnis ad pœnitentiam nos mittit, vbì peccata remittuntur. Deindè deletis per pœnitentiam peccatis, iam ſacroſancta Euchariſtia ſalutifera prorſùs medicina eſt, vitiorum morbos perfectè ſanans, ſpiritumque per peccata labefactatum erigens, ac ſuæ reſtituens integritati. Atquì pœnitentia præcedat neceſſè eſt, qua peccatum abolitum ſit, antequàm medicina hæc ſalutaris quicquam poſſit in homine operari. Quemadmodùm cùm telo quiſpiam vulneratus eſt, telum priùs è vulnere educatur oportet, ac *Similitudo.* deindè cataplaſma imponatur, & patienti cibus offeratur eiuſmodi, qui magnę ſit virtutis & efficaciæ, donec abſcedat morbus. Eundem in modum cùm diuus Apoſtolus peccata noſtra diaboli tela vocet, quibus *Ephef. 6.* noſtris ille animabus vulnera infligit, vbì per pœnitentiam & abſolutionem ea nobis ablata ſunt, telaque ex vulneribus extracta, tum nobis ſalutifera viuifici huius alimenti expetẽda & inquirenda medicina eſt, quæ peccatorum morbos penitùs curabit, vitamque ſpiritalem per vitia infirmatam inſtaurabit, corroborabit, tuebitur, atque fouebit.

Hîc ſi temporis anguſtia meo me obſequi deſiderio pateretur, libens equidem hominibus è religione Chriſtianis, ſacrorum Pontificum ac Martyrum huc teſtimonia introducerem, vt illi mille ante annos hinc concionati ſint, committendum non eſſe, vt cum peccatis quorũ nos non pœnitet, ad Domini menſam accedere audeamus: ſed iuxta Apoſtoli adhortationem, priùs nos probemus, peccatiq; virus euomamus, atq; ità demùm CHRISTI corpus & ſanguinem dignè accipiamus.

Hilarius. Interim tamen vel pauca adferam. Eſt hinc apud Hilarium: Qui peccare iam deſijt, agè incipiat is hoc frui ſacramento, nec intermittat. Et Augu- *Auguſtinus.* ſtinus: Priùs, inquit, vitam corrigat ſuam, quiſquis ſumpturus eſt vitam. Si enim vitam antè non correxerit, ad iudicium & mortem ſibi vitam accipiet, magiſque indè deſtruetur quàm curabitur, & mortem in- *Bernardus.* curret potiùs quàm proficiet ad vitam. Bernardus item egregiè, nec minori veritate in hanc fermè ſententiam, ità hinc concionatur: Cecidimus ſuper aceruum lapidum & in luto, vt non ſolùm inquinati, ſed etiam vulnerati & grauiter quaſſati ſimus. Itaque neceſſaria nobis eſt & lotio & curatio: lotio præcedat oportet, deindè ſequatur curatio. Lauari quidem citò poſſumus: ad ſanādum verò opùs eſt curatione multa. Lauantur autem ſeu abluuntur vitiorùm ſordes per pœnitentiam, & eorum remiſſio in contritione, confeſſione, & abſolutione, & in quibus CHRISTVS eam ſtatuerit Ioan. 20. quærenda petendaque eſt. Indè *Medicina quæ quì inquirenda.* vbì iſthęc anteceſſit expurgatio, ſalutaris hæc nobis inquirenda eſt medicina, & hoc ſacroſanctum ſalutiferumque CHRISTI corporis & ſanguinis percipiendum ſacramentum: quod tum per peccatum inflicta perſanat vulnera, malos ac improbos ſedat motus, debilitatē tollit, *Acceſſus ad euchariſtiam præpoſterus quis.* noſque integræ, additis viribus ac robore, reſtituit ſanitati. Contrà verò, abſque dolore & contritione cum peccatis ad celſiſſima hæc percipienda myſteria accedere, non quidem curat vitia, ſed cumulat. Non quò omnes illi, qui in peccata lapſi ſunt, ab hiſce ſanctis abſtinere ſeſe debeant, ſed antè peccata abijcere, vtì ſic, quemadmodùm Apoſtolus ait, CHRISTI corpore & ſanguine digni ſint. Quanquàm omnes nos nunquàm non diuinis hiſce myſterijs planè indigni ſumus: vbì tamen per pœnitētiam Deo nos ſubſtrauimus, nec omiſimus quicquam ex his quæ ad peccati abolitionem remiſſionemq; capiēdam à CHRI- *Altare Domini quì accedendū.* STO demonſtrata, immò & præcepta nobis ſunt, licebit iam facta priùs confeſſione & abſolutione impetrata, pia erga diuinam miſericordiam cum fiducia ad Domini Altare accedere, eiusque frui corpore & ſanguine, ſperare item, gratos nos eum dignoſque conuiuas habiturum: quandoquidem obtemperanter media nobis quæſita & vſurpata ſunt, per quæ peccatorum veniam & expiationem non demonſtrauit modò, ſed etiam pollicitus ipſe nobis eſt. An verò huius vobis nulla ſubeſt notio, dilectiſſimi, quantoperè ſalutem noſtram ſitiat Deus? vtq; *Ezech. 18. & 33.* nos ad ſe vocet, Venite, inquiens, ad me omnes qui laboratis & onerati *Matth. 11.* eſtis, & ego reficiam vos? Sola peccata noſtra paries ſunt, nos à Deo ſeparans, quem ſi ſubruamus, eueſtigiò totum ſe cum omni gratia ſua De- *Hiere. 23.* us ad nos conuertet. Ipſe etenim Deus è vicino eſt, vt ipſe ait apud Hieremiā. Si quis ergò peccatorum graui mole premitur, is ex benefici: & gratia CHRISTI & id habet commodi, vt ſciat, qua ratione peccati à ſe iugum abijcere, ſeque indè expedire queat: ſcilicet per contritionem

nem & cõfeſſionem, per ſerias preces & eleemoſynas ex CHRISTI gratia & ope ad ſuam nos menſam inuitantis, peccata décidunt & abijciuntur. Et hac in parte neque temporis breuitas, neque peccatorum multitudo nobis impedimento eſſe poteſt. Nec eſt quod cogitet quiſpiam, Grauia ſunt errata mea, & tempus breue eſt: quin ea potiùs in cogitatione verſetur, pium & miſericordem eſſe Dominum, nec non miſeratione diuitem & facilem ad ignoſcendum, horiſque omnibus maximè propenſum ad præſtandum contrito peccatori miſericordiam. Peccatrix illa Euangelica, de qua Lucas agit, non maiori opùs habebat tempore ad impetrandam veniam, quàm quo ea plangeret, breuiori quàm ſit prandij vnius. *Luce 7.* Latroni vix tantum dabatur ſpatij, quo diceret: Domine, memento meî, cùm veneris in regnum tuum: & tam exiguo temporis puncto miſericordiam adeptus eſt. *Luce 23.* Quæ nanque ſeria eſt pœnitentia ſiue contritio, huic nulla præfixa eſt meta, ſed ſemper certam impetrat gratiam. Quòd ſi non tam perfecta ſit cordis contritio, nec ſic tamen deſideria noſtra deſpicit Deus. Itaque ſi id deſideremus, vt ex corde noſtra nobis errata diſpliceant, & pietatis affectus noſtro in pectore ſuboriatur, eiuſmodi veræ contritionis ac piæ deuotionis deſiderium neutiquàm reſpuit nec aſpernatur Deus. Concupiuit anima mea, inquit vir ſecundùm cor Dei, deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. *Pſalm.118.* Vbì probitatis deſiderium eſt, nouit Dominus & ſuſcipere deſiderium, & cõferre probitatem. *Eſaie 42.* Non enim voluntatis eius eſt, linum fumigans extinguere, nec calamum quaſſatum conterere. *Matth.12.*

DE SECVNDO.

Quid faciendum Eucharistia iam iam fruituru.

Quid faciendum nobis ſit, iam iamque præſtantiſſimum hoc Sacramentum percepturis, Sacer nos Apoſtolus eo admonet verbo, quo calicem benedictionis ſeu gratiarum actionis appellat, id vtiquè hoc ipſo ſignificare volens, vbì iam iamque reuerendiſſimum hoc, impendioq; ſalutiferum ſumpturi ſumus Sacramentum, iurè tum meritoque corda noſtra nihil futile, nihil vanum aut leue, ſed eiuſmodi potiùs cogitanda ſuſcipere debere, quæ & grata ſint ac placita Deo, ad eiuſque cedant honorem, noſtramque ſalutem. Nihil autem id temporis perindè cogitare congruit, atquè benigniſſimum & gratioſum humanæ liberationis opus, & præſtantiſſima prorſuſque immenſa erga nos miſeros beneficia Dei, quę illo pręcipuè tempore in nos effudit abundè, quo vnigenitus idemque ſanctiſſimus vnicus eius, corpus ſuum noſtrî cauſa neci tradidit, precioſumque ac ſalutarem ſanguinem ſuum noſtris pro ſceleribus fudit: cuius ſcilicet paſſionis illius in ſanctiſſimi Sacramenti huius ſuſceptione nos memoriã agimus. Hinc porrò vbì noſtris hunc in modum animis ſacroſanctam CHRISTI IESV paſſionem imprimimus, nobiſcumq; commemoramus, decebit planè in gratiarum

Chriſti beneficia quibus quãdo potiſſimùm recogitãda

prorumpere actionem, Deo laudes grateſque agere pro paterno illius in nos amore ac beneuolentia, qua vnigenitum & quidem amantiſſimum Filium ſuum, noſtris pro iniquitatibus ac inſtaurandæ ſalutis noſtræ cauſa, morti offerre dignatus eſt: itemque & ipſi huic ſanctiſſimo filio Dei CHRISTO IESV Domino noſtro æternas dicere laudes & gratiarum actionem pro obedientia propenſiſſimæ voluntatis, quam Patri cæleſti noſtrę ſalutis gratia præſtitit, quandò innocentiſſimus pro nobis deploratis ac miſeris peccatoribus pœnas luit, ſuis vulneribus ac morte ab æternis nos cruciatibus & damnatione eripiens vindicanſque: pro illa itidèm charitate ac beneficentia, qua ſacroſanctum corpus & ſanguinem ſuum olim ob nos redimendos ſacrificij loco oblata, iam cibum nobis prębet, & quidem eiuſmodi cibum, qui ipſi nos vniat & coniungat, illius nos liberationis & gratiæ reddat partici-
Ioan. 6. pes, ac vitam denique æternam, quam abſq; hoc alimento habere non poſſemus, in nobis foueat, conſeruet ac tueatur.

Eiuſmodi, inquam, animum noſtrum & pectus cogitationes ſibi vendicare decet, vbì præſtantiſsimum hoc ſumpturi ſumus & venerabile ſacramentum. Indè nanque & calix benedictionis dicitur, & Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio. Idque adeò ipſe à nobis Dominus exi-
Luca 22. git, vbi ait: Hoc facite in meam commemorationem: & Apoſtolus:
1. Cor. 11. Quotieſcunquè, inquiens, manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

DE TERTIO.

Vis ſacramenti quæ ſit. De virtute porrò & operatione ſeu effectu huius præclariſſimi Sacramenti, quid id apud nos ſeu intra nos agat efficiatque, & cuiuſmodi nos reddat, ipſe nos Apoſtolus his docet verbis:

1. Cor. 10. *Nonne communicatio ſanguinis CHRISTI eſt? nonne participatio corporis Domini eſt?*

Atque ô ſi quis vſqueeò pectoris ſui ſinus per fidem expandere poſſit, vtì eam quæ his offertur verbis, conſolationem complecti & appræhendere queat. Enimuerò quid homini Chriſtiano in terris gratius, quid potiùs contingere poſſit, aut quid non meritò is agere ac perpeti deberet, vt hoc cibo dignus, huius gratię capax & particeps fieri valeret?

Suum cur nobis corpus ac ſanguinē Chriſtus præbeat. Ea nanq; de cauſa ſuum nobis CHRISTVS ſeruator noſter corpus & ſanguinem cibum potumq̄ue prębet, vt per hanc eſcam ſibi nos incorporet, in ſua nos membra transferat, atq; ità noſtrum ipſe caput, nosque illius membra efficiamur. Cui iam hìc difficile ſit immenſas animaduertere gratię opes, quas hoc nobis Sacramentũ aduehit, quandoquidem vnum nos, corpuſque vnum efficit cum CHRISTO Opt. Max?

Cur autem vnum nos ſecum efficiat CHRISTVS, iſthæc ratio eſt,

eſt, vt habeamus ac inueniamus in ipſo, quod ex nobis minimè poſſe-mus: eoq́ue mortalem hanc carnem noſtram cum ſua viuificante carne coniungit, vt vitam in ipſo æternam hauriamus obtineamusq́ue, qui ex nobis mortales ſumus, & æterna morte perituri eſſemus. Hoc eſt quod Ioan. 6. dicitur: Qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum. Cùm ergò panis hic æternam in nobis vitam conſeruet, conſequens ſcilicet eſt, quiſquis eum non edit, hunc æternò viuere non poſſe.

Et vt ſemèl dicam, quandoquidem vnum cum CHRISTO effi-cimur, à nulla iam illius gratia diuidimur: ſed ipſius bona, noſtra fiunt: noſtram verò infirmitatem, miſeriam, calamitatem, à nobis auferens, in ſe ipſe recipit, ſuosq́ue his vnà nobiſcum ferendis humeros ſuppo-nit. Eam igitur ob cauſam dum in terris ſumus, in ſua nos ſpiritalia vult membra tranſire, vt in regno cæleſti in ipſo & cum ipſo eandem capia-mus beatitudinem. Nec erit ſanè vlla inter CHRISTVM atq; nos in vita illa diſſeparatio, quandò ea nos ſibi ratione, etiamdùm miſeros, coniungit. Quod vnum hîc eſt, illic neutiquàm ſeparabitur. Nimi-rùm proximè iam Dominũ attingimus, quandò CHRISTI mem-bra ſumus, qui vnius cum Deo patre eſſentię atque ſubſtantiæ eſt. Nec dubium quin amor Patris, quo vnicum ęternumq́; Filium ſuum com-plectitur, etiam ad nos ſeſe extendat, cùm CHRISTI membra ſi-mus, corpusq́ue vnum cum filio Dei. Vndè cùm CHRISTVM Deus haud dubiè amet, & illos vtiquè amat, quotquot CHRISTI membra ſunt, CHRISTOq́ue incorporati. Breuiter igitur iſthæc ſa-craméti huius ſanctiſſimi virtus eſt, quòd vnũ nos efficit cum CHRI-STO, in illiusq́ue adducit ſeu transfert communionem: vbi ea nobis præſtatur fiducia, participes nos eſſe in CHRISTO omnium chari-ſmatum, totiusq́ue gratiæ Dei, diuinaq́; nos gaudere protectione dum hîc ſumus: atque vbi CHRISTVS apparuerit in gloria Dei, & nos cum illo itidèm in gloria apparituros eſſe, cùm membra illius ſimus.

Qualis inter Chriſtũ & nos communicatio.

DE QVARTO.

Deniquè, vt nobis iam deincèps poſt Sacramenti ſumptionem no-ſtra ſit agenda vita, facilè per ſeſe quiſque intelligit. In CHRISTI communionem ac membrum tranſiſti, atque per ipſum in Dei amo-rem, fidem & amicitiam, omnisq́ue gratiæ eius participationem adſci-tus & adductus es: agè iam ſummo hinc opere peccatũ deuita. id nanq; repetitum, è ſumma hac dignitate & honore deiectum, in extremã tete ignominiam ac dedecus demerget, à CHRISTOq́ue abſtractum & auulſum, maligni ſpiritûs membrum te efficiet.

Quî nobis vita poſt cõmunionẽ inſtituẽda.

Deindè cùm gratiæ DEI communionem ſeu participationem hîc quæſiêris & adeptus ſis, pro viribus hinc erga quoſcunque è religione Chriſtianos liberalem communemq́ue te prębebis, quandò vnus cun-

Quid præ-

ximo ſuo quiſque debeat. Matth. 25.

cti panis & vnum tecum ſunt corpus, quotquot hæc tecum myſteria participârunt. Vt ergò Deum erga te eſſe voles, ità & in quibus poteris fac proximis te exhibeas: certus, totum te in caput ac Dominum tuum CHRISTVM IESVM conferre, quicquid in eius membra

Inuido qd præſtandũ.

contuleris, ſiue bonum id ſit, ſiue malum. Agè ergò, Inuide, ex corde iam remittas proximo, cùm peccatorum ipſe veniam in CHRISTI communione requiras. Quandò vitam ipſe petis à CHRISTO, fac proximi nihil eiuſmodi ex te patiantur, quod vel lædere eos, vel vitam

Auaro qd faciendũ.

eis eripere queat. Tu itidèm Auare, ſi perennium cùm CHRISTO bonorum particeps eſſe velis, fac membra tua hîc bonis tuis temporarijs fruantur: pudeatq́ue rerum temporalium tenacem ac infidum eſſe adminiſtratorem, qui per gratiam bonis æternis perenniter frui optas appetisq́;.

FINIS.

